13-C-109/2

THEOLOGIA MORALIS

JUXTA DOCTRINAM

S. ALPHONSI MARIÆ DE LIGORIO,

DOCTORIS ECCLESIÆ.

AUCTORE

Jos. AERTNYS, C. SS. R.

THEOLOGIÆ MORALIS ET S. LITURGIÆ PROFESSORE.

TOMUS II.



TORNACI,

Va H. CASTERMAN,

EDITOR PONTIFICALIS, EPISCOPATUS TYPOGRAPHUS.

PARISIIS, VIA BONAPARTE, 66. | BRUXELLIS, VIA DES PAROISSIENS, 14.

LIPSIÆ, VIA QUERSTRASSE, 34. | TORNACI, VIA TÊTE-D'OR, 5.

BUSCODUCI & ZWOLLÆ,

W. VAN GULICK.

1887.

Darem od Rev
Inv. čís. 6081.

ÚSTŘEDNÍ KNIHOVNA
PRÁVNICKÉ FAKULTY UJEP
STARÝ FOND
Č. inv.: 03320

GALOPIÆ, TYPIS M. ALBERTS.

Proprietas Auctoris sub legis tutela est.

TIBI

SANCTO ALPHONSO MARIÆ

Maximo Catholicæ Ecclesiæ Lumini [1]

Morum Magistro divinitus ipsi dato [2]

ANIMARUM MODERATORUM PRUDENTISSIMO DUCI [3]

Laxismi et rigorismi tutissimo Depulsori [4]

Animarum Amatori ardentissimo

Doctori zelantissimo

Patri dilectissimo

Occurrente hoc primo centenario Jubilaeo

Beatæ mortis tuæ

Opus hoc peramanter ac gratissime dedicat

Indignus sed devotissimus filius tuus
in Christo

Jos. AERTNYS.

1) Gregor. XVI Decret. 10 Jan. 1840. — 2) Bulla Canonizationis. 26 Maji 1839. — 3) Leo XIII Litteræ 28 Aug. 1879. — 4) Pius IX Breve Doctoratûs. 7 Jul. 1871.

THEOLOGIA MORALIS.

LIBER VI.

DE SACRAMENTIS.

Postquam præcepta exposuimus, quorum observatione beatum finem nostrum assequimur, modo de mediis agere debemus, quibus gratiam ad servanda mandata necessariam comparamus. Præcipua hæc media sunt Sacramenta ad hominum sanctificationem a Christo instituta; de quibus ea omnia trademus, quæ in eorum usu cognoscenda sunt.

Numerum Sacramentorum pulchre exponit S. Thomas [1], quem parumper breviamus: »Sacramenta Ecclesiæ ordinantur ad duo, scilicet ad perficiendum hominem »in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundum perfectionem Religionis Christia»næ, et etiam in remedium contra defectum peccati: utroque autem modo con»venienter ponuntur Sacramenta.

»Vita enim spiritualis conformitatem aliquam habet ad vitam corporalem, sicut »et cætera corporalia conformitatem quamdam spiritualium habent: in vitâ autem »corporali dupliciter aliquis perficitur: uno modo *quantum ad personam pro»priam*: alio modo *per respectum ad totam communitatem societatis*, in quâ »vivit.

»Respectu autem *sui ipsius* perficitur homo in vita corporali dupliciter: uno »modo *per se*, acquirendo scilicet aliquam vitæ perfectionem: alio modo *per acci»dens*, scilicet removendo impedimenta vitæ, puta ægritudines, vel aliquid hujus»modi. Per se autem perficitur corporali vitâ primo per generationem, per quam »homo incipit esse et vivere; et loco hujus in spirituali vitâ est *Baptismus*, qui »est spiritualis regeneratio. Secundò per augmentum, quo aliquis perducitur ad »perfectam quantitatem et virtutem; et loco hujus in spirituali vita est *Confirmatio*, »in qua datur Spiritus Sanctus ad robur. Tertiò per nutritionem, qua conservatur »in homine vita et virtus; et loco hujus in vita spirituali est *Eucharistia*. Et hoc »quidem sufficeret homini, si haberet et corporaliter et spiritualiter impassibilem »vitam. Sed quia homo incurrit interdum et corporalem infirmitatem, et spiritua»lem scilicet peccatum, ideo necessaria est homini curatio ab infirmitate; quæ »quidem est duplex: una quidem est sanatio quæ sanitatem restituit; et loco »hujus in spirituali vitâ est *Pœnitentia*: alia autem est restitutio valetudinis »pristinæ per convenientem diætam et exercitium; et loco hujus in spirituali vitâ »est *Extrema Unctio*, quæ removet peccatorum reliquias, et hominem paratum »reddit ad finalem gloriam.

»Perficitur autem homo in ordine ad *totam communitatem* dupliciter; uno »modo per hoc quod accipit potestatem regendi multitudinem et exercendi actus »publicos; et loco hujus in spirituali vitâ est *Sacramentum Ordinis*. Secundo, »quantum ad naturalem propagationem, quod fit per *Matrimonium*, tam in cor»porali quam in spirituali vitâ, eo quod est non solum Sacramentum, sed naturæ »officium.

[1] 3. qu. 65. a. 1.

»Ex his etiam patet Sacramentorum numerus, secundum quod ordinantur contra »defectum peccati: nam *Baptismus* ordinatur contra carentiam vitæ spiritualis: »*Confirmatio* contra infirmitatem animi, quæ in nuper natis invenitur: *Eucharistia* »contra labilitatem animi ad peccandum: *Extrema Unctio* contra reliquias pec»catorum, quæ scilicet non sunt sufficienter per pœnitentiam sublatæ, aut ex »negligentiâ aut ex ignorantiâ: *Ordo* contra dissolutionem multitudinis: *Matrimo»nium* in remedium contra concupiscentiam personalem, et contra defectum mul»titudinis qui per mortem accidit."

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 14.

Pertractandum erit 1° de notione et effectibus, 2° de materia et forma, 3° de ministro, 4° de subjecto apto Sacramentorum. Explicationes et quæstiones scholasticas, quæ nostri non sunt instituti, ad Theologos Dogmaticos remittimus.

CAPUT I.

NOTIO ET EFFECTUS SACRAMENTORUM.

1. — Sacramentum est signum sensibile et efficax gratiæ invisibilis, a Christo Domino ad nostram sanctificationem institutum.

Omnia Sacramenta, ut tradit Eugenius IV in Decreto ad Armenos, tribus perficiuntur, videlicet re sensibili tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, et personâ ministri intendentis facere quod facit Ecclesia adhibendo hujusmodi signa externa.

2. — **Divisio.** Distinguuntur Sacramenta: 1° *Necessaria*, sive necessitate *medii*, saltem in voto implicito, ut est Baptismus omnibus, Pœnitentia post Baptismum lapsis, et probabilius etiam Eucharistia; sive necessitate *præcepti* tantum, ut Confirmatio et Extrema Unctio. Ordo et Matrimonium, non Christianis singulis, sed solum Communitati Ecclesiæ necessaria sunt.

2° *Mortuorum*, quæ per se gratiam primam justificationis conferunt; unde a peccatore recipi possunt; suntque Baptismus et Pœnitentia: *vivorum*, quæ per se gratiam secundam, i. e. augmentum gratiæ sanctificantis, conferunt; unde in subjecto jam gratiam præexsistentem requirunt; qualia cætera quinque sunt.

3° *Initerabilia*, seu *characteristica*, quæ characterem indelebilem imprimunt in anima suscipientis, unde iterari non possunt, ut Baptismus, Confirmatio et Ordo: cætera quatuor sunt *iterabilia*, seu *non characteristica*, eo quod gratiam dumtaxat conferant, quæ amitti aut augeri potest.

4° Unum est *permanens*, Eucharistia, utpote in re permanente, Christi videlicet Corpore et Sanguine, consistens: reliqua sex *transeuntia* appellantur, eo quod in actione transeunte consistant.

5° *Formata* dicuntur, quando simul ut suscipiuntur, producunt gratiam in recipiente: *informia*, quando valida quidem sunt, sed recipienti non conferunt simul gratiam, ex defectu requisitæ in eo dispositionis. (*n.* 6.)

3. — **Principia.** I. Omnia Sacramenta ex opere operato conferunt gratiam omnibus obicem non ponentibus. Est de fide ex Trid. *sess.* 7. *can.* 6. *et* 8. — Actus suscipientis Sacramentum non habent vim *effectivam* gratiæ, sed requiruntur ut *dispositiones* ad fructum Sacramenti recipiendum; ideo augent gratiæ mensuram pro mensura dispositionis et cooperationis. (*n.* 6. 85.)

II. Singula Sacramenta, ultra gratiam sanctificantem, conferunt gratiam sacramentalem, scilicet specialia auxilia gratiæ ad obtinendum finem, ad quem singula Sacramenta instituta sunt. Ratio est, quia Sacramenta ordinantur ad quosdam speciales effectus necessarios in vita christiana. (*n.* 6. *Exam. Ordin. n.* 22.)

Sic 1° In *Baptismo* conferuntur auxilia specialia tum ad firmiter credendum, tum ad servanda præcepta Dei et Ecclesiæ, tum denique ad digne suscipienda alia Sacramenta, quorum Baptismus janua est. 2° In *Confirmatione*, ad confitendum fortiter et constanter fidem, cujus confessio finis est Confirmationis. 3° In *Eucharistia*, ad exercendos charitatis actus, quibus anima spiritualiter nutritur, quæ nutritio charitatis est proprius Eucharistiæ finis. 4° In *Pœnitentiâ*, ad detestanda efficacius peccata, pro commissis satisfaciendum plenius, vitandaque facilius futura. 5° In *Extrema Unctione*, ad superandum languorem ex ægritudine corporis oriri solitum, ad resistendum dæmoni, erigendumque infirmum in spem ac firmam fiduciam de divina misericordia. 6° In *Ordine*, ad cujusque Ordinis ministerio rite fungendum. 7° In *Matrimonio* demum, ad servandam conjugalem fidem atque castitatem, fovendum amorem mutuum, pie ac christiane educandas proles.

III. Sacramenta mortuorum possunt *per accidens* producere gratiam secundam, quoties nempe recipiens jam vivit vita gratiæ spirituali. Similiter Sacramenta vivorum *per accidens* conferre possunt gratiam primam; ut si quis in peccato mortali cum sola attritione supernaturali, bona tamen fide, suscipit Sacramentum vivorum. Ratio hujus est, quia juxta Trid. *sess.* 7. *can.* 6. omnia Sacramenta conferunt gratiam non ponentibus obicem; atqui peccator, qui accedit ad Sacramentum vivorum cum bona fide, et cum attritione quæ excludit omnis peccati mortalis affectum, non ponit gratiæ obicem; ergo recipit gratiam sanctificantem.

Variis modis evenire potest, ut quis constitutus in peccato mortali recipiat bona fide Sacramentum vivorum; puta 1° si invincibiliter ignoret se esse in statu peccati mortalis; 2° etsi quidem peccati gravis conscientiam habeat, sed invincibiliter existimet se esse perfecte contritum, vel rite confessum, vel debite absolutum, cum non sit; 3° si infirmus mentis alienatione præventus non possit procurare statum gratiæ, et tamen interea Extremam Unctionem recipiat; 4° si invincibiliter ignoret ad Sacramenti perceptionem requiri statum gratiæ. (*n.* 6.)

IV. Sacramentum invalidum, vel validum sed informe, est per se grave sacrilegium. Ratio est, quia est gravis abusus rei sanctissimæ, contra institutionem Christi, qui ritus sacramentales instituit ad significandam et producendam gratiam. Auctor ergo nullitatis vel informitatis, si ipsi imputanda sit, graviter peccat.

4. — **Quæstio.** *An Sacramenta informia, sublato obice, reviviscant?*

Prænotandum, quod obex gratiæ sit defectus requisitæ dispositionis in subjecto. Obex hic *fictio* appellatur: quo nomine proinde non intelligitur simulatio. *Fictio* porro seu obex gratiæ duplex esse potest: 1° *materialis*, si inculpabiliter per ignorantiam invincibilem desit dispositio debita ad perceptionem gratiæ; 2° *formalis*, quando illa dispositio voluntarie omittitur, ita ut sacrilegii malitiam contineat. Hisce prænotatis:

Resp. 1° Sacramentum Baptismi cum fictione susceptum, remoto per subsequentem dispositionem obice, reviviscere gratiamque conferre ex opere operato, communis est et certa Theologorum doctrina; quia Baptismus est medium necessarium ad delendum peccatum originale; sed, cum non possit iterum recipi, neque realiter neque in voto, dum votum tendit in id, quod potest recipi, necesse est ut, ablato obice, reviviscat.

2° Probabiliter etiam Sacramenta Confirmationis, Ordinis, imo Matrimonii et Extremæ Unctionis, ficte suscepta, recedente fictione reviviscunt. Ita communis sententia, contra paucos; quia ex una parte auxilia gratiæ, quæ conceduntur istis Sacramentis, sunt admodum necessaria; ex altera autem parte Sacramenta hæc iterari nequeunt, tria quidem simpliciter, Matrimonium autem durante eodem conjugio, Extrema Unctio durante eodem mortis periculo; unde videtur consentaneum divinæ bonitati, ut tales suscipientes non maneant privati gratia sacramentali adeo proficua et necessaria.

3° Idem dicunt multi de Sacramento Pœnitentiæ, cum obice *materiali* suscepto, (posito quod possit validum esse

et informe, de quo disputatur); quia Confessio illa, utpote valida, postea repetenda non est; ergo habet postea suum effectum. Ita D. Thom. Suarez, Lugo, Villal. Croix, Salm. etc. — Dixi: *cum obice* MATERIALI; quia obex *formalis*, cum sit peccatum grave, irritum reddit Sacramentum ex defectu contritionis; Sacramentum autem invalidum, ut patet, reviviscere nequit.

4° Negandum vero est de Sacramento Eucharistiæ, postquam præsentia Christi desiit in sumente; quia nulla est necessitas hujusmodi efficaciæ, cum hoc Sacramentum et frequenter iterari possit et effectus ejus non sit simpliciter ad salutem necessarius; quinimo sequeretur absurdum, perditum nempe Sacerdotem, qui quotidie indigne celebravit, per unum actum pœnitentiæ in fine vitæ consequi totum cumulum gratiarum tot sacrilegarum Communionum, ac consequenter, quo sæpius indigne celebrasset, eo uberius gratiis ditaretur. Ita communiter cum D. Thoma, contra paucos.

Notandum denique, ut Sacramenta reviviscant, eam dispositionem requiri, quæ in ipsamet susceptione postulatur; obex enim nihil aliud est, quam carentia istius dispositionis. (*n.* 6. 87.)

CAPUT II.

MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM.

5. — Omne Sacramentum est compositum ex materia et forma. Materia alia *remota*, alia *proxima* est: remota est ipsa res sensibilis, ex qua constat Sacramentum, vel circa quam sacramentalis versatur actio; proxima est ea actio, per quam materia remota applicatur. Forma sunt verba ministri. Sic materia remota Baptismi est aqua, proxima vero ablutio.

Porro materiæ remotæ *ex qua*, et *circa quam*, sunt remotæ diverso modo; nam prior *componit* ipsum Sacramentum, non posterior; e. g. aqua in Baptismo, oleum in Extrema Unctione componunt hæc Sacramenta; peccata vero in Pœnitentia, corpora contrahentium in Matrimonio non componunt ista Sacramenta, sed sunt materia *extrinseca*, *circa quam* versantur. Similiter panis et vinum non sunt materia, ex qua *componitur* Eucharistia, sed materia, circa quam versatur Consecratio; dici tamen possunt materia, ex qua *conficitur* Eucharistia; post Consecrationem *species* panis et vini sunt materia, ex qua *componitur* Sacramentum. Materia tandem *proxima* intrinsece componit omnia Sacramenta.

6. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quanta debeat esse conjunctio inter materiam et formam Sacramentorum, ut valida sint?*

Resp. 1° In Sacramento Eucharistiæ requiritur conjunctio *physica;* quia pronomina *hoc* et *hic* non possunt verificari, nisi materia sit præsens.

2° In cæteris Sacramentis sufficit conjunctio *moralis*, ita ut forma moraliter censeatur cadere super talem materiam, et cum illâ unum signum constituere; quia in composito *morali*, quale est Sacramentum, sufficit *moralis* unio. Quare satis est formam incipere statim post applicationem materiæ. Moralis tamen unio diversa esse debet pro diversitate Sacramentorum. Major namque unio requiritur in Baptismo, Confirmatione, Extrema Unctione, ubi intervallum unius *Pater noster* destrueret Sacramentum, ac fere idem est in Ordine. In Pœnitentia sufficit ea connexio quam exigit actus judicialis, ut idem judicium peragi et per sententiam consummari intelligatur; unde inter accusationem et sententiam intercedere potest aliquod temporis intervallum, quamvis in Sacramento non tantum possit esse intervallum, quantum in judicio forensi. Dicunt Croix et Tambur. valide absolvi post horam a confessione. In Matrimonio tandem sufficit ea conjunctio quæ sufficit in humano contractu, ubi satis est quod consensus unius ponatur, dum adhuc consensus alterius perseverat. Hæc moraliter certa sunt, et communis sententia.

In praxi tamen, exceptis Pœnitentiâ et Matrimonio, in aliis Sacramentis consulendum est ut materia et forma in aliqua sui parte coëxsistant, ut nimirum una inchoetur antequam absolvatur altera; quinimo merito ait Lugo non peccare Sacerdotem, qui, si secus factum fuisset, ad majorem animi sui quietem iterum susciperet Ordinationem sub conditione. (*n.* 9.)

QUÆR. 2° *Quænam mutatio materiæ vel formæ nullum reddat Sacramentum?*

Resp. Sola mutatio *substantialis:* accidentalis non nocet Sacramento; est tamen peccatum grave vel leve pro quantitate materiæ. Etenim prior tollit veram materiam aut veram formam essentialem Sacramenti; posterior vero non variat substantiam rei; est autem peccatum, cum sit contra usum et præceptum Ecclesiæ.

Porro 1° dicitur *substantialis* mutatio *materiæ*, quando juxta communem usum et acceptionem hominum non convenit naturâ et nomine cum materiâ ab Ecclesiâ usitatâ et a Christo præscriptâ. Sic in Baptismo, si adhibeatur aqua artificialis loco elementaris; in Eucharistia massa nondum cocta, utpote quæ panis non censetur.

2° Erit *substantialis* mutatio *formæ*, quando variat sensum verborum; secus erit accidentalis. Plures autem in formis contingere possunt mutationum modi, puta: a) per *substitutionem* verborum; quæ si synonyma sint, erit accidentalis, v. g. *ego te abluo* pro *ego te baptizo;* b) per *transpositionem*, v. g. *ego baptizo te, hoc meum est corpus;* vel si activa oratio in passivam convertatur; regulariter hæc mutatio erit accidentalis, cum vix possit sensum formæ variare; c) per *interpolationem* seu *disjunctionem* verborum, v. g. si minister prius dicat *Ego te baptizo*, et paulisper sistat, tussiat, vel pauca verba interponat, et postea subjungat *in nomine Patris*, etc.; parva hujusmodi interpolatio aut interruptio accidentalis est; secus vero, si magna esset, ita ut verba non censeantur unam orationem componere, et unum integrum sensum efficere; d) per *additionem*, v. g. si in Baptismo dicatur *in nomine Patris, qui te creavit*, etc. mutatio est accidentalis; e) per *subtractionem*, v. g. si in Baptismo vel Pœnitentiâ omittatur verbum *ego*, in Eucharistia verbum *enim*, est mutatio accidentalis; secus, si verbum essentiale omittatur, quo mutetur debitus sensus formæ; f) per *corruptionem*, ob præcipitantiam et balbutiem, v. g. si quis dicat *Hoc est colpus* vel *copus meus*, *es* pro *est*, *calis* pro *calix*, erit accidentalis mutatio; secus, si tollatur omnino sensus. (*n.* 11.)

QUÆR. 3° *An materiæ et formæ omnium Sacramentorum fuerint a Christo Domino determinatæ in specie seu in individuo?*

Resp. 1° Certum est Christum in specie determinasse materiam et formam Baptismi et Eucharistiæ; similiter materiam, et, quoad substantiam, etiam formam Pœnitentiæ et Matrimonii.

2° Controvertitur quoad alia tria Sacramenta Confirmationis, Ordinis, et Extremæ Unctionis. *Prima sententia* probabilis negat, docetque Christum determinasse solum aliquod signum *in genere*, expressivum effectûs illorum Sacramentorum, ac ejus deinde determinationem *specificam* reliquisse Ecclesiæ. Ratio est diversitas Ecclesiæ Græcæ et Latinæ, quin et diversitas diverso tempore in ipsa Ecclesiâ Latinâ, in administratione Sacramenti Ordinis; in Ecclesiâ enim Græcâ, et in primis sæculis etiam in Latinâ, Presbyteratus et Diaconatus conferuntur per solam manuum impositionem; in Latina vero, præter manuum impositionem, jam requiritur ceu materia traditio instrumentorum, ut habetur in Decreto Eugenii IV ad Armenos. Ita Bellarm. Lugo, S. Bonav. Salm. Holzm. Croix, et multi alii.

Secunda sententia probabilior affirmat materias, et, quoad substantiam, etiam formas omnium Sacramentorum fuisse a Christo determinatas *in specie*. Rationes sunt: 1° Sacramenta sunt signa gratiæ, quam conferunt; sed hoc non habent nisi ex institutione divina; ergo oportet ut ex illis rebus et verbis constent, quæ Deus decrevit. 2° Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. declarat a Christo relictam esse Ecclesiæ potestatem ea statuendi, quæ Sacramentorum *dispensationem* respiciunt, *salvâ illorum substantiâ;* materia autem et forma non ad dispensationem pertinent, sed substantiam constituunt; earum ergo determinatio non est in Ecclesiæ potestate. Ita S. Thom. Suar. Juenin. Concin. Habert, Merbes, Contin. Tournel. et alii multi.

Ad Decretum Eugenii respondetur, Pontificem, dum loquitur de Sacramentis, non tantum exprimere necessaria necessitate Sacramenti, sed etiam necessaria ex præcepto, et partes non essentiales Sacramentorum, e. g. admixtionem aquæ cum vino in Eucharistia, satisfactionem in Pœnitentiâ, quarum neutra est essentialis; pariter ambigitur inter DD. num balsamum sit materia essentialis Con-

firmationi. Unde etiam quoad Ordinem dicimus Eugenium locutum esse de materiâ et formâ accidentali, seu integrante, qua Ordo confertur in Ecclesiâ Latinâ, quamque voluit ab Armenis addi manuum impositioni, jamdiu ab illis adhibitæ, ut Ecclesiæ Latinæ ritui se conformarent; quapropter pro reliquis remittit eos ad Pontificale Romanum. (*n.* 12.)

QUÆR. 4° *An eadem materia et forma in singulis Sacramentis pro universa Ecclesia valeat?*

Resp. 1° In iis Sacramentis, quarum materiam et formam Christus *certo* in specie determinavit, omnino affirmandum est; quia, sicut Christus unam instituit Ecclesiam, ita unam tantum fecit Sacramentorum institutionem, quæ universæ Ecclesiæ deserviret; neque Ecclesia potest mutare aut impedire institutionem a Christo factam. *Ita communiter.* [1]

2° In iis Sacramentis, de quibus disputatur utrum Christus materiam et formam eorum specifice determinaverit, duplex est sententia probabilis, sicut in præcedenti quæstione. Una sententia negat; quia Ecclesia potest pro temporum et locorum diversitate diversam materiam et formam determinare, quæ essentialis sit. Altera probabilior sententia affirmat; quia Ecclesia nihil potest circa materiam et formam. (*n.* 741.)

CAPUT III.

MINISTER SACRAMENTORUM.

7. — Quemadmodum in unoquoque Sacramento, quæ sit materia vel forma necessaria, ex Christi institutione petitur, ita de ministro ratiocinandum est, quippe qui conficit Sacramenta ut instrumentum, quod vicem Christi gerit.

Explicanda sunt 1° quæ ex parte ministri necessaria sunt ad valorem Sacramenti; 2° quæ ad digne ministrandum Sacramentum servari debent; 3° obligatio ministrandi Sacramenta.

[1] Cfr. Suarez. *de Sacram. disp.* 2. *sect.* 6. Coninck. *qu.* 60. *art.* 6. *n.* 42. Bonacina. *disp.* 1. *qu.* 2. *p.* 3.

ARTICULUS I.

REQUISITA AD VALIDAM ADMINISTRATIONEM.

8. — **Principia.** I. Valor Sacramenti non dependet ex fide vel sanctitate ministri. Est de fide ex Trid. *sess.* 7. *de Bapt. can.* 4. et *sess.* 17. *can.* 12. Ratio, quia Sacramenta operantur, non ex virtute ministri, sed ex virtute Christi principalis operantis. (*n.* 13.)

II. Ad valorem Sacramenti necessaria est in ministro, præter potestatem, intentio perficiendi Sacramentum, aut saltem faciendi quod facit Ecclesia. Est de fide ex Trid. *sess.* 7. *can.* 11. Ratio, quia per intentionem ministri actio determinanda est ad esse sacramentale. (*n.* 13.)

Non requiritur intentio *explicita* sive conficiendi Sacramentum, sive celebrandi ritum externum tamquam vere sacrum, sive producendi effectum Sacramenti, sive faciendi quod facit Ecclesia Romana; sed horum intentio *implicita* sufficit, contenta in hâc generali explicitâ faciendi id, quod facit Ecclesia a Christo instituta, vel quod Christus instituit, vel quod Christiani faciunt. Hujusmodi intentio reperiri potest in hæretico vel infideli: unde hæretici contrahentes matrimonium Sacramentum efficiunt, quamvis existiment non esse Sacramentum, si modo velint matrimonium contrahere eo modo, quo Christus instituit, vel quo juxta Dei ordinationem contrahi debet; tunc namque error eorum non excludit sufficientem intentionem ad efficiendum Sacramentum. (*n.* 21. 22. Suar. *disp.* 13. *sect.* 2. *n.* 13.)

III. Ad valorem Sacramenti neque intentio *interpretativa*, neque pure *habitualis* sufficiens est in ministro. Ratio, quia nullo modo sunt causa actionis, cum neque exsistant physice, neque suâ virtute possint in actionem influere. Præterea possunt esse in ebrio et amente: falsum autem est istos posse Sacramentum conficere. (*n.* 16.)

IV. Intentio *actualis* optima est, non tamen necessaria; sed omnino sufficit *virtualis.* Ratio prioris est, quia Sacramento quidem maxime congruit, at vires humanas sæpe excedit: ratio posterioris est, quia vere imperat actionem, atque adeo sufficit ad operandum humano

modo. (*n.* 17. 18.) — Notionem prædictarum intentionum vide lib. I. n. 5. [1]

Inde infertur 1° Perperam dubitare de debitâ intentione ministrum, qui de more ponit actiones requisitas ad Sacramentum, v. g. Sacerdos adit Ecclesiam ad celebrandum, paramenta induit, dicit Missam et consecrat; quia saltem vult facere, quod alias solet, vel quod alii ministri faciunt; quin etiam, sciens actionem esse sacram et frustra non poni, exercite intendit eam ponere juxta finem suum. Quare opus non est ut minister intentionem eliciat *in actu signato*, sed sufficit *in actu exercito.* (*n.* 18.)

2° Sufficere intentionem metu extortam, præterquam in Matrimonio; quia metus non tollit voluntarium. Pariter non invalidat Sacramentum, Matrimonio excepto, error ministri circa personam suscipientis, v. g. si minister putans se absolvere Petrum, absolvat Paulum; nisi minister intentionem suam alligaret alteri personæ determinatæ, quod fieri non solet, nisi in Matrimonio. (*n.* 19.)

V. Non sufficit ad valorem Sacramenti intentio *conditionata* sub conditione *de futuro*, uno excepto Matrimonio. Ratio est, quia, quando fit actio sacramentalis, deest intentio hic et nunc conferendi Sacramentum; postea vero, quando purificatur conditio, desunt materia et forma. Excipitur Matrimonium, quia, cum consensus perseverat moraliter, retinet naturam contractûs.

Conditio *de præterito* vel *de præsenti* non obstat valori Sacramenti, si conditio subsistat; quia tunc intentio statim transit in absolutam; contra, si conditio non subsistat, destruitur intentio, ac proinde nullum fit Sacramentum. (*n.* 26.)

9. — **Quæstio.** *Quæritur hoc loco, num in ministro Sacramentorum, præter intentionem, requiratur etiam* ATTENTIO, *ut valide ea conferat?*

Resp. Negative, etiamsi voluntaria sit distractio; tum quia actio procedens ex priori intentione simpliciter est humana et libera; tum quia attentio non est semper in hominis potestate, atque adeo credibile non est voluisse Christum conditionem ejusmodi ut essentialem. *Ita communiter.* (*n.* 14.)

[1] In commodum lectoris lubet hic variarum intentionum memoriam refricare. Distinguitur intentio 1° *actualis*, quâ quis, cum conficit opus, actu vult illud facere: *virtualis*, quando quis agit virtute actualis intentionis antea elicitæ: *habitualis* est intentio actualis dudum præterita, quam quis non retractavit, sed quæ non movet ad operandum: *interpretativa*, quando quis actualem intentionem nec habet nec habuit, ita tamen est dispositus ut eam eliceret, si animadverteret. 2° Intentio actualis elici potest vel *in actu signato*, quando elicitur expresse ore vel mente: vel *in actu exercito*, quando quis opus facit sciens et advertens quid faciat. 3° *Explicita*, quando quidpiam intenditur in seipso: *implicita*, quando intenditur in alio in quo continetur: hæ species fere coincidunt cum intentione actuali et virtuali. (*n.* 15.)

ARTICULUS II.

REQUISITA AD LICITAM ADMINISTRATIONEM.

Præter ea, quæ ad valorem necessaria sunt, postulantur 1° jurisdictio, 2° status gratiæ, seu sanctitas, 3° attentio mentis, 4° materia et forma certæ, 5° observatio ritûs Ecclesiæ, 6° discretio inter dignos et indignos suscipientes.

§ I. *Jurisdictio.*

10. — Præter potestatem conficiendi Sacramentum, requiritur jus seu facultas administrandi illud aliis, ut licite possit dispensari. Soli autem Sacerdotes, regulariter loquendo, accipiunt potestatem et jus administrandi Sacramenta, quæ ab ipsis administrari possunt. Excipitur Matrimonium, in quo ipsi contrahentes sunt ministri.

Dixi: *regulariter loquendo;* quia Diaconis aliquando committitur administratio Baptismi et Eucharistiæ; et in casu necessitatis, quivis homo potest baptizare.

Porro Sacerdotibus necessaria est jurisdictio vel *ordinaria*, quæ propria est pastorum Ecclesiæ, vel ab eo *delegata* qui est ordinarius pastor. Unde peccat Episcopus, qui in aliena Diœcesi Ordines confert, sine proprii Episcopi facultate; peccat etiam Parochus aliusve Sacerdos propria auctoritate ministrans Sacramenta alienis ovibus; peccant denique omnes, qui juxta Ecclesiæ statuta privati sunt jure seu usu administrandi Sacramenta, et nihilominus ea dispensant. Attamen, urgente necessitate in articulo mortis, in defectu proprii pas-

toris, quivis Sacerdos potest Sacramenta Pœnitentiæ, Viatici, et Extremæ Unctionis ministrare. Colligitur ex Rituali Rom. *tit.* 1. *n.* 14.

Notandum vero est: 1° in Sacramento Pœnitentiæ jurisdictio necessaria est ad ejus valorem; quoniam est actus judicialis. 2° Nunc etiam in Sacramento Matrimonii ad valorem ejus necessaria est jurisdictio in Sacerdote, coram quo contrahendum est; quod quidem non est ex naturâ matrimonii, sed est conditio jure ecclesiastico necessaria ad valorem contractûs, non tamen ubique, ut suo loco latius dicemus. (Suar. *disp.* 16. *sect.* 1. *n.* 3. 4.)

Plura distinctius in singulis Sacramentis tradentur.

§ II. *Status gratiæ.*

11. — Ministratio Sacramenti duobus contingit modis, scil. 1° *solemniter* seu a ministro *ex officio*, quia nempe est consecratus ad tale ministerium; 2° *privatim* seu a ministro *per accidens*, ut cum laicus in necessitate baptizat, imo etiam Sacerdos sicut faceret laicus; quia tunc non agit ut minister ex officio.

Certum porro est et commune inter DD. ministrum ex officio regulariter peccare mortaliter, si Sacramentum in statu peccati mortalis conficiat. Probatur 1° ex Levit. XXI. 6: »Incensum »Domini et panes Dei sui offerunt, et »ideo sancti erunt;" quod valet a fortiori de administratione Sacramentorum in Novâ Lege; 2° ex ratione; tum quia ministri Ecclesiæ personam Christi gerunt, tum quia ex speciali consecratione ad sancta tractanda specialis obligatio oritur eadem sancte tractandi. (*n.* 31.)

Dixi: *regulariter;* quia aliquando excusari potest; si nempe in moribundo adeo urgeret necessitas Baptismi aut Pœnitentiæ, ut ministro tempus deesset ad se prius actu contritionis Deo reconciliandi. (*n.* 33.)

Ex dictis consequitur Parochos, aliosve Sacerdotes, quibus ex officio incumbit Sacramenta ministrare, puta in amplis nosocomiis, in castris, ubi necessitates morientium sunt obviæ, teneri semper paratos esse ad ministranda Sacramenta in statu gratiæ. (*n.* 33.)

12. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Sacerdos ministraturus Sacramentum, si in peccato mortali sit, teneatur præmittere Confessionem?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.* ante confectionem Eucharistiæ, propter proprium et speciale præceptum in illo Sacramento impositum, ut certum est ex Trid. *sess.* 13. *can.* 11. et suo loco videbimus.

2° Ante alia Sacramenta, aliqui affirmant. At communis et probabilior sententia negat, docetque, quamvis optimum sit consilium confitendi, satis tamen esse contritionem probabiliter existimatam. Probatur 1° ex Ritual. Rom. *tit.* 1. *n.* 4. ubi dicitur: »Sacerdos, si fuerit »peccati mortalis sibi conscius (quod »absit), ad Sacramentorum administra»tionem audeat accedere, nisi prius »corde pœniteat; sed, si habeat copiam »Confessarii, et temporis locique ratio »ferat, convenit confiteri." 2° Ratione, quia ex se sufficit moralis diligentia ad se justificandum per contritionem, quin adhibeatur summa per Confessionem. (*n.* 34.)

Quær. 2° *An peccet graviter, qui in statu peccati mortalis conficit Sacramentum, ad quod non est specialiter ordinatus?*

Quæstio procedit dumtaxat de Baptismo et Matrimonio; nam reliqua Sacramenta non possunt ministrari, nisi a ministris consecratis.

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis negat; quia ad obligationem sub peccato mortali oportet ut in eo opere minister se exhibeat publicum Christi et Ecclesiæ ministrum, atque spiritualia subsidia recipiat ad hoc munus digne exercendum. Ita S. Thom. Suar. Bonac. Valent. Salm. Concin. Nat. Alex. Anaclet. Tournel. etc.

2ª Sententia probabilior affirmat; quia est eadem radix obligationis, nempe tum reverentia debita Sacramento ac principali agenti Christo; tum quia quisquis ministrat Sacramentum, sive solemniter sive privatim, illud facit ut minister Christi. Ita Lugo, Vasq. Pontius, Navarr. Durand. Antoine, Croix, etc. (*n.* 32. H. A. *n.* 6. *Exam. Ord. n.* 12.)

Quær. 3° *An peccet mortaliter Sacerdos, aut Diaconus, dispensans Eucharistiam in peccato mortali?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; tum quia non conficit Sacramentum, sed tantum applicat jam factum, adeoque nonnisi remote cooperatur ad productionem gratiæ; tum quia non agit nomine Christi, cum Christus non requisiverit pro dispensatione ministrum consecratum, olim enim laici Communionem sibi ipsis ministrabant. Ita Lugo, Spor. Diana, Vasq. Croix, etc.

2ª Sententia, quam S. Alph. sequitur, affirmat; quia hæc dispensatio est sacrum et gravissimum ministerium, ad quod sancte perficiendum ministri peculiariter consecrantur, et specialem gratiam accipiunt; et, quemadmodum in aliis Sacramentis per eorumdem confectionem proxime concurrit minister ad sanctificationem suscipientium, ita in hoc per dispensationem. Neque obstat praxis in exordio Ecclesiæ, siquidem id factum est tempore persecutionum ob necessitatem. Ita Suar. Bonac. Sylvius, Valent. Laym. Holzm. Roncag. etc. (*n.* 35.)

Quær. 4° *An minister exercens ex officio sacras functiones, quæ non sunt Sacramenta, peccet mortaliter, si eas exerceat in mortali?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat, si aliquod sacrum officium, quod sibi ex Ordine competit, in peccato mortali exsequitur; quia indigne tractat res sacras. Ita S. Thom. cum aliis.

2ª Sententia communior et probabilis negat; quia omnia alia exercitia Ordinum, præter confectionem vel administrationem Sacramentorum, cum non sint ad sanctificationem per gratiam proxime ordinatæ, neque in eis se exhibeat minister ut minister Dei sanctificantis animam, non est tam gravis ratio exigendi internam animæ sanctitatem ad eas exercendas. Unde videtur non excedere culpam venialem, quæ tamen eo gravior erit, quo magis accedunt actiones ad Sacramenti ministerium. Ita Suar. Lugo, Bonac. Vasq. Holzm. Anaclet. Spor. Croix, Salm. etc. (*n.* 37—40.)

§ III. *Attentio mentis.*

13. — Voluntaria distractio sub oratione peccatum est, propter irreverentiam erga Deum; a fortiori sub confectione Sacramentorum peccatum erit; attamen ex communi DD. sententia, veniale non excedit; nisi esset periculum errandi in formâ, præsertim longiore.

Quaestio autem est, utrum voluntaria distractio Sacerdotis sub celebratione Missæ sit grave peccatum.

Alii negant, etiamsi distractio esset sub Consecratione aut Communione; quia attentio interna in oratione non est præcepta sub gravi, juxta probabilem opinionem relatam lib. V. *n.* 56. Ita Croix, Diana, Bardi, ac probabile putat Mazzotta.

Alii vero, quibus potius adhæret S. Alph., affirmant de notabili distractione sub Consecratione aut Communione; propter Missæ Sacrificii eximiam dignitatem, cui gravem videtur irrogare irreverentiam Sacerdos, qui in dignioribus ejus partibus cum plenâ deliberatione se distrahit. Ita Concin. Roncag. Tambur. (*n.* 14. 224. 410. *dub.* 5.)

§ IV. *Materiâ et forma certæ.*

14. — **Principia.** I. Tenetur minister Sacramentorum applicare materiam et formam utramque *certam*, graviterque peccat, si utatur dubiâ, *omissâ certâ*, etiamsi id faciat sequendo opinionem probabilem vel etiam probabiliorem. Ratio est, quia Sacramentum exponit periculo nullitatis; atqui, si ministrare falsum seu irritum Sacramentum sacrilegium est, etiam erit sacrilegium exponere se sine causa tali periculo; nam in moralibus perinde est aliquid facere, et exponere se proximo periculo faciendi. Constat præterea ex prop. 1. proscripta ab Innoc. XI: »Non est illicitum in Sa»cramentis conferendis sequi opinionem »probabilem de valore Sacramenti, re»licta tutiore, nisi id vetet lex, con»ventio, aut periculum gravis damni »incurrendi. Hinc sententia probabili »tantum utendum non est in collatione »Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut »Episcopalis." (*n.* 28.)

II. Ex justa causa necessitatis vel gravis utilitatis proximi, *quando materia vel forma certa adhiberi non potest*, licet uti dubia sub conditione; imo in casu extremæ necessitatis sub gravi oportet ea uti. Ratio est, quia Sacramenta instituta sunt propter homines, et minus malum est conferre homini Sacramentum saltem probabile, quam omnino eum privare Sacramento; deinde conditio apposita, justa causa accedente, abstergit omnem irreverentiam. (*n.* 28.)

Ex dictis claret, quibusnam in casibus

liceat, aut etiam oporteat, conferre Sacramenta sub conditione de præterito vel de præsenti.

15. — **Quæstio.** *Quæritur ulterius, num liceat Sacramentum sub conditione iterato conferre, si dubium sit de valore Sacramenti collati?*

Resp. Dist. 1° Si *prudens* sit dubium an aliquod ex tribus Sacramentis *iterabilibus* fuerit valide collatum et susceptum, illud sub conditione denuo conferri debet: Baptismus quidem, propter summam ejus necessitatem tum medii tum præcepti; Ordo, ne postea contingat invalide administrari Sacramenta; Confirmatio, ne miles Christi careat robore ad fidem constanter tenendam et profitendam. Ratio ulterior est, quia, uti diximus, ex una parte in dubio circa Sacramenta præferenda est opinio favens animabus; ex altera vero nulla hoc pacto Sacramentis irrogatur irreverentia, quam satis tollit adjecta conditio ex rationabili causa.

2° In dubio *rationabili* de valore Sacramenti *iterabilis*, illud denuo conferri *potest* sub conditione, quando subest notabilis proximi utilitas: *debet* vero, quando necessarium est Sacramentum. Ratio est eadem ac supra.

3° Ob *inane* dubium iterare Sacramentum collatum, quamvis sub conditione, est per se grave peccatum; quia tunc temere iteratur actio sacramentalis, quod est gravis irreverentia. Per accidens tamen scrupulosi ob perplexitatem excusantur. — Eadem ratione, repetere verbum vel syllabam in prolatione formæ sine rationabili causa, non excusatur a peccato veniali.

Notandum præterea est, quod si Sacramentum sit ministrandum sub conditione, nullatenus requiritur ut conditio ore exprimatur, sed sufficit eam mente concipi; conditio enim afficit intentionem ministri; hæc autem ore exprimi non debet; ergo neque illa. Quando vero publice iteratur Baptismus dubius, conditio exprimenda est, ut vult Rituale Romanum, ne adstantes credant Baptismum absolute iterari contra legem Ecclesiæ. (*n.* 27—29. Missale Rom. *de defect. tit.* 5. *n.* 2.)

Particularia commodius in singulis Sacramentis trademus.

§ V. *Observatio ritûs Ecclesiæ.*

16. — Ritus distinguitur: 1° *Essentialis*, a Christo institutus, qui versatur circa materiam et formam substantialem: *accidentalis*, ab Ecclesia superadditus, ut cum debito honore ac reverentia Sacramenta ministrentur.

2° Ritus accidentalis est vel *præceptus*, qui sub obligatione: vel *directivus*, qui de consilio tantum observandus est.

De ritu essentiali actum est supra n. 6. qu. 2., hoc loco ergo de ritu accidentali sermo est.

Principia. I. Est in Ecclesia præceptum ministris Sacramentorum impositum, ut ea non ministrent, extra casum necessitatis urgentis, nisi servata solemnitate et cæremoniis ab Ecclesia institutis. Est de fide, definita in Conc. Trid. *sess.* 7. *can.* 13. *de Sacram. in genere*: »Si »quis dixerit, receptos et approbatos »Ecclesiæ Catholicæ ritus, in solemni »Sacramentorum administratione adhi»beri consuetos, aut contemni, aut sine »peccato a ministris pro libito omitti, »aut in novos alios per quemcumque »ecclesiarum Pastorem mutari posse, »anathema sit."

II. Præceptum hoc ex suo genere grave est, ita ut a gravi culpa immunis non sit, qui cæremonias præceptas et consuetudine Ecclesiæ receptas omittit in gravi materia. Ratio est, quia præceptum hoc ad virtutem religionis pertinet, et rem maxime sacram respicit.

Quae porro sint cæremoniæ præceptæ, quæ vero de consilio tantum; quæ insuper sit in hoc negotio censenda materia gravis, quæ vero levis, in singulis Sacramentis explicabitur.

Huc pertinet quoque mutatio *accidentalis* materiæ et formæ, quippe quæ etiam contra ritum præceptum Ecclesiæ est, adeoque ex suo genere grave peccatum. (Suar. *disp.* 16. *sect.* 2. *n.* 6.)

17. — **Quæstio.** *An ubique obliget Rituale Romanum?*

Resp. Attenta Constitutione Pauli V *Apostolicæ Sedi.* 17 Junii 1614 in capite Ritualis positâ, ex una parte negandum videtur, cum Pontifex *hortetur* tantum Episcopos, Parochos, et alios, ad quos spectat, ut Rituali Romano utantur. Atvero ex alterâ parte non desunt in eâ Constitutione argumenta, quæ veram obligationem important: et 1° quidem, ex supra allato canone Tridentini, Ecclesiæ ministri sub peccato tenentur *ritus receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ* servare; atqui in Rituali Romano contineri illos ritus diserte testatur Paulus V; ergo sat erat Pontifici id affirmare, ut eo ipso oriatur obligatio illos ritus sequendi. 2° In eâdem Constitutione hæc leguntur: »Restabat ut uno volumine com»prehensi sacri et sinceri Catholicæ Ec»clesiæ ritus, qui in Sacramentorum »administratione aliisque ecclesiasticis »functionibus *servari debent*, ab iis qui »curam animarum gerunt, Apostolicæ »Sedis auctoritate prodirent, ad cujus »voluminis *præscriptum*, in tanta Ritua»lium multitudine, sua illi ministeria, »tamquam ad *publicam et obsignatam* »*normam*, peragerent, *unoque et fideli* »*ductu inoffenso pede* ambularent cum »consensu."

Concludendum igitur, Pontificem in fine adhortari dumtaxat ut omnes *præcepto* obsequantur. Confirmatur hæc doctrina pluribus S. R. C. Declarationibus, e. g. 7 Sept. 1850. 10 Jan. 1852. Eamdem insinuat S. Alph. *n.* 285. *dub.* 4.

Quamobrem vetitæ sunt additiones omnes Rituali Romano factæ, necnon omnes formulæ benedictionum in eo non contentæ, nisi approbatæ fuerint a S. Rit. Congregatione, ut constat ex Indice librorum prohibitorum, et S. R. C. Declarationibus 7 April. 1832 et 23 Maji 1835. (Bouix. *De jure liturg. part.* 4. *cap.* 3. § 5. Lugo. *De Pœnit. disp.* 17. *n.* 46—50.)

Prædicta accipienda sunt cum duplici restrictione, nimirum 1° nisi alii ritus alicubi a S. Sede concessi fuerint; 2° consuetudines particularium Ecclesiarum, quæ ritibus præscriptis non repugnant, servari possunt.

§ VI. *Discretio inter dignos et indignos accedentes.*

18. — **Principia.** I. Minister Sacramentorum, *per se loquendo*, tenetur negare illa indigne petentibus, graviterque peccat, si indigno ministret. Rationes petuntur 1° ex proprio et speciali præcepto muneris, ut illud peragat tamquam fidelis dispensator et prudens, juxta voluntatem Domini, qui monuit apud Matth. VII. 6: »Nolite dare sanctum »canibus, neque mittatis margaritas »vestras ante porcos." 2° Ex virtute religionis, propter cultum ac reverentiam Sacramentis debitam. 3° Ex præcepto charitatis, ne cooperetur peccato alterius. (*n.* 43.)

II. De dignitate petentium Ministro constare debet, non eodem modo in omnibus Sacramentis, sed juxta cujusque Sacramenti indolem. Ratio est, quia in quorumdam Sacramentorum collatione minister est *dispensator* dumtaxat, in aliis vero simul est *judex* dispositionis subjecti.

Ergo in quibusdam Sacramentis satis non est ministro quod petentem nesciat esse indignum, sed tenetur prudens signum habere debitæ ejus dispositionis: nimirum 1° in *Baptismo adultorum*, prærequiritur examen de fide suscipientis, et moralis diligentia circa consensum et dispositionem ejus; quia Baptismus est janua Ecclesiæ, et prima translatio a statu peccati ad statum gratiæ. 2° In Sacramento *Pœnitentiæ*, quia administratur per modum judicii, in quo minister juste judicare debet, ad eum spectat accuratius causam examinare, cujus præcipua pars est dispositio rei, qui absolvendus est vel ligandus. 3° In Sacramento *Ordinis*, tenetur Episcopus diligenter examinare et exploratam habere dignitatem Ordinandi; quia ad sacrum ministerium, utpote ordinatum ad publicum bonum, nemo jus habet, nisi aptus sit atque vocatus a Deo, prout infra dicetur. 4° In *Matrimonio*, Pastores Ecclesiæ sedulo curare debent ut ad istud Sacramentum homines non accedant, nisi et doctrinam christianam calleant, et nullo impedimento inhibeantur; quocirca inquirere tenentur; tum quia Matrimonium ordinatum est ad christianam educationem prolis, tum quia Matrimonia illegitima possunt esse occasio multorum peccatorum.

In reliquis Sacramentis sufficit quod minister nesciat indignitatem petentis; proinde ea non sunt deneganda iis, qui catholice vivunt, quamdiu non constat de indignitate petentis. Ratio, quia ad hæc Sacramenta omnes fideles jus habent, et ministri non sunt judices, sed dispensatores; unde in iis non habent

jus inquirendi, sed solum officium dispensandi petentibus, modo non sint positive indigni, sequendo regulam, unumquemque præsumendum esse bonum, donec constet esse malum. *Ita communiter.* (*n.* 43. 54.)

III. *Per accidens* interdum potest dari Sacramentum indigno, quando nempe necesse est ad vitandum scandalum, vel injustam petentis infamationem, vel violationem sigilli Confessionis. Ratio est, quia minister dat operam rei de se licitæ, quam non potest moraliter eo tempore vitare, proinde ejus actio non est nisi licita permissio peccati suscipientis. (*n.* 50.)

Ex præmissis principiis eruuntur sequentes regulæ particulares.

19. — **Regulæ.** I. Peccatori *publico*, sive publice sive occulte petat, Sacramenta vivorum sunt deneganda, nisi de ejus pœnitentia constet, et publico scandalo prius satisfecerit. Ratio est, quia nec sequitur infamia, nec scandalum; scandalum contra esset, si hujusmodi homini Sacramentum daretur. (*n.* 44.)

Nomine peccatoris publici veniunt illi omnes et soli, quorum peccaminosa vita communiter nota est, quique in opinione fidelium in statu peccati Sacramenta petunt.

Idem dicendum, si indignitas adstantibus omnibus nota est. (*n.* 44.)

II. Peccatori *occulto*, si *occulte* petat, pariter neganda sunt Sacramenta: excipe, si Sacerdos per solam Confessionem cognoverit malum statum pœnitentis, isque extra Confessionem petat. Quinetiam in postremo casu nequit Confessarius peccatorem admonere, neque Sacramentum negare sub prætextu aliarum causarum, neque ex notitia aliunde accepta, nisi moraliter certa sit. (*n.* 50. 51. 658.)

III. Peccatori *occulto*, si *publice* petat, deneganda non sunt Sacramenta. Ratio est, tum quia ex repulsa sequeretur infamia proximi; tum quia ad bonum commune Ecclesiæ pertinet, ut publica dispensatio Sacramentorum moderetur per publicam scientiam, non per privatam, alioquin esset res exposita multis scandalis, perturbationibus, et injuriis. (*n.* 50.)

Excipiendum tamen est Sacramentum Ordinis, a quo indignus, etiam occultus, omnino est arcendus. Patet ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. *ref.* et *sess.* 23. *cap.* 5. *et* 7.; ratio autem est, quia quisquis se ingerit in munera publica, ad quæ idoneus non est, repelli debet, etiam cum infamiâ; bonum enim publicum privato est præferendum. Quocirca probe notandum, non teneri Episcopum eo casu manifestare causam repulsæ, juxta Declarationes S. C. C. 21 Mart. 1643. et 21. April. 1668., quas refert Bened. XIV. *De Syn. lib.* 7. *cap.* 71. *n.* 4. (*n.* 52.)

20. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An negandum sit Sacramentum peccatori publico, si petat in alio loco, ubi indignitas ejus non est publica?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat, nisi peccator prudenter præsumatur emendatus; quia infamatus in uno loco, jam amisit jus ad famam. Ita Suar. Cajet. Bonac. Croix, Tambur. etc.

2ª Sententia, quam S. Alph. amplectitur, negat, nisi notitia criminis facile illuc perventura sit; quia ex una parte ministrando illi Sacramentum non adest scandalum aliorum; ex altera parte vero, negando illud, eadem incommoda nascerentur, ad quorum evitationem illicitum est negare Sacramentum peccatori occulto. Ita Cabassut. Soto, Vasq. etc. (*n.* 46.)

Quær. 2° *Quæ pœnitentia vel satisfactio ex parte publici peccatoris necessaria sit, ut possit ei Eucharistia ministrari?*

Resp. Dist. 1° Si *occulte* petat, et Communio non sit postea divulganda, satis est quod occulte egerit pœnitentiam seu confessus fuerit, et proximam peccandi occasionem, si adsit, deseruerit, et quod Sacerdoti, aliisque, qui fortasse adsint, de hoc constet.

2° Si *publice* petat, necesse est ut publicam satisfactionem exhibuerit, seu ut ejus conversio publica sit, et proximam peccandi occasionem, si adsit, deseruerit. Porro pro publicâ pœnitentiâ sufficit Confessio coram pluribus, modo brevi sit publice divulganda. Atvero, si peccator publicus sit in articulo mortis, satis est quod pro temporis opportunitate et necessitate, (coram testibus, si fieri possit,) vel confiteatur, vel signa contritionis exhibeat; quia tunc temporis propter periculum et urgentem necessitatem, non est major diligentia exigenda, quam commode exhiberi possit, et alioqui de quolibet fideli præsumendum est in eo articulo ipsum facere quod potest, ut se bene disponat. Ita ex Rituali Rom. *tit.* 4. *cap.* 4. *n.* 1. ubi legitur: »Cavendum in primis est, »ne ad indignos cum aliorum scandalo »deferatur: quales sunt publici usurarii, »concubinarii, notorie criminosi, nomi»natim excommunicati aut denuntiati, »nisi sese prius sacra Confessione pur»gaverint, et publicæ offensioni, prout »de jure, satisfecerint." (*n.* 47. 44.)

Quær. 3° *Quid agendum in dubio de crimine, vel de pœnitentia?*

Resp. 1° Si crimen est certum, et pœnitentia dubia, Sacramentum certe est denegandum, donec constet de pœnitentiâ; quia possidet infamia. Idque etiam valet, si de crimine sit vehemens suspicio, quæ æquivaleat morali certitudini.

2° Si autem dubitatur de crimine, Sacramentum nequit denegari; quia fama possidet. Id tamen intellige juxta dicta in Principio II. (*n.* 48.)

Quær. 4° *An metus mortis, vel infamiæ, possit ministrum excusare, ut conferat Sacramentum indigno?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; nam si infamia peccatoris publice petentis est ratio sufficiens, ut minister conferat ipsi Sacramentum, cur mors vel infamia a ministro subeunda eum non excusabit? Ita Bonac. Spor. Croix, Escob. Gobat, etc.

2ª Sententia, cui adhæret S. Alph., negat; quia adæquata ratio, ob quam non est negandum Sacramentum peccatori occulto, non est, ut fama ipsi servetur, sed ad vitanda damna communia, quæ alias sequerentur, præsertim scandalum fidelium, qui forte a Communione deterrerentur, timentes ne ex odio vel imprudentiâ Sacerdotis repellantur. Hujusmodi autem incommodum ex parte ministri nullum intervenit; contra, ædificationi esset populo, si, ad reverentiam Sacramento servandam, periculo mortis se exponeret. Ita Concin. Ledesm. et alii. (*n.* 49.)

Quær. 5° *An Parochus possit assistere matrimonio publicorum peccatorum?*

Resp. Negat.; tum quia cooperaretur peccato eorum; tum quia ex officio et ex justitiâ ei incumbit avertere oves suas a peccatis. Excusari tamen potest, si assistat ad vitandum grave malum proprium, vel Communitatis, vel ipsorum contrahentium, v. g. ne ipsi perseverent in occasione proximâ peccandi, aut ne contrahant matrimonium mere civile. Ita Bened. XIV et alii, contra Lugo, Laym. Croix. (*n.* 54.)

21. — Apposite potest hoc loco subjici quæstio de simulatione sacramenti, utrum licita unquam sit, v. g. ne Sacramentum conferatur indigno. Simulatio Sacramenti in eo consistit, quod quis externe perficiat ritum essentialem Sacramenti, adhibendo materiam vel formam, cum intentione non conficiendi Sacramentum. Est vel *formalis*, quando directe intenditur alterius deceptio; *materialis*, quando alterius deceptio permittitur tantum, v. g. si minister gravi metu cogatur.

Porro, nunquam licet simulare, ne materialiter quidem, Sacramenti administrationem vel susceptionem. Ratio est, quia Sacramento gravem injuriam irrogat, et Deo illudit. Constat præterea ex prop. 29. damn. ab Innoc. XI.: »Urgens »metus gravis est causa Sacramenti ad»ministrationem simulandi." Hæc damnatio comprehendit simulationem formalem et materialem; tum quia propositio indefinita æquivalet universali, tum quia auctores, quorum opinio damnata est, tantummodo propugnarunt liceitatem simulationis materialis. Patet etiam ex *Cap.* 7. *de celebr. Miss.*, ubi Innocentius III declarat gravius peccare Sacerdotem, si in Missa non consecrat, quam si sacrilege consecrat et communicat. (*n.* 59. 60.)

Ex dictis resolvitur: 1° Grave peccatum est, proferre sine intentione verba Consecrationis super panem, aut absolutionis super pœnitentem indispositum. Similiter, porrigere hostiam non consecratam pro consecratâ, etiamsi suscipiens id sciat et consentiat; quia, quamvis hæc actio non sit simulatio Sacramenti, exponitur tamen panis adorationi adstantium, et ipsius suscipientis, qui, sicut peccaret externe adorando idolum, sic quoque peccaret externe adorando panem, et gravius quidem, quam si indigne communicaret. (*n.* 59.)

2° Licitum est a) Confessario, qui denegat absolutionem, orare aliquantulum et signo crucis benedicere pœniten-

tem indispositum, ne ejus indispositio prodatur, etiamsi alii putent ipsum absolutionem impertiri; quia non est simulatio administrationis Sacramenti, cum utatur verbis et signo indifferentibus, sed est mera occultatio veritatis, quam Confessarius manifestare nequit. (*n.* 59.)

b) Ingredi confessionale, et genuflexus alloqui Confessarium de alio negotio. Quodsi intenderet adstantes decipere, ut putarent se ad confitendum accessisse, esset quidem reus mendacii, sed non sacrilegii, cum non esset vera simulatio Sacramenti, deficiente materiâ illius et formâ. (*n.* 60.)

c) Ad infamiam vel scandalum vitandum, si quis non possit se disponere ad Communionem, convenire cum Parocho, ut super ipso dicat verba: *Corpus Domini nostri* etc., sed non præbeat Hostiam; quia non simulatur Sacramentum. (*n.* 61.)

d) Ob gravem metum simulare celebrationem matrimonii, illudve contrahere cum alio impedimento dirimente; quia tale matrimonium est jam irritum, non *ob simulationem* contrahentis, sed *ob impedimentum* sive naturæ sive Ecclesiæ; contrahens ergo ex coactione ponit consensum *aliunde invalidum;* sed talis consensus neque est materia neque forma Sacramenti; ergo non simulat Sacramentum. *Ita communiter.* (*n.* 62.)

ARTICULUS III.

OBLIGATIO MINISTRANDI SACRAMENTA.

22. — **Principia.** I. Pastores animarum tenentur ex justitiâ Sacramenta ministrare ovibus suis rationabiliter petentibus, etiam extra gravem necessitatem: quæ obligatio ex suo genere gravis est. Ratio petitur tum ex officio, quod assumpserunt, tum ex stipendio, quod accipiunt.

Peccat proinde pastor, qui morosum vel difficilem subditis suis se reddit: excusabitur tamen a mortali peccato, si semel vel iterum extra necessitatem Sacramenta deneget; quia non videtur tam stricte obligatus esse.

Pastores porro dicuntur Superiores respectu Religiosorum, Episcopi et Parochi, vel qui curam subsidiariam cum obligatione habent, respectu sæcularium. Recole dicta lib. V. n. 77. et seqq. et n. 93. 94. (*n.* 58.)

II. Simplices Sacerdotes aliquando tenentur ex charitate Sacramenta ministrare, nimirum 1° in extrema necessitate proximi; quo casu tenentur etiam cum periculo vitæ; 2° in gravi necessitate, si possint absque gravi damno; imo cum gravi incommodo, si necessitas sit totius Communitatis. Recole dicta lib. II. n. 42. (*n.* 58.)

23. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An simplex Confessarius aut Sacerdos teneatur cum periculo vitæ absolvere moribundum exsistentem in peccato mortali?*

Resp. Controv. 1° Sententia negat; quia, cum proximus potest ipsemet a periculo damnationis se liberare, eliciendo actum contritionis, non est in extremâ necessitate. Excipe proinde, si infirmus ignoret contritionem esse sibi necessariam, vel nesciat eam elicere, quod in rudibus ut plurimum accidit. Ita Navar. Coninck, Soto, Sa, et probabile putat Lugo.

2ª Sententia verior affirmat; quia, quamvis absolute posset moribundus per contritionem sibi providere, cum hæc tamen sit difficilis, magno periculo exponetur damnationis, si absque absolutione relinquatur. Unde, quemadmodum cum certa est damnatio proximi si non absolvatur, teneris certam mortem subire, ita, cum proximus est in probabili damnationis periculo, teneris ei subvenire cum probabili periculo mortis; in æquali namque periculo quisque tenetur postponere vitam suam temporalem vitæ æternæ proximi. Si tamen Sacerdos nesciat moribundum esse in peccato mortali, non tenetur cum periculo vitæ. Ita Suar. Cont. Tournel. Valent. Tolet. etc. (*n.* 624. H. A. *tr.* 16. *n.* 125.) Recole dicta lib. II. n. 42.

Præfata doctrina valet quoque de alio Sacramento necessario, puta de Baptismo, et, si moribundus confessionis incapax est, de Extremâ Unctione.

Quær. 2° *An tutus sit in conscientia simplex Sacerdos, qui, dum populus est in gravi necessitate spirituali ob penuriam Confessariorum, detrectat munus Confessarii exercere, vel, cum possit, ad illud habilem se reddere?*

Resp. Negat.; quia Sacerdotes sunt a Deo constituti ut saluti animarum incumbant; quem in finem proprium earum munus est ministrare Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta, prout constat tum ex ritu Ordinationis, in quo gemina eis potestas confertur sacrificandi et absolvendi a peccatis, tum ex Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *ref.*, quod poscit ut promovendi ad Presbyteratum »ad »ministranda Sacramenta idonei com»probentur." Sacerdotes igitur, ne in vacuum gratiam Dei receperint, tum saltem munus confitendi exercere debent, cum ob penuriam Confessariorum non est populo commoditas frequentandi Sacramentum Pœnitentiæ, et plures ideo in peccato permanent cum damnationis periculo. Nec dicere juvat, charitatem non obligare cum gravi incommodo, quale est studium Theologiæ Moralis; nam respondetur, munus Confessiones excipiendi non ex simplici motivo charitatis oriri, sed ex proprio Sacerdotis officio, cui ex Christi institutione id munus adnexum est, et quod Sacerdos exercere tenetur, cum populi necessitas expostulat. Ita S. Alphonsus, nemine præeunte, hanc quæstionem resolvit. (*n.* 625. H. A. *tr.* 16. *n.* 126. 127. *Prax. Conf. n.* 50.)

CAPUT IV.

SUBJECTUM SACRAMENTORUM.

24. — Subjecti nomine ille venit, qui suscipit Sacramentum, vel ejus suscipiendi capax est. Hujusmodi est solus homo viator, quippe qui solus capax est gratiæ. Non tamen omnis homo uniuscujusque Sacramenti subjectum est; non baptizatus enim nullum præter Baptismum suscipere potest, cum Baptismus cæterorum janua sit; fœmina capax non est Ordinis; Religiosus, et Clericus Sacro Ordine insignitus in Ecclesiâ Latinâ, Matrimonio inhabiles sunt; homo sanus, et infans, Extremæ Unctioni idonei non sunt.

De subjecto expendenda sunt: 1° quid requiratur ex parte ejus, ut Sacramentum recipiat valide, 2° quid, ut recipiat licite et fructuose.

ARTICULUS I.

REQUISITA AD VALIDAM SUSCEPTIONEM.

25. — **Principia.** I. Fides in suscipiente non requiritur ad valorem Sacramenti; excepto Sacramento Pœnitentiæ. Patet ex praxi et sensu Ecclesiæ, quæ semper ratum habet Sacramentum in hæresi receptum juxta ritum Ecclesiæ.

Dixi: *excepto Sacramento Pœnitentiæ;* quia hujus materia est confessio dolorosa pœnitentis, quæ sine fide haberi non potest.

II. In adultis requiritur positiva aliqua intentio seu voluntas suscipiendi Sacramentum; exceptâ Eucharistiâ. Constat ex *Cap.* 3. *de Baptism. v. Item.* Ratio est, quia sicut ad Dei providentiam pertinet non justificare adultum, nec gratiam illi augere, sine ejus consensu et voluntariâ dispositione, ita pari ratione congruit ut nullus adultus Sacramentis initietur vel consecretur sine proprio consensu. (*n.* 81.)

Dixi 1° *in adultis*; quia in parvulis propria voluntas non requiritur, sed supplet voluntas Christi et Ecclesiæ, sicut in civilibus tutor supplet pro pupillo; cum enim sine propriâ voluntate peccatum contraxerint, æquum est ut sine propriâ voluntate ab illo liberentur. Id est de fide quoad Baptismum, ex Trid *sess.* 7. *can.* 13.; quoad Confirmationem, constat ex praxi primitivæ Ecclesiæ; quoad Ordinem, ex Constit. Benedicti XIV *Eo quamvis tempore.* 4 Maji 1745. — Idem dicendum de perpetuo amentibus, ob rationis paritatem. (*n.* 80.)

Dixi 2° *Exceptâ Eucharistiâ;* quia jam ante susceptionem Sacramentum confectum est. (*n.* 82.)

III. Sufficit quod hæc intentio sive voluntas sit *habitualis*, quæ nempe fundatur in voluntate aliquâ priori non retractatâ; exceptis Pœnitentiâ et Matrimonio. Ratio est, quia suscipiens non est principium activum Sacramenti, sed subjectum passivum tantum; ideo in illo non requiritur intentio quæ sit principium humanæ actionis, sed quæ sit tantum conditio ut susceptio Sacramenti moraliter voluntaria censeatur. — Quinimo ad Extremam Unctionem in moribundis usu sensuum destitutis sufficit intentio *interpretativa*, seu potius voluntas *generalis*, quâ unusquisque fidelis cupit sibi applicari in mortis articulo omnia salutis remedia; quam voluntatem præsumit Ecclesia illum habuisse. Constat ex Rituali Rom. *tit.* 5. *cap.* 1.

n. 6. Idem dicunt DD. de Confirmatione.

Dixi: *exceptis Pœnitentiâ et Matrimonio;* quia in hisce Sacramentis suscipiens non est subjectum mere passivum, sed simul cooperatur; ideo in illis requiritur intentio vel actualis vel saltem virtualis. Etenim in Sacramento Pœnitentiæ requiruntur pro materia actus pœnitentis, dolor scil. et confessio, qui quidem haberi non possunt sine voluntate saltem virtuali recipiendi Sacramentum. In Matrimonio suscipientes sunt simul ministri Sacramenti. (*n.* 81. 82.)

Ex dictis infertur *valide* conferri Sacramenta dormientibus, ebriis, vel lapsis in amentiam, qui antea habuerunt voluntatem illa recipiendi. Cæterum *illicitum* est, extra periculum mortis vel casum perpetuæ amentiæ, conferre Sacramenta adultis, dum actuali rationis usu non gaudent. (*n.* 81.)

ARTICULUS II.

REQUISITA AD FRUCTUOSAM SUSCEPTIONEM.

26. — Quæstio instituitur dumtaxat de gratia sanctificante; ad consequendum enim characterem trium Sacramentorum, alia haud opus est dispositione, quam quæ ad valorem requiritur.

Principia. I. Parvuli, et perpetuo amentes, quorum Sacramentorum capaces sunt, eorum semper fructum gratiæ percipiunt. Ratio est, quia Sacramenta non ponentibus obicem infallibiliter conferunt effectum gratiæ; atqui præfati non possunt ponere obicem, cum non sint capaces actualis culpæ, et ad remissionem originalis peccati nulla in eis requiratur dispositio; ergo.

II. Sacramenta *mortuorum* requirunt in adultis, præter actus saltem implicitos fidei et spei, etiam actum attritionis. Patet 1° ex Script., quæ inprimis requirit fidem: »Sine fide impossibile est »placere Deo." (Hebr. XI. 6.) »Qui cre»diderit, et baptizatus fuerit, salvus »erit." (Marc. XVI. 16.) Deinde detestationem peccati: »Pœnitentiam agite, et »baptizetur unusquisque vestrum." (Act. II. 38.) 2° Ex Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. et *sess.* 14. *cap.* 4. *de Pœnit.* ubi hos actus ceu dispositionem necessariam prærequirit in adultis. (*n.* 86.)

Quod vero non requiratur *contritio perfecta*, arguitur, quia hæc Sacramenta per se sunt instituta ad delenda peccata mortalia; ergo non supponunt eorum remissionem; consequenter nec contritionem perfectam, quâ semper remittuntur.

Asserta dispositio multo magis requiritur, si quando per Sacramentum vivorum per accidens detur prima gratia.

Interim tamen notandum est: 1° non requiri actum doloris ante Baptismum, si contingeret adultum baptizandum nullum commisisse peccatum mortale; 2° in Sacramento Pœnitentiæ præterea necessariam esse peccatorum mortalium confessionem.

III. Sacramenta *vivorum* per se ad fructuosam sui receptionem in suscipiente statum gratiæ prærequirunt. Ratio est, quia hæc Sacramenta instituta sunt ad conferendum augmentum gratiæ; proinde supponunt gratiam primam.

Unde, ut digne suscipiantur ab eo, qui conscientiam peccati mortalis habet, comparari ante debet status gratiæ, ac quidem ab eo, qui Eucharistiam recepturus est, per præviam Confessionem, si haberi possit copia Confessarii, ut docet Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. Pro reliquis vivorum Sacramentis sufficit contritio perfecta: suadenda tamen potius Confessio est, tamquam medium facilius securiusque statum gratiæ comparandi.

Quisquis sibi conscius peccati mortalis suscipit Sacramentum vivorum, committit grave sacrilegium, et gravius quidem quam is, qui illud indigne ministrat aut conficit. (*n.* 86.)

27. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An liceat petere Sacramenta a ministro indigno?*

Resp. Dist. 1° Si indignus sit *ob censuram*, subdistinguendum: a) si *vitandus* sit, utpote publice et nominatim excommunicatus aut suspensus, vel notorius percussor Clerici, non licet petere vel accipere ab eo Sacramenta, nisi in extrema aut gravissima necessitate; quia per hujusmodi censuram fideles prohibentur cum illo communicare in sacris, et maxime in Sacramentorum participatione. In casu necessitatis licet ab eo suscipere Baptismum et Pœnitentiam; probabiliter etiam Eucharistiam; Extremam Unctionem vero probabilius tum solum, cum infirmus non potuit aliud Sacramentum recipere; oportet tamen ut evitetur scandalum fidelium. b) Si *toleratus* sit, licet ab eo petere Sacramenta, attentâ solâ censurâ; quia Conc. Constantiense concessit fidelibus communicationem cum toleratis. Dico: *attentâ solâ censurâ;* quia, quando simul indignus est ob peccatum, sequenda est regula quæ subsequitur.

2° Si indignus sit *ob peccatum mortale*, non licet sine gravi causa; quia postulat charitas, ut, si commode possumus, vitemus scandalum proximi. Ex justa causa vero notabilis utilitatis licitum est; quia cooperatio nonnisi materialis est. Justa causa erit v. g. præceptum implendum; vel si quis alias debeat permanere in peccato mortali; vel ei immineat periculum lapsûs; vel diu carere debeat Communione aut Confessione, et nequeat facile alium adire Sacerdotem', etc. *Ita communiter.*

Ad hæc observandum est: 1° Fas est sine causa recipere Eucharistiam a Sacerdote indigno, qui eam *actu* ministrat aliis; quia unum tantum peccatum est pluribus Eucharistiam ministrare.

2° Illicitum censetur a S. Alphonso, sine gravi causa inservire Sacerdoti indigne celebranti; contra Suar. Bonac. Salm. et alios, qui id permittunt, quando Sacerdos facile posset alium ministrum invenire. (*n.* 88. 89.)

QUÆR. 2° *An necesse sit ut petenti Sacramentum constet ministrum esse dignum?*

Resp. Quivis minister præsumendus est dignus, nisi constet de opposito. Unde probabiliter infertur, posse peti Sacramentum etiam a Sacerdote, qui scitur paulo ante peccasse; quia præsumendus est se jam disposuisse saltem per contritionem; excipe tamen, si constet 1° eum vivere in consuetudine vel proxima occasione alicujus peccati, vel 2° post peccatum non præmisisse confessionem ante Missæ celebrationem. *Ita communiter.* (*n.* 89.)

QUÆR. 3° *Quomodo fideles se gerere debeant erga Episcopum aut Parochum intrusum?*

Resp. 1° Debent eum prorsus vitare in rebus sacris; unde vetitum est, non solum Sacramenta ab eis suscipere, excepto necessitatis casu in articulo mortis, prout diximus in qu. 1., verum etiam Missæ, concioni, aliisque sacris functionibus ejus assistere.

2° Quamvis adoranda sit Eucharistia ab intruso consecrata, occursus tamen intrusi, dum Eucharistiam defert, vitandus est, ne cum ipso in cultûs exercitio communicare videantur.

3° Si intrusus defunctum sepeliat, fideles a funere comitando sacrisque ritibus cum eo peragendis abstinere debent. Ita Pius VI decrevit quoad intrusos tempore perturbationis Gallicæ. (Marc. *n.* 1327.)

APPENDIX.

DE SACRAMENTALIBUS.

28. — Sacramentalia nuncupantur actus externi Religionis, ab Ecclesia instituti ad cultum Dei hominumque sanctificationem. Hujusmodi sunt ritus Sacramentorum, benedictiones et consecrationes rerum ac personarum; res ipsæ benedictæ, ut aqua benedicta, cerei agni Dei, etc.; item exorcismi, prima Tonsura, benedictio Episcopi, et id genus alia. (*Exam. Ordin. n.* 3.)

Quinque sunt effectus, qui possunt sacramentalibus attribui: 1° bonus motus gratiæ; 2° remissio peccatorum venialium; 3° remissio alicujus pœnæ temporalis; 4° dæmonis expulsio, vel cohibitio, ne noceat; 5° aliquod commodum temporale. Non omnia et singula Sacramentalia conferunt *omnes* illos effectus; quia non omnia habent eosdem effectus, neque ad eosdem fines sunt instituta; quod colligendum est ex singulorum institutione, et modo quo conficiuntur.

Porro, Sacramentalia non conferunt effectus suos ex opere operato, sed ex opere operantis tantum per modum impetrationis. Ratio est, quia non potest Ecclesia instituere signa, quæ infallibiliter memoratos effectus producant ex opere operato. Verumtamen Ecclesiæ orationes apud Deum magnam vim habent ad impetrandum; diligit enim eam tamquam sponsam. (*n.* 90—93.)

Denique observare lubet: 1° Cereos agnos Dei a Papa benedictos inaurare aut pingere vetitum est. 2° Non est illicitum uti aquâ benedictâ et candelis ad usum profanum. 3° Missalia, Biblia sacra, sicut et sacræ imagines, non sunt adhibenda ad usum profanum; secus vero dicendum de aliis chartis, in quibus forte scripta sint nomina sacra. (*n.* 94.)

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 14.

Series tractandorum hæc est: 1° notio et effectus Baptismi; 2° ejus materia et forma; 3° minister; 4° subjectum; 5° cæremoniæ solemnis Baptismi.

CAPUT I.

NOTIO ET EFFECTUS BAPTISMI.

29. — Baptismus est Sacramentum regenerationis per ablutionem corporis cum aquâ sub invocatione SS. Trinitatis.

Effectus Baptismi sunt sequentes: 1° remittit peccatum omne, originale et actuale; 2° delet totum reatum pœnæ peccatis debitæ; 3° infundit gratiam sanctificantem, cum habitibus fidei, spei et charitatis; 4° imprimit animæ characterem indelebilem; 5° baptizatum efficit de corpore Ecclesiæ, hujusque jurisdictioni subjicit. (*n.* 138.)

CAPUT II.

MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

ARTICULUS I.

MATERIA BAPTISMI.

30. — **Principia.** I. Materia *remota* Baptismi est aqua naturalis, seu elementaris. Est de fide juxta Trid. *sess.* 7. *can.* 2. *de Bapt.*, ex verbis Christi apud Joan. III. 5.: »Nisi quis renatus fuerit ex »aqua et Spiritu Sancto, non potest »introire in regnum Dei."

Hinc: 1° Materia valida est, quidquid veræ usualis aquæ nomine venit, ut aqua maris, fluminum, fontium, putei, etc. Item aqua ex glacie, nive aut grandine resolutis; aqua sulphurea, sive mineralis; aqua collecta ex vapore, rore, vel defluens tempore nimboso a pariete, foliis, etc.; aqua turbida, mixta cum alia materia, modo aqua sit prædominans.

2° Materia invalida est, quidquid usualis aquæ rationem non participat, ut saliva, sudor, lacrymæ, cervisia, caffea, thea; succus expressus ex pomis, pyris, floribus, herbis, et radicibus.

3° Materia dubia est jus carnis tenue; tenuis cervisia aut caffea vel thea; lixivium; aqua ex sale soluto; aqua fluens e vite, aliisve arboribus; glacies et nix non soluta.

4° In extrema necessitate, si nequeat haberi materia certa, potest et debet adhiberi dubia sub conditione; quod procedit, etiamsi opinio pro valore Sacramenti nonnisi tenuiter probabilis sit; in extremis namque extrema sunt tentanda. Quodsi tali modo baptizatus supervivat, iterum baptizandus est sub conditione: »Si non es baptizatus, ego »te baptizo" etc. Recole dicta n. 14. et 15. (*n.* 103. 104.)

Adhæc, ex præcepto gravi Ecclesiæ, aqua debet esse *benedicta* pro Baptismo solemni. In Baptismo privato, ex necessitate domi conferendo, curandum quoque est, ut, cum fieri potest, aqua benedicta adhibeatur, ob majorem decentiam; attamen probabiliter licitum est uti aquâ non benedictâ. Præterea, ob reverentiam erga Sacramentum, aqua debet esse limpida, ita ut grave peccatum foret uti turbidâ extra necessitatem. (*n.* 102.)

II. Materia *proxima* Baptismi est ablutio corporis, facta a ministro; quæ quidem ablutio fieri potest per immersionem in aqua, sive totius corporis sive capitis tantum, vel per aspersionem seu effusionem aquæ in capite, unam vel trinam. Patet ex verbis Christi: »Baptizantes eos," quæ nonnisi ablutionem per aquam, nullum vero ablutionis modum, præscribunt. Ex præcepto servanda est praxis recepta uniuscujusque Ecclesiæ. Ita ex Rituali Rom. *tit.* 2. *cap.* 2. *n.* 19. 20. et *cap.* 4. n. 44. 50. (*n.* 105.)

31. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *In quanam corporis parte facienda sit ablutio, ut valeat Baptismus?*

Resp. 1° Certa sunt duo: a) necesse est ut corpus ipsum immediate aquâ attingatur; b) valet Baptismus in toto corpore, aut saltem in capite collatum, tamquam parte principali corporis, in quo est præcipua sedes animæ, et omnes sensus vigent.

2° Si fiat in alia quadam principali parte, puta in pectore, in scapulis, vel in humeris, communis sententia docet valere Baptismum; quia sic sufficit, ut simpliciter dici possit hominis ablutio. Attamen nonnulli dubitant, quia in nullâ aliâ parte integritas vitæ ita consistit, sicut in capite: ita D. Thom. Concin. Anacl. Platel. Unde propter aliquantum dubium, quia in re tanti momenti tutiora semper sequenda sunt, quisquis alibi quam in capite baptizatus fuerit, denuo baptizandus est sub conditione. Ita Rituale Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 16. et DD. (*n.* 107. *qu.* 4.)

3° Si ablutio fiat in aliqua parte minori, puta in pede, in digito, communiter censent dubium esse Baptismum, et propterea iterandum sub conditione. (*n.* 107. *qu.* 3. *in fine.*)

QUÆR. 2° *An valeat Baptismus, si aqua crines tantum, vel secundinas infantis attingat?*

Resp. Controv. Alii negant; quia ista non sunt partes corporis, saltem non sunt animatæ. Alii affirmant, quorum sententia multi probabilem æstimant; quia dici possunt partes corporis, (secundinæ quidem, utpote quæ uniuntur cum infantis umbilico); porro nihil refert quod non sint animatæ, nam Baptismus, licet effective sit ablutio animæ, tamen formaliter est ablutio corporis. Hinc Baptismus in istis partibus collatus saltem dubius est; et ideo in necessitate, si in alia parte præstari nequeat, adhibendus est sub conditione. (*n.* 107. *qu.* 2 *et* 3.) Verum Medicus Capellmann[1] censet secundinam externam, quæ *decidua* vocatur, certe non esse partem infantis; quia ex substantia uteri matris oritur.

[1] Medic. pastor. *pag.* 103 *et* 112. *Edit. latina.*

QUÆR. 3° *Quænam aquæ quantitas requiratur, ut Baptismus valeat?*

Resp. Ea quantitas requiritur et sufficit, quæ ad veram lotionem satis sit; ad quam necesse est ut aqua per corporis partem paulum fluat. Quare parva quantitas sine dubio sufficiet; quia successive fluere potest per magnam corporis partem.

Dubium autem movetur num una alterave gutta sufficere possit?

Communiter negant DD; saltem res dubia est; concedunt vero certum esse Baptismum, si baptizans motu digiti madefacti ablueret partem corporis. (*n.* 107. *qu.* 6.)

ARTICULUS II.

FORMA BAPTISMI.

32. — I. Valida et legitima forma Baptismi hæc est: »Ego te baptizo in »nomine Patris, et Filii, et Spiritus »Sancti." Est de fide ex Conc. Lateran. IV. *cap.* 1. Trid. *sess.* 7. *can.* 4. *de Bapt.* et Decreto Eugenii IV ad Armenos.

Pariter Græcorum forma valet: »Bap»tizatur N. servus vel serva Christi, in »nomine Patris," etc. ut constat ex cit. Decreto Eugenii IV; non enim quoad substantiam a forma Latinorum discrepat.

II. Ad valorem Sacramenti requiritur, ut in forma exprimantur 1° actio baptizandi; ut constat ex Decreto Eugenii IV, et prop. 27. damn. ab Alexandro VIII: »Valuit aliquando Baptismus sub »hac forma collatus: In nomine Patris, »et Filii, et Spiritus Sancti, prætermissis »istis: Ego te baptizo"; 2° persona, quæ baptizatur; quia secus non significatur determinata actio baptizandi, quippe quæ determinatur subjecto cui applicatur; 3° tres personæ SS. Trinitatis, et distincte quidem; quia Christus ipse hanc formam præscripsit: »Baptizantes eos »in nomine Patris, et Filii, et Spiritus »Sancti;" et ratio est, quia Baptismus est Sacramentum fidei, proinde primum fidei mysterium in eo distincte exprimendum est.

Hinc illa mutatio est contra substantiam Sacramenti, quâ vel tollitur designatio unitatis divinæ naturæ, puta si

diceretur: »in nominibus Patris, et »Filii," etc.; vel quâ explicita invocatio Trinitatis mutatur in implicitam aut confusam, v. g. »Baptizo te in nomine »Trinitatis," vel »Trium," vel »Unius »et Trini." Necesse quoque videtur ut particula *et* præmittatur tertiæ personæ, ad exprimendam processionem ejus. (*n.* 111. 112. H. A. *n.* 14.)

Res dubia est, si mutatio solum fiat in diversa nomina propria personarum, propter aliquam obscuritatem, v. g. »In »nomine Genitoris, et Geniti, et Procedentis ab utroque." (*n.* 109.)

Circa varios mutationum modos, consule dicta n. 6. qu. 2. Id unum observandum superest, satius esse ut laici, linguæ latinæ ignari, si baptizent, utantur lingua vernacula; ob errandi periculum in lingua latina. (*n.* 109.)

CAPUT III.

MINISTER BAPTISMI.

33. — Animadvertenda sunt: 1° Duplex Baptismi minister est, unus *solemnitatis*, alter *necessitatis*, prout exposuimus n. 11. Minister *solemnitatis* rursus duplex est: *ordinarius*, qui vi Ordinis sui ex officio proprio Baptismum confert; *extraordinarius*, qui vi Ordinis sui solum ex delegatione illum confert.

2° Præter *potestatem* conficiendi Sacramentum, quæ necessaria est ut *valeat*, necessarium est *jus* administrandi illud, ut *licite* fiat; hoc autem jus respectu Baptismi dupliciter exsistere potest: uno modo in ordine ad *ipsum Sacramentum*, vi cujus non omnes sunt divino jure destinati ut ex officio illud conferant; altero modo in ordine ad *personam baptizandam*, vi cujus necessaria est in ministro jurisdictio in eum, cui administratur.

34. — **Principia.** I. Quilibet homo, etiam infidelis, si adhibeat essentialia, semper valide baptizat, et in necessitate etiam licite. Constat ex Decreto Eugenii, ex Conc. Later. IV. *cap.* 1., ex Trid. *sess.* 7. *can.* 4. *de Bapt.*, et ex constanti Ecclesiæ traditione; ratio congruentiæ est maxima hujus Sacramenti necessitas respectu omnium hominum. (*n.* 113.)

II. Vi potestatis *Ordinis*, minister *solemnitatis ordinarius* est omnis Sacerdos: Diaconus est minister *extraordinarius*, ex delegatione Episcopi vel Sacerdotis. Prius constat ex Decreto Eugenii IV, et ratio est, quia Sacerdos vi consecrationis suæ potestatem consequitur ministrandi Sacramenta. Ratio posterioris est tum praxis Ecclesiæ, tum quia Diaconus ad hoc ordinatur, ut Episcopo et Sacerdoti ministret in Sacramentorum dispensatione; quamobrem, ex causâ legitimâ, potest ei committi aliquod sacerdotale ministerium, ad quod non est necessarius sacerdotalis character. (*n.* 113. 116.)

III. Vi potestatis *jurisdictionis* administratio Baptismi est proprium munus pastorum animarum, qui possunt illam aliis Sacerdotibus committere. Ita ex communi jure Ecclesiæ; unde Rituale Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 12. statuit: »Le»gitimus Baptismi minister est Paro»chus, vel alius Sacerdos a Parocho vel »ab Ordinario loci delegatus." (*n.* 113.)

35. — **Resolutiones.** 1° Neque Episcopus, neque Parochus, licite possunt baptizare in aliena diœcesi vel parochia; neque possunt in propriâ diœcesi vel parochiâ baptizare alienos subditos, nisi cum proprii pastoris facultate, expressa vel saltem rationabiliter præsumpta; quia usurparent jus alienum. Unde peccant etiam parentes, qui sine licentia proprii pastoris, alieno deferunt prolem baptizandam. (*n.* 114.)

2° Sacerdos sine licentia extra necessitatem baptizans, etiam sine solemnitate, peccat graviter. (*n.* 115.)

3° Peregrini et vagi possunt baptizari in Ecclesia loci, ubi versantur. Si autem mulier casu pariat in aliena parochia, proles ab illius loci Parocho est baptizanda; nisi forte locus ille a propria parochia parum distet, v. g. duabus aut tribus leucis, tunc potest, sed non debet, in propriâ Ecclesiâ baptizari. (*n.* 115.)

36. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An sufficiat quasi domicilium ad constituendum aliquem parochianum?*

Resp. Affirm., ut constat ex pluribus S. C. C. Declarationibus et Constit. Bened. XIV *Paucis abhinc.* 19 Mart. 1758; quibus accedit communis DD. sententia. (*n.* 115. 1091. Bened. XIV. *Instit.* 33.)

Quær. 2° *Quam ob causam committi Diacono possit ministerium baptizandi?*

Resp. Nonnisi ob necessitatem, vel magnam Ecclesiæ utilitatem; puta si non adessent Sacerdotes; si adesset multitudo baptizandorum; si Parochus esset graviter infirmus, vel excommunicatus, vel occupatus Confessionibus excipiendis aut prædicatione. (*n.* 116.)

Imo, si necessitas urgeat et Sacerdos absit, potest Diaconus jure suo ministerium hoc usurpare. Sed

Quær. 3° *An in casu necessitatis possit Diaconus* SOLEMNITER *baptizare, absque delegatione Sacerdotis?*

Resp. Nonnulli affirmant, si Sacerdos absit. Communius vero et probabilius negant; quia non est ratio exceptionis a regula, nulla quippe est necessitas, quæ cogat ad Baptismum solemnem, cum sufficienter subveniatur per Baptismum privatum. (*n.* 116.)

Quær. 4° *An Diaconus sine commissione solemniter baptizans, incurrat irregularitatem?*

Resp. Ex sententia communissima, contra nonnullos, probabilius affirmandum, etiam in casu necessitatis. Ratio, quia in *Cap.* 1. *de Clerico non ordinato ministrante*, pœna irregularitatis imponitur ei, qui baptizaverit non ordinatus; Diaconus autem non ordinatur ad baptizandum, nisi ex commissione Episcopi vel Sacerdotis. (*n.* 116.)

Quær. 5° *Quis ordo servandus sit inter ministros Baptismi in necessitate conferendi?*

Resp. Posito quod proprius pastor præsto non adsit, Rituale Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 13. 14. sequentem ordinem præscribit: »Si adsit Sacerdos, Diacono »præferatur, Diaconus Subdiacono, Cle»ricus laico, et vir fœminæ, nisi pudoris »gratia deceret fœminam potius quam »virum baptizare infantem non omnino »editum, vel nisi melius fœmina sciret »formam et modum baptizandi. Pater »aut mater propriam prolem baptizare »non debet, præterquam in mortis arti»culo, quando alius non reperitur qui »baptizet." Deinde, casu quo baptizanda esset proles nondum ex utero egressa, debet ob decentiam mulier præferri cuicumque viro, etiam proprio Parocho, (*n.* 117. 106.) dummodo mulier baptizandi ritum probe sciat; præ omnibus enim valor Baptismi attendendus est.

Medicus tamen, artem obstetriciam exercens, præfertur mulieri.

Quær. 6° *An inversio hujus ordinis sit grave peccatum?*

Resp. Dist. 1° In præsentia Sacerdotis, graviter peccaret inferior, qui baptizaret; quia injuriam irrogaret Sacramento, quod *per se* requirit ministrum ad hoc consecratum. Propterea etiam Sacerdos graviter peccaret, si alteri hoc ministerium cederet. *Ita communiter.*

2° In præsentia Diaconi, utrum graviter peccaret inferior baptizando, duplex est sententia probabilis. *Prima sententia* affirmat; quia aliquo modo etiam Diacono competit hoc ministerium vi Ordinis sui. Ita Gonet, Holzm. Cont. Tournel. Vasq. Antoine, Concin. etc.

Secunda sententia negat; quia Diaconus non est minister ex officio, nisi ex commissione Sacerdotis; proinde sine hac baptizat eodem modo, quo Clericus inferior vel laicus. Quare, licet ipse ut dignior in jure præferatur aliis, hujus tamen ordinis inversio non ita gravis apparet, ut culpæ mortalis damnetur. Ita Suar. Soto, Tolet. Roncag. Salm. etc.

3° Inter reliquos, ordinis inversio non est culpa gravis; quia nullus eorum est specialiter ordinatus ad baptizandum: est tamen venialis, ob aliquam indecentiam et præscriptum Ritualis Rom. *Ita communiter.* (*n.* 117.)

Quær. 7° *Quodnam sit officium Parochi respectu Baptismi in necessitate conferendi, vel collati a laico?*

Resp. 1° »Curare debet, inquit Rit. »Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 13., ut fideles, »præsertim obstetrices, rectum bapti»zandi ritum probe teneant, et servent." Unde, sicut obstetrices sub mortali tenentur noscere modum baptizandi, ita Parochi tenentur sub gravi eas examinare diligenter, utrum noverint necessaria. (*n.* 117.) Quin etiam par est ut quotannis examinentur. Proderit quoque, ut, dum obstetrix baptizat, duæ mulieres, si fieri possit, præsentes sint, quæ testari queant de modo, quo Baptismus collatus fuerit, quemadmodum pro suis diœcesibus præscripserant S. Carolus Borrom. et Bened. XIV in *Instit.* 8.

2° Cum Parocho judicandum occurrit de valore Baptismi ab obstetrice collati, prius ipsam, deinde testes, separatim interroget: an aqua fuerit naturalis, et in quantitate sufficiente; quodnam mem-

brum ablutum, an aqua tetigerit cutem, vel solum crines; an nihil in forma omissum, et tandem an verba prolata fuerint tempore ablutionis et ab eadem persona. Quibus investigationibus peractis, si nihil fuit omissum, solæ cæremoniæ supplendæ erunt; si autem aliquid essentiale defuerit in Baptismi collatione, Baptismus iterandus est absolute; sub conditione vero, si prudens dubium remanserit. (*n.* 136.)

QUÆR. 8° *An sit iterandus Baptismus collatus ab hæreticis?*

Resp. Diligenter investigandus est modus baptizandi in secta, de qua agitur. Exinde 1° si materiam et formam a sectæ ministris rite adhiberi deprehendatur, Baptismus nullo pacto iterandus est, utpote certo validus. 2° Si compertum fuerit, aut baptizandi corpus ab illis non perfundi aquâ naturali, aut legitimam formam non adhiberi, Baptismus absolute renovandus est; quia Baptismus non fuit. 3° Si denique rei veritas certo attingi nequiverit, et incertus remaneat valor Baptismi ab hæretico ministro suscepti, ille utique erit sub conditione repetendus, prout declaravit S. C. C. 27 Mart. 1683.

In praxi, baptizati ab hæreticis earum sectarum, quæ hoc Sacramentum non judicant absolute necessarium ad salutem, cujusmodi sunt Lutherani, Calviniani, et Anglicani, ordinarie loquendo, sub conditione sunt rebaptizandi; quia propter hujusmodi errorem parum curabunt necessaria requisita, ac consequenter facile dubitari debet de materia, forma, et intentione talium ministrorum. (*n.* 137. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 7. 8.)

Attamen S. Congr. Inquis. 20 Nov. 1878 declaravit: »In conversione hæreticorum, a *quocumque loco* vel *a quacumque secta* venerint, inquirendum de »validitate Baptismi in hæresi suscepti. »Instituto igitur *in singulis casibus* examine, si compertum fuerit aut nullum »aut nulliter collatum fuisse, baptizandi »erunt *absolute.* Si autem pro tempore »et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate sive pro »invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, tum *sub conditione* secreto baptizentur. Demum si *constiterit* validum »fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad »abjurationem seu professionem fidei." Cæterum de iteratione Baptismi dubii recole dicta n. 15.

CAPUT IV.

SUBJECTUM BAPTISMI.

Expendendum hoc loco erit, 1° quam necessarium sit suscipere Baptismum; 2° quibus conferri possit.

ARTICULUS I.

NECESSITAS SUSCIPIENDI BAPTISMUM.

37. — Triplex distingui consuevit Baptismus: 1° Baptismus *aquæ*, seu *fluminis*, qui solus est Sacramentum, et characterem imprimit; 2° Baptismus *flaminis*, seu Spiritus Sancti, a quo inspiratur, est perfecta cordis contritio, vel actus charitatis perfectæ, continens saltem implicitum Baptismi Sacramenti votum; 3° Baptismus *sanguinis*, sive martyrium, est perpessio mortis vel cruciatûs lethalis pro Christi fide, aut pro virtute christianæ fidei.

38. — **Principia.** I. Baptismus *aquæ* est omnibus ad salutem necessarius necessitate medii; adultis quidem in re, vel in voto, si in re suscipi non possit; infantibus vero in re. Est de fide ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 4. et *sess.* 7. *can.* 5. *de Bapt.*

II. Quando deest copia suscipiendi Sacramentum, Baptismus *flaminis* vices Baptismi aquæ in adultis supplet, quoad effectum ejus principalem, scil. remissionem culpæ. Est de fide ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 4. et *sess.* 7. *can.* 4. *de Sacram. in gen.*, ubi dicitur neminem justificari sine Sacramento aut ejus voto; patet præterea ex Scriptura, quæ multis in locis contritioni et charitati perfectæ salutem promittit. (*n.* 96.)

III. Pari modo *martyrium* supplet vices Baptismi aquæ, quoad remissionem omnis culpæ et pœnæ, tam in infantibus quam in adultis, quasi ex opere operato. Colligitur ex verbis Christi apud Matth. X. 39.: »Qui perdiderit animam suam »propter me, inveniet eam;" et constat ex traditione perpetua Ecclesiæ, quæ SS. Innocentes semper coluit ut martyres.

Dictum est: *quasi ex opere operato;* quia martyrium non tam efficaciter operatur quam Sacramenta, sed ex quodam privilegio Christi, propter imitationem passionis ejus. (*n.* 97.)

Porro neuter Baptismus, sive flaminis sive sanguinis, excusat a reali susceptione Baptismi aquæ, si hic postmodum suscipi possit.

39. — **Quæstio.** *Quæritur quam dispositionem requirat Baptismus sanguinis in adulto, ut illi suum conferat effectum?*

Resp. 1° Certo requiritur acceptatio mortis ex motivo supernaturali; in peccatore insuper pœnitentia, quæ sit saltem attritio.

2° Utrum in peccatore necessarius sit actus contritionis vel charitatis perfectæ, controvertitur. *Prima sententia* negat; quia secus Baptismus sanguinis revera non suppleret Baptismum aquæ, cum supponeret effectum jam obtentum per Baptismum flaminis; deinde omne opus, quod habet virtutem dandi gratiam ex opere operato, semper dat illam non ponenti obicem; sed attritus non ponit obicem; ergo. Non obstant verba Apostoli I Cor. XIII. 3: »Si tradidero corpus »meum, ita ut ardeam, charitatem autem »non habuero, nihil mihi prodest;" quia intelligenda sunt de martyrio absque debita dispositione suscepto, quod charitatem non producit. Ita Suar. Bellarm. Less. Bonac. Wigand, Viva, etc.

Secunda sententia probabilior affirmat; ob citata verba S. Pauli, quæ intelligenda sunt de charitate antecedente, ut patet ex contextu, siquidem eodem modo loquitur v. g. de eleemosyna, ac de martyrio; accedit præceptum actûs charitatis perfectæ in articulo mortis. Ita S. Thom. S. Bonav. Scot. Cano, Vasq. Laym. Sayr. etc., et favere videtur S. Bernard. *Epist.* 77. *versus medium.* Cæterum, ob præceptum charitatis, ipsi adversarii advertunt, semper teneri peccatorem præmittere contritionem perfectam; quia in re tanti momenti pars tutior est sequenda. (*n.* 97. 98.)

ARTICULUS II.

SUBJECTUM CAPAX SUSCIPIENDI BAPTISMUM.

Agendum erit 1° de subjecto capaci in genere, 2° de infantibus adhuc in utero matris, 3° de fœtibus abortivis, 4° de monstris, 5° de filiis, invitis parentibus, baptizandis.

§ I. *Subjectum capax in genere.*

40. — Omnes homines viatores, sive adulti sive infantes, qui baptizati non sunt, sunt capaces Baptismi, quantum est ex parte ipsarum personarum; juxta verba Christi apud Joan. III. 5.: »Nisi »quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu »Sancto, non potest introire in regnum »Dei," quibus significatur, omnem hominem, qui tingi potest aquâ sub Trinitatis invocatione, posse spiritualiter renasci.

Quænam porro dispositio in adultis requiratur ut valide et fructuose suscipiant Baptismum, satis dictum est n. 25 et 26.

41. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An plures possint simul baptizari, sub forma:* EGO VOS BAPTIZO, *etc.?*

Resp. Possunt quidem valide, si ipsemet minister singulorum capitibus aquam simul effundat; at non licet, nisi periculum mortis immineat, tempusque non suppetat ut singuli separatim baptizentur. Ita S. Thom. 3. *qu.* 67. *a.* 6. *ad* 2. (*n.* 124.)

QUÆR. 2° *An infantes expositi sint baptizandi?*

Resp. 1° Si expositi fuerint sine testimonio Baptismi collati, procul dubio sunt baptizandi, nisi aliunde constaret eos rite baptizatos fuisse. *Ita communiter.*

2° Si expositi sint cum schedula attestante ipsos fuisse baptizatos, sententia verior et communior docet eos baptizandos esse sub conditione, quoties non habetur moralis certitudo de Baptismo collato, et rite collato; quia alias semper remanet prudens dubium. Ita decretum est in pluribus Synodis particularibus, atque etiam declaravit S. C. C. 15 Jan. 1724. Consonat cum Rituali Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 17. (*n.* 135.)

QUÆR. 3° *Quo tempore infantibus Baptismus sit conferendus?*

Resp. Ex universali Ecclesiæ consue-

tudine, quæ vim legis obtinuit, infantes post nativitatem mature baptizandi sunt. Unde graviter peccant parentes, qui parvulorum Baptismum per multum temporis differunt. Quanta autem dilatio gravis censeatur, si infans sanus est, non convenit inter DD.; alii gravem esse putant, si mensem excedat; communior tamen et probabilior sententia tenet gravem esse, si ultra 10 vel 11 dies differatur. (*n.* 118. H. A. *n.* 18.)

§ II. *Infantes in utero matris.*

42. — I. Extra mortis periculum, nemo in utero matris clausus baptizari debet. Si periculum mortis immineat, et infans caput emiserit, baptizandus est in capite; nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At, si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, sub conditione baptizandus est; et tunc, si natus vixerit, erit sub conditione rebaptizandus, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris*, etc. Ita Rit. Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 16.

Proderit hic subjungere, quæ sint signa periculi in recens natis, nempe: 1° si infans oriatur sine vagitu; 2° si modice respiret; 3° si lividus appareat, præsertim in facie; 4° si nascatur post multum temporis, aut multum laboris obstetricis; 5° si nascatur ante septimum mensem; 6° si cranium habeat admodum molle, aut suturas nimis apertas, aut alias partes disjunctas. (*n.* 107.)

II. Si mater prægnans mortua fuerit, quumprimum de morte ejus *certo* constet, caute facienda est *sectio cæsarea*, ut vocant, i. e. incisio ventris matris ad extrahendum fœtum vivum. Cæso, si vivus fuerit, baptizandus est absolute, utpote jam artificialiter natus. Ita ex Rit. Rom. *loc. cit. n.* 17.

Quocirca observandum est: 1° Graviter peccant tum patres aliique cognati, qui negligunt efficere ut fiat sectio, tum chirurgi vel medici, qui eam omittunt aut differunt. Etiam Parocho totis viribus enitendum est ut sectio peragatur. Præterea, in defectu chirurgi vel medici, si alius reperiatur qui idoneus est et animum habet faciendi sectionem, is tenetur eam efficere; quisque enim tenetur in casu extremæ necessitatis periculo mortis se exponere ut infans baptizetur; ergo a fortiori sectionem cæsaream efficere. (*n.* 106. *lib.* 2. *n.* 27.)[1]

2° Non est obligatio secandi matrem sex primis graviditatis hebdomadis; quia hoc tempore parva spes est de vita superstite fœtûs, ipseque inventu difficilis. Ita Cangiamila. *Embryologia sacra. lib.* 2. *cap.* 11. Imo artis imperitus fœtum difficulter inveniet ante duos menses.

43. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An infans in periculo mortis possit baptizari clausus in utero matris?*

Resp. Quæsitum procedit, quando nulla pars infantis in lucem prodit, attamen, reserato post incœptum jam partum uteri ostio, manu vel siphone aliove instrumento aquâ ablui potest.

1ª Sententia negat; quia nemo potest renasci, nisi prius fuerit natus, ex illo Joan. III. 5.: »Nisi quis renatus fuerit »ex aqua," etc. Probatur etiam ex Rit. Rom. *n.* 16. ubi dicitur: »Nemo in utero »matris clausus baptizari debet." Ita Nat. Alex. Comitol. Concin. Juenin. Gotti, etc. Pro hac sententia allegantur S. Thom. et S. Augustin. sed immerito.

2ª Sententia valde probabilis affirmat; quia omnis homo viator capax est Baptismi. Nec obstat ratio opposita; conceptio enim in utero etiam vere nativitas vocari potest, juxta illud Angeli ad Joseph de conceptu Verbi Incarnati: »Quod in ea natum est, de Spiritu »Sancto est." (Matth. I. 20.) Idipsum confirmat D. Thomas dicens: »Duplex »est carnalis nativitas, prima in utero, »secunda extra uterum." Similiter Conc. Trid. *sess.* 5. *decret. de pecc. orig. n.* 4. textum illum explicat: »Ut in eis »regeneratione mundetur, quod genera»tione contraxerunt. *Nisi enim quis re»natus fuerit*," etc.; atqui peccatum originale generatione in utero contrahitur; ergo post istam generationem potest homo regenerari. Neque obstant S. Thom. S. Aug. et Rit. Rom., quippe qui loqui intendunt de infante in utero omnino clauso, ita ut aqua attingi nequeat, ut clare exprimit S. Thomas, qui negat tantum posse aquam ad filium in ventre pervenire. Ita Suar. Tournel. Holzm. Elbel, Valent. Croix, etc. favetque Bened. XIV.

Unde concluditur, in casu necessitatis infantem semper sub conditione baptizandum esse. (*n.* 107. H. A. *n.* 10.)

Quær. 2° *An possit et teneatur mater viva sectionem cæsaream pati, ut proles ejus Baptismum recipiat?*

Resp. Affirmandum est, si sequentes concurrant conditiones: 1° ut mater naturaliter parere nequeat; 2° ut ex judicio periti chirurgi ope sectionis salus utriusque prudenter sperari possit, puta si fœtus sit vitalis, mater viribus polleat, peritusque sit chirurgus, ut innumeris exemplis hodie compertum est; quoniam ars chirurgica nostro ævo multo excultior evasit; huic accedit, omissâ sectione, matrem non in minori vitæ periculo versari; cum fœtûs mortui in utero dissectio, quam forte perferre deberet, fere æque periculosa sit ac sectio cæsarea; 3° ut ex judicio periti non possit infans aliter baptizari. Ratio, quia tunc tenetur mater periculum mortis temporalis subire propter vitam æternam prolis. (*n.* 106. Capellm. *Medic. past. pag.* 21.)

Porro gravis obligatio cumpluries non exsistet; quia, teste experientiâ, non raro supervivit fœtus matri defunctæ, quod jam advertit S. Alph. H. A. *tr.* 8. *n.* 26., aut siphunculo saltem in utero baptizari potest. Insuper prudentia ut plurimum suadebit non monere matrem, in bona fide versantem, de gravi obligatione, sed adhortari solum ad consentiendum sectioni; ob periculum ne consensum forte negando moriatur in malo statu, ut recte observat Cangiamila. *lib.* 3. *cap.* 4. *n.* 5.

Quær. 3° *An, matre defunctâ, Sacerdos teneatur perficere sectionem cæsaream, si desit qui velit aut possit eam perficere?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia Sacerdotem maxime dedecet, et aliis scandalo esse potest. Ita Bouvier, Gousset, Marres. *n.* 284. Berardi. *n.* 758. XV.

2ª Sententia affirmat; ex lege charitatis, ut supra diximus. Ita Cangiamila, Theol. Mechlin. *n.* 24. *qu.* 5. Debreyne, Vering, Konings. *n.* 1269. *qu.* 4.

Hanc sententiam probabiliorem censeo, casu, quo propinqui non dissentiant, et nullum exinde damnum Religioni sit timendum (quod ex adjunctis locorum dijudicandum est.) Ita Konings. Damnum Religioni aliquando oriri potest ex oblocutionibus inimicorum Ecclesiæ, si factum evulgaretur. — Cæterum, quidquid sit de *obligatione*, opus charitatis est animam æternâ beatitudine donare.

Quær. 4° *Quomodo sectio cæsarea perficienda sit?*

Resp. 1° Sectio fiat ab umbilico usque ad pudenda seu os pubis; ne autem lædantur intestina, hæc adhibeatur cautela: factâ parvâ aperturâ, operans statim indicem dorso scalpelli seu cultri subjectum in eam immittit, et modo prædicto scindit primo cutem, dein alia involucra, quæ intestina obtegunt. Quo peracto, uterus, si graviditas sit magis provecta, sponte apparebit; alias invenietur retro post vesicam. Hæc si urinâ repleta sit et inventionem uteri impediat, manu comprimatur et evacuetur.

2° Uterus repertus statim scinditur, procedendo a parte superiori et anteriori ad inferiorem; tum scinduntur etiam aut rumpuntur pelles secundinæ, quibus involutus est fœtus.

3° Infans seu fœtus extrahitur, et, si signa vitæ certa vel dubia appareant, protinus baptizandus est. Si tamen periculum mortis adesse putetur vel timeatur, fœtus, priusquam extrahatur, baptizandus est.

4° Post collatum Baptismum, si supervivat infans cum spe conservationis, umbilicus secatur ad distantiam duorum aut trium pollicum a ventre, et fortiter ligatur filamine ad distantiam unius pollicis a ventre; quibus peractis, traditur nutriendus. (Konings. *n.* 1269. *qu.* 5. Theol. Mechlin. *n.* 24. *qu.* 6.)

§ III. *Fœtus abortivi.*

44. — I. Fœtus abortivus *jam corpore formatus*, si motu præbeat vitæ indicium, absolute baptizandus est; si dubium appareat de vita, sub conditione baptizetur.

II. Fœtus *nondum corpore formatus*, si mortuus non cognoscatur, semper baptizandus est sub conditione: *Si capax es;* quia hodie viget opinio, cum plausu a peritis recepta, fœtum jam ab initio

[1] Defunctæ matris os aperire, ne infans suffocetur, nihil prodest; periculum suffocationis non subsistit, cum infantes in utero non respirent. Proderit vero ventrem defunctæ servare calidum usque ad operationem, si hæc illico non fiat.

Monendum superest, quod si alius quam medicus sectionem exsequatur, cavendus est conflictus cum auctoritate civili, ubi lex ejusmodi operationem sub pœnis prohibet.

sui conceptûs animâ rationali informari. Recole dicta lib. III. n. 192. (*n.* 124. Cangiamila. *Embryol. lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 10.)

Hunc in finem Capellman [1] censet, contra Cangiamila, non esse baptizandum in secundinis, sed eas caute aperiendas et liquorem amnii in iis contentum *lente* effundendum, [2] deinde fœtum ipsum baptizandum. Monet insuper tempus non esse terendum in inquirendis signis vitæ, sed, si ovum sit recens et fœtus albus, non gilvus nec subfuscus, statim baptizetur sub conditione.

Quocirca notandum est: 1° Fœtus baptizandus est, qui prima saltem habet humani corporis lineamenta, quod jam die tertio contingere asserunt periti, ut refert Cangiamila *loc. cit. n.* 8. Agnitio tamen fœtûs qua talis primis hebdomadis est difficilis; post mensem vero facilis, ut testatur Capellmann *pag.* 107.

2° Fœtus incompletus baptizetur per immersionem in catino vel pelvi aquâ tepidâ pleno. (Cangiam. *loc. cit. n.* 11.) Quâ de re notat Capellmann *pag.* 113: »Iis, qui minime vel non satis harum »rerum periti sunt, utilissimum ac cer»tissimum consilium erit, ut Baptismum »per immersionem conferant, et ita qui»dem ut in aquâ secundinas disrumpant, »hisque disruptis, statim formam Bap»tismi pronuntient: *Si vivis, ego* etc. »Apprehende igitur utriusque manûs »pollice et indice aliquam secundinæ »plicaturam, atque ita disrumpe ut ma»teria ovi effluat et aqua pro Baptismo »integram ovi materiam bene alluat. »Quod si ita fit, etiam vitabitur acce»dentis aëris appulsus in embryonem, »quem nonnulli adeo timent."

3° Nequaquam baptizari debet *mola carnea*, seu falsum germen. Fœtus porro discernitur a mola in eo quod fœtus appareat membranâ circumdatus, quæ est subalbi coloris, similis intestinis, figuræ ovalis, et quæ digito tacta mollescit et cedit: mola vero apparet caro informis, sanguinei vel varii coloris, ad tactum dura. (Cangiam. *loc. cit. n.* 12.13.)

§ IV. *Monstra.*

45. — In monstris baptizandis, si casus eveniat, magna cautio adhibenda est; de quo, si opus fuerit, Ordinarius loci vel alii periti consulantur, nisi mortis periculum immineat. Ita Rituale Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 18.

I. Monstrum, quod humanam speciem non præ se fert, baptizari non debet; de quo si dubium fuerit, baptizetur sub hac conditione: *Si es homo.* Ita Rit. Rom. *n.* 19. Hinc, si monstrum habeat caput humanum, baptizandum est absolute, quidquid sit de cæteris membris: imo etiamsi caput ferinum appareat. [1] (*n.* 125.)

II. Monstrum, de quo dubium est num una an plures sint personæ, non baptizetur, donec id discernatur. Discerni autem hisce signis potest: 1° si habeat plura capita et plura pectora distincta, totidem erunt homines distincti, et eo casu singuli seorsum sunt baptizandi. Si vero periculum mortis immineat, tempusque non suppetat ut singuli separatim baptizentur, poterit minister singulorum capitibus aquam infundens omnes simul baptizare, dicendo: *Ego vos baptizo* etc. 2° Si habeat duo capita et unum pectus, vel duo pectora et unum caput, vel denique duo capita et duo pectora non bene distincta, tunc debet primum unus absolute baptizari, et postea alter sub conditione, hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo*, etc. Ita Rituale Rom. *n.* 20. 21. Si habeat unum caput et duo pectora, post baptismum capitis pectora singula baptizentur sub conditione: *Si non es baptizatus;* quia ignoratur quodnam pectus animâ capitis forte informetur.

§ V. *Filii, invitis parentibus.*

46. — Filiorum Baptismus, quamvis a voluntate parentum non dependeat quoad valorem, dependere tamen potest quoad jus dandi, i. e. ut juste et licite detur; et hoc est, quod inquirimus. Quocirca:

I. Proles parentum, qui post susceptum Baptismum defecerunt a fide, sive in hæresim inciderint, sive in infidelitatem declinaverint, licite possunt baptizari, invitis parentibus, si modo spes sit separationis infantium a parentibus et catholicæ eorumdem educationis. Ratio est, quia parentes baptizati ab Ecclesia compelli possunt ad servandas leges tum divinas tum ecclesiasticas, sunt enim Ecclesiæ subditi. (*n.* 127.)

II. Filii infidelium licite baptizantur, invitis parentibus, in sequentibus casibus: 1° si rationis usu præditi Baptismum petant; quia in negotio Religionis jam sui juris sunt. 2° Si in proximo mortis periculo sunt, aut perpetuo amentes: id tamen vi faciendum non est, sed secreto. 3° Si, jure vel injuria, ita sunt extra parentum potestatem, ut non sit timor reditûs ad eos; quia tunc, quamvis parens retineat radicale jus, amisit tamen actualem usum ejus, imo et moralem potestatem utendi illo. Oportet tamen ut filius nullum etiam *tutorem* infidelem habeat, in quem patria potestas transierit. 4° Si alteruter saltem parentum consentiat; et quidem si annuat pater, aut, eo defuncto, avus, ob jus potestatis patriæ; si sola mater, ob favorem fidei et salutis æternæ; dummodo tamen filii baptizati relinquendi non sint in potestate infidelium. (*n.* 128—131.) [1]

Ex dictis infertur, probas obstetrices et nutrices docendas esse ne negligant infantibus non baptizatis, si in proximo mortis periculo versantur, Baptismum secreto conferre. Idem pro medicis valet.

III. Extra præfatos casus, non licet baptizare filios infidelium, invitis parentibus. Ratio est, quia, si in parentum relinquantur potestate, Sacramentum certo exponeretur periculo profanationis, ob periculum indubium perversionis et apostasiæ; si subtrahantur a parentibus, læderetur jus naturale parentum, quo liberi, quamdiu rationis usu non fruuntur, sub potestate et cura parentum sunt, sicut cæteræ res eorum. Ita sententia communior, confirmata usu Ecclesiæ, et Constit. Benedicti XIV *Postremo mense.* 28 *Febr.* 1747. (*n.* 132.)

IV. Proles baptizata parentum infidelium, sive licite sive illicite, subtrahenda est a potestate parentum, ut in fide suscepta instruatur et perseveret. Ratio est, quia per Baptismum subjicitur homo jurisdictioni Ecclesiæ, et consequenter jure liberatur paternâ curâ in iis, quæ ad animæ regimen spectant, quatenus juri Ecclesiæ acquisito contraria esse potest; jus namque paternitatis naturalis cedere debet juri paternitatis spiritualis Ecclesiæ. (*n.* 127. 128.) Vix tamen hodie potest hæc doctrina in praxim traduci, siquidem obstant leges civiles.

CAPUT V.

CÆREMONIÆ SOLEMNIS BAPTISMI.

Quum hoc Sacramentum sit Ecclesiæ janua, et prima solemnis fidei professio, decet debito cæremoniarum cultu celebrari. Acturi sumus 1° de cæremoniis in communi, 2° de patrinis seorsum.

ARTICULUS I.

CÆREMONIÆ BAPTISMI IN COMMUNI.

47. — I. **Notio cæremoniarum.** Ritus, quos in solemni Baptismo servat Ecclesia, spectant 1° *Tempus;* quamvis Baptismus quovis tempore, præsertim si urgeat necessitas, conferri possit, tamen duo potissimum ex antiquissimo Ecclesiæ ritu sacri sunt dies, in quibus solemni cæremoniâ hoc Sacramentum administrari maxime convenit, nempe vigilia Paschæ et Pentecostes, quibus diebus Baptismalis Fontis aqua rite consecratur. Quem ritum, quatenus fieri commode potest, in adultis baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri decet, aut certe non omnino prætermitti, præcipue in Metropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis. Ita Rituale Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 27. et *cap.* 3. *n.* 4—6. — 2° *Locum;* necessitate exceptâ, nemo baptizari debet nisi in Ecclesiâ, in quâ sit Fons Baptismalis vel certe Baptisterium prope Ecclesiam. Excipiuntur Regum aut magnorum Principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum Capellis seu Oratoriis, et in aquâ baptismali de more benedictâ. Ita Rituale *n.* 28. 29. — 3° *Materiam*; pro materiâ remotâ adhibenda est aqua consecrata,

[1] Medic. past. *pag.* 112.

[2] Liquor amnii est ille liquor, cui fœtus secundinis inclusus innatat.

[1] Conceptionem ex coitu cum bestia medici et physiologi hodie negant, speciemque ferinam mulieris phantasiæ adscribunt vel conformationis defectui.

[1] Confer Analecta Juris Pontif. *Tom.* 2. *col.* 1806., ubi plura allegantur Responsa S. C. Inquis.

et pro proximâ trina immersio vel trina infusio in modum crucis. Ita Rit. *cap.* 1. *n.* 4. 10. — 4° *Personam baptizandam*, ad quam pertinent inprimis signum crucis, sal benedictum, fidei professio, exorcismus, tactus salivæ, abrenuntiatio satanæ, inunctio, vestis alba, et cereus accensus. 5° *Patrinos*, qui adhibendi sunt; de quibus infra.

Circa prædicta duo notanda sunt: a) Sacrum Chrisma, et sanctum Oleum, quod Cathecumenorum dicitur, quorum usus est in Baptismo, eodem anno debent ab Episcopo esse benedicta ferià quintâ in Cœnâ Domini; quare curet Parochus ut ea tempestive habeat, ita ut possit ea infundere in benedictione fontis in Sabbato Sancto. Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum non utatur. Ita Rit. Rom. *n.* 31—33.

b) Aqua consecrata bis in anno renovanda est, in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes. Ita Rit. Rom. *n.* 4. et S. R. C. 13 April. 1874.

48. — II. **Obligatio cæremoniarum.** 1° Gravis culpa est, seclusa necessitate, omittere cæremonias Baptismi, aut aliquam ex eis notabilem; ob præceptum Ecclesiæ, et mysticam earumdem significationem. Unde infertur mortale esse, a) omittere unctionem aliquam, aut sine necessitate uti Chrismate vel Oleo anni præteriti; b) baptizare in aqua non consecrata, vel extra ecclesiam. (*n.* 141. 142.)

2° Cum ex necessitate vel gravi aliqua causa sine cæremoniis collatus est Baptismus, eæ supplendæ sunt postea, cum primum opportune fieri possit; quod quidem negligere grave peccatum foret. Ita ex Rit. Rom. *cap.* 5. Verumtamen quoad hæreticos conversos, in quorum Baptismo debita forma et materia servata est, omissa suppleantur, nisi rationabili de causâ aliter Episcopo videatur. Ita Rit. Rom. *cap.* 3. *n.* 16. (*n.* 144.)

49. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Si Baptismus solemniter collatus deprehendatur invalidus, an etiam cæremoniæ repetendæ sint?*

Resp. Duplex est sententia probabilis. 1ª Sententia affirmat, nisi obstet periculum scandali vel infamiæ; quia cæremoniæ sunt Baptismi accessoria, cum pertineant ad ornatum ejus, propterea debent semper illum concomitari. Ita Palaus, Salm. S. Anton. Regin.

2ª Sententia communior negat; tum quia cautum est in *Cap.* 1. *de Sacram. non iterand.* ut in hujusmodi defectibus solum suppleantur ea, quæ desunt; tum quia necesse non est ut cæremoniæ cum Baptismo sint semper tempore conjunctæ. Ita Suar. Bonac. Holzm. Concin. Busemb. etc.

Prima sententia consulenda est. (*n.* 144.)

Quær. 2° *An trina ablutio servanda sit sub mortali?*

Resp. Verius affirmatur; quia hujusmodi ritus est materia satis gravis; cum enim in Baptismo exprimatur mysterium SS. Trinitatis, congruum est ut trina ablutione conferatur. Ita S. Thom. et alii. Unde curandum est ut forma non absolvatur ante tertiam ablutionem. (*n.* 107. *qu.* 5.)

Quær. 3° *Quinam intelligendi sint per liberos Principum, qui possunt domi solemniter baptizari?*

Resp. Nomine *liberorum* veniunt omnes descendentes. Nomine *principum* probabilius veniunt dumtaxat absolutam potestatem habentes. Attamen, ubi introducta est consuetudo domi baptizandi filios magnatum, ea non est facile improbanda. (*n.* 118. *not.* 3.)

Quær. 4° *Quid faciendum sit Parocho, qui Olea sacra, feria quinta in Cœna Domini benedicta, in Sabbato Sancto habere non potest?*

Resp. Benedictio Fontis tunc celebranda est cum infusione sacrorum Oleorum anni præcedentis. Ita S. R. C. 23 Sept. 1837. et 19 Sept. 1859.

50. — Quædam supersunt notanda: 1° Circa nominis impositionem hæc habet Rituale Rom. *cap.* 1. *n.* 54: »Quoniam iis, qui baptizantur, tamquam »Dei filiis in Christo regenerandis, et in »ejus militiam adscribendis, nomen im»ponitur, curet (Sacerdos) ne obscœna, »fabulosa aut ridicula, vel inanium deo»rum, vel impiorum ethnicorum homi»num nomina imponantur; sed potius, »quatenus fieri potest, Sanctorum, quo»rum exemplis fideles ad pie vivendum »excitentur, et patrociniis protegantur." Inde colligitur nominis Sancti impositionem non esse præceptum, sed consilium tantum; non facile tamen acquiescendum volenti imponere nomen ethnicum.

2° Parochus tenetur in libro baptizatorum diligenter describere baptizatos, juxta formam et præscripta Ritualis Rom. *cap.* 2. *n.* 34. et *tit.* 10. *cap.* 3. (*n.* 145.)

ARTICULUS II.

PATRINI.

51. — Patrini seu susceptores dicuntur, qui baptizatum de sacro fonte suscipiunt. Fiunt hoc pacto ejus quasi parentes spirituales, eo quod baptizatum veluti sub tutela et cura sua suscipiant. Homo quippe recens baptizatus est veluti parvulus nuper genitus, qui pædagogo indiget, a quo instruatur in rebus fidei et morum; quod officium sibi assumunt patrini, casu quo parentes hac in re deficerent.

Principia. I. In Baptismo solemni sub gravi adhiberi debet patrinus aut matrina, vel uterque: vetitum autem est adhibere ultra duos, virum et mulierem, ne multiplicentur cognationes. Constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *ref. matrim.* (*n.* 159.)

II. Ut quis *valide* sit patrinus aut matrina, necesse est 1° ut sit ipse baptizatus; 2° ut sit legitime designatus; casu excepto, quo nullus designatus esset; 3° ut patrini aut matrinæ munus vere exerceat, i. e. intentionem habeat hoc munus obeundi, et physice tangat baptizandum, dum baptizatur, vel baptizatum suscipiat de manu baptizantis. (*n.* 146. 154.)

III. Ad hoc munus *licite* admitti nequeunt 1° hæretici, et publice excommunicati aut interdicti; 2° publice criminosi, aut infames; 3° ignari rudimentorum fidei; 4° Regulares utriusque sexûs a sæculo segregati; 5° conjuges respectu consortis suæ, et parentes respectu propriæ prolis. Ita Rituale Rom. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 25. 26. et DD. Ratio est, quia patrini spirituales filios suos, quos de Baptismi fonte susceperint, ubi opus fuerit, rudimenta fidei opportune docere tenentur. (*n.* 156.)

IV. Effectus susceptionis sunt: 1° gravis obligatio imbuendi susceptum fide et moribus, in defectu parentum; 2° cognatio spiritualis cum baptizato hujusque parentibus, constituens impedimentum dirimens matrimonii, de quo in Sacramento Matrimonii acturi sumus. Ex hâc cognatione contrahitur etiam reatus incestûs spiritualis, si ejusmodi cognati inter se carnaliter peccant, ut diximus in libro III. n. 214. 215. (*n.* 146. 147.)

52. — Super præmissis notanda occurrunt sequentia: 1° Patrinos saltem in ætate pubertatis ac Sacramento Confirmationis consignatos esse maxime convenit. Ita Rit. Rom. *n.* 24.

2° Patrinorum electio juxta Trid. ad parentes pertinet, vel ad ipsummet baptizandum, si sui juris est. Idcirco non licet Parocho mutare patrinos idoneos a parentibus designatos, aut admittere non electos ab illis; quod si faceret, graviter delinqueret; valide tamen mutaret, ut docent multi contra alios, quia ex Trid. sufficit designatio parentum vel Parochi. (*n.* 146. 159.)

Contra, si Parochus ante Baptismum intelligat, indignum ad patrini munus electum fuisse a parentibus, hisce vel electo patrino honesto modo significare debet, legem Ecclesiæ non permittere ut admittatur. Verumtamen a repellendo patrinum indignum excusat grave incommodum, si quando inde timendum sit; quinimo ex gravi causa patrini etiam omitti possunt.

3° Patrinus tum solum tenetur munus suum explere, cum baptizatus curâ patrini et instructione indiget, v. g. si hæreticos vel infideles haberet parentes, vel ita negligentes ut filium non instruant. Atvero, si puer inter catholicos natus et enutritus est, præsumere potest eum sufficienter instrui a suis parentibus; si tamen quoquomodo comperiret contrarium, teneretur pro viribus saluti spiritualis filii curam impendere.

Ex dictis colligitur inter catholicos raro urgere hanc obligationem; quamvis cavendum quoque sit, ne hoc munus jam ita suscipiatur et negligenter servetur, ut sit pura cæremonia exterior sine ullo fructu. (*n.* 147. Suar. *qu.* 67. *art.* 8.)

4° Parochus admonere tenetur patrinos de cognatione contracta, eorumque obligatione. (*n.* 160.)

5° In Baptismo privato patrinus non requiritur, laudabiliter tamen adhiberi potest. (*n.* 147.)

53. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An patrini esse possint duo mares, aut duæ fœminæ?*

Resp. Negat.; quia Trid. statuit ut sint ad summum unus et una. Proba-

bile tamen est, ut docent Sanch. et Croix, id esse tantum veniale, contra Bonac. et alios, qui volunt esse mortale. Sententia Bonacinæ tunc verior videtur, si patrini essent diversi sexûs a baptizato; quia eo casu multiplicarentur cognationes, quod prohibere voluit Tridentinum. (*n.* 155.)

QUÆR. 2° *An patrinus masculi, si unicus sit, debeat esse masculus, et fœminæ fœmina?*

Resp. Negat. probabilius; quia Trid. statuit ut sit vir vel mulier. (*n.* 155.)

QUÆR. 3° *An duo conjuges possint licite suscipere alienam prolem?*

Resp. Probabilius et communissime affirmatur; quia nullo canone vetatur, et usu sic receptum est. (*n.* 157.)

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 14.

Materia pertractanda erit 1° notio et effectus Confirmationis; 2° ejus materia et forma; 3° minister; 4° subjectum; 5° cæremoniæ.

CAPUT I.

NOTIO ET EFFECTUS CONFIRMATIONIS.

54. — Confirmatio est Sacramentum corroborationis in fide per unctionem Chrismatis cum manûs impositione sub certa verborum forma.

Effectus hujus Sacramenti sunt: 1° augmentum gratiæ sanctificantis; 2° characteris impressio; 3° speciale Spiritus Sancti auxilium ad fidem vivam constanter tenendam et profitendam. (*n.* 169.)

CAPUT II.

MATERIA ET FORMA CONFIRMATIONIS.

55. — **Principia.** I. Materia remota Confirmationis est Chrisma ex oleo olivarum et balsamo confectum, et ab Episcopo benedictum. Constat ex Decreto Eugenii IV ad Armenos.

Porro, oleum esse de necessitate Sacramenti certum est et convenit inter Theologos. Certum quoque est balsamum esse de necessitate præcepti; probabilius etiam de necessitate Sacramenti, quâ de re disseremus infra. Probabilius quoque est benedictionem Chrismatis ab Episcopo faciendam esse, ut infra discutiemus. (*n.* 162. 163.)

II. Materia proxima Confirmationis est unctio Chrismatis manûs Episcopi impositione peracta, delineando crucem in fronte suscipientis. Ad materiam Confirmationis requiri tam unctionem, quam impositionem manûs, at eam solam impositionem quæ ab unctione non distinguitur, probatur 1° ex traditione: etenim a) impositionem manûs Apostoli adhibuerunt, ut legitur in Act. VIII. 17. et XIX. 6.; unctione autem eos confirmasse, non leve fundamentum sumitur ex Apostolo II Cor. I. 21. 22.: »Qui »autem confirmat nos vobiscum in Christo, »et qui unxit nos Deus, qui et signavit »nos, et dedit pignus Spiritûs in cordi»bus nostris;" et Ephes. IV. 30: »Nolite »contristare Spiritum Sanctum Dei, in »quo signati estis;" et I Joan. II. 27: »Unctionem quam accepistis ab eo, ma»neat in vobis;" quæ loca multi Patres interpretantur de Sacramento Confirmationis; b) unctionem una cum manûs impositione semper ab initio usque hodie adhibitam fuisse in Ecclesia tam Latina quam Græca, constat ex testimonio Patrum, quippe qui indifferenter dixerunt gratiam Spiritus Sancti in hoc Sacramento conferri modo per unctionem, modo per impositionem, modo per utramque; unde infertur unctionem semper considerari cum impositione conjunctam. 2° Ex decreto Eugenii IV, quo definitur solam chrismationem esse materiam Confirmationis, eamque in Actibus Apostolorum manûs impositionem appellari. 3° Ex Constit. Benedict. XIV *Ex quo primum.* 1 Mart. 1756, ubi docet § 52: »Quod itaque extra controversiam est, »hoc dicatur: nimirum in Ecclesia La»tina Confirmationis Sacramentum con»ferri adhibito sacro Chrismate, sive oleo »olivarum balsamo commixto, et ab »Episcopo benedicto, ductoque crucis »signo per Sacramenti ministrum in »fronte suscipientis, dum idem minister »formæ verba pronuntiat." 4° Confirmatur ex sententia communi Doctorum; et ratio est, quia unctio designat roborationem ad pugnam, manûs impositio aliquem copiosum gratiæ effectum. Ex hisce omnibus concluditur hanc doctrinam esse certam et tutam. (*n.* 164.)

Ergo ad essentiam Sacramenti nullatenus pertinet illa manuum impositio, quæ fit in principio ritûs, quando Episcopus, antequam ad chrismationem accedat, extendit manus versus confirmandos, proferens orationem; quam impositionem aliqui essentialem esse falso contendunt. (*n.* 164. 167. *in fine.*)

Requiri præterea ut unctio Chrismatis fiat in fronte suscipientis atque in formâ crucis, constat ex omnibus et antiquissimis Ritualibus libris tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiæ, ex Decreto Eugenii IV, et ex communi PP. et DD. sententia. Accedit ratio: 1° pro cruce; quia est signum Ducis, sub quo Christianus militare et in quo vincere debet; 2° pro fronte; a) quia in corpore humano maxime frons manifesta est; ideo homo confirmatur in fronte, ut palam demonstret se Christianum esse; sicut et Apostoli post acceptum Spiritum Sanctum se manifestaverunt, qui prius in cœnaculo latebant; b) quia aliquis impeditur a liberâ confessione nominis Christi propter timorem et propter verecundiam; utriusque autem horum sedes est in fronte; ideo in fronte signatur Chrismate, ut neque propter timorem neque propter erubescentiam nomen Christi confiteri prætermittat. Ita S. Thomas. 3. *qu.* 72. *a.* 9. — 4 *Sent. dist.* 7. *qu.* 3. *a.* 3. *quæstiunc.* 2. (*n.* 164. *in fine.*)

III. Forma hujus Sacramenti sunt verba, quæ Episcopus ungendo profert: »Signo te signo crucis, et confirmo te »Chrismate salutis, in nomine Patris et »Filii, et Spiritus Sancti." Ita ex Decreto Eugenii IV, et consequitur ex supradictis.

In hac forma adæquate omnia explicantur, quæ in hoc Sacramento continentur, nempe *signum* militiæ Christi, cui adscribuntur confirmati per verba: *signo te signo crucis; effectus* Sacramenti, id. est gratia roborans, per verba: *confirmo te Chrismate salutis;* et *causa* gratiæ, nempe SS. Trinitas. Unde deducitur singula formæ verba substantialia esse; sola mutatio per synonima accidentalis esset. (*n.* 167. 168.)

Forma in Ecclesia Græca est: »Sig»naculum doni Spiritus Sancti." Quam validam esse convenit inter DD. et declarat Benedictus XIV in citata Constitutione *Ex quo primum.* § 51. (*n.* 169. 164.)

56. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An mixtio balsami necessaria sit necessitate Sacramenti?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis negat; quia in *Cap.* 1. *de Sacram. non iterand.* Innoc. III consultus de confirmato in solo oleo benedicto, respondit: »Nihil esse iterandum, sed caute sup»plendum, quod incaute fuerit præter»missum." Quæ verba plane indicant non esse totum Sacramentum iterandum, sed solum aliquem defectum supplendum; quod tantum habet locum, quando defectus est accidentalis; nam, si sit substantialis, totum repeti oportet. Nec obstat Decretum Eugenii, utpote in quo exprimuntur partes etiam non essentiales Sacramentorum. Ita Juenin, Collet, Navarr. Soto, Valent. Cajet. etc.

2ª Sententia communior et probabilior affirmat; tum quia in Decreto Eugenii absolute dicitur materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo et balsamo; tum quia semper in usu fuit in Ecclesia, ut Patres testantur. Neque obstat responsum Innoc. III; quia non unctio solius balsami supplenda erat, cum talis unctio nunquam adhibenda fuerit, neque balsamum solum benedicatur; ergo unctio Chrismatis supplenda est; non est autem supplenda sine forma; nam unctioni debita est informatio; ergo substantialia Sacramenti supplenda sunt.

Pontifex igitur, dum dicit nihil esse iterandum, vel negat eam esse iterationem Sacramenti, utpote quod validum non erat, vel negat iterandum esse totum ritum, qui in solemni administratione Sacramenti observari solet, sed privatim esse iterandam solam substantiam Sacramenti. Ita S. Thom. Bellarm. Suar. Gonet, Concin. Bonac. Petroc. Salm. etc.

Sufficit porro balsamum cujuscumque regionis, sive palestinum, sive indicum, modo misceatur in ea quantitate, quæ sufficiat ut det sui odorem, quamvis non misceatur cum singulis olei partibus. (*n.* 162.)

QUÆR. 2º *An benedictio Chrismatis sit de essentia Sacramenti?*

Resp. Nonnulli negant. At omnino affirmandum cum aliis, tum ex Decreto Eugenii IV; tum ex SS. Patribus, qui nonnisi Chrismatis benedicti mentionem faciunt; tum ex traditione constanti Ecclesiæ. (*n.* 163.)

QUÆR. 3º *An essentiale sit, quod benedictio ab Episcopo fiat?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis negat, docens jure divino solum quidem Episcopum posse *ordinarie* Chrisma conficere, attamen posse S. Pontificem hanc potestatem delegare simplici Sacerdoti. Ratio, quia, quamvis jure divino solus Episcopus possit confirmare, nihilominus Papa potest hanc potestatem delegare simplici Sacerdoti, prout videbimus n. 57.; ergo multo magis hoc poterit in consecrando Chrismate; deinde nullum documentum satis evincit Chrisma debere necessario esse ab Episcopo benedictum, non solum necessitate præcepti, sed et Sacramenti. Ita Cajet. Valent. Victor. Tournel. Gotti, Juenin. etc. et probabilem censent Suar. et Croix.

2ª Sententia communior et probabilior affirmat; quia Decretum Eugenii IV dicit ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, aliquando tamen ex concessione Sedis Apostolicæ simplicem Sacerdotem illud ministrasse ex Chrismate consecrato ab Episcopo; quibus verbis significat nunquam factum esse neque fieri posse, ut hoc Sacramentum detur alio Chrismate, præterquam Chrismate consecrato ab Episcopo. Congruit etiam, ut, cum per se hoc Sacramentum ad Episcopum pertineat, si quando ex dispensatione alteri committatur, saltem in ipsa materia Episcopalis auctoritas interveniat. Ita S. Thom. Suar. Petrocor. Concin. Salm. etc.

In praxi hæc sententia ut tutior omnino est tenenda. (*n.* 163.)

QUÆR. 4º *An sit obligatio utendi Chrismate novo?*

Resp. Non requiritur ad valorem Sacramenti; sed ex præcepto Ecclesiæ debet esse illo anno consecratum, ita ut graviter peccaret, qui extra necessitatem veteri uteretur; colligitur ex *Cap.* 18. *dist.* 3. *de consecr.* In hoc tamen Ecclesiæ præcepto potest Papa dispensare. (*n.* 163. H. A. *n.* 40.)

QUÆR. 5º *An unctio possit fieri alio digito, quam pollice manus dextræ?*

Resp. Quoad valorem, affirmative; nam vere fieret per impositionem manus Episcopi. Quoad liceitatem, negative; quia ageret contra rubricam et usum Ecclesiæ. Dubium vero fit, quantum id sit peccatum. Communius censent esse grave; quia est res gravis, cum pollex Episcopi ad hoc specialiter in ejus consecratione ungatur. Ita Laym. Renzius, Coninc. Suar. etc. Alii vero dicunt probabiliter id non excedere culpam venialem; et revera non apparet omissionem prædictæ cæremoniæ pertingere ad peccatum mortale; unde dicunt quod si Episcopus prædictum pollicem infirmum haberet, licite posset alio digito ungere; ratio est, quia minime constat hunc in finem pollicem Episcopi inungi, siquidem et pollex et index utriusque manus, deinde ambæ manus totæ unguntur, quemadmodum fit in unctione manuum initiandorum ad Presbyteratum. Ita Escob. Trullench. Nugnus, Diana, Tambur. etc. (*n.* 165.)

QUÆR. 6º *An unctio possit fieri mediante penicillo, aliove instrumento?*

Resp. Negat.; quia deficeret immediata impositio manûs ministri, quæ requiritur ad valorem Sacramenti. *Ita communiter.* (*n.* 166.)

QUÆR. 7º *Quænam quantitas Chrismatis adhibenda sit?*

Resp. Ea quantitas requiritur et sufficit, quæ satis sit ad ungendam frontem in figuram crucis. (*n.* 166.)

CAPUT III.

MINISTER CONFIRMATIONIS.

57. — Minister alius est *ordinarius*, qui vi Ordinis sui potestatem proximam seu completam habet ad conferendum valide hoc Sacramentum: alius *extraordinarius*, qui nonnisi remotam seu inchoatam potestatem habet, ita ut, accedente delegatione Pontificis, possit hoc Sacramentum conferre.

Principia. I. Omnis et solus Episcopus est *ordinarius* minister Confirmationis. Est de fide ex Decreto Eugenii IV, et Trid. *sess.* 7. *can.* 3. *de Confirm.*: »Si »quis dixerit sanctae Confirmationis or»dinarium ministrum non esse solum »Episcopum, sed quemvis simplicem »Sacerdotem, anathema sit."

II. Potest simplex Sacerdos ex dispensatione Sedis Apostolicæ esse *extraordinarius* minister Confirmationis. Constat 1º ex Decreto Eugenii IV et Constit. Benedicti XIV *Eo quamvis tempore.* 4 Maji 1745, ubi hoc diserte docetur; 2º ex Conc. Trid., quod dicendo Episcopum esse *ordinarium* ministrum, insinuat Sacerdotem posse extraordinarium esse; 3º ex praxi Sedis Apostolicæ, quae non semel Sacerdotibus dedit facultatem confirmandi. (*n.* 170.)

III. Vi potestatis Jurisdictionis, non licet Episcopo confirmare in aliena diœcesi, neque alienas oves in propria, nisi ex proprii Pastoris consensu. Ratio est, quia alias mitteret falcem in alienam messem, usurpando alienam jurisdictionem. Quinimo ex Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *ref.* Episcopus, qui Pontificalia in alterius diœcesi exercet, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas tantum, ab exercitio Pontificalium est ipso jure suspensus. (*n.* 171. 172.)

58. — **Quæstiones.** QUÆR. 1º *An possit Episcopus præsumere consensum aliorum Episcoporum, ad confirmandos in sua diœcesi alienos subditos?*

Resp. Nonnulli negant, nisi de eo consensu constet. Sed communius et probabilius affirmant eum consensum merito præsumi, nisi aliter constet; quia quivis Episcopus censetur velle suas oves, oblatâ occasione, non privari hoc Sacramento, cum nullum incommodum inde ipsi proveniat; et haec est praxis usu recepta. Multo magis licebit Episcopo confirmare *ordinandum*, qui affert dimissoriam sui Ordinarii; quia tunc certo certius præsumitur consensus proprii Episcopi, ut communiter concedunt AA. (*n.* 172. 173.)

QUÆR. 2º *Quando teneatur Episcopus confirmare?*

Resp. Consule lib. V. n. 93.

CAPUT IV.

SUBJECTUM CONFIRMATIONIS.

Agemus 1º de subjecto capaci hujus Sacramenti, 2º de obligatione illud suscipiendi.

ARTICULUS I.

SUBJECTUM CAPAX, EJUSQUE DISPOSITIO.

59. — **Principia.** I. Omnis homo baptizatus necdum confirmatus est capax hujus Sacramenti. Ratio est, quia omnes Christiani capaces sunt ad recipiendum augmentum gratiæ, omnesque indigent corroboratione Spiritûs Sancti ad pugnandum contra hostes fidei et quasvis nequitias spirituales. (*n.* 176.)

Dictum est: *necdum confirmatus;* quia hoc Sacramentum, cum characterem imprimat, iterari non potest.

II. Hodie in Ecclesia Latina, regulariter loquendo, non licet confirmare infantes ante usum rationis. In Ecclesia Orientali infantes confirmantur statim post Baptismum. In Ecclesia Occidentali idem usus per plura sæcula viguit: postmodum vero consuetudo obtinuit differendi Confirmationem usquedum pueri rationis usum adepti sunt, ut »intelligerent »tantum inter se differre Baptismum et »Confirmationem, quantum in naturali »vita distat generatio ab incremento, »seque per Baptismum fuisse quidem »ad christianam militiam receptos, per »Confirmationem vero fuisse ad pugnam »roboratos, et ad perferendos agones »per gratiam instructos." Ita Bened. XIV Constit. *Eo quamvis.* 4 Maji 1745. *n.* 6. ubi hunc Romanæ Ecclesiæ morem servandum esse declarat.

Dixi: *regulariter loquendo;* quia justâ de causâ potest Episcopus infantes ante

usum rationis confirmare, nempe si diuturna Episcopi absentia timeretur, aut si infans esset in periculo mortis, aut ob aliam similem causam. (*n.* 178.)

Ad haec notanda sunt: 1° Rationis usu adepto, expedit Confirmationem non admodum differre, sed prævenire ætatem passionum, priusquam pueri graviter peccare incipiant. (Suar. *disp.* 35. *sect.* 2. *n.* 3.)

2° Ad Confirmationem admittendi non sunt, qui graviora Doctrinæ Christianæ capita et Sacramenti virtutem ignorant, ut colligitur ex dictis. Parochi ergo confirmandos eadem docere debent. (Bened. XIV Constit. *Etsi minime.* 7 Febr. 1742. *n.* 9.)

3° Amentes minime sunt privandi hoc Sacramento; quia non est perfecte Christianus, qui non est confirmatus; nec refert quod nunquam sint spiritualiter militaturi, quia id per accidens contingit. Verumtamen, si qui lucida intervalla habere soleant, ea exspectanda sunt. (*n.* 180.) Idem de moribundis dicendum est. (S. Thom. 3. *qu.* 72. *a.* 8. *ad* 4.)

4° In dubio de Confirmatione susceptâ, conferenda est sub conditione; at major dubitandi causa requiritur, quam pro Baptismo; quia non est necessaria ad salutem. Cæterum sufficit quod quis sit probabiliter confirmatus, ut a tali obligatione eximatur. (*n.* 178. H. A. *n.* 48.)

III. Ad hoc Sacramentum licite et fructuose suscipiendum requiritur status gratiæ. Ratio patet, quia est Sacramentum vivorum.

Confirmandus ergo, qui conscius est peccati mortalis, statum gratiæ sibi comparare debet ope contritionis perfectæ, vel consultius ope Confessionis. (*n.* 179.)

ARTICULUS II.

OBLIGATIO SUSCIPIENDI CONFIRMATIONEM.

60. — Magna est quæstio inter DD. utrum sit gravis obligatio suscipiendi hoc Sacramentum. Multi negant, *per se loquendo;* tum quia sunt alia media sufficientia ad robur animæ consequendum, qualia sunt frequens Communio, oratio, pœnitentia, etc.; tum quia nullibi reperitur strictum præceptum expressum. *Per accidens* vero omissio Confirmationis erit peccatum mortale, in tribus casibus, videlicet 1° ratione contemptûs, si quis ideo eam omittit, quia illam parvipendit; 2° ratione scandali, si ita se publice gerat ut speciem contemptûs aliis præbeat; 3° ratione charitatis propriæ, si quis sibi persuadeat sine hoc medio se esse in periculo amittendi fidem vel charitatem. Ita S. Thom. Suar., Navarr. Soto, Laym. Bonac. Croix, Salm. etc.

Alii, etiam non pauci, affirmant obligationem, oblatâ opportunitate, illud suscipiendi; colligitur ex variis Patrum et Conciliorum canonibus, inprimis ex sententia Urbani Papæ [1]: »Omnes fide»les per manûs impositionem Episcopo»rum Spiritum Sanctum post Baptismum »accipere debent, ut plene Christiani »inveniantur"; et Melchiadis Papæ [2]: »Quamvis continuo morituris sufficiant »regenerationis beneficia, victuris tamen »necessaria sunt Confirmationis auxilia." Rationes sunt, tum quia omnes fideles tenentur accipere plenitudinem vel perfectionem hominis Christiani; tum quia grave detrimentum sibi infert, qui in luctâ tentationum negligit se munire magno robore hujus Sacramenti, eum in finem instituti ut non solum in fide, verum etiam in fide *vivâ* hominem confirmet. Ita S. Bonav. S. Antonin. Merbes. Cont. Tourn. Concin. Habert, Sylv. etc.

Posterior sententia tenenda est, utpote declarata a Bened. XIV Constit. *Etsi pastoralis.* 26 Maji 1742. § 3. *n.* 4. ubi, postquam asseruit Sacramentum Confirmationis ejusmodi necessitatem non habere ut sine eo salvus quis esse non possit, subjungit: »Monendi tamen sunt »ab Ordinariis locorum, eos gravis peccati »reatu teneri, si, cum possunt ad Con»firmationem accedere, illam renuunt »ac negligunt." (*n.* 181. 182.) Hæc doctrina repetitur in *Instructione pro simplici Sacerdote Sacramentum Confirmationis ex Sedis Apostolicæ delegatione administrante*, edita ex Decreto S. C. de Propag. Fide, 4 Maji, 1774. et approbato a Clemente XIV, [3] hisce verbis: »Etsi hoc Sacramentum non sit de »necessitate medii ad salutem, tamen »sine gravis peccati reatu respui non »potest ac negligi, cum illud suscipiendi »opportuna adest occasio."

Nihilominus a susceptione Confirmationis excusat grave incommodum, e. g. si adultus opportunam occasionem prætermitteret, quia publice cum solis pueris confirmandus esset, quod magno rubore eum suffunderet. Imo, etsi tantum non videatur incommodum, moneri non debet de sua obligatione, cum subest periculum peccati formalis.

[1] Cap. 1. dist. 5. de consecr.
[2] Cap. 2. eâd. dist.
[3] In Appendice ad Rituale Rom. *Edit. Ratisbon.*

CAPUT V.

CÆREMONIÆ CONFIRMATIONIS.

Agendum erit 1° de cæremoniis in communi; 2° de patrinis seorsim.

ARTICULUS I.

CÆREMONIÆ CONFIRMATIONIS IN COMMUNI.

61. — Quod cæremonias Confirmationis attinet, expendendæ nobis sunt sequentes:

1° Circumstantia *temporis.* Usus obtinuit ut Confirmatio conferri possit quolibet die, festivo aut feriali, et tempore matutino aut vespertino. (*n.* 174. 184. *not.* 4.)

2° Circumstantia *loci.* Hoc Sacramentum conferri debet in Ecclesiâ, ut innuit Pontificale, dum dicit Pontificem accedere ante medium altaris. Communius et verius censent DD. hanc circumstantiam nonnisi sub levi obligare, adeoque ex rationabili causâ posse Confirmationem dari in quolibet decenti loco, prout notatur in Pontificali: »Hoc Sa»cramentum potest conferri minus solem»niter quocumque die, horâ et loco, ex »causâ ad arbitrium Episcopi." Cæterum probabiliter potest Episcopus semper licite confirmare in suo Oratorio domestico. (*n.* 174. 184. *not.* 3.)

3° *Vestes sacræ.* In Pontificali præscribitur ut Episcopus induatur amictu supra rochetum, vel, si sit Regularis, supra superpelliceum, ac stolâ, pluviali albi coloris, mitrâ, et baculo. Quæ omnia omittere esset mortale, cum ipsa pertineant ad reverentiam Sacramento debitam; secus, si aliquod tantum instrumentum omittatur, quia id non videtur esse materia gravis. Baculus autem potest publice exponi, aut ab aliquo Clerico detineri. (*n.* 184. *not.* 1.)

4° *Jejunium.* Ut tam confirmans quam confirmandi jejuni accedant, dicunt communiter DD. non esse de præcepto, sed de consilio, ut expresse adnotatur in Pontificali: »Confirmandi »deberent esse jejuni." Consuetudo jam invaluit ut hoc Sacramentum post prandium etiam conferatur. (*n.* 174. 184. *not.* 4.)

5° *Alapa* super genam, ut confirmatus intelligat se armari ad injurias pro Christo ferendas. Omissio hujus cæremoniæ, secluso contemptu aut scandalo, levis est. Cæremonia cerei non est in Pontificali præscripta, sed solo usu introducta. (*n.* 184. *not.* 2.)

6° *Vitta linea*, quâ caput confirmati ligatur, donec Chrisma desiccetur vel extergatur. Hæc vitta postea non est ad profanos usus adhibenda, propter contactum Chrismatis. Hodie multis in locis hæc cæremonia non amplius est in usu, sed statim post unctionem abstergitur frons confirmati, et sic dimittitur. (*n.* 188.)

7° *Benedictio communis*, quæ ab Episcopo datur in fine, est simplex cæremonia, ut communiter dicunt DD. Unde admonitio, quæ fit, ne confirmati ante benedictionem præfatam discedant, probabiliter non obligat, et praxis est ut confirmati, suscepto Sacramento, discedant, nec Episcopi eos obligant ad exspectandum. (*n.* 188. H. A. *n.* 52.)

8° Denique, Parochus tenetur in librum referre nomina Confirmatorum et patrinorum suæ parochiæ; tum ad sciendam cognationem spiritualem, tum ad sacros Ordines suscipiendos. (*n.* 188.)

ARTICULUS II.

PATRINI.

62. — **Principia.** I. Quemadmodum in Baptismo, ita in Confirmatione sub gravi requiritur patrinus, ut tradunt DD. communiter.

Debet autem esse unus tantum vel una pro singulis confirmandis; nam sic præcipitur in *Cap.* 3. *de cognat. spir. in* 6., et in Pontificali de uno tantum sermo fit; Concilium autem Trid., quamvis duos admittat in Baptismo, pro Con-

firmatione nihil immutavit, proinde juri antiquo standum est. Licite porro posset conferri Confirmatio sine patrino, casu quo is haberi non posset. (*n.* 185.)

II. Ut quis *valide* sit patrinus aut matrina, requiritur 1° ut ipse confirmatus sit, prout statuit Pontificale Rom. et declaravit S. C. C. 13 Jun. 1654; 2° ut sit legitime designatus; 3° ut sub Confirmatione confirmandus ponat pedem suum super pedem dextrum patrini sui: attamen ex recepta consuetudine sufficit quod patrinus vel matrina manum dextram super dextrum humerum confirmandi ponat, quæ consuetudo probata est a S. R. C. 20 Sept. 1749. (*n.* 185. 187. V. d. Burgt. *De matrim. n.* 172. Feye. *De imped. et disp. matr. n.* 411.)

III. Ut quis *licite* sit patrinus, requiritur ut 1° sit distinctus a patrino Baptismi, nisi adsit justa causa in contrarium; 2° sit ejusdem sexûs cum illo, qui confirmatur; 3° non sit Religiosus, nisi pro Religioso proprii Ordinis; 4° neque pater aut mater, maritus aut uxor; 5° non sit excommunicatus, interdictus, vel gravioribus facinoribus alligatus, aut Christianæ fidei rudimentis non edoctus, ut ait Pontificale. (*n.* 185. 187.)

63. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An peccet graviter, qui non confirmatus teneat?*

Resp. Affirm.; quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi, ut tradunt DD. communiter. (*n.* 186.)

QUÆR. 2° *Cuinam competat electio patrini vel matrinæ?*

Resp. Competit parentibus, vel, in eorum defectu, Episcopo, si confirmandus puer sit; si vero adultus sit, ab ipsomet designandus est. (*n.* 185.)

QUÆR. 3° *Quid censendum sit de usu unum tantum pro omnibus masculis, unamque pro omnibus fœminis adhibendi?*

Resp. S. C. C. 14 Jun. et 12 Jul. 1823 resolvit: »Non esse probandum, »sed tolerandum in casu necessitatis ab »Episcopo judicandæ ad formam Ponti»ficalis Romani." Ex Ecclesiæ namque consuetudine confirmandi debent habere singuli singulos patrinos. (Feye. *loc. cit. n.* 419.)

Quando unus et una tantum adhibentur, eorum electio fieri solet a Parocho.

TRACTATUS IV.

DE EUCHARISTIA.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 15.

Quoniam augustissimum Eucharistiæ mysterium simul Sacramentum est et Sacrificium, hanc materiam in duas partes distribuemus; in priori de Eucharistiâ, prout Sacramentum est, disputabimus; in posteriori de Sacrificio Missæ.

PARS PRIMA.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

Tractanda erunt: 1° notio et effectus Eucharistiæ; 2° materia et forma ejus; 3° permansio Christi sub speciebus; 4° minister; 5° subjectum.

CAPUT I.

NOTIO ET EFFECTUS EUCHARISTIÆ.

64. — Eucharistia est Sacramentum Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini, ad spiritualem animæ refectionem. Hoc Sacramentum igitur non constituitur solis speciebus sacramentalibus, sed est compositum ex Corpore Christi et speciebus. (*n.* 189.)

Sub alterutrâ specie totus atque integer Christus verumque Sacramentum sumitur, ac propterea id sufficit ad totum assequendum fructum Sacramenti, ut docet Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 3.

Ex quo nonnulli Theologi deduxerunt totam rationem *specificam* Sacramenti salvari sub alterutrâ specie seorsim sumptâ; contraria tamen sententia videtur probabilior et magis recepta, cum sub una tantum specie, vi verborum et per se, ponatur vel solum Corpus vel solus Sanguis Christi; unde in una specie per se non significatur tota refectio cibi et potûs, in quâ consistit tota ratio specifica Sacramenti. (*n.* 191.)

Inde quoque infertur utramque speciem moraliter constituere *unum* Sacramentum, cum utraque significet unum convivium ex cibo et potu constans. (*n.* 191.)

65. — Effectus Eucharistiæ *in animâ* sunt: 1° *augmentum gratiæ*, ad nutriendam charitatem, perficiendamque unionem cum Christo, ut ipse promisit apud Joan. VI. 57: »Qui manducat »meam carnem, et bibit meum sangui»nem, in me manet et ego in illo." 2° *Animi devotio et charitatis fervor*, cum speciali *spiritus dulcedine*, quemadmodum corporalis cibus oblectat et vires confortat; qui effectus est quidem infallibilis, si non impediatur ex parte subjecti. Consistit autem hæc suavitas in promptitudine voluntatis ad res divinas hilari animo peragendas. 3° *Actuale Dei auxilium ad peccata vitanda*, et tentationes superandas, ut vita gratiæ conservetur. 4° *Remissio peccatorum venialium*, juxta Trid. *sess.* 13. *cap.* 2. quod vocat Sacramentum hoc »antido»tum, quo liberamur a culpis quoti»dianis et a peccatis mortalibus præser»vamur." Confert hunc effectum non immediate, sed mediante actu charitatis, quem excitat. 5° *Dimissio pœnæ temporalis* peccatis debitæ, juxta valorem actuum charitatis, qui hoc Sacramento excitantur. 6° *Adeptio gloriæ;* quia hoc Sacramentum datum specialiter est ad perseverandum in gratiâ, ut in fortitudine hujus cibi pervenire possimus usque ad montem Dei: hunc effectum promisit Christus apud Joan. VI. 59: »Qui manducat hunc panem, vivet in »æternum."

Effectus *in corpore* sunt: 1° *moderatio concupiscentiæ*, fomitisque peccati; hoc enim Sacramentum est antidotum ad præservandum hominem a peccatis mortalibus; unde, cum fomes peccati sit veluti primus fons et origo peccatorum, non potest suavius neque efficacius Sacramentum hoc hominem a peccatis præservare, quam fomitem ipsum mitigando, et ad operandum bonum hominem confortando. 2° *Resurrectio et gloria*, proprio et speciali titulo, scil. propter unionem corporum nostrorum cum vivifica carne Christi, quæ est causa nostræ resurrectionis: hunc effectum promisit Christus apud Joan. VI. 55: »Ego resuscitabo eum in novissimo »die." (*n.* 269.)

CAPUT II.

MATERIA ET FORMA EUCHARISTIÆ.

ARTICULUS I.

MATERIA.

Agemus 1° de materiâ in genere; 2° de materia panis; 3° de materia vini; 4° de conditionibus ex parte materiæ necessariis Consecrationi.

§ 1. *Materia in genere.*

66. — Materia remota, ex quâ conficitur Corpus et Sanguis Christi, sunt panis et vinum. De fide est, tum ex institutione Christi, tum ex definitione Conciliorum Florent. in decreto Eugenii, Lateran. IV. in *cap. Firmiter.* et Trid. *sess.* 13.

QUÆR. 1° *An Consecratio utriusque materiæ panis et vini sit de necessitate Sacramenti, vel præcepti tantum?*

Resp. 1° Quoad necessitatem Sacramenti, nemo dubitat quin valida sit Consecratio unius materiæ sine alterâ, si id *casu* accidat.

Quod si ex *positiva voluntate* fieret, negant Lugo et Renzi valere Consecrationem; quia Christus non dedit Sacerdotibus potestatem consecrandi, nisi per modum Sacrificii, ut patet ex institutione Christi, et ex forma Ordinationis: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium;* atqui ad essentiam Sacrificii pertinet utriusque materiæ Consecratio, ut infra probabitur n. 109. qu. 2.; ergo requiritur in ministro intentio sacrificandi. Hæc sententia non videtur improbabilis.

Atvero communiter et valde probabi-

liter affirmant DD. cum D. Thoma;[1] quia 1° in omni Sacramento, quandocumque minister profert formam super materiâ cum debitâ intentione, perficit Sacramentum. 2° Confectio Sacramenti non pendet ex futuro eventu; atqui panis consecratur prius quam vinum; ergo præsentia Corporis Christi sub specie panis non pendet ex futurâ præsentiâ Sanguinis sub specie vini; proinde quâcumque ratione, sive casu sive ex industriâ, una materia sine altera consecratur, valebit Consecratio. — Nec obstat ratio Lugonis; tum quia in omni Sacramento sufficit intentio efficiendi id quod verba significant; tum quia gratis asseritur intentionem totum peragendi ad singularum partium validam confectionem requiri.

2° Quoad necessitatem præcepti, certum est requiri Consecrationem utriusque materiæ, adeo quidem, ut nullo in casu, ne ad dandum quidem Viaticum moribundo, fas sit consecrare unam materiam. Ratio est, quia non licet mutilare Sacrificium, et usus Ecclesiæ hoc satis probat. (*n.* 196. Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 83.)

Quær. 2° *An præceptum istud sit divinum vel ecclesiasticum?*

Resp. Omnino tenendum cum communi DD. esse divinum; quod probatur exemplo Christi cum verbis adjunctis: »Hoc facite in meam commemorationem;" quæ verba sic interpretatur Trid. *sess.* 22. *cap.* 1.: »Christus Corpus suum »et Sanguinem sub speciebus panis et »vini Deo Patri obtulit; ac sub earum»dem rerum symbolis, Apostolis, quos »tunc Novi Testamenti Sacerdotes con»stituebat, ut sumerent tradidit, et eisdem »eorumque in Sacerdotio successoribus, »ut offerrent præcepit per hæc verba: »*Hoc facite in meam commemoratio*»*nem*, uti semper Catholica Ecclesia »intellexit et docuit." (*n.* 196.)

Quær. 3° *An Pontifex possit in hoc præcepto dispensare?*

Resp. Affirmant plures; quia juxta Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. potest Ecclesia in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, statuere vel mutare.

Negant vero communiter; tum quia non potest Ecclesia divinam institutionem mutare in modo conficiendi Sacramenta et offerendi Deo Sacrificium; tum quia improbabile non est non fieri Sacramentum extra Sacrificium; quare prima sententia nequit in praxim deduci, nec unquam Ecclesia in hoc præcepto dispensavit aut dispensabit. (*n.* 196.)

[1] 4 Sent. dist. 11. qu. 2. art. 1. sol. 1. ad 4.

§ II. *Materia panis.*

67. — **Principia.** I. Solus panis triticeus est sufficiens materia, ita ut in alio non perficiatur Consecratio. Constat ex perpetuâ traditione; ex Decreto Eugenii IV dicente: »Cujus materia est panis tri»ticeus", et ex Missali Rom. *de defect. tit.* 3.: »Si panis non sit triticeus, non »conficitur Sacramentum." (*n.* 198.)

Perinde est, sive panis sit azymus sive fermentatus; Latini tamen tenentur ex præcepto uti azymo, Græci fermentato; quod præceptum sub gravi obligat. Constat ex Decreto ad Armenos. (*n.* 202.)

II. De necessitate hujus materiæ est, ut panis sit 1° ex farinâ triticeâ et solâ naturali aquâ subactus; 2° solo igne coctus; 3° non corruptus. Ratio, quia materia hujus Sacramenti est panis triticeus purus et usualis. (*n.* 198.)

68. — **Resolutiones.** 1° Triticum non sunt secale, hordeum, avena, panicum, maizium, oriza, milium, et similia grana; quibus homines non utuntur ad conficiendum panem usualem, nisi ob defectum tritici. (*n.* 199.)

2° Dubium est an triticum sint spelta, far, siligo; quapropter in praxi nunquam licet illis uti pro conficiendo Sacramento. (*n.* 200.)

3° Num valida sit materia, si pani triticeo commixta sint alia frumenta, distinctione opus est: si modica sit admixtio alterius frumenti ad multo majorem quantitatem tritici, erit valida, quamvis graviter illicita. Si vero magna sit admixtio, puta æqualis vel fere æqualis, non erit valida. Idem dicendum de admixtione alterius liquoris, v. g. aquæ rosaceæ. (*n.* 201.)

4° Non est materia apta panis subactus lacte, ovis, oleo, vel butyro; nisi forte exigua horum quantitas sinat aquæ naturalis in formandâ massâ potissimas esse partes. Neque idonea materia est cruda farinæ massa, vel non cocta ad modum panis, sed frixa vel elixa. (*n.* 199).

5° Panis aliquantulum mucidus est quidem valida materia, sed graviter illicita. (*n.* 201.)

6° Ad figuram panis quod attinet, hostia debet esse orbicularis in Ecclesiâ Latinâ, integra, et major pro Sacerdote celebrante; soletque in hâc signum crucis imprimi, ut constans fuit Ecclesiæ consuetudo.

Porro a) secluso scandalo, est solum veniale sine rationabili causâ consecrare hostiam fractam vel maculatam; nisi tamen fractura vel macula esset enormis, quo casu foret mortale: nihilominus, si deprehendatur post oblationem, licite consecrabitur, secluso scandalo populi. b) Si major hostia desit, probabiliter potest Sacerdos, etiam solius devotionis causâ, celebrare cum hostia minori, modo absit populi scandalum, quod præcaveri potest monendo populum de defectu hostiæ majoris. (*n.* 204. 205. *Exam. Ordin. n.* 97.)

69. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An in casu necessitatis, ad præbendum Viaticum infirmo, possit Sacerdos Latinus consecrare in fermentato?*

Resp. Negat communis et probabilior sententia, contra paucos; quia in hoc casu præferendæ sunt reverentia erga tantum Sacramentum et Ecclesiæ consuetudo utilitati proximi, cui hoc Sacramentum non est absolute necessarium. (*n.* 203.)

Quær. 2° *An Latinus Sacerdos in Græciâ possit celebrare in fermentato, et Græcus in Latina Ecclesia in azymo?*

Resp. Dist. 1° Si ibi inveniat ecclesiam sui ritûs, servare debet suæ Ecclesiæ consuetudinem. *Ita omnes.*

2° Si celebret in ecclesiâ alieni ritûs, potest celebrare pro libitu sive in fermentato, sive in azymo; quia transiens per locum aliquem bene facit propriam illius loci consuetudinem servando; non tamen ad id tenetur. *Ita communiter.* (*n.* 203.)

§ III. *Materia vini.*

70. — **Principia.** I. Materia necessaria, sine quâ Sanguis Christi confici nequit, est vinum vitis. Probatur exemplo Christi, qui in hoc vino consecravit, ut patet ex verbis ejus apud Matth. XXVI. 29: »Non bibam amodo ex hoc genimine »vitis;" et ex Decreto Eugenii IV dicente: »Cujus materia est... vinum de »vite." (*n.* 206.)

II. Ut succus uvarum sit sufficiens materia, necessarium est ut sit 1° maturus; 2° ex uvis expressus; 3° incorruptus. Ratio est, quia hæc sunt necessaria ut sit vinum. (*n.* 206. 207.)

III. Ex præcepto Ecclesiæ, non necessitate Sacramenti, vino miscenda est aqua in modica quantitate. Constat ex Decreto Eugenii: »Aqua modicissima »admisceri debet;" deinde id vocat »Ro»manæ Ecclesiæ rationabilem observan»tiam;" item ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 7. monente: »Præceptum esse ab Ecclesia »Sacerdotibus, ut aquam vino in calice »offerendo miscerent: tum quod Christum »Dominum ita fecisse credatur, tum »etiam quia e latere ejus aqua simul »cum sanguine exierit." — Præceptum hoc obligat sub gravi, ut declarat Missale Rom. *de defect. tit.* 4. *n.* 2. (*n.* 208. *Exam. Ordin. n.* 98.)

71. — **Resolutiones.** 1° Non est materia valida a) agresta, i. e. succus ex uvis immaturis; b) succus intra uvas contentus; c) sapa, seu defrutum, i. e. mustum ad dimidiam vel tertiam partem decoctum, utpote cibus evasit; d) lora, i. e. aqua expressis acinis superfusa; e) acetum; f) vappa, i. e. vinum evanidum. (*n.* 206. *Exam. Ord. n.* 98.)

2° Valida, sed illicita materia est: a) mustum, i. e. vinum ex uvis maturis recens expressum; quia in substantia est vinum, licet non perfectum, nec purum, utpote nondum concoctum et a fæce secretum; b) vinum acescens; c) vinum congelatum; d) vinum alio liquore vel aromate modice commixtum; secus, si immodica sit commixtio, ita ut vinum corrumpatur. (*n.* 207. Missal. *de defect. tit.* 4. *n.* 2.)

3° Majores nostri vinum optimum pro Sacrificio Missæ seligebant, quemadmodum ex Innoc. III apparet: »Diligenti »studio, inquit, vinum optimum quæren»dum est." Imo, abusum omnino non ferendum vocat Bened. XIV, si ad Missam deterius adhibeatur vinum, quam quod ad profanas mensas adhibetur.[1] Caput tamen rei est ut vinum genuinum habeatur, cui negotio nostro tempore magnâ cautelâ opus est. Perinde porro est sive album sive rubrum sit vinum; quam-

[1] Instit. 77. — De Sacrif. Miss. *sect.* 2. *n.* 81.

quam propter linteorum munditiam album adhiberi solet. (*n.* 207.)

72. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An apta materia sit vinum ex uvis passis expressum?*

Resp. Affirm., »dummodo ex colore, »odore, et gustu dignoscatur esse verum »vinum." Licet etiam cum eo celebrare in illis regionibus, in quibus magna est vini penuria. Ita declaravit S. C. S. Off. 22 Jul. 1706. (*n.* 206.)

QUÆR. 2° *An vinum congelatum sit materia valida?*

Resp. Quidam negant; quia non habet rationem potûs. Sententia tamen verior, (imo vera), affirmat; tum quia per se est potabile, tum quia per congelationem non amittit naturam vini, cum post liquefactionem maneat vinum, sicut antea. Id luculenter confirmatur ex Missali Rom. *de defect. tit.* 10. *n.* 11., præcipiente species Sanguinis congelatas liquefieri et sumi a Sacerdote ut consecratas; quod supponit congelatione minime corrumpi species vini, alias ibi desineret esse Sanguis Christi.

Ex dictis infertur, quod si vinum congelatum ante Consecrationem liquefiat, licite possit consecrari. Et casu, quo Sacerdos illicite consecrasset vinum congelatum, tenendum est pro vere consecrato, nec licite posset alterum vinum consecrare; quia videtur prima sententia nullâ pollere solidâ probabilitate. (*n.* 207.)

QUÆR. 3° *An peccet mortaliter Sacerdos, qui consecrat vinum acescens?*

Resp. Affirm., ut constat ex Missali *de defect. tit* 4. *n.* 2. ubi dicitur: »Si »vinum cæperit acescere, vel corrumpi, »vel fuerit aliquantulum acre... conficitur »Sacramentum, sed conficiens graviter »peccat", nimirum ob irreverentiam erga Sacramentum. Nihilominus, deficiente alio vino, licet uti vino subacidulo; quia Rubrica non videtur accipienda cum tanto rigore, ut comprehendat omnes etiam primos gradus acrimoniæ, sed tantum illos, qui jam proxime incipiunt constituere vinum in statu corruptionis. Præterea tradit Bened. XIV [1]: »Ille Sa»cerdos culpâ immunis et vacuus decla»ratur, qui Sacrum facere debeat, nec »tamen commutandi vini potestatem ha»beat, quod Regularibus contingit. Tunc »enim (nisi vinum corruptum penitus »fuerit, sed acescere solum incæperit) in »Præsides omnis culpa confertur, aut in »ministros, qui vinum pro Missæ Sacri»ficio suppeditare tenebantur."

Tandem, si post Consecrationem Sacerdos prudenter dubitet an vinum fuerit verum acetum, tenetur consecrare aliud vinum sub conditione, nempe si prior materia non fuerit consecrata; præceptum enim faciendi Sacrificium integrum prohibet ne illud exponatur periculo mutilationis. Dico: *sub conditione;* quia alias esset periculum mutilandi secundum Sacrificium, si forte prior materia fuerit apta. (*n.* 207.206.)

QUÆR. 4° *Quid agere debeat Sacerdos, si in Missâ advertat vinum non esse in calice, sed aquam vel vinum corruptum?*

Resp. Dist. 1° Si ante vel post Consecrationem vini id percipiat, debet, depositâ inhabili materiâ in aliquod vas, statim ponere vinum cum aquâ in calice, et, factâ oblatione saltem mente conceptâ, consecrare, incipiendo a verbis: *Simili modo* etc.

2° Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi inhabilis materiæ, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aquâ in calice, offerat utrumque, et consecret incipiendo a verbis: *Qui pridie*, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsunt, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aquâ, et, factâ oblatione ut supra, consecrare ac statim sumere, et prosequi cætera. Ita Missale. *de defect. tit.* 4. et *tit.* 3. *n.* 4.

Hoc ultimum faciendum est *sub conditione*, si adsit prudens *dubium* de vini materiâ.

Advertendum, quod si Sacerdos deprehendat se sumpsisse aquam vel vinum corruptum, dum habet in ore, non debet exspuere, ob periculum ejiciendi particulam hostiæ, et ob indecentiam; sed deglutire, ut recte dicunt Lugo, Concin. Tambur. (*n.* 288.)

QUÆR. 5° *Quid facto opus sit, si Sanguis extra calicem diffundatur?*

Resp. De hujusmodi defectu, sicut et de multis aliis, diligenter consulat Sacerdos Missale Rom. *de defect. tit.* 10. necnon cæteros titulos, ubi quid agendum sit accurate exponitur; quare supervacaneum ducimus et nimis longum, ea omnia hic exscribere.

[1] Instit. 77. n. 2.

QUÆR. 6° *Quænam quantitas aquæ sit in calice miscenda, et quæ aliæ circumstantiæ in hâc mixtione servandæ sint?*

Resp. 1° Quoad quantitatem, sufficit una gutta. Probabiliter potest infundi usque ad octavam, imo ad quintam partem vini, ut dicunt DD. Aliqui censent sufficere quod aqua non excedat tertiam partem; idque videtur probari ex *Cap.* 13. *de cel. Miss.* ubi Honorius III decernit: »Plus de vino, quam de aquâ »ponendum," et in Concilio Triburiensi dictum fuit: »Duæ sint partes vini, »tertia aquæ". Verumtamen in praxi hanc opinionem nonnulli DD. non admittunt, nisi vinum sit generosum. Consultum porro est, ut sacerdos non excedat octo vel decem guttas. (*n.* 210. *Exam. Ord. n.* 98.)

2° Quoad alias circumstantias: a) aqua debet esse naturalis; b) circa tempus et ministrum mixtionis servandæ sunt rubricæ Missalis, quæ eas circumstantias præscribunt; c) si omissa fuerit aquæ mixtio, et ante Consecrationem advertatur, statim facienda est; si vero facta jam sit Consecratio calicis, omittenda est, ut præscribit Missale *de defect. tit.* 4. *n.* 7. (*n.* 208.)

§ IV. *Conditiones ex parte materiæ necessariæ Consecrationi.*

73. — **Principia.** I. Ad *validam* Consecrationem requiritur, ut materia sit 1° moraliter et sensibiliter præsens Sacerdoti consecranti; quia pronomina *hoc* et *hic*, posita in formâ, designant rem aliquo modo præsentem sensibus; 2° certa, in individuo determinata per intentionem consecrantis; quia actiones circa particularia versantur; unde, nisi in particulari definiatur materia, nihil est quod consecrari possit. (*n.* 211. 214.)

Moralis porro præsentia expostulat ut materia sit a) aliquo modo coram Sacerdote, non omnino a tergo; b) non nimis distans, etiamsi oculis videri possit. Ratio, quia secus non potest proprie designari pronomine *hoc* et *hic*. (*n.* 213.)

II. Ad *licitam* Consecrationem requiritur: 1° ut fiat celebrando Missam secundum modum et ritum ab Ecclesiâ præscriptum in Missali Rom.; 2° ut non consecretur major quantitas hostiarum, quam tempore opportuno possit absumi; ob periculum corruptionis specierum. (*n.* 218.)

74. — **Resolutiones.** 1° Potest consecrari materia, quæ nullo sensu percipitur; sic cæcus potest consecrare panem, etiamsi non tangat vel olfaciat illum, si ex relatione alterius certificetur de præsentiâ materiæ. Similiter hostiæ consecrantur in vase cooperto. Quapropter inepta est praxis eorum Sacerdotum, qui, dum consecrant, os proxime admovent, calicem versus se inclinant ut halitum in calicem inspirent, vinumque sono verborum feriant. (*n.* 212.)

2° Invalide consecratur materia clausa in tabernaculo; quia moraliter censetur abesse. Item materia tam parva ut sensu percipi nequat; quia Sacramentum debet esse signum sensibile: quod intellige de materia separata, nam in toto etiam minimæ partes consecrantur, ut constat ex Trid. *sess.* 13. *can.* 3. (*n.* 213.)

3° Si Sacerdos habet coram se v. g. undecim hostias, et intendit consecrare decem tantum, non determinans quasnam decem intendat, nullæ consecrantur. Contra, si putans esse decem, quæ undecim sunt, consecrare intendit materiam omnem, quæ sibi præsens est, omnes erunt consecratæ. Quamobrem Sacerdos semper debet intentionem habere consecrandi omnes hostias, quas coram se habet. Ita Missale *de defect. tit.* 7. *n.* 1. (*n.* 214. 216.)

4° Similiter, cum Sacerdos inscius duas consecrat hostias simul junctas, putans se unam tantum consecrare, si quidem eam intentionem habeat, quam habere debet, consecrandi quidquid habet in manibus, ambas consecrat, ut docet Missale *loc. cit.* *n.* 2. Quodsi ante Consecrationem, postquam obtulit, advertit, alteram seponere debet, et post Missam ipse vel alius sumere tamquam panem benedictum. (*n.* 216.)

5° Quando Sacerdos hostias consecrandas ad altare detulit, aut advertit ab alio afferri, vel ante Sacrificium monitus fuit de consecrandis in altari jam positis, valide eæ consecrantur, si positæ sint in corporali, et illas jam intenderit consecrare, tametsi pyxidem postea non aperuerit ante oblationem et Consecrationem, neque actu de illis cogitaverit quando verba Consecrationis protulit. Ratio, quia intentio præcedens virtualiter perseverat. (*n.* 216.)

6º Non consecratur hostia, inscio Sacerdote, etiam in corporali posita; quia nullam intentionem habuit illam consecrandi. Similiter non consecrantur guttæ vini, quæ exterius calici adhærent. (*n.* 215.)

7º Hostiæ, quæ in Missâ consecrandæ sunt ut populo distribuantur, ponendæ sunt vel super corporale, vel in pyxide, vel super patenam, quæ locanda est etiam super corporale, et Sacerdos intendere debet eas hostias offerre, et consecrare; pyxis deinde oblationis et Consecrationis tempore aperienda est. Ita Missale. *Rit. Miss. tit.* 2. *n.* 3. *tit.* 7. *n.* 3.

Illicite proinde consecraret, qui pyxidem non aperiret, vel consecraret materiam positam extra corporale super sacram petram extensum. Similiter illicite consecraret Sacerdos guttas calici adhærentes exterius. (*n.* 219.)

8º Si parvæ hostiæ pro communicando populo afferantur Sacerdoti paulo post factam oblationem, licite consecrantur, suppletâ oblatione saltem mentaliter. (*n.* 217.)

9º Hostiæ consecrandæ debent esse recentes, puta non ultra quindecim dies, vel ad summum ultra mensem confectæ. Consuetudo consecrandi hostias a tribus, imo a sex mensibus confectas, a gravi peccato excusari nequit.

75. — **Quæstiones.** QUÆR. 1º *An censendum sit consecratum ciborium ex oblivione extra corporale relictum?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis affirmat; quia voluntas consecrandi jam adfuit, et non est revocata; etsi enim illicita esset intentio consecrandi materiam, quam Sacerdos *novit* esse extra corporale, non tamen illicita est intentio consecrandi materiam omnem quæ præsens est, etiamsi incaute in eo loco posita non fuerit, quo eam locatam esse oportuit. Ita Tanner, Præpos. Leand. Hurtad. Gamach. etc.

2ª Sententia communis et probabilior negat; quia, cum intentio consecrandi extra corporale sit graviter illicita, præsumitur Sacerdos eam non habuisse. Ita Suar. Less. Pal. Dian. Croix, Salm. etc. — Quapropter, cum res sit dubia, rationabiliter ait Bened. XIV ciborium denuo consecrandum esse sub conditione in aliâ Missâ; vel, si paucæ essent particulæ, sumendæ sunt post Communionem Sanguinis. Confer infra n. 79. qu. 2. (*n.* 217. *Exam. Ord. n.* 99.) — Potest interim Sacerdos hujusmodi dubia præcavere, formaliter intendendo non consecrare materiam, quæ extra corporale exsistit.

QUÆR. 2º *An censeantur consecratæ guttæ vini, quæ sunt intra calicem separatæ, quando Sacerdos nihil circa eas expresse intenderat?*

Resp. Controv. Alii negant; alii affirmant; alii denique distinguunt inter guttas propinquas fundo et remotas. — Itaque Sacerdos vel intendere debet consecrare illud solum vinum, quod per modum unius continui intra calicem exsistit, excludendo guttas separatas, ne opus sit de illis sollicitum esse; vel, si velit eas consecrare, præstat ut id intendat tantum de guttis proximis fundo, non vero de remotis. Similiter expedit consecrare micas adhærentes hostiis, non autem separatas in patenâ vel corporali; neque obstat quod eas sumendo lædatur jejunium, nam magis videtur tunc præcavenda irreverentia Sacramenti, quam læsio jejunii. Si vero micæ sint in ciborio, eas etiam intendat consecrare, cum absit periculum eas perdendi. (*n.* 215. *Exam. Ord. n.* 99.)

QUÆR. 3º *An liceat Sacerdoti consecrare hostias sibi allatas incæpto jam Canone Missæ?*

Resp. Dist. 1º Si *unus* tantum communicandus esset, non licet; eo enim casu detrahi potest particula ex Hostiâ Missæ, et dari illi: pro quo sufficiens causa erit, si communicaturus diu exspectare deberet Communionem. 2º Licet autem, si *plures* parati ad recipiendam Eucharistiam Communione carere deberent: hoc casu oblatio mentaliter facienda est, ne ordo Canonis interrumpatur. Ita Croix, Tambur. Gobat, Quarti, Burgh. Diana, etc. (*n.* 217.) Negat tamen Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 158., asseritque communiter id negari.

ARTICULUS II.

FORMA EUCHARISTIÆ.

76. — Forma hujus Sacramenti, docet Eugenius IV in Decreto ad Armenos, sunt verba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum; Sacerdos enim in personâ Christi loquens hoc conficit Sacramentum.

Forma Consecrationis panis sunt hæc verba: *Hoc est enim corpus meum.* Forma Consecrationis vini: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi et æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Constat ex Evangeliis, et constanti Ecclesiæ traditione.

Notandum est: 1º Particula *enim* non est de essentiâ formæ, ut omnes docent. Ejus omissio, si ex negligentiâ aut incuriâ procedat, nonnisi venialis est; sin autem ex proposito fiat, non improbabiliter mortalis censetur, tum quia in re tam gravi non videtur levis materia quæcumque levis mutatio deliberate facta, tum quia id vix fieri potest sine contemptu, cum nulla sit causa omittendi. Ita Suar. Coninc. Salm. Ronc. Concin. (*n.* 220.)

2º Verba Consecrationis proferenda sunt cum intentione saltem implicita et virtuali efficiendi id quod significant, seu faciendi quod facit Ecclesia; quam intentionem quisque Sacerdos habere solet. Præterea, cum Sacerdos formam hujus Sacramenti proferat ex persona ipsius Christi loquentis, caveat scrupulosus Sacerdos ne interrumpendo, repetendo, caput agitando, Christum repræsentet ridicule loquentem, pios assistentes affligat, rudiores scandalizet, et actionem gravissimam contemptui exponat.

77. — **Quæstiones.** QUÆR. 1º *An verba antecedentia formam, nempe:* QUI PRIDIE *etc. et* SIMILI MODO *etc. sint de necessitate Sacramenti?*

Resp. Nonnulli cum Scoto affirmant; quia, nisi minister illa verba præmittat, non poterit constare an in propriâ vel Christi personâ loquatur. Communis vero et probabilissima seu moraliter certa sententia negat. Probatur 1º ex Decreto Eugenii IV, ubi dicitur Sacramentum confici verbis Christi; memorata autem verba non sunt Christi, sed Evangelistæ. 2º Quod Sacerdos loquatur in personâ Christi; non pendet ex antecedentibus verbis, sed ex intentione ejus. 3º Ex eodem decreto sola verba Christi sunt forma Sacramenti; at, si præcedentia verba concurrerent efficaciter ad Consecrationem, essent pars formæ; hoc autem est contra Decretum Eugenii et Missale Rom. *de defect. tit.* 5. 4º Missale *loc. cit. n.* 2. docet sola verba formæ, si omissa fuerint, esse resumenda; atqui verba historica ad formam non pertinent, ut patet ex *n.* 1. *loc. cit.*; ergo. — Non obstat a) verba antecedentia: *Accipite et comedite* esse verba Christi; quia, inquit D. Thomas, hæc verba non significant aliquid intrinsecum vel essentiale huic Sacramento, sed aliquid posterius et extrinsecum, i. e. non significant Consecrationem et præsentiam Christi, sed usum et distributionem, quæ non est de necessitate hujus Sacramenti. Neque obstat b) quod Rubrica *de defect. tit.* 3. 4. *et* 10. quoties forma repetenda est propter dubium, toties præcipiat ut Sacerdos incipiat a verbis: *Qui pridie* et *Simili modo;* cum, attentis *titulo* 5 et præscripto repetendi etiam oblationem, de solo præcepto intelligenda sint. (*n.* 222.)

QUÆR. 2º *An in Consecratione calicis sola verba:* HIC EST CALIX SANGUINIS MEI, *vel:* HIC EST SANGUIS MEUS *sint de essentia?*

Resp. Est duplex sententia probabilis. 1º Sententia negat, dicens omnia verba sequentia: *Novi et æterni testamenti* etc. ad essentiam pertinere; tum quia in Missali Rom. *de defect. tit.* 5. omnia dicuntur forma hujus Sacramenti, additurque: »Si quis autem aliquid di»minueret..... de formâ Consecrationis »Corporis et Sanguinis.... non conficeret »Sacramentum;" tum quia Eucharistia non solum est instituta ad significandum Corpus et Sanguinem Christi per modum cibi et potus, sed etiam ad designandam virtutem Sanguinis effusi in Passione, remissionem scil. peccatorum; ergo verba sequentia, quæ hanc exprimunt virtutem, ad essentiam formæ pertinent. Ita S. Thom.[1] S. Antonin. Sylvest. Palud. Hurtad. Gonet, Salm. etc. — Censent tamen Salmant. non omnia verba subsequentia esse essentialia; nam verba *æterni* et *mysterium fidei* in aliis virtualiter includuntur.

2ª Sententia communior affirmat; probatur a) quia S. Paulus I Cor. XI. 25. ea verba omittit; credibile autem non est Apostolum non retulisse omnia verba essentialia ad Consecrationem; b) quia verba sacramentalia efficiunt quod significant; sed sola verba: *Hic est calix Sanguinis mei*, vel: *Hic est Sanguis*

[1] 3. qu. 78. art. 3. — 4 Sent. dist. 8. qu. 2. art. 2. qu. 1. ad 3. — In I Corinth. cap. 11. lect. 6. *v. Sed circa.*

meus, significant conversionem Sanguinis; ergo illam efficiunt. Ita S. Bonav. Scot. Suar. Lugo, Bellarm. Spor. Soto, Contens. Concin. etc.

In praxi sub gravi peccato sequenda est prima sententia; et, si forte Sacerdos prima tantum verba dixisset, deberet sub conditione integram repetere formam, quemadmodum præscribit Missale *de defect. tit.* 10. *n.* 3. (*n.* 223.)

QUÆR. 3° *An valeat forma, si dicatur:* HOC ENIM CORPUS MEUM, *subintelligendo verbum* EST, *ut in linguâ latinâ frequenter fieri solet?*

Resp. Negat.; quando enim verbum *est* salvo sensu omittitur, clarius subintelligitur ex aliis adjunctis; hic vero desunt alia adjuncta, quæ denotent subaudiri verbum *est*. Præterea ea forma favet hæreticis dicentibus Christum esse hic tantum in usu. *Ita communiter.* (*n.* 223.)

QUÆR. 4° *Quid faciendum Sacerdoti, si ob distractionem non recordetur se omnia dixisse verba Consecrationis?*

Resp. Observet quod tradit Missale *de defect. tit.* 5. *n.* 2.: »Si celebrans »non recordetur se dixisse ea, quæ in »Consecratione communiter dicuntur, »non debet propterea turbari. Si tamen »certo ei constet se omisisse aliquid »eorum, quæ sunt de necessitate Sacra»menti, i. e. formam Consecrationis, seu »partem ejus, resumat ipsam formam, »et cætera prosequatur per ordinem. »Si vero valde probabiliter dubitat se »aliquid essentiale omisisse, iteret for»mam, saltem sub tacitâ conditione. Si »autem non sunt de necessitate Sacra»menti, non resumat, sed procedat ul»terius." (*n.* 224.)

CAPUT III.

PERMANSIO CHRISTI SUB SPECIEBUS.

78. — Tamdiu conservatur Christus præsens sub speciebus, quamdiu species permanent integræ, ita ut sub eis posset substantia panis vel vini conservari: desinit sub eis esse Christus, quando in eis facta est alteratio seu corruptio sufficiens ad panis vel vini corruptionem si eis subesset. In hoc posteriori casu, ex voluntate divinâ, ad occultandum fidei mysterium et supplendum naturæ defectum, Christo recedenti ab speciebus succedit ea substantia, quæ pani et vino, dum corrumpuntur, succedit. (*n.* 225. Suar. *disp.* 46. *sect.* 8. *disp.* 54. *sect.* 2 *et* 3.)

79. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Infra quantum tempus species corrumpantur in stomacho?*

Resp. Id potissimum a diversa diversorum hominum virtute digestivâ dependet. Cæterum, generaliter loquendo, refert Lugo plures medicos a se Romæ consultos putasse in laicis species intra minutum corrumpi, in Sacerdote intra semiquadrantem. Alii censent intra quinque minuta. Saltem post quadrantem a Communione species consumi in hominibus sanis, etiam in Sacerdotibus, tamquam certum habent Lugo et Croix. (*n.* 225). Cum ergo juxta plures tam celeriter corrumpantur species, non nimis parvæ nec tenues sint hostiæ, ne communicantes vix exiguo tempore Christi præsentiâ fruantur.

QUÆR. 2° *Si qua gutta vini consecrati misceatur cum vino non consecrato, prout fit in purificatione calicis post Communionem Missæ, an ibi maneat Sanguis Christi?*

Resp. Controv. Alii affirmant; quia per illam commixtionem species consecratæ non desinunt esse eædem numero, licet in plures particulas separatæ. Ita Lugo. *disp.* 10. *n.* 41. asseritque esse sententiam communem.

Alii negant; quia ejusmodi admixtione species sacramentales non manent separatæ, sed individuantur a vino copiosiori. Ita S. Thomas. 3. *qu.* 77. *a.* 8. cum aliis; et sic quoque censent Physici, quos consului; quare hæc sententia certe probabilior est. Cf. S. Alph. *n.* 229.

QUÆR. 3° *Quando recipiatur gratia in Eucharistia?*

Resp. In prima manducatione, i. e. in trajectione ex ore in stomachum; quia tunc totum recipitur Sacramentum.

Inde sequitur: 1° Species non esse tamdiu in ore retinendas, donec pereant; quia tunc non manducaretur Christus, nec gratia Sacramenti conferretur; uti nec etiam, si quis moriatur, dum Hostia adhuc est in ore. (*n.* 226.)

2° Si Sacerdos Hostiam sumpsisset indispositus, et deinde se disponeret, acciperet gratiam in sumptione Sanguinis. Utrum idipsum contingat, si quis se disponeret antequam species consumantur in stomacho, controvertitur. (*n.* 227.)

3° Eucharistia probabiliter auget gratiam toto tempore, quo in stomacho Christus sub speciebus perseverat, dummodo augeatur dispositio subjecti; quia Eucharistia producit gratiam ad modum cibi nutrientis; quare, sicut cibus toto tempore, quo in stomacho manet, corpus nutrit, ita Eucharistia. *Ita communiter, contra paucos.* Quamobrem non est carpenda Sacerdotis devotio, qui multum materiæ sumit ad Consecrationem, eâ mente, ut diutius secum Christus maneat, et sæpius gratiam augeat: attamen Innoc. XI damnavit abusum tradendi communicantibus plures particulas simul, vel solito grandiores. (*n.* 228.)

CAPUT IV.

MINISTER EUCHARISTIÆ.

Expendenda sunt: 1° penes quos sit potestas ministrandi Eucharistiam; 2° quæ requisita sint ex parte ministri ad licitam administrationem; 3° obligatio administrandi eam; 4° asservatio Eucharistiæ. De obligatione ministrandi Eucharistiam satis actum est n. 22. et lib. V. n. 77. et 80., quare hoc loco eam prætermittimus.

ARTICULUS I.

POTESTAS MINISTRANDI EUCHARISTIAM.

80. — Minister Eucharistiæ duplex distinguitur, nempe minister *Consecrationis* et minister *dispensationis*.

Principia. I. Sacerdotes soli Eucharistiæ consecrandæ ministri sunt. Est de fide, juxta Decretum Eugenii IV, Conc. Later. IV. *cap. Firmiter.* Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *et can.* 2. (*n.* 231.)

II. Minister Eucharistiæ dispensandæ *ordinarius* jure divino est solus Sacerdos: *extraordinarius* vero Diaconus, scil. in necessitate ex Sacerdotis commissione. Prius constat ex primo principio, et Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. ubi ex traditione Apostolicâ descendere dicit, »ut laici a »Sacerdotibus Communionem accipe»rent:" posterius ex traditione et praxi Ecclesiæ patet. (*n.* 230. 237.)

In primitivâ Ecclesiâ facile concedebatur Diaconis Dominici Sanguinis dispensatio, quippe qui tangi non debet.

81. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An plures Sacerdotes possint consecrare simul eamdem materiam?*

Resp. Affirm., si in eodem instante formam absolvant; et hanc consuetudinem servat Ecclesia in Sacerdotum et Episcoporum Ordinatione. E converso, si unus eorum ante alios formam compleat, cum intentione consecrandi independente ab aliis, is solus conficit Sacramentum, ita ut alii frustra formam postea absolvant. Hinc Sacerdotes noviter ordinati, qui cum Episcopo ordinante concelebrant, primo curare debent, quoad fieri potest, simul cum Episcopo formam Consecrationis absolvere: deinde habere debent intentionem consecrandi conditionatam, scil. tum solum, si eodem tempore cum Episcopo formam absolvant. (*n.* 232. *Exam. Ordin. n.* 123. Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 141. 142.)

QUÆR. 2° *An, ut Diacono committi possit Eucharistiæ dispensatio, necessitas debeat esse extrema?*

Resp. Negat., sed sufficit gravis, nempe cum nullus adest Sacerdos, qui commode possit eam ministrare. *Ita communiter.*

In necessitate extremâ, absente Sacerdote, Diaconus poterit et tenebitur Viaticum ministrare, etiam sine commissione. Diaconus porro, dum Eucharistiam ministrat, debet esse indutus superpelliceo et stolâ transversâ. (*n.* 237.)

QUÆR. 3° *An inferior Diacono, Clericus aut etiam laicus, unquam possit Eucharistiam ministrare?*

Resp. Controv. Alii negant; quia hoc Sacramentum non est saluti necessarium. Ita Lugo, Collet, Bonac. Salm. Concin. etc.

Alii affirmant, in casu extremæ necessitatis, ne proximus sine Viatico moriatur; tum quia nulla fit Sacramento injuria, si, urgente præcepto divino Viatici, id fiat; tum quia in primitivâ Ecclesiâ fideles solebant hoc Sacramentum manibus accipere, imo in suas domos deferre et sibimet ministrare. Ita Suar. Cajet. Filliuc. Valent. Escob. etc. (*n.* 237.)

QUÆR. 4° *An Sacerdos, extra mortis periculum, possit sibi ipsi ministrare Communionem?*

Resp. Probabiliter *affirm.*, solius devotionis causâ, si desit alius Sacerdos,

absitque scandalum; quia nihil repugnat quod Sacerdos sibi sumat hunc cœlestem cibum, nec ullibi est vetitum. Ita Suar. Lugo, Bonac Croix, Ronc. Salm. Sylv. etc. (*n.* 238. H. A. *n.* 11.)

ARTICULUS II.

REQUISITA AD LICITAM ADMINISTRATIONEM EUCHARISTIÆ.

Ea omnia requiruntur, quæ de Sacramentis in genere n. 10. et seqq. exposuimus. Duo tantum respectu hujus Sacramenti peculiariter tractanda sunt, nimirum jurisdictio, et observatio ritus Ecclesiæ.

§ I. *Jurisdictio.*

82. — **Principia.** I. Jurisdictio *ordinaria* dispensandi Eucharistiam convenit Episcopis in suâ diœcesi, Parochis in suâ parochiâ, Prælatis Regularibus in suâ Religione respectu subditorum suorum, aliisque, quibus ex officio animarum cura incumbit. Ratio est, quia pascere oves Christi cœlesti hoc cibo munus est proprii pastoris.

II. *Delegata* jurisdictio convenit iis, quibus ordinarii Pastores eam facultatem vel privilegium concesserunt. Porro, ex privilegiis pontificiis, possunt Regulares, tum per se ipsos, tum per alios Sacerdotes, dispensare Eucharistiam in suis ecclesiis quibuscumque fidelibus, præterquam in mortis articulo, et in die Paschatis. Sicubi autem consuetudo contraria introducta est, possunt die Paschatis Communionem præbere fidelibus. (*n.* 239. 240.)

Ministrare hoc Sacramentum sine debita jurisdictione aut facultate, est peccatum mortale, ut omnes docent; quia est alienum usurpare jus in re gravi. Quinimo Religiosi (*stricte dicti* nempe) præsumentes Clericis aut laïcis, extra casum necessitatis, Viaticum ministrare, absque Parochi licentiâ, incurrunt ipso facto excommunicationem Papæ simpliciter reservatam, quemadmodum constat ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* 12 Oct. 1869. *n.* 14.

83. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Qualis licentia Parochi requiratur, ut quis possit dispensare Eucharistiam?*

Resp. Sufficit consensus rationabiliter præsumptus. Quocirca consuetudo habet, ut, in quâcumque Ecclesiâ Sacerdoti conceditur facultas celebrandi, intelligatur simul concessa facultas Eucharistiam ministrandi. Hæc præsumptio tamen non est facile admittenda, si agatur de Communione ex obligatione, nisi adsit moralis certitudo de voluntate Parochi. (*n.* 235. 300.)

Quær. 2° *Quibusnam possint Regulares Communionem paschalem præbere?*

Resp. 1° Omnibus, qui privilegio exemptionis participant, quales sunt Religiosi, tum professi, tum novitii; item famuli, qui sunt de Cœnobii familiâ, videlicet si actu inserviant, intra Conventus septa ac domum habitent, et sub obedientia Superiorum vivant.

2° Vagis, qui non habent propriam parochiam, et peregrinis, qui non possunt in suâ parochiâ communicare, nec veniam petere a Parocho. (*n.* 240. 300.)

Quær. 3° *Quando liceat Regularibus Viaticum ministrare?*

Resp. Possunt illud ministrare 1° non solum propriis Religiosis, verum »etiam »mercenariis, famulis, operariis eorum, »ac quibusvis hospitibus, etiam sæcula»ribus et extraneis, quos in locis vel »habitationibus eorum reperiri conti»gerit." Ita S. Pius V Constit. *Ad immarcessibilem.* 13 Febr. 1567. *n.* 17. concessit Theatinis, in quo privilegio cæteri Regulares communicant.

2° In casu necessitatis, quemadmodum omnibus Sacerdotibus concessum est; quando nempe aliquis est in periculo imminenti mortis, Parochus vero vel absens est, vel non sine periculo exspectari potest, vel requisitus Sacramenta administrare renueret. (*n.* 722. H. A. *tr.* 17. *n.* 6.)

Quær. 4° *An fas sit Regularibus Eucharistiam deferre ad infirmos pro Communione ex devotione?*

Resp. Quamvis *ex se* non sit prohibitum Religiosis ejusmodi Communionem dare infirmis, *ex circumstantiâ loci* tamen non licet, sed est jus Parochorum. Ratio est, tum quia deferre Eucharistiam per vias et plateas ad ægrotos proprium est jus Parochorum (*n.* 240.); tum quia privilegium Regularium ministrandi Eucharistiam DD. communiter intelligunt de administratione in suis domibus sive ecclesiis tantum;[1] tum quia *Clem.* 1. *de privil.* qua excommunicantur »Reli»giosi, qui Clericis aut laicis Sacra»mentum Unctionis Extremæ vel Eucha»ristiæ ministrare, non habitâ Parochialis »Presbyteri licentiâ speciali," intelligitur a DD. de omni Communione infirmis dandâ, sive ex præcepto sive ex devotione, sive publice sive occulte deferatur.[2] Propterea Clemens X Constit. *Superna.* 21 Julii 1670 præcepit Regularibus, ut, postquam Confessionem infirmorum exceperint, de eâ moneant Parochum, aut saltem scriptum testimonium apud infirmum relinquant. (Suar. *De relig. tr.* 10. *lib.* 9. *cap.* 3. *n.* 11 *et* 12. Spor. *De Euch. cap.* 5. *n.* 314.)

§ II. *Observatio ritus Ecclesiæ.*

84. — Ex Ecclesiæ ordinatione requiritur ut hoc Sacramentum ministretur 1° *tempore ab Ecclesiâ præfinito;* scil. Communio populi intra Missam statim post Communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet, nisi quandoque ex rationabili causâ post Missam sit facienda. Dispensari porro potest singulis diebus, horis quibus Missam celebrare licet in quâque Ecclesiâ, sive juxta Rubricam sive ex privilegio, ut declaravit S. R. C. 7 Sept. 1816. Prohibetur dispensari a feriâ quintâ in Cœnâ Domini post Missam usque ad Sabbatum Sanctum post Missam, præterquam pro Viatico; similiter prohibetur in nocte Nativitatis Domini. Ita S. R. C. 20 April. 1641. 7 Sept. 1850. — Ad infirmos pro Viatico deferri potest quolibet die et quâlibet horâ, non tamen noctu, nisi necessitas urgeat. Ita Rituale Rom. *tit.* 4. *cap.* 4. *n.* 10. — 2° In *loco sacro*, aut approbato ad Episcopo; non autem in privatâ domo, nisi ad communicandum infirmum. — 3° Cum *debito cultu* et apparatu, atque cæremoniis usitatis; nempe ut minister indutus saltem sit superpelliceo et stolâ, accendantur cerei, præmittatur generalis confessio, et consuetæ dicantur orationes, prout in Rit. Rom. præscribitur.

85. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Ob quas causas Communio populi fieri possit extra Missam, ante vel post?*

Resp. Potest fieri v. g. si plurimi interessent Missæ, et suspicio esset ne aliqui eorum Missæ longioris tædio caperentur. (*n.* 249. *dub.* 3.) Similiter, si deficiant Missæ; si communicantes commode exspectare nequeant, etc. In multis locis usus invaluit Communionem semper dispensandi extra Missam.

Quær. 2° *An liceat in Oratoriis stricte privatis ministrare Eucharistiam, sine licentiâ Episcopi?*

Resp. Negat., uti constat ex Constit. Bened. XIV *Magno cum animi.* 2 Jun. 1751. *n.* 23. 24. (*n.* 359. *in fine. Exam. Ord. n.* 114.)

Quær. 3° *Quantum peccatum sit omissio cæremoniarum?*

Resp. 1° Ministrare sine vestibus sacris, communiter censent DD. esse mortale ex genere suo. Omissio solius stolæ vel solius superpellicei videtur solum veniale. Deferre autem Eucharistiam ad aliud altare sine vestibus sacris, non excedit peccatum veniale, ut dicunt communiter. 2° Ministrare sine lumine et solitâ confessione, communiter reputatur veniale tantum. Utrum autem in necessitate liceat ministrare Viaticum sine vestibus sacris, et sine lumine, negant aliqui; quia præstat reverentiam servare tanto Sacramento, quam infirmum communicare. Sed communius et satis probabiliter affirmant; quia rationabiliter non præsumitur Christus, qui hoc Sacramentum ad subsidium animarum instituit, neque Ecclesia, benigna mater, voluisse moribundos tanto bono privari, ne præscriptæ cæremoniæ omittantur. (*n.* 241. H. A. *n.* 12.)

Quær. 4° *Quid faciendum, si minister Sacerdoti desit?*

Resp. Quivis vir Sacerdoti inservire potest; vel ipse Sacerdos supplere potest, recitando *Confiteor*, et respondendo *Amen.* Quin etiam, si desit vir, mulier eminus respondere potest, dummodo Sacerdos omnia peragat.

Quær. 5° *Si, quando Communio danda est, inventus non fuerit sufficiens numerus hostiarum, an possint aliquot hostiæ dividi in plures particulas?*

[1] Cfr. S. Alph. *Append. de privil. n.* 123. H. A. *n.* 8. — Lugo. *De Euch. disp.* 17. *n.* 31. — Bened. XIV. *De Syn. lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 3—5. — Salmant. *tr.* 4. *cap.* 9. *n.* 17. — Roncag. *tr.* 18. *qu.* 1. *cap.* 4. *qu.* 2. — Spor. *De Euch. cap.* 5. *n.* 311. — Bouix. *De jure Regul. tom.* 2. *part.* 5. *sect.* 3. *cap.* 2. *qu.* 9.

[2] Cfr. Lugo. *De Euch. disp.* 18. *n.* 52.

Resp. Affirm., si adsit necessitas, ut declaravit S. R. C. 16 Mart. 1833. Attamen Sacerdos hostias tunc dividere debet in duas tantum vel tres partes; quia secus honeste dari non possunt. (*n.* 245.)

QUÆR. 6° *An possit in Missis defunctorum sacra Communio fidelibus ministrari?*

Resp. Hac de re sequens emanavit Decretum S. R. C. 23 Jul. 1868: »Posse »in Missis defunctorum cum paramentis »nigris sacram Communionem fidelibus »ministrari, etiam ex particulis præcon»secratis, extrahendo pyxidem e taber»naculo. Posse item in paramentis nigris »ministrari Communionem immediate »post Missam defunctorum; datâ autem »rationabili causâ, immediate quoque »ante eamdem Missam; in utroque ta»men casu omittendam esse benedictio»nem. Missas vero defunctorum cele»brandas esse omnino in paramentis »nigris; adeo ut violacea adhiberi ne»queant, nisi in casu quo die 2 Nov^bris »Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum »publicæ fidelium adorationi sit expo»situm pro solemni Oratione quadraginta »Horarum."

QUÆR. 7° *Quid faciendum, si hostia decidat in terram?*

Resp. Tegendus est locus panno lineo mundo, et postea abluendus, ut præcipit Missale *de defect. tit.* 10. *n.* 15.; id tamen non obligat sub gravi. Omitti autem ordinarie potest ablutio vestis aut barbæ, ad evitandam turbationem populi. Quodsi hostia in fœminæ pectus delabatur, decet ut ipsa fœmina, non Sacerdos, hostiam manu abstrahat, et reponat in ciborio (*n.* 250.), aut suis ipsa manibus sibi in os immittat, ut tradit Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 176.

QUÆR. 8° *An licet dispensare Eucharistiam vel celebrare Missam posterioribus digitis, quando pollex et index laborant chiragrâ?*

Resp. Affirmant nonnulli; quia Sacerdotis tota manus consecrata est. Probabilius vero negant alii, extra casum gravissimæ necessitatis; quia index et pollex ex ritu Ecclesiæ ad hoc ministerium deputantur. (*n.* 244.)

86. — Restant quædam seorsim expendenda de modo Eucharistiam ministrandi infirmis.

QUÆR. 1° *An etiam in Communitatibus, quæ SS. Eucharistiam in domestico sacello asservant, vetitum sit Communionem noctu deferre ad infirmos Communitatis?*

Resp. Negat.; tum quia Rituale loquitur de deferendâ Eucharistiâ per vias publicas; tum quia irreverentiæ periculum, propter quod lex lata est, ibi non subsistit.

QUÆR. 2° *An Eucharistia possit secreto deferri ad infirmos?*

Resp. Negat., generatim loquendo; statuit enim Rit. Rom.: »Deferatur ma»nifeste atque honorifice". Excipe tamen, si adsit causa gravissima, cum licentiâ Episcopi, v. g. in locis hæreticorum, quin etiam aliquando in locis Catholicorum, si aliter ægroto Viaticum deferri non possit sine proximo irreverentiæ periculo. De modo deferendi secreto Eucharistiam hæc decrevit Bened. XIV Constit. *Inter omnigenas.* 2 Febr. 1744. *n.* 23: »Sacerdos stolam semper habeat »propriis coopertam vestibus: in sacculo »seu bursâ pyxidem recondat, quam per »funiculos collo appensum in sinu re»ponat; et nunquam solus procedat, »sed uno saltem fideli, in defectu Clerici, »associetur."

QUÆR. 3° *An in necessitate liceat deferendo Viaticum currere?*

Resp. Probabile est id fieri posse sine irreverentiâ, ut censent Croix, Gobat, contra Salm. Bonac. (*n.* 242.)

QUÆR. 4° *An liceat deferre Eucharistiam equitando?*

Resp. Affirm., si fiat causâ tempestatis, vel distantiæ, vel periculi in morâ. Verum equus debet esse mansuetus, ita ut absit periculum lapsûs et irreverentiæ. Eâdem de causâ licet Eucharistiam in bursa collo suspensa gestare. (*n.* 243.)

QUÆR. 5° *An liceat deferre Eucharistiam capite cooperto?*

Resp. Negat.; ob reverentiam Sacramento debitam. Constat ex Rituali, et ex pluribus S. R. C. declarationibus. Attamen tempestatis vel infirmatis causâ probabiliter potest Episcopus dispensare, ut deferatur cum pileolo in villis et pagis, non in oppidis. (*n.* 241. H. A. *n.* 12.)

QUÆR. 6' *An liceat tempore pestis porrigere Eucharistiam medio aliquo instrumento?*

Resp. Affirm. probabiliter, puta impositâ particulâ in cochleari (quantum fieri possit, argenteo) cum vino aut aquâ; quia ejusmodi necessitas satis videtur excusare a solito ritu Ecclesiæ. — Idem dicendum, si infirmus ob oris siccitatem hostiam deglutire non posset. (*n.* 244. 288.)

ARTICULUS III.

CUSTODIA EUCHARISTIÆ.

87. — I. Eucharistia asservari potest et debet in ecclesiis Parochialibus, Cathedralibus et Regularibus. Constat ex Rit. Rom. *tit.* 4. *cap.* 1. *n.* 5. 6. et jure communi Regularium. In aliis autem ecclesiis continue asservari nequit, sine speciali indulto Sedis Apostolicæ. Constat ex pluribus declarationibus S. R. C. et S. C. C. (*n.* 424. *in fine.*)

II. Asservanda est Eucharistia ornato in tabernaculo clave obserato, ac in pyxide intus deauratâ, cum lumine perpetuo. Ita Rit. Rom. *loc. cit.* et S. C. Episc. 26 Jul. 1588.

Porro 1° Tabernaculum in altare collocatum, conopeo opertum, regulariter debet esse ligneum, ad majorem siccitatem, extra deauratum, intus vero panno serico albi coloris omni ex parte contectum, cum corporali mundo in ejus planitie. Clavis a solo Parocho (apud Regulares a Sacristâ) in loco tuto custodienda est. Ita Rituale et S. C. Ep. 26 Oct. 1575. S. C. C. 14 Nov. 1693.

2° Tabernaculum in ecclesiis Cathedralibus non debet esse in altari majori, propter functiones pontificales, quæ fiunt renibus ad altare versis; in Parochialibus et Regularibus debet esse regulariter in altari majori tamquam digniori, vel in alio præ cæteris nobili ac conspicuo, quod venerationi ac cultui tanti Sacramenti commodius ac decentius videatur. Ita Rituale et S. C. Ep. 10 Febr. 1579.—29 Nov. 1594.

3° Tabernaculum intus ab omni aliâ re vacuum esse debet; unde in eo non sint vasa sacrorum Oleorum, neque Reliquiæ. Nec ante nec supra illud apponi fas est imagines Sanctorum, aut Reliquias etiam S. Crucis. Ita Rituale et S. R. C. 12 Mart. 1836. Licet tamen, ut mos est, ponere crucem super tabernaculum pro Sacrificio Missæ.

4° SS. Eucharistiæ Sacramentum servandum est in uno tantum altari cujuscumque ecclesiæ. S. R. C. 21 Jul. 1696.

5° Pyxis, quoad fieri potest, sit argentea, benedicta, albo velo cooperta. Permittitur pyxis ex cupro deaurato, item monstrantia et lunula. SS. Sacramento semper substratum sit corporale benedictum et mundum, aut saltem palla. Ita Rituale et S. C. Ep. 26 Jul. 1588. S. R. C. 31 Aug. 1867.

6° Lampades coram SS. Sacramento plures, vel saltem una, diu noctuque perpetuo colluceant. Ita Rit. Rom. *loc. cit.*

III. Ne contingat consecratas hostias corrumpi, frequenter renovari debent, et antiquæ, si supersint, sumi; fieri nempe oportet singulis octiduis, aut certe singulis quindenis. Ita Rituale *n.* 7. et Constit. Bened. XIV *Etsi pastoralis.* 26 Maji 1742. § 6. *n.* 4.

88. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An pyxis consecrari debeat?*

Resp. Negat., cum sententiâ veriori et communi; quia in Rituali et Pontificali Rom. habetur tantum *benedictio* pyxidis, quin ulla fiat mentio de unctione Chrismatis. (*n.* 384.)

QUÆR. 2° *An benedictio pyxidis sit de præcepto?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilior affirmat esse præceptum sub veniali. Probatur 1° Ex Missali *Rit. Miss. tit.* 2. *n.* 3. ubi legitur: »Si est conse»craturus plures hostias pro Communione »faciendâ, quæ ob quantitatem super »patenam manere non possunt, locat »eas super corporale ante calicem, aut »in aliquo calice consecrato, vel vase »mundo *benedicto.*" 2° Ratione: si enim corporale, in quo sacræ species ad modicum tempus manent, benedici debet, quanto magis vasculum, in quo diu noctuque conservantur? Accedit doctrina D. Thomæ [1]: »In reverentiam »hujus Sacramenti, a nullâ re contingi»tur, nisi consecratâ, unde et corporale »et calix consecrantur, et similiter manus »sacerdotis." Ita Collet, Sylv. Salm. Gavant. Bened. XIV, etc.

2ª Sententia non improbabilis negat, dicitque esse de consilio tantum; quia nuspiam apparet expressum præceptum: argumenta autem primæ sententiæ de solâ congruentia intelligi possunt. Ita Suar. Azor, Filliuc. Soto, Concin. Bonac. etc.

[1] 3. qu. 82. a. 3.

Quod dictum est de pyxide, valet quoque de circulo seu lunula, in quâ reponitur hostia consecrata, cum exponitur in ostensorio. (*n.* 385.)

QUÆR. 3° *An omissio luminis coram SS. Sacramento sit peccatum grave?*

Resp. Affirm., si per notabile tempus omittatur, ut docent communiter. Unde Parochus, vel ille cui ista cura commissa est, certe peccat mortaliter, si ob graviter culpabilem negligentiam integro die vel aliquot integris noctibus lumen non ardeat; si per unam tantum horam lumen deficeret, veniale erit. (*n.* 248. H. A. *n.* 8.)

QUÆR. 4° *Quali oleo nutriendæ sint lampades coram SS. Sacramento?*

Resp. Generatim utendum est oleo olivarum; ubi vero haberi nequeat, remittendum est prudentiæ Episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, quantum fieri possit vegetalibus. Ita S. R. C. 6 Jul. 1864.

QUÆR. 5° *Quid Sacerdotem facere oporteat, si, sumptâ ablutione, advertat fragmenta hostiæ?*

Resp. Dist. 1° Si fragmenta illa sint reliquiæ *ejusdem Sacrificii*, sumat ea, sive parva sint sive magna; quia ad idem Sacrificium spectant, ut præscribit Missale *de defect. tit.* 7. *n.* 2. Quinetiam id faciat, postquam jam rediit in sacristiam, ac nondum sacras exuit vestes; quia et tunc sumptio eorum est complementum ipsius Sacrificii. Postquam vero Sacerdos sacris se vestibus exuit, fragmenta in tabernaculo recondere debet, si adsit, aut alii Sacerdoti eodem mane Missam celebraturo reservare sumenda; quodsi neutrum fieri possit, ipse ea absumat.

2° Si reliquiæ sint *alterius Sacrificii*, non licet ea sumere, nisi quando decenter servari non possunt; quia Sacerdoti non jejuno Rubrica permittit tantum sumere reliquias, quæ ad idem Sacrificium spectant, siquidem illud perficiunt.

Opportune hoc loco adverti potest, quod si Sacerdos, dum defert Communionem ad infirmum, justâ de causâ unam tantum Hostiam consecratam secum sumpserit, tunc, eâ infirmo administratâ, pyxis seu parva custodia ablui potest in domo infirmi, et huic tradi ablutio sumenda; deinde pyxis abstergitur purificatorio. (*n.* 251.)

QUÆR. 6° *Quid agendum, si hostia integra reperiatur?*

Resp. 1° Si consecrata sit, in tabernaculo reponenda est cum aliis. Si hoc fieri nequeat, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra corporale decenter operta, sumenda cum altera, quam is est consecraturus, relinqui debet. Si neutrum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservanda est, quousque in tabernaculo reponatur, vel ab alio jejuno sumatur. Quodsi non habeatur quomodo honeste conservetur, potest Sacerdos eam sumere. Ita Missale *de defect. tit.* 7. *n.* 3.

2° In dubio num consecrata sit, sumenda est post ablutionem, aut melius cum ablutione. (*n.* 251. H. A. *n.* 18.)

QUÆR. 7° *Quid facto opus sit, si infirmus evomat Eucharistiam?*

Resp. Quum resumptio S. Hostiæ ordinarie nauseam allatura sit, in praxi præstat ut, si Hostia integra appareat, caute colligatur in vase mundo, ope cochlearis, deinde in aliquo loco sacro recondatur donec corrumpatur, et postea in sacrarium projiciatur. Quodsi species consecratæ non appareant, vomitum stuppâ colligatur, comburatur, et cineres in sacrarium mittantur. Cfr. Missale *de defect. tit.* 10. *n.* 14.

CAPUT V.

SUBJECTUM EUCHARISTIÆ.

89. — Tres sunt modi, quibus fideles suscipere possunt Eucharistiam, et hoc pacto distinguitur Communio 1° *sacramentalis tantum*, si realiter sumatur, sed sine fructu spirituali, utpote sacrilege; 2° *spiritualis tantum*, quæ fit per votum seu desiderium hujus Sacramenti, et charitate, ex quâ oritur, parit fructum ejus; 3° *sacramentalis et spiritualis simul*, si in re suscipiatur cum fructu spirituali, utpote cum debita dispositione. Ita Trid. *sess.* 13. *cap.* 8.

Quando hoc Sacramentum sumitur ab *infideli*, hæc sumptio vocatur *materialis;* quia homo non baptizatus incapax est sumendi Sacramentum, ut Sacramentum est.

Porro agemus in hoc Capite 1° de obligatione suscipiendi Eucharistiam; 2° de frequenti ejusdem susceptione; 3° de necessariâ dispositione ad suscipiendum hoc Sacramentum.

ARTICULUS I.

OBLIGATIO SUSCIPIENDI EUCHARISTIAM.

90. — **Principia.** I. Realis susceptio hujus Sacramenti non est necessaria necessitate medii. Ratio est, quia quisquis est in statu gratiæ, est filius Dei, jus habens ad hæreditatem gloriæ cœlestis, quod non potest amittere, nisi novo peccato; sed statum gratiæ conferunt Sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ; ergo nullum aliud Sacramentum est ad salutem necessarium.

Votum implicitum Eucharistiæ necessarium est ad salutem, quemadmodum voluntas implendi omnia præcepta. (*n.* 192. 473.)

II. Eucharistia adultis necessaria est necessitate præcepti, tum divini, tum ecclesiastici. Præceptum divinum constat ex verbis Christi apud Joan. VI. 54: »Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non »habebitis vitam in vobis." Præceptum ecclesiasticum exposuimus lib IV. *n.* 33—35.

91. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Eucharistia in re vel in voto sit medium necessarium adultis ad perseverandum in gratia?*

Resp. Controv. Multi negant; quia præsto sunt alia media, nec ostendi potest hunc effectum dari per solam Eucharistiam, cum ea non sit unicus cibus animæ. Ita Suar. Vasq. Lugo, Bonac. Laym. S. Bonav. etc.

Sed communius et verius affirmant; probatur tum ex verbis Christi: »Nisi »manducaveritis" etc.; tum ex ratione, siquidem hoc Sacramentum institutum est tamquam spiritualis cibus, proinde, sicut vita corporis nequit diu conservari sine cibo materiali, ita nec vita animæ sine hoc cibo spirituali, saltem in voto, et explicito quidem in eo, qui necessitatem hujus Sacramenti advertit. Ita S. Thomas, Soto, Gonzal. Cornej. Labat, Salm. etc. (*n.* 193.)

Cæterum, Suarez [1] et Lugo [2] concedunt hoc Sacramentum *moraliter* esse necessarium ad perseverandum in gratiâ, adeo ut, qui voluntarie diu abstinet ab Eucharistiæ perceptione, vix possit diu perseverare in gratiâ. Ratio, quia hoc Sacramentum per se est institutum ut conferat homini singulare auxilium ad cavenda peccata, et perseverandum in gratiâ; ergo, cum hæc res sit adeo difficilis, et homo nimium fragilis, facile lapsurus est, si negligat hoc medium; præsertim quia verendum merito est, ne Deus illi subtrahat auxilia congrua ad operandum, utpote scienti et habenti media opportuna, et illorum usum negligenti. Hæc doctrina non admodum differt a secundâ sententiâ.

QUÆR. 2° *Quando obliget præceptum divinum communicandi?*

Resp. Per se obligat 1° in periculo mortis; quia a) ex antiquissimis Conciliis et Pontificibus constat, semper ab Ecclesiâ diligentissime curatum esse ne moribundi sine Viatico decedant, ut patet ex Conc. Nicæno *can.* 13., ubi Viaticum dicitur *necessarium*; unde merito colligitur eam consuetudinem in Christi mandato esse fundatam; b) obligatio communicandi tum certe urget, cum necessarium putabitur; nunquam autem potest major esse necessitas hujus cibi, quam in articulo mortis, ex quo pendet æternitas, et imminet ultima lucta cum hoste. — 2° Pluries in vita; quia, sicut non satis est corporalem cibum semel in vitâ sumere, ita neque spiritualem, quandoquidem calor concupiscentiæ et fomes peccati non minus debilitant animæ vires, quam naturalis calor vires corporis. Quoties autem hoc Sacramentum suscipiendum sit, Christus non determinavit, sed reliquit determinandum ab Ecclesiâ; unde implendo præceptum Ecclesiæ quisque simul satisfacit præcepto divino.

Per accidens oritur obligatio ad Communionem, si quis tam gravem et diuturnam patiatur tentationem, ut ad illam superandam hujus Sacramenti auxilium necessarium existimet. Hoc tamen censet Suarez rarissime evenire posse, cum sufficiant alia remedia, puta orationes, pœnitentiæ, fuga occasionum, etc. — Casu porro, quo Communio esset necessaria, homo eam omittendo non peccaret contra illius præceptum, sed contra virtutem, adversus quam tentatur. (*n.* 295.)

[1] Disp. 50. sect. 2. n. 16.
[2] Disp. 3. n. 48.

QUÆR. 3° *Quandonam incipiat obligatio Viatici?*

Resp. Cum primum quis in probabili mortis periculo est constitutus; v. g. infirmus, qui graviter decumbit cum signis mortiferis, vel cum periculo destitutionis sensuum; qui periculosum conflictum aut periculosam navigationem aggressurus est; mulieres, quæ primâ vice parturiunt, et in tenellâ ætate aut imbecillâ corporis constructione constitutæ sunt, aut quæ cum periculo eniti consueverunt. *Ita communiter.* (H. A. *n.* 19.)

QUÆR. 4° *An teneatur quis suscipere Viaticum, instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicavit?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communior negat, etiamsi Communio præcesserit octo circiter diebus; quia finis præcepti est, ut per Communionem homo se ad transitum ex hac vitâ præparet, quod satis assequitur paulo ante mortem communicando; is ergo sensus præcepti esse videtur. Ita Suar. Lugo, Laym. Ronc. Soto, etc. — Hæc sententia est satis probabilis, saltem si periculum mortis naturaliter accidat; quia tunc in brevi illo tempore antecedenti jam moraliter cœpit imminere, quamvis fuerit ignoratum.

2ª Sententia probabilior affirmat; quia præceptum præcise obligat instante periculo mortis; atqui non potest satisfieri præcepto, antequam illud incipiat obligare. Nec obstat ratio primæ sententiæ, quia, si valeret, sequeretur eum, qui pridie Palmarum communicasset, non teneri ad Communionem Paschalem, quod nemo concedet. Ita Vasq. Pal. Concin. Cont. Tourn. Salm. etc. (*n.* 285.)

QUÆR. 5° *Si quis mane in ecclesiâ communicavit ex devotione, et per diem incidit in mortis periculum, ita ut prudenter timeatur ne eâ ipsâ die intereat, aut saltem Viaticum recipere amplius nequeat, num debeat aut possit eâdem die iterum communicare per modum Viatici?*

Resp. Tres sunt sententiæ, omnes probabiles. 1ª Sententia affirmat; quia mane non potuit satisfacere præcepto, quod nondum urgebat. Ita Hurtad. Pelliz. Dicast. etc.

2ª Sententia negat; quia ex unâ parte per Communionem factam paulo ante mortem satisfactum est præcepto communicandi in fine vitæ; ex alterâ parte nemini licet bis eâdem die communicare. Ita Suar. Lugo, Coninc. Laym. etc.

3ª Sententia docet eum posse, sed non teneri. Ita Gobat, Marin. Ronc. etc.

Integrum est Parocho, inquit Bened. XIV, hanc tertiam sententiam amplecti.

Cæterum probabilius videtur S. Alphonso distinguendum: 1° potest communicare, imo, juxta probabiliorem sententiam in præcedenti quæsito relatam, tenetur, si periculum ex *causâ extrinsecâ* proveniat, puta ex vulnere, ex lapsu, ex indigestione, ex perfrictione; quia tunc revera nondum communicavit in mortis periculo constitutus; 2° non potest, si ex *causâ intrinsecâ* oriatur, puta ex apoplexiâ, ex anevrismo; quia tunc jam aderat mane mortis periculum, etsi ignotum. (*n.* 285.)

QUÆR. 6° *Quas personas obliget hoc præceptum?*

Resp. 1° Certo obligat omnes adultos baptizatos, qui ratione uti possunt; quia sunt capaces Sacramenti et effectûs ejus, et possunt ad illud recipiendum per proprium actum disponi. Unde pueris, qui jam sunt rationis compotes, dari debet Communio in mortis articulo; quia ex unâ parte pueri in illo periculo constituti tenentur ex præcepto divino communicare, ex alterâ vero parte utilitas Eucharistiæ tunc majorem dispositionem non exposcit. Extra mortis periculum, pueri incipiunt obligari præcepto divino, eâ ætate, quâ Ecclesiæ præcepto obstringi incipiunt, prout diximus lib. IV. *n.* 33. *Ita communiter.*

2° Non obligat parvulos et perpetuo amentes, ut definivit Conc. Trid. *sess.* 21. *can.* 4. Amentibus autem, qui aliquando rationis compotes fuerunt et christiane vixerunt, dandum est Viaticum in mortis articulo, quando non est periculum irreverentiæ; cum enim ante amentiam implicite saltem hoc Sacramentum petierint, eo ipso acquisierunt jus ad illud. Excipe proinde casum, quo talis homo certo præsumatur in amentiam incidisse penitus impœnitens. *Ita communiter.* (*n.* 301. 302.)

QUÆR. 7° *Quando concedenda sit Eucharistia semifatuis, delirantibus, surdis-mutis, epilepticis, et obsessis?*

Resp. 1° Semifatuis, si sciant distinguere hunc cœlestem cibum ab aliis, danda est tantum Communio præcepta, scil. in articulo mortis et tempore paschali.

2° Idem dicendum de surdis-mutis: attamen, si isti præditi sint meliori dispositione, sæpius possunt communicare. Verum surdis-mutis simulque cæcis a nativitate, omnino neganda est Communio, nisi in aliquo Instituto instructi fuerint. (*n.* 303.)

3° Delirantibus potest dari Viaticum, si communicare valeant sine periculo irreverentiæ. Optima praxis est, ut ante detur infirmo particula non consecrata, et sic appareat an possit decenter sumere Eucharistiam. (*n.* 292.)

4° Epilepticis neganda est Communio in paroxismo tantum. Similiter obsessis a dæmone, quando non sunt suî compotes: cæterum expedit, ut isti pluries in anno, juxta Confessarii prudentiam, communicent, cum Eucharistia speciale subsidium sit ad dæmones arcendos. (*n.* 303.)

QUÆR. 8° *An Communio concedenda sit capite damnatis?*

Resp. Affirm., si rite dispositi sint; sunt enim tunc in articulo mortis, quo obligat præceptum divinum Communionis. Confirmatur ex Epistolâ S. Pii V, qui contrariam praxim improbat. — Potest porro reus laudabiliter communicare ipsâ die ultimi supplicii, modo Communio per horam præcedat exsecutionem. (*Lib.* 3. *n.* 379.)

QUÆR. 9° *Quid faciendum sit, si infirmus Viaticum sacrilege suscepit?*

Resp. Cum infirmus præcepto Viatici non satisfecerit, tenetur adhuc illud implere, quatenus fieri possit sine periculo infamiæ. Hunc in finem alia die illi dandum est Viaticum, prætexendo Communionem ex devotione. Quodsi tempus ad id non suppetat, vel si hic modus non satis provideat famæ infirmi, videtur adesse ratio sufficiens ad Viaticum clanculo deferendum. Hoc in casu etiam Confessarius Regularis posset Viaticum clanculo deferre ad infirmum, ne hujus sacrilegium prodat. Recole dicta n. 85. qu. 3.

ARTICULUS II.

FREQUENTATIO COMMUNIONIS.

92. — Quemadmodum præceptum grave solum cogit ad Communionem annuam, sic etiam solum prohibet duplicem Communionem in eâdem die; attamen nimia frequentia potest esse culpa venialis, ob defectum debitæ dispositionis ac reverentiæ erga Sacramentum. Quare superest explicandum, quibus expediat frequentem Communionem concedere, quibus negare.

Prænotandum est, quantum ad hanc materiam, triplicem distinguendam esse Communionem: 1° *hebdomadariam*, quæ ordinarie suscipitur semel in hebdomadâ; 2° *frequentem*, quæ pluries in hebdomadâ percipitur; 3° *quotidianam*, quæ quotidie, uno die forte dempto, recipi solet.

93. — **Principia.** I. Frequentia Communionis definienda est attendendo tum ad utilitatem suscipientium, tum ad reverentiam debitam Sacramento. Constat ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. ubi ait in Sacramentorum dispensatione Ecclesiam spectare ad utilitatem suscipientium et ad Sacramenti venerationem.

Propterea ex una parte usus frequens vel quotidianus Eucharistiæ semper fuit in Ecclesia approbatus; quare Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 8. ad frequentiam Communionis hortatur, et *sess.* 22. *cap.* 6. optat ut in singulis Missis fideles adstantes communicent. Ex altera parte, apud imperfectos et tepidos nimia frequentia adimit paulatim diligentiam præparationis, et consequenter fructuum ubertatem, quæ datur pro mensurâ dispositionis; solet quoque parere contemptum quemdam Sacramenti, Communionemque ipsam abire in consuetudinem torpori admixtam. Unde sapienter docet S. Thomas,[1] quod si quis experiatur ex frequenti Communione fervorem amoris augeri, et reverentiam non minui, deberet frequenter et quotidie communicare; si autem sentiret ex frequentia reverentiam minui, et fervorem non multum augeri, deberet a frequenti Communione abstinere. (*n.* 254.)

II. Frequentia Communionis, quæ cuique expediat, relinquenda est judicio Confessariorum. Constat ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 18. *ref.*, et ita diserte pronuntiat Decretum Innocentii XI 12 Febr. 1679, ubi additur Confessarios ex conscientiarum puritate, et frequen-

[1] In 4 dist. 12. qu. 3. art. 1. qu. 2. — Summa, p. 3. qu. 80. a. 10.

tiæ fructu, et ad pietatem processu, regulam sumere debere augendi vel minuendi usum Communionis. (*n.* 254.)

Secundum hæc principia statuuntur sequentes regulæ.

94. — **Regulæ.** I. Communio *hebdomadaria*, et, occurrente aliquo festo, bis in hebdomadâ, permitti et suaderi potest omnibus, qui peccata mortalia evitare solent. Ratio est, quia ex unâ parte peccata venialia non impediunt Sacramenti effectum, ex alterâ vero non est exiguus ejusdem fructus præservatio a peccato mortali.

Attamen, si ejusmodi pœnitentes peccatis venialibus deliberatis assueti sint, quin ulla emendatio aut emendationis desiderium appareat, expedit illis aliquando Communionem interdicere, ad majorem de culpis suis horrorem ipsis incutiendum, majoremque erga SS. Sacramentum reverentiam insinuandam.

II. Communio *frequens* permitti et suaderi potest fidelibus, qui immunes sunt ab affectu voluntario ad peccatum veniale, ita ut culpas veniales deliberatas ut plurimum non admittant, orationi mentali vacant [1], sensus ac passiones mortificant; qui proinde ad perfectionem aspirant.

III. Communio *quotidiana* concedenda est animabus, quæ, ultra immunitatem ab affectu ad quodvis peccatum veniale, multum incumbunt orationi mentali, pravas cupiditates maximâ ex parte domuerunt, magnoque Communionis desiderio feruntur.

Expedit tamen 1º regulariter demere unum diem in singulis hebdomadis, juxta praxim prudentium Directorum; 2º privare subinde pœnitentes Communione, ob justam nempe causam, puta probationis, mortificationis aut castigationis.

Quodsi postea dignoscat Confessarius pœnitentem, non obstante frequenti Communione, nihil proficere in via perfectionis, voluntatemque habere venialibus inhærentem, imminuenda erit frequentia Communionis. (*Prax. Conf. n.* 148—155. H. A. *Append. I. n.* 28—36. *Vera Sponsa. cap.* 18. § 3. *Respons. de freq. Commun.* [1]

Notandum denique, Communionem *menstruam* nulli non esse magnopere exoptandam, cumprimis vero juvenibus, utpote quæ medium efficax est ad perseverandum in gratiâ.

95. — **Quæstiones.** Quær. 1º *Quomodo agere debeat Confessarius Religiosorum, quoad frequentiam Communionis?*

Resp. Hâc de re legitur in Decreto Innocent. XI, 12 Febr. 1679: »Moniales »quotidie sacram Communionem petentes »admonendæ erunt, ut in diebus ex earum »Ordinis instituto præstitutis communi»cent. Si quæ vero puritate mentis eni»teant, et fervore spiritus ita incalue»rint, ut dignæ frequentiori aut quotidiana »SS. Sacramenti perceptione videri pos»sint, id illis a Superioribus permittatur."

Contra, si qui indigni sint, qui diebus ex Regula præstitutis communicent, Confessarius imminuat numerum Communionum; dummodo tamen vitari possit periculum notæ, si indignitas hæc occulta esset.

Quær. 2º *Quantum temporis gratiarum actioni post Communionem impendendum sit?*

Resp. Postulat S. Alphonsus, ut ii, qui frequenter communicant, saltem semihoram ei impendant. (*Prax. Conf. n.* 155. *in fine.*)

Cæteri fideles saltem per quadrantem gratiis agendis immorentur; est enim tunc præclara opportunitas impetrandi gratias.

ARTICULUS III.

DISPOSITIONES NECESSARIÆ AD COMMUNIONEM.

Est dispositio necessaria ex parte animæ et ex parte corporis.

[1] Fidelibus, quibus deest tempus et locus ad se componendum orationi mentali, satis erit, si in ipsis occupationibus elevent identidem mentem ad Deum, et meditentur veritates fidei, ut novissima, Dei beneficia, et ante omnia vitam et passionem Jesu Christi. (*Praxis Conf. n.* 123. 218.)

[1] Doctrina S. Alphonsi in hâc materiâ aliquantum discrepat a doctrinâ, quam tradit S. Franciscus Salesius in *Instit. ad vit. devot. part.* 2. *cap.* 20. Hic enim Communionem hebdomadariam ceu frequentem æstimat, et ad eam exposcit immunitatem ab affectu ad peccatum veniale, magnumque Communionis desiderium. At S. Alph. in cit. *Responso* ostendit hujus discrepationis causam esse auctoritatem cujusdem sententiæ, quæ eo tempore S. Augustino adhuc adscribebatur, et quam postea compertum est non esse S. Augustini; unde concludit quod si S. Franciscus id novisset, isti auctoritati non cessisset. Cæterum S. Franciscus approbat, ut Confessarius concedat præfatis fidelibus pluries etiam in hebdomadâ communicare.

§ I. *Dispositio animæ.*

96. — Ex dictis n. 26. constat imprimis necessarium esse statum gratiæ; quæ quidem necessitas majorem vim habet in hoc Sacramento, quia ipse fons gratiæ in eo continetur, qui est res maxime sancta, et ideo sanctius quam cætera Sacramenta tractari debet. Recipere ergo hoc Sacramentum cum conscientiâ peccati mortalis, ingens est sacrilegium; 1º ob sanctitatem Sacramenti; quam rationem assignat Apostolus I Cor. XI. 29: »Qui manducat et »bibit indigne, judicium sibi manducat »et bibit, non dijudicans Corpus Do»mini," i. e. non discernens ipsum ab aliis cibis; 2º ob significationem ejus; significat enim unionem et amicitiam cum Christo ejusque membris; qui autem est in peccato, non habet hanc unionem; ergo, quantum in se est, falsam reddit significationem hujus Sacramenti, quod est gravis irreverentia; propterea comparatur hoc peccatum cum peccato Judæ, qui osculo tradidit Christum; nam uterque Christo in proprià ejus personâ præbet falsum amicitiæ signum.

Superest expendendum, quomodo homo debeat se disponere ad gratiam, utrum nempe sufficiat contritio, an vero requiratur Confessio.

97. — **Principia.** I. Nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis contritus sibi videatur, absque præmissâ sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet. Ita Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 7. *et can.* 11.; Apostolus enim dicit *loc. cit. v.* 28: »Probet se»ipsum homo, et sic de pane illo edat, »et de calice bibat;" Ecclesiæ autem consuetudo declarat, inquit Trid., Confessionem esse eam probationem necessariam.

II. Licet accipere Eucharistiam, præmissâ solâ contritione absque Confessione, quando urget necessitas communicandi aut celebrandi, et deest copia Confessoris. Ita Trid. *loc. cit.*; ratio est, quia præcepta positiva non obligant cum gravi incommodo.

III. Sacerdos, qui in præfato casu absque prævià Confessione Missam celebraverit, ex præcepto Ecclesiæ quamprimum confiteri tenetur. Ita Trid. *loc. cit.*

98. — **Quæstiones.** Quær. 1º *An præceptum præmittendi Confessionem ante Communionem sit divinum vel ecclesiasticum?*

Resp. Communis et vera sententia, contra paucos, docet præceptum hoc esse divinum. Ratio est, quia ex unâ parte constat de præcepto Christi præmittendi probationem, cum Apostolus ea, quæ de hoc Sacramento tradit, a Domino se accepisse testetur; ex altera parte, Concilium non dicit Ecclesiam hoc jus *introduxisse*, sed *declarasse* tantum; unde colligitur illud esse juris divini. Neque obstat præceptum probationis vocari a Concilio præceptum Pauli; nam Pauli est tamquam promulgatoris. (*n.* 256.)

Quær. 2º *Si quis post Confessionem recordetur alicujus peccati mortalis inculpabiliter obliti, an teneatur ante Communionem illud confiteri?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communissima affirmat; quia verificantur verba Concilii, est nimirum conscius peccati mortalis non confessi; insuper sic explicatur præceptum ab universali Ecclesiæ praxi. Ita Lugo, Suar. Dian. Tambur. Bonac. Croix, Salm. etc.

2ª Sententia valde probabilis negat; quia, qui Confessionem Communioni præmisit, implevit præceptum Confessionis, vi cujus peccatum oblitum est indirecte remissum, et pœnitens probatus exsistit, justificatus nempe non per solam contritionem, sed per Confessionem. Praxis autem fidelium, quæ opponitur, non est habenda ut regula certa obligationis, sed potius ut pius et laudabilis usus, qui suadendus est quoties causa aliqua aliud non suadeat. Ita Cont. Tourn. Pontas, Garzia, Regin. Præpos. Arriag. etc. (*n.* 257. H. A. *n.* 23.)

Quær. 3º *An præfatus homo, si confiteri vel nequeat vel nolit, teneatur ante Communionem actum contritionis elicere?*

Resp. Communiter negant DD.; quia supponitur esse in statu gratiæ per Confessionem factam; ergo non est fundamentum unde et ad quid contritio requiratur: non ex præcepto, quia nullibi invenitur; non ad delendum peccatum, quia jam deletum est. (*n.* 257.)

Quær. 4º *An dubitans num sit in gratia possit communicare?*

Resp. Dist. 1º Si quis dubitet num

graviter peccaverit, potest, non præmissâ Confessione, ad Communionem accedere, et sufficit quod præmittat contritionem. Ratio, quia præceptum probationis, ratione cujus præcepta est Confessio, ut declaravit Trid., ligat solos *conscios*, qui nempe certe sciunt se mortale commisisse, quod nondum confessi sunt, ut idem Trid. declarat; unde præceptum prohibens non incipit possidere, nisi postquam homo sit sui peccati conscius. — Cæterum in praxi omnino suadenda est Confessio, propter conscientiæ tranquillitatem. Excipe tamen eos, qui sunt timoratæ conscientiæ, et non solent lethaliter peccare; hi enim in dubio certe credere possunt se non graviter peccasse, quia ex communiter contingentibus prudens depromitur præsumptio; unde neque ad actum contritionis tenentur.

2º Contra, si quis certus sit de peccato commisso, non potest communicare, nisi certus sit se per Confessionem recuperasse gratiam; quia tunc possidet in eo præceptum prohibens. (*n.* 475. 476. H. A. *n.* 34.)

Quær. 5º *Quæ necessitas excuset a præmittendâ Confessione?*

Resp. Excusat 1º *periculum mortis*, quando scil. moribundus, nisi consecretur hostia pro eo, esset decessurus sine Viatico.

2º *Periculum infamiæ aut scandali*, v. g. si quis jam sit in scamno communicantium, a quo recedere non valet sine notâ; similiter si, allato Viatico ad infirmum, tempus non suppeteret ut Confessio compleretur sine periculo infamiæ; quo casu Sacerdos, audito aliquo peccato, debet moribundum absolvere, imponendo ei ut postmodum integram confessionem faciat, eique Communionem præbere. — Sedulo autem hic advertendum est, scandalum tunc dari, quando datur occasio detrahendi vel temere judicandi; non vero, quando datur solum occasio admirationis. Præterea, quando quis potest aliâ viâ infamiam vitare, aliam excusationem afferendo, cessat necessitas.

3º *Necessitas absolvendi inchoatum Sacrificium*, ut si quis, incœptâ jam Missâ, recordetur se commisisse peccatum mortale, et non esse confessum, vel si in ipsomet actu Sacrificii illud committat, v. g. pravo consensu, dubitatione contra fidem. Et quidem, si id contingat *post Consecrationem*, debet elicere actum contritionis sine Confessione, et prosequi Missam; quia non licet Sacrificium jam substantialiter inchoatum interrumpere: si vero *ante Consecrationem*, debet accersere Confessarium, si adsit et absque notâ fieri possit, ut breviter confiteatur; quia illa prior pars Missæ est extrinseca Sacrificio, et ideo ex rationabili causâ interrumpi potest, sicut fieri solet per concionem. Quod si in posteriori casu confiteri nequeat, dubitatur utrum Missam deserere teneatur? Plures negant; sed alii probabilius affirmant, si sine notâ fieri possit, quod vix eveniet; quia sic statuit Missale *de defect. tit.* 8. *n.* 4. *et* 5. Dico: *probabilius*, non *certe;* quia certum non est Rubricam sub verbo *debet* imponere præceptum grave.

4º *Obligatio ex officio celebrandi Missam*, ut populus ei intersit, dummodo non adsit alius Sacerdos qui celebret, aut celebratio omitti nequeat sine infamiæ periculo. Hic casus respicit Parochos; siquidem aliis Sacerdotibus non licet absque Confessione celebrare, ut alii Missam audiant; quia, cum populus non peccet omittendo Missam dum nullus est qui celebrat, alii Sacerdotes nullam habent obligationem celebrandi. (*n.* 260—263. H. A. *n.* 24. 25.)

Quær. 6º *Quandonam deesse censeatur copia Confessarii?*

Resp. Quando ex unâ parte vel nullus approbatus præsto adest, vel non adest nisi idiomatis ignarus, aut talis, cui sine gravi damno proprio aut alieno confiteri non possit; ex alterâ parte Confessarius absens sine magnâ difficultate adiri nequit.

Magna difficultas æstimanda est, spectatis tum debilitate, ætate, et negotiis personæ, tum circumstantiis tempestatis, brevitatis temporis, distantiæ. Ut porro distantia excuset, alii requirunt duas leucas, alii unam tantum; sed melius id judicandum est ex adjunctis; unde aliquando, spectatâ debilitate Sacerdotis, aut infamiæ sive scandali periculo, vel brevitate temporis in quo celebrare debet, poterit excusare etiam distantia 50 passuum. (*n.* 264.)

Quær. 7º *Quid, si Sacerdos peccatum reservatum commiserit, et non adsit Confessarius facultate absolvendi præditus?*

Resp. Dist. 1º Si, præter reservatum, non habeat aliud peccatum mortale, non tenetur confiteri, dummodo actum contritionis perfectæ eliciat.

2º Si vel aliud peccatum mortale habeat, vel se non esse contritum existimet, tenetur ad confessionem, saltem peccati non reservati. Consule dicenda n. 244. qu. 5. et 6.

Quær. 8º *An deesse censeatur copia Confessarii, si nullus adsit nisi familiaris, apud quem confiteri et quocum deinceps conversari pœnitens erubescit?*

Resp. Negat.; quia præfatum incommodum est *intrinsece* adnexum confessioni, unde, quemadmodum hujusmodi verecundiæ incommodum non excusat a præcepto integritatis confessionis, sic nec etiam a præcepto confessionis. (Spor. *part.* 2. *n.* 484. Gury. *Cas. consc. n.* 287. 288. Lehmkuhl. *vol.* 2. *n.* 151.)

Quær. 9º *Quomodo intelligendum sit præceptum a Conc. Trid. Sacerdotibus impositum, confitendi quamprimum?*

Resp. Duplex hâc de re propositio damnata est ab Alex. VII, scil. 38: »Mandatum Tridentini factum Sacerdoti, »sacrificanti ex necessitate cum peccato »mortali, confitendi quamprimum, est »consilium, non præceptum." 39: »Illa »particula *quamprimum* intelligitur, cum »Sacerdos suo tempore confitebitur."

Porro communiter DD. dicunt sufficere quod Sacerdos intra triduum confiteatur; quia, cum hoc præceptum sit tantum ecclesiasticum, illud *quamprimum* moraliter debet intelligi, prout intelligitur in aliis legibus humanis, ubi illud verbum, aut aliud simile, ex communi interpretatione ad spatium trium dierum extenditur. Verumtamen aliquando per accidens Sacerdos ille teneretur confiteri eâdem die, imo forte eâdem horâ, puta si tunc Confessarium haberet, quo postea per plures dies carebit, vel si cras eadem necessitas urgeret celebrandi, nec posset confiteri. (*n.* 266.)

Quær. 10º *An teneatur confiteri quamprimum celebrans post Confessionem, in quâ inculpabiliter oblitus est alicujus peccati mortalis?*

Resp. Si meminerit *post* celebrationem, utique non tenetur; quod ipsum probabiliter dicendum, etiamsi in Missâ post Communionem recordetur; quia non celebravit conscius peccati, ut requirit Trid. — Si vero meminerit *ante* celebrationem, multi affirmant eum teneri; sed probabile est eum non teneri; quia nec iste dici potest celebrasse conscius peccati sine prævia Confessione, prout dictum est in qu. 2. (*n.* 267.)

Quær. 11º *An celebrans non confessus, qui post Consecrationem recordatur peccati, teneatur confiteri quamprimum?*

Resp. Controv. Alii affirmant; quia tunc vere celebrat conscius peccati sine Confessione propter urgentem necessitatem, quod est totum a Trid. requisitum. Ita Suar. Bonac. Regin. Molfes. etc.

Alii vero probabiliter negant; quia Missale *de defect. tit.* 8. diverso modo loquitur de Sacerdote, qui *ante* celebrationem, et de eo, qui *sub* celebratione habet conscientiam peccati mortalis: nam in primo casu jubet ut conteratur et postea quamprimum confiteatur; in secundo autem casu solum exposcit ut conteratur cum proposito confitendi, quin adjungat *quamprimum.* Ita Vasq. Præpos. Dian. Pelliz. etc., et probabile censet Lugo. (*n.* 267.)

Quær. 12º *An teneatur confiteri quamprimum Sacerdos sacrilege celebrans, qui nempe sine necessitate ex malitiâ celebrat absque Confessione præmissâ?*

Resp. Negat.; tum quia Concilium solum loquitur de illo, qui *necessitate urgente* hoc facit; tum quia adest diversitas, nam hoc præceptum ordinatur ad metum incutiendum iis, qui prætextu necessitatis celebrandi diu differre possent Confessionem, posito autem hoc novo præcepto, diligentius quærent Confessarium: illis autem, qui ex malitiâ id faciunt, non esset utile, sed occasio certa novi peccati absque spe fructûs; illi enim qui, contempto præcepto divino, audent in peccato scienter celebrare, facilius ecclesiasticum contemnent præceptum. *Ita communissime et verius, contra nonnullos.*

Advertendum tamen, Sacerdotem, qui, *urgente necessitate, et deficiente Confessario*, absque Confessione celebrat, licet non præmittat contritionem, comprehendi præcepto confitendi quamprimum; quia verba præcepti non distinguunt inter Sacerdotem habentem vel non habentem contritionem, sed loquuntur de quocumque Sacerdote non præmittente Confessionem *ob necessitatem.* (*n.* 266.)

Quær. 13º *An præfatum præceptum*

Tridentini confitendi quamprimum obliget etiam laicos?

Resp. Communissime et probabilius negatur; quia, cum Concilium nominet *Sacerdotes*, de illis præcise intelligendum est; deinde ratio differentiæ est, quia eo ipso, quod hæc necessitas frequentius accidat Sacerdotibus, merito hâc obligatione præveniuntur, ne facile Confessionem prætermittant. (*n.* 268.)

QUÆR. 14º *An recipere Eucharistiam in peccato veniali, sit novum veniale?*

Resp. Dist. 1º Accedere cum peccato veniali *habituali*, probabiliter non est peccatum; quia est potius defectus perfectæ reverentiæ, quam positiva irreverentia; non est autem ab homine fragili exigenda summa diligentia vel perfectissima dispositio. Ita Suar. Vasq. Soto, Salm. etc., contra Layman. Conc. Dicast. etc.

2º Accedere cum peccato veniali *actuali* concomitante, v. g. ob vanam gloriam, cum voluntariâ distractione, peccatum est; quia est aliqua positiva irreverentia. *Ita communiter et verius, contra nonnullos.* (*n.* 270.)

QUÆR. 15º *An veniale peccatum actuale impediat fructum Sacramenti?*

Resp. Longe communius negatur, et dicitur peccatum veniale non impedire præcipuum effectum Sacramenti, nempe augmentum gratiæ, quamvis impediat aliquos effectus, præsertim fervorem charitatis. Ratio, quia peccatum veniale non *pugnat* cum gratiâ habituali, neque cum quocumque augmento ejus; ergo neque *impedit* illud; deinde, qui accedit in gratiâ, digne accedit, ergo recipit effectum Sacramenti. Ad hæc, si peccatum veniale esset obex gratiæ, sequeretur, accedere ad Sacramentum cum tali dispositione, esse peccatum mortale et indignam sumptionem Sacramenti; quia accipere Sacramentum, ponendo obicem principali effectui ejus, est gravis irreverentia et abusus Sacramenti. Ita S. Thom. Suar. Lugo, Vasq. Sylvius, Soto, Gonet, Tourn. etc. (*n.* 270.)

§ II. *Dispositio corporis.*

Ex parte corporis requiritur 1º capacitas communicandi, 2º decens corporis habitus, 3º carentia inquinamenti, seu corporis munditia, 4º abstinentia cibi et potus, seu jejunium.

Punctum I.

Capacitas communicandi.

99. — Ut quis capax sit ad recipiendam Eucharistiam, opus est ut sacram Hostiam deglutire, et in stomacho retinere valeat.

Primo requisito obstare potest *tussis assidua*: si namque ita assidua esset, ut non permitteret Hostiam in stomachum descendere, ob reverentiam abstinendum esset a Communione, uti habetur in Rit. Rom. *tit. 4. cap. 4. n. 4.* Si vero tussis non adeo continua sit, non impedit Communionem; quia, etiamsi phlegma plerumque extussiatur, non est tamen periculum rejiciendi sacras species, cum via phlegmatum non sit æsophagus, seu via cibi et potûs ad stomachum, sed aspera arteria, seu via respirationis ad pulmones.

Alteri requisito obstat *periculum vomitûs;* si is enim timeatur, potius est omittenda Communio, quam permittenda tanta indecentia, ut tradit Rituale *loc. cit.* Idcirco 1º quando æger *jugi vomitu* laborat, non potest communicare, nisi saltem per sex horas ab illo liber sit, aut nisi aliunde constet periculum vomitûs cessasse. In dubio autem num æger Hostiam sit revomiturus, non licet ei Communionem præbere; quia reverentia Sacramenti præponenda est utilitati infirmi. 2º Si vomitus proveniat *ex cibo*, quotiescumque infirmus eum sumit, debet prius experimenti causâ dari ei hostia non consecrata; quam si retineat, potest ei dari consecrata. (*n.* 292. H. A. *n.* 20. 21.)

Punctum II.

Decens corporis habitus.

100. — Quoniam debetur Sanctissimo huic Sacramento non solum interna, verum etiam externa veneratio et adoratio, necesse est ut is, qui ad illud accedit, in ipso habitu et actione corporis reverentiam ac devotionem præ se ferat. Ideo monet Rit. Rom. *tit. 4. cap. 1. n. 3. 4*: »Omnes... utroque »genu flexo Sacramentum humiliter »adorent, ac reverenter suscipiant, viri, »quantum fieri potest, a mulieribus se»parati. Moneantur præterea communi»cantes, ut, sumpto Sacramento, non »statim ab Ecclesiâ discedant, aut collo»quantur, nec statim vagis oculis cir»cumspiciant, aut exspuant, neque de »libro statim orationes recitent, ne Sa»cramenti species de ore decidant: sed, »quâ par est devotione, aliquantisper »in oratione permaneant, gratias agen»tes Deo de tam singulari beneficio, »atque etiam de sanctissimâ passione »Dominicâ, in cujus memoriam hoc »mysterium celebratur et sumitur."

Exinde 1º debent mulieres ad Communionem modeste accedere, pectore coöperto, et sine vano ornatu: si qua nimis immodeste accederet, ei neganda est Communio.

2º Congruit ut milites, depositis armis, ad sacram mensam accedant; nulla tamen lege ad id obligantur.

3º »Si Sacerdotibus vel aliis ex Clero »danda sit Communio, iis ad gradus »Altaris genuflexis primo præbeatur, vel, »si commode fieri potest, intra sepi»mentum Altaris sint a laicis distincti. »Sacerdotes vero cum stolâ communicent." Ita Rit. Rom. *tit. 4. cap. 2. n. 4.* Hinc, quamvis communiter DD. excusent a mortali Sacerdotem, qui more laicorum sine stolâ in ecclesiâ communicaret; quia res non est admodum gravis, nec usu videtur eo sensu recepta; merito tamen non excusant a veniali, ob præceptum Ritualis. (*n.* 275. 276. H. A. *n.* 58.)

Punctum III.

Corporis munditia.

101. — Nullum corporis inquinamentum *per se* impedit Communionem; quia externus defectus corporis per se non pertinet ad bonitatem vel malitiam moralem. Potest tamen aliquando *per accidens*, propter effectus aliquos ex illo resultantes, impedire Communionem, sive de consilio, sive sub veniali peccato; quia interdum corporis defectus impedit hominem quominus possit ita se disponere, ut cum debita devotione ac reverentia accedat. (*n.* 271.)

Quæstiones. QUÆR. 1º *An pollutio, quæ præcedenti nocte accidit, sequenti die impediat a Communione?*

Resp. Dist. 1º Si fuerit *voluntaria*, adeoque mortalis culpa, sed contritione et Confessione expiata, impedit sub veniali peccato, propter reverentiam tanto Sacramento debitam: nisi tamen scandalum, regula Ordinis, vel alia justa causa exigat Communionem, prout prudenti Confessario videbitur, ut loquitur Missale *de defect. tit. 9. n. 5*: »Si »præcesserit pollutio nocturna, quæ cau»sata fuerit ex præcedenti cogitatione, »quæ sit peccatum mortale, vel evenerit »propter nimiam crapulam, abstinendum »est a Communione et celebratione, nisi »aliud Confessario videatur. Si dubium »est, an in præcedenti cogitatione fuerit »peccatum mortale, consulitur abstinen»dum, extra tamen casum necessitatis." *Ita communiter.*

2º Si fuerit *involuntaria*, per se minime impedit a Communione; quia externa corporis macula, cum jam sit præterita, ad moralem honestatem non pertinet. Idque procedit, etiamsi proveniat ex causâ *venialiter* culpabili; quo casu nonnisi consilium est abstinere. Atvero, si pollutio magnam mentis perturbationem reliquerit, esset peccatum veniale cum eâ accedere ad Eucharistiam; nisi tamen homo quod in se est faciat, ut eam repellat ac devote accedat, vel nisi justa aliqua causa necessitis aut devotionis aliud expostulet. Consonat Missale *loc. cit.* ubi hæc habet: »Si autem certum est non fuisse in »præcedenti cogitatione mortale, vel nul»lam fuisse cogitationem, sed pollutionem »evenisse ex naturali aut ex diabolicâ »illusione, potest communicare et cele»brare, nisi ex illâ corporis commotione »tanta evenerit perturbatio mentis, ut »abstinendum videatur." *Ita communiter.* (*n.* 272.)

QUÆR. 2º *An copula conjugalis, si præcesserit, impediat a Communione?*

Resp. Dist. 1º Si copula habita fuerit *cum peccato veniali*, puta voluptatis causâ, erit peccatum veniale accedere ad Communionem; quia id excusari nequit ab aliquâ indecentiâ. Excusat tamen quævis honesta causa, v. g. solemnitas occurrens, scandalum vitandum, periculum notæ, jubilæum sive indulgentia lucranda, specialis devotio, etc.

2º Si copula habita fuerit *sine peccato*, puta petita ex honestâ causâ, vel reddita comparti petenti, erit consilium abstinere, nulla vero obligatio. Ratio est, quia finis honestus in petitione actum omnino cohonestat, atque adeo reparat

indecentiam, quæ adest in communicando post copulam; redditio autem debiti, cum sit obligatio justitiæ et proinde actus virtutis, non est quod hominem a Communione impediat. *Ita communiter.*

Notandum denique, debiti redditionem per diem, post Communionem, nullam esse culpam. Idem communius censent de ejusdem petitione, addendo consilium esse ab eâ abstinere. (*n.* 273. 274. H. A. *n.* 57.)

QUÆR. 3° *Quid respondere debeat Confessarius uxori sciscitanti num debitum reddere teneatur nocte ante Communionem?*

Resp. Dist. 1° Si uxor frequenter communicare soleat, v. g. singulis Dominicis, respondeat eam obligari ad reddendum, ne periculo exponatur peccandi contra justitiam vel charitatem.

2° Si non frequenter communicet, sed tantum in præcipuis festis, suadeat illi ut honestis precibus roget virum abstinere in honorem Communionis, modo non incurrat illius indignationem. Quodsi rogatio non proficiat, debet reddere debitum, et poterit communicare, nisi patiatur ex redditione insolitam distractionem, nec conetur eam repellere. (*n.* 274.)

QUÆR. 4° *An liceat mulieribus communicare tempore fluxûs menstrui, aut purgationis post partum?*

Resp. Affirm.; consilium tantum est abstinere, si Communionem differre commode possint. *Ita communiter et probabilius.* (*n.* 275. H. A. *n.* 58.)

QUÆR. 5° *An sordes patentes corporis, v. g. scabies, impediant a Communione?*

Resp. Dist. 1° Si macula *brevi* auferenda speretur, et commode differri possit Communio, reverentia postulat ut per breve tempus differatur.

2° Si sit *perpetua* aut *diuturna*, et involuntaria, non est quod aliquis alimoniâ cœlesti privetur. Verumtamen Sacerdos infectus morbo horrorem afferente, prohibetur celebrare *in publico*, propter scandalum et horrorem populi; secreto vero celebrare potest. (*n.* 275. H. A. *n.* 58.)

Punctum IV.

Jejunium.

Explanabimus 1° obligationem jejunii; 2° causas ab eo excusantes.

1. *Obligatio jejunii.*

102. — **Principia.** I. Ante Communionem necessarium est, ex gravi præcepto Ecclesiæ, servare jejunium *naturale*, id est, abstinentiam ab omni cibo et potu. Constat ex consuetudine Ecclesiæ, a temporibus Apostolorum servata. Rationes autem congruentiæ sunt: 1° propter reverentiam huic Sacramento debitam, et ut fideles assuescant discernere inter hunc sacrum cibum et alios communes; 2° propter spiritualem significationem, ut indicetur fidelibus Christum debere esse *primum* et *primarium* eorum cibum; 3° ut mens sit liberior et expeditior ad res spirituales et divinas tractandas.

II. Quicumque cibus vel potus, etiamsi sit in minimâ quantitate, et sub intentione medicinæ, si tamen per modum cibi vel potûs sumatur, impedit susceptionem hujus Sacramenti. Ratio est, quia prædicta Ecclesiæ consuetudo præceptum ita interpretatur.

Dictum est 1° *in minimâ etiam quantitate;* quia non est levitas materiæ in proprio actu, in quem cadit præceptum; non enim prohibetur cibus vel potus, sed Communio post cibum vel potum; hoc autem præceptum simpliciter violatur in suo actu principali, etiamsi jejunium in parvâ materiâ solutum sit.

Dictum est 2° *etiam per modum medicinæ;* quia nihil refert quod id, quod sumitur, per modum medicinæ sumatur, cum hoc pertineat ad finem extrinsecum operantis, non ad proprium actum, quem intrinsece respicit præceptum, qui est comedere et bibere; medicina enim vere comeditur aut bibitur; ergo quâcumque intentione fiat, frangitur jejunium.

Ex hoc principio deducitur, tres conditiones exposci ad frangendum jejunium naturale, ut nimirum id, quod sumitur, 1° ab extrinseco proveniat, et in stomachum trajiciatur; 2° ut sumatur per modum comestionis aut potationis; non autem per modum salivæ aut respirationis; 3° ut habeat rationem cibi vel potûs, i. e., ut sit quid alterabile in stomacho. (*n.* 278.)

III. Jejunium hoc servandum est a principio diei naturalis, i. e. a mediâ nocte usque ad Communionem. Ita ex consuetudine Ecclesiæ.

103. — **Resolutiones.** 1° Non solvit jejunium, qui deglutit, etiam de industriâ, sanguinem defluentem e capite vel e gingivis, aut saniem ex pustulâ oris manantem; quia hæc proveniunt ab intrinseco, et ore non sumuntur ab extrinseco. Secus vero, si quis sugeret sanguinem ex digito, vel lacrymas ex oculis manantes. (*n.* 279.)

2° Si quis pulverem, pluviam, nivem, muscam, casu deglutiat, non solvit jejunium; quia hæc deglutitio non habet rationem comestionis, sed respirationis. Secus vero, si hæc ex proposito deglutiret. (*n.* 280.)

3° Unam alteramve guttam aquæ, aut jusculi degustati, cum salivâ admixtam, præter intentionem deglutire, non solvit jejunium; quia non est potatio, sed deglutitio salivæ. Constat etiam ex Missali *de defect. tit.* 9. *n.* 3., ubi decernitur non frangi jejunium, »si lavando os deglutiatur stilla aquæ, præter »intentionem." Contra vero, solvit jejunium, si quis *ex proposito* guttam deglutiat; quia tunc fit vera potatio. Confirmatur ex Missali *loc. cit.*, quod, dum adjungit *præter intentionem*, insinuat frangi jejunium, si ex intentione fiat. (*n.* 279.)

4° Solvit jejunium is, qui ante somnum mittit saccharum in os, ad emolliendam raucedinem, si totum non fuit ante mediam noctem liquefactum; quia est continuata comestio. (*n.* 279.)

5° Non solvit jejunium pulvis tabaci sumptus per nares, si casu aliquid descendat in guttur, et trajiciatur; quia non sumitur ad modum comestionis, sed attractionis. (*n.* 280.)

6° Neque fumus tabaci ore haustus frangit jejunium, etiamsi voluntarie deglutiatur; tum quia non est cibus nec potus, tum quia non sumitur per modum comestionis aut potationis; alias dicere deberemus frangere jejunium etiam eos, qui in culina ciborum fumum exciperent. (*n.* 280.) — Idem videtur dicendum de succo seu odore camphoræ, qui ad modum fumi tabaci hauritur (gallice: *cigarette de Raspail.*)

7° Non frangit jejunium tabacum aut aromata dentibus attrita, dummodo succus exspuatur; imo, etiamsi præter intentionem deglutiatur modicum succi, salivæ inseparabiliter admixti, aut minima particula insensibiliter immixta salivæ; quia hæc non per modum cibi, sed per modum salivæ trajiciuntur. Secus vero, si integrum granum deglutiretur. Omnes autem conveniunt hujusmodi masticationem esse indecentem ante Communionem; unde non est immunis a culpâ veniali, nisi aliqua causa subsit. (*n.* 280. H. A. *n.* 40.)

8° Minime frangunt jejunium res indigestibiles, ut capilli, ungues, metallum, lapilli, vitrum, fila ex serico aut lanâ, ossicula fructuum omnino depurata. Contra, frangunt jejunium quævis res digestibiles, ut charta, palea, lignum, filum ex lino, cera, pulvis medicinalis, et similia. (*n.* 281.)

104. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An trajectio reliquiarum cibi, quæ inter dentes manserunt ex præcedenti die, solvat jejunium?*

Resp. Dist. 1° Trajecto *involuntaria* non solvit jejunium; quia non est comestio, sed deglutitio salivæ, quâcum transeunt. Constat ex Missali *de defect. tit.* 9. *n.* 3.

2° De trajectione *voluntariâ* controvertitur. *Prima sententia* probabilis negat; quia neque censentur sumi per modum cibi vel potûs, sed per modum salivæ, neque censentur eo die venire ab extrinseco, sed ab intrinseco, ac denique censentur antecedentis cœnæ complementum, non nova comestio. Favet Missale *de defect. tit.* 9. *n.* 3., ubi indistincte dicitur: »Si reliquiæ cibi ma»nentes in ore transglutiantur, non »impediunt Communionem, cum non »transglutiantur per modum cibi, sed »per modum salivæ." Ita Suar. Elbel, Quarti, Palaus, Coninc. Henriq. etc.

Secunda sententia communior et probabilior affirmat; quia voluntaria reliquiarum trajectio 1° videtur esse nova comestio, cum ex vi prioris non sequatur, sed novâ actione voluntariâ fiat; 2° non videtur fieri per modum salivæ. Ergo hic videtur esse sensus Rubricæ Missalis. Ita S. Thom. Lugo, Roncag. Laym. Vasq. Bonac. Tourn. etc.

Hinc, quamvis in hoc negotio non sit scrupulose agendum, consulendum tamen est ut reliquiæ a dentibus avulsæ, quæ super linguâ sentiuntur, exspuantur; non est autem obligatio adhibendi curam ad illas reliquias e dentibus extrahendas, aut jam extractas intra oris angulos quærendas, ut exspuantur, etiamsi prævideantur deglutiendæ postea; alias enim hoc præceptum esset innumeris scrupulis et perplexitatibus obnoxium, quod certe præsumitur Ecclesia noluisse. Ita Lugo, Bened. XIV, quorum sententiam S. Alph. libenter sequitur. (*n.* 279. H. A. *n.* 36.)

Quær. 2° *An possit quis communicare, si cibo ante mediam noctem sumpto, non dormierit, nec cibum concoxerit?*

Resp. Affirm. per se; quia nullo jure prohibetur; constat etiam ex Missali *de defect. tit.* 9. *n.* 2. *Per accidens* vero, si esset periculum vomitûs, vel alterius similis irreverentiæ, non liceret communicare. Præterea tradit Missale: »Ob perturbationem mentis, ex quâ de»votio tollitur, consulitur aliquando ab»stinendum." Hoc tamen intelligendum, nisi homo conetur perturbationem illam sive animi torporem repellere, faciendo quod in se est ut devote accedat, maxime si insomnia vel indigestio ex causâ naturali provenerit, non ex intemperantiâ, prout diximus de eo, qui pollutionem passus est. (*n.* 289.)

Quær. 3° *An liceat edere et bibere statim post Communionem?*

Resp. Olim præceptum erat jejunium post Communionem usque ad Sextam; sed hoc præceptum jam dudum abrogatum est. Cæterum oportet regulariter post Communionem aliquo tempore a communi cibo et potu abstinere, propter Sacramenti reverentiam, saltem quamdiu species consecratæ perseverant in stomacho (ut per horæ quandrantem, saltem pro Sacerdotibus), nisi aliqua rationabilis causa excuset; alias talis comestio a culpa veniali immunis non erit. *Ita communiter.* (*n.* 283. H. A. *n.* 45.)

Quær. 4° *An liceat exspuere statim post Communionem?*

Resp. Id quidem culpâ vacat, modo nullum Hostiæ fragmentum remanserit in ore: congruum tamen est per aliquod temporis intervallum abstinere ab exspuendo. *Ita communiter.* (*n.* 283.)

Quær. 5° *Quomodo computandum sit tempus mediæ noctis?*

Resp. Accipiendum est physice, non moraliter. Porro medium noctis designatur, quando sonat primus pulsus horæ; index enim horologii, dum sonant alii pulsus, jam pertransit aliquod spatium sequentis horæ, ut observanti patet. Propterea nequit communicare, qui cibum deglutit post primum pulsum mediæ noctis. (*n.* 282.)

Quær. 6° *An in dubio num fregerit jejunium, possit quis communicare?*

Resp. Controv. Distingui solet duplex dubitatio: 1° Si dubitet num aliquid comederit vel biberit, negant multi, eo quod legi certæ non communicandi absque jejunio non fiat satis per dubiam satisfactionem; deinde id non videtur carere gravi irreverentia. Ita Sanch. Roncag. Salm. Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 100. etc.

Alii tamen communius et probabilius affirmant; quia lex jejunii non prohibet cibum vel potum, sed prohibet Communionem post cibum vel potum; exinde, ut exoriatur prohibitio communicandi, probandum est factum jejunii fracti; consequenter in dubio facti fundantis legem, instituto examine, possidet libertas communicandi. Adhæc, non agit contra reverentiam, qui utitur jure suæ libertatis, maxime si ex devotione ad Communionem accedit. Ita Lugo, Castropal. Laym. Croix, Spor. Dian. etc.

2° Si quis certo sciat se comedisse, sed dubitet an post mediam noctem comederit, negant Lugo, Bened. XIV et alii; quia eo casu videtur ipsi incumbere onus probandi se post mediam noctem non comedisse. Sed, pace tantorum virorum, S. Alph. sustinet rationem supra adductam etiam in hoc casu valere; si namque, ut quis communicare nequeat, probandum est factum quod aliquid sumpserit, eâdem ratione probari oportet factum quod sumpserit post mediam noctem. Ita alii DD. supra citati. (*n* 282. *lib.* 1. *n.* 38. 39.)

Ex dictis consequitur, fas esse inter plura horologia dissona illud sequi pro Communione, quod nondum dedit signum mediæ noctis, dummodo non constet de errore, vel horologium istud ex eorum numero non sit, quæ ut plurimum errant, quippe quæ semper errare præsumuntur. Ratio est, quia singula bona horologia gignunt conjecturam probabilem. *Ita communiter.* (*n.* 282.)[1]

2. *Causæ excusantes a jejunio.*

105. — Duo sunt capita, ex quibus fieri potest ut hoc præceptum non obliget: unum est necessitas ex parte hominis, alterum ex parte ipsius Sacramenti. Exinde quatuor enascuntur causæ, propter quas potest homo non jejunus hoc Sacramentum accipere; nimirum:

I. **Ex parte hominis:** 1° In *mortis periculo*, quando oportet Viaticum accipere, et homo non potest commode jejunus exspectare. Hujusmodi casus non solum habet locum in periculo mortis naturalis, sed etiam violentæ, v. *g.* ex sententia judicis, quando nec anticipari potest Communio, nec differri supplicium. Quod infirmos attinet, si ægrotus facile et sine periculo sequenti die possit sumere Viaticum, tenetur utique exspectare; secus vero, si mors instare timeatur, vel si nequeat commode exspectare, puta si deberet differri medicina opportuna, vel esset deferenda Eucharistia intempestâ nocte. Cæterum in hoc negotio non est scrupulose procedendum, cum Concilium Constantiense *sess.* 13. et Rit. Rom. *tit.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. absolute eximant a lege jejunii periculose decumbentes. (*n.* 284. 285. *ante Dub.* 4. H. A. *n.* 49.)

2° Ad *vitandum grave scandalum populi*, quod aliter vitari nequeat. Scandalum tunc dicitur, quando datur occasio detrahendi, vel temere judicandi; non autem, quando datur solum occasio admirationis. Casus esset, v. g. si Sacerdos, dum celebrat publice, ad altare recordaretur se non esse jejunum; vix enim tunc poterit desistere a Missâ sine scandalo, nisi sit notæ aut saltem præsumptæ probitatis. (*n.* 287. 257.)

II. **Ex parte Sacramenti:** 1° Ad *perficiendum sive consummandum Sacrificium:* quod multimodis evenire potest: nimirum quando Sacerdos a) loco vini aquam calici infudit, idque advertit dum illam sumpsit; tunc enim debet iterum consecrare et sumere, vel utramque speciém, vel saltem, si celebret publice, vinum. Recole dicta n. 72. qu. 4. — b) Quando Sacrificium inchoavit, et post Consecrationem ægritudine correptus non potest illud perficere; tunc enim, si non adsit Sacerdos jejunus, qui possit perficere Sacrificium, potest et debet illud perficere alius non jejunus. — c) Si post Consecrationem alicujus speciei recordetur se jejunum non esse; quo casu debet Missam perficere. — d) Si necesse sit sumere reliquias hujus Sacramenti post sumptam calicis ablutionem; quia sumptio reliquiarum est veluti complementum actionis Sacrificandi, et convivii ibi peracti. Recole dicta n. 88. qu. 5.

Advertendum hoc loco est, sumptionem Hostiæ in vino vel aquâ, sive fiat a Sacerdote sive a laico, nequaquam lædere legem jejunii; quia, quamvis vinum vel aqua prius trajiciatur quam Hostia, tota tamen sumptio censetur moraliter una. *Ita communiter, et certum est.* Idcirco, si contingat in Missâ particulam Hostiæ, quæ cum Sanguine fuit mixta, adhærere calici post Sanguinis sumptionem, potest Sacerdos eam sumere cum ablutione. Pariter licet dare ægroto Hostiam in vino vel aquâ, si ob oris siccitatem nequeat aliter eam deglutire. Præterea, licite datur cuilibet communicanti vinum vel aqua, si contingat fragmentum Hostiæ ita palato adhærere, ut non possit illam trajicere. (*n.* 288. H. A. *n.* 54.)

2° Ad *vitandam gravem aliquam irreverentiam contra Sacramentum*, puta, si periculum sit ne comburatur, aut ne deveniat in manus hæreticorum vel infidelium, a quibus injuriose tractabitur. Hoc in casu, si desit Sacerdos, potest laicus ipse sibi Eucharistiam sumere; potest quoque Sacerdos eam præbere laicis non jejunis. (*n.* 287. H. A. *n.* 52.)

106. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An in eâdem ægritudine liceat sæpius Viaticum ministrare infirmo non jejuno?*

Resp. Affirm., non solum si novum recurrat periculum, verum etiam dum idem perseverat; quia non sola obligatio divini præcepti causa est quod

[1] Ubi horologia adhibentur tempori medio accommodata, ut astronomi loquuntur, fas est ea sequi, tam in jejunio naturali servando, quam in Officio divino recitando, ut declaravit S. Pœnit. 18 Jun. 1873. et 29 Nov. 1882. (Acta S. Sed. *Vol.* 7. *pag.* 399. *Vol.* 15. *pag.* 445.)

Ecclesia in eo articulo non obliget ad jejunium, sed etiam necessitas auxilii et solatii hujus Sacramenti, quæ tempore mortis maxima est, puta ob tentationes. *Ita communiter.* Idcirco docet Benedict. XIV[1]: »Episcopus insinuet Parochis posse »et debere Viaticum in eâdem infirmitate »iterum ac tertio administrari, præsertim »si ægrotus exposcit: et, si velit, pœnam »decernat in Parochos, qui ægrotis de»vote postulantibus, iterum ac tertio »Eucharistiam deferre detrectent falsis »prætextibus." (*n.* 285.)

QUÆR. 2° *Quanto tempore, in præfato casu, debeat distare una Communio ab aliâ?*

Resp. Communior sententia censet distare debere octo diebus circiter. Sed non improbabiliter plures dicunt, quando infirmus solitus erat frequenter ex devotione communicare, et mortis periculum instare videtur, Viaticum posse sequenti die iterari; imo alii admittunt universe iterari posse quolibet die. (*n.* 285. H. A. *n.* 47.)

QUÆR. 3° *Quando censendus sit infirmus esse in periculo mortis?*

Resp. Non est necesse, nec laudabile, exspectare tempus, quo nulla amplius spes vitæ superest, sed sufficit quod adsit periculum probabile mortis, i. e. probabile sit mortem longe non abesse, præsertim quando timendum est, ne æger repentinâ morte corripiatur aut brevi sensibus destituatur. (H. A. *n.* 46.)

QUÆR. 4° *An possit Sacerdos celebrare non jejunus, ad ministrandum Viaticum?*

Resp. Dist. 1° Ad ministrandum Viaticum sibimetipsi, affirmative; quia non plus est celebrare quam communicare absque jejunio, quare dispensatus ad hoc est etiam dispensatus ad illud.

2° Ad ministrandum illud alteri, controvertitur. Aliqui probabiliter affirmant; communiter vero et probabilius negatur. Sed casus parum est practicus, siquidem Ecclesia providit ut semper servetur Eucharistia pro infirmis. (*n.* 286.)

QUÆR. 5° *An liceat aliquando extra mortis periculum, si morbus est diuturnus, Communionem dare infirmo non jejuno, qui jejunium servare nequit?*

Resp. Negandum videtur; quia Ecclesia solum excipit casum Viatici suscipiendi; porro docet Bened. XIV in Epistolâ *Quadam de more.* 24 Mart. 1756. § 4: »Ut alicui expressis casibus »non comprehenso liceat, etsi non jejuno, »sacra participare mysteria, necesse erit »eumdem expressâ dispensatione juvari; »quæ porro dispensatio a nemine, præ»ter Romanum Pontificem, potest in»dulgeri." Idem docent Theologi, ut Suar. *disp.* 68. *sect.* 5. *n.* 2. 3. 5. Lugo. *disp.* 15. *n.* 55. 64. et alii communiter.

Non obstat Conc. Constantiense, dum *sess.* 13. dicit: »Hujusmodi Sacramen»tum non debet confici post cœnam, »neque a fidelibus recipi non jejunis, »nisi in casu infirmitatis aut alterius »necessitatis a jure vel Ecclesiâ concesso »vel admisso." Etenim casus infirmitatis *a jure vel Ecclesiâ concessus vel admissus*, est solus casus periculi mortis, quando Viaticum accipiendum est, ut liquido constat ex Rituali Rom. *tit.* 4. *cap.* 4. *n.* 4. Videtur in eo casu Eucharistiam nocte interdum deferri posse, præsertim tempore paschali.

QUÆR. 6° *An liceat Sacerdoti, qui ex inadvertentiâ aliquid cibi vel potûs sumpsit, celebrare, ut populus Missam audire possit in die festo?*

Resp. Secluso gravi scandalo, *negat.*; quia ob reverentiam erga SS. Sacramentum multo rigidius est præceptum jejunii, quam præceptum audiendæ Missæ; patetque ex praxi Ecclesiæ, quæ multo facilius admittit causas excusantes a Missâ, quam a jejunio. Porro scandalum adesse potest, si prævideatur gravis offensio populi, gravis suspicio vel sinistra dicteria contra Sacerdotem, aut periculum ne complures, quamvis commode possent ac deberent alio se conferre ad audiendam Missam, ex inopinato illo casu ansam sumant cum peccato gravi Missam negligendi. Sola populi admiratio non est causa sufficiens. Ita Concil. Nemaus. apud Bened. XIV. Constit. *Declarasti nobis.* 16 Mart. 1746. — S. Alphons. *n.* 287. Suar. *disp.* 80. *sect.* 3. Lugo. *disp.* 20. *n.* 46. 47. Laym. *lib.* 5. *tr.* 5. *cap.* 4. *n.* 6. Salmant. *tr.* 5. *cap.* 4. *n.* 12. Croix. *lib.* 6. *p.* 1. *n.* 582. Lehmkuhl. *vol.* 2. *n.* 162. *sub* 5.

[1] De Syn. *lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 5.

PARS SECUNDA.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

Materia pertractanda sub quatuor capitibus continebitur, quæ sunt 1° notio Sacrificii Missæ; 2° ejusdem valor et fructus; 3° obligationes Sacerdotum circa applicationem fructus Missæ; 4° obligationes Sacerdotum circa celebrationem Missæ.

CAPUT I.

NOTIO SACRIFICII MISSÆ.

107. — Sacrificium *in genere* definitur: oblatio rei sensibilis per aliquam ejus immutationem sive destructionem, a legitimo ministro facta Deo, ad testandum supremum Dei in nos dominium nostramque subjectionem.

Sacrificium ratione finis dividitur 1° in *latreuticum*, quod offertur ad cultum Deo tamquam supremo Domino exhibendum; 2° *eucharisticum*, in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis; 3° *impetratorium*, ad beneficia obtinenda; 4° *propitiatorium*, ad placandum Deum, pro peccatis condonandis, et avertendis pœnis. (*n.* 304.)

108. — Sacrificium *Missæ* est oblatio Corporis et Sanguinis Christi sub speciebus panis et vini. — Unum Sacrificium Missæ quatuor recensitas species sacrificiorum perfecte continet. Est latreuticum, in quantum offertur Deo in agnitionem supremi ejusdem dominii: eucharisticum, in quantum fit in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis: impetratorium gratiarum per merita Christi: propitiatorium in remissionem peccatorum, ac debitæ iis pœnæ.

Incruentum Missæ Sacrificium substantialiter idem est ac cruentum Crucis Sacrificium, cum in utroque sit eadem res oblata, idemque principalis offerens. Differunt solum accidentaliter quoad modum offerendi; etenim 1° Sacrificium Crucis per realem passionem et mortem Christi oblatum est, Sacrificium vero Missæ per modum mysticæ mactationis perficitur; 2° illud obtulit ipse solus Redemptor, hoc vero idem offert ministerio Sacerdotum; 3° illud fuit meritorium, quia in Cruce solutum est pretium nostræ Redemptionis, hoc vero applicat tantum merita Christi; aliis verbis, Sacrificium Crucis operatum est nostram redemptionem quantum ad sufficientiam soluti pretii, Sacrificium vero Missæ applicat quoad efficaciam fructum illius Sacrificii. (*n.* 304.)

Tres distinguuntur Sacrificii Missæ offerentes, qui tamen diverso modo illud offerunt, videlicet 1° Christus Dominus, ut Summus Sacerdos, qui principaliter offert; 2° Sacerdos, ut proprius et immediatus minister, qui consecrat et celebrat; 3° Ecclesia, seu universus populus fidelis; idque vel modo *generali*, in quantum Sacerdos est totius Ecclesiæ mediator deputatus, ut Sacrificium offerat nomine totius corporis; vel modo *speciali*, moraliter cooperando ad Sacrificium, nempe procurando ut Missa pro se offeratur, ministrando, et assistendo Sacrificio: quocirca tanto perfectius quis rationem offerentis participat, quanto propius vel pluribus modis cooperatur. Igitur Ecclesia offert Sacrificium mediante Sacerdote; Sacerdos vero tamquam minister Christi et mediator populi fidelis. (*n.* 307.)

109. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *In quo consistat essentia Sacrificii Missæ?*

Resp. Magna est hæc quæstio inter DD. Missis aliis sententiis, quæ probabiles non videntur, duas recensemus probabiles. 1ª Sententia communior contendit eam consistere in solâ Consecratione; quia in Consecratione adsunt omnia requisita ad Sacrificium, nempe repræsentatio passionis Christi, seu destructio victimæ, dum vi verborum Corpus et Sanguis Christi separantur, atque ideo sacramentaliter mactatur victima. Sumptio pertinet ad integritatem Sacrificii, in quantum ad extrinsecam ejusdem consummationem requiritur ut Sacerdos de eo participet. Ita S. Antonin. Suar. Vasq. Gonet, Collet, Habert, Conc. Roncag. Croix, Salm. *Theol. mor.* etc.

2ª Sententia probabilior docet eam consistere partim in Consecratione, partim in Sumptione: in Consecratione nempe ponitur victima, in Sumptione consumitur. Etenim ad essentiam veri Sacrificii non sufficit mactatio *mystica* victimæ, seu *repræsentatio* passionis et mortis Christi, qualis fit in Consecratione, sed insuper requiritur *realis* destructio victimæ; atqui realis destructio nulla fit in Consecratione, sed in Sump-

tione; ergo Sumptio est pars essentialis Missæ. *Prob. min. prior pars.* Victima Sacrificii Missæ est Christus, non nudus, sed sub speciebus panis et vini; atqui in Consecratione Christus eo modo ponitur tantum, sed *vere* non destruitur. Nec juvat dicere: fieret realis destructio, nisi impediret naturalis concomitantia; nam, si hæc impediat realem immutationem, impedit quoque Sacrificium, quippe quod sine reali destructione non perficitur. *Prob. posterior pars.* Sumptio namque vitam sacramentalem Christi vere et realiter destruit. Non obstat dicere, in hâc sententiâ Sacrificium perfici post Missam, quando species corruptæ erunt; nam mactationem victimæ constituit actio occisiva, antequam victima moriatur; siquidem eâ actione humano modo jam censetur occisa; unde similiter comestio est destructio sufficiens ad Sacrificium ante actualem corruptionem specierum. Ita Lugo. *disp.* 19. *n.* 64. *et seqq.;* Lessius. *De Euch. qu.* 83. *n.* 33. Abelly. *De Sacrif. Miss. tr.* 1. *cap.* 4. *sect.* 11. § 2. Salmant. *Theol. dogm. disp.* 13. *n.* 29—46. Bellarm. Cano, Soto, Tournel. Bonac. et alii. (*n.* 305.) Hanc videri esse sententiam D. Thomæ, testatur Bened. XIV. *De sacrif. Miss. sect.* 1. *n.* 342.

QUÆR. 2° *An Consecratio utriusque speciei sit de essentia hujus Sacrificii?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia singulâ Consecratione producitur totus Christus, simulque repræsentatur passio et mors Christi, nam eo ipso quod vi verborum Corpus solum consecratur vel solus Sanguis, illud producitur ut exsangue, hic vero ut effusus, seu separatus a Corpore exsistens. Ita Collet, Bonac. Henriq. Nugno, Major, etc.

2ª Sententia communior et probabilior affirmat; quia de essentia hujus Sacrificii est expressa repræsentatio Sacrificii cruenti; hæc autem non fit nisi per Consecrationem utriusque speciei; nam, sicut Sacrificium cruentum perfectum non fuit sine effusione Sanguinis, ita neque Sacrificium incruentum perficitur, nisi sacramentaliter in eo Sanguis effundatur, i. e., separatim a Corpore consecretur; et e converso, sicut in illo non fuit Sanguis effusus nisi a Corpore, nec Sacrificium perfectum fuit nisi per mortem Corporis, ita neque hoc perfici potest sine Corporis Consecratione et sacramentali mactatione. Ita Suar. Lugo, Palaus, Tournel. Salm. *tr.* 4. *cap.* 2. *n.* 17. Vasq. Coninc. Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 83. etc. (*n.* 306.)

CAPUT II.

VALOR ET FRUCTUS MISSÆ.

Trademus 1° notionem fructûs Missæ, 2° modum ejus applicationis.

ARTICULUS I.

NOTIO EJUS.

110. — *Valor* Sacrificii est virtus, quam habet ex dignitate rei oblatæ et principalis offerentis, ad conferenda bona offerentibus, et iis pro quibus offertur. *Fructus* seu *effectus* sunt bona ipsa, quæ intuitu Sacrificii Deus confert. Unde valor a fructu differt, quemadmodum causa ab effectu.

Fructus Missæ distinguitur ex triplici capite: 1° Ex parte *causæ*, est vel *ex opere operato*, qui confertur ex institutione et promissione Christi: vel *ex opere operantis*, qui confertur intuitu meriti et devotionis celebrantis.

2° Ex parte *rei*, est quadruplex, scilicet: *meritorius*, i. e. augmentum gratiæ sanctificantis: *propitiatorius*, nempe remissio peccatorum tam mortalium quam venialium: *satisfactorius*, videlicet remissio pœnæ temporalis peccatis condonatis adhuc debitæ: *impetratorius*, i. e. impetratio bonorum tam spiritualium quam temporalium.

3° Ex parte *participantium*, distinguitur fructus *generalis*, cujus fideles omnes, vivi et defuncti, fiunt participes: *specialis* seu *medius*, cujusmodi duplex est, alter, quem recipiunt concurrentes ad Sacrificium, puta assistentes, ministrantes; alter, quem Sacerdos iis applicat, pro quibus specialiter Sacrificium offert: *specialissimus*, quo fruitur Sacerdos celebrans. (*n.* 312.)

111. — Sacrificium Missæ est valoris intensive et extensive infiniti quoad *sufficientiam*, ratione infinitæ dignitatis Christi, qui in eo est victima et principalis offerens. Dicitur 1° *intensive infinitus*, quatenus sufficit ad producendum fructum magis ac magis intensum: 2° *extensive infinitus*, quoad multitudinem effectuum in innumeris hominibus. Ratio est, quia Missæ Sacrificium idem est, etsi modo diverso oblatum, cum Crucis Sacrificio, quod fuit infiniti valoris.

Hic autem celebris occurrit quæstio, inter DD. valde controversa, *utrum, quoad* EFFICACIAM, *fructus Sacrificii Missæ sit infinitus?*

Resp. 1ª Sententia docet effectum Missæ non esse finitum, nisi ex finitâ capacitate hominum, qui illum participant, quorum unusquisque percipit fructum secundum mensuram suæ dispositionis, ac consequenter Missa oblata pro multis tantum prodest singulis, quantum si pro uno offerretur. Ratio, quia hoc Sacrificium, cum sit veluti organum continens in se totam virtutem Sacrificii Crucis, operatio ejus ex se illimitata est. Ita Cajet. Sylvest. Cano, Vasq. Collet, Salm. Gonet, etc.

Nihilominus non licet plura stipendia accipere pro una Missâ; nam stipendium non datur ut pretium Missæ, sed pro sustentatione ministri, quare deficit titulus accipiendi duplex; deinde, cum sententia opposita sit probabilis, non potest Sacerdos pro stipendio certo incertum Missæ fructum applicare.

2ª Sententia communis et multo probabilior docet effectum Missæ *ex opere operato* esse finitum ex institutione et voluntate Christi, idcirco, si pro pluribus offeratur, dividendus est fructus inter illos, ideoque quo fuerit pro pluribus oblata, eo minor fructus ad singulos pervenit. Probatur ex usu et sensu Ecclesiæ; etenim, si non esset a Christo determinatus fructus, a) nunquam deberent Sacerdotes uni tantum applicare Sacrificii fructum; cur enim privarent cæteros tanto fructu, si absque unius detrimento possent multi alii æqualem fructum percipere? b) posset Sacerdos, citra injustitiam, postquam a pluribus stipendium accepit, omnibus satisfacere unico Sacrificio, totum illud singulis applicando; sed hoc proscripsit Alex. VII in prop. damn. 10: »Non »est contra justitiam pro pluribus Sa»crificiis stipendium accipere, et Sacri»ficium unum offerre;" c) superflua foret Sacrificii iteratio pro eâdem personâ vel pro eodem objecto; quinimo uno Sacrificio evacuandum esset purgatorium; d) inanis videtur applicatio fructûs specialis Missæ facta a Sacerdote, siquidem fructus unice dependeret ex dispositione hominum; hoc autem damnavit Pius VI in Bulla *Auctorem fidei.* prop. 30. infra referendâ. Confirmatur ex eo quod Christus voluerit ut hoc Sacrificium frequentetur, unde oportuit efficaciam ejus limitare.

Nihilominus, juxta hanc sententiam, fructus ille, quem accipiunt fideles quatenus *offerentes* sunt, dicendus est infinitus *extensive*, ita ut non minuatur in singulis ex multitudine concurrentium. Ratio est, quia, sicut multiplicantur oblationes personales, ita et fructus eisdem correspondens. Ita S. Thomas. 4 *Sent. dist.* 45. *qu.* 2. *a.* 4. *qu.* 3. *ad* 2. S. Bonav. 4 *Sent. dist.* 45. *a.* 2. *qu.* 3. *ad* 4. Bellarmin. *De Euch. lib.* 6. *cap.* 4. *pr.* 4. Suarez. *disp.* 79. *sect.* 11. *et* 12. Lugo. *disp.* 19. *n.* 135. Toletus. *De Sacrif. Miss. controv.* 8. Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 182. cum Scoto, Bonac. Croix, etc. [1]

Notandum denique, fructum Missæ *ex opere operato* non dependere ex Sacerdotis sanctitate; quod idem dicendum de precibus Missæ, quæ nomine Ecclesiæ recitantur, cum Ecclesia semper sit Deo grata. Secus dicendum de virtute impetrativâ *ex opere operantis* Sacerdotis. (*n.* 312.)

ARTICULUS II.

APPLICATIO FRUCTÛS MISSÆ.

112 — Indagandum est utrum Sacrificii fructus proveniat ex opere operato, deinde utrum per Sacerdotis intentionem applicetur.

Quoad primum. Principia. I. Sacrificium Missæ, ut a Christo oblatum, fructus suos producit ex opere operato. Constat ex communi Ecclesiæ sensu; omnes

[1] In opere Morali *n.* 312. S. Alph. utramque sententiam probabilem dicit, primam vero sibi videri probabiliorem. At in duobus posterioribus operibus, nempe in opere: *In Trident. sess.* 22. *n.* 22. et in opusculo de Missarum stipendiis, cui titulus: *De abusibus in acceptandis Missis. n.* 26—28. absolute docet secundam sententiam, eamque communem vocat; unde videtur sententiam mutasse. Quapropter, cum secunda sententia omnino præponderare videatur, eam multo probabiliorem nuncupavi.

enim persuasum habent Sacrificium hoc ex vi suæ institutionis habere singularem efficaciam ad applicandum aliquem fructum Redemptionis, quemadmodum docet Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. *et* 2.; hæc autem applicatio, cum fiat vi institutionis, oportet ut includat causalitatem ex opere operato. Accedit, Ecclesiam semper intellexisse fructum hujus Sacrificii non pendere ex sanctitate ministri offerentis.

II. Hoc sacrificium confert ex opere operato *immediate* remissionem alicujus pœnæ temporalis peccatis condonatis adhuc debitæ. Ratio est, quia nullum Sacramentum est per se primo institutum ad hunc effectum, unde merito creditur Sacrificium ita applicare aliquam satisfactionem Christi. Colligitur etiam ex Trid. *sess.* 25. *decret. de purgat.*, ubi docet animas purgantes hoc Sacrificio juvari; quod fieri nequit nisi immediatà pœnarum remissione. (*n.* 311.)

III. Non confert immediate ex opere operato remissionem peccatorum, neque augmentum gratiæ sanctificantis, sed *mediate* tantum, *impetrando* auxilia gratiæ, quibus peccator excitatur ad pœnitentiam, justus autem ad actus meritorios, quibus gratia accrescit. Ratio est, quia, cum ad immediatum illum effectum instituta sint Sacramenta, nequit cum ullo fundamento idem affirmari de Sacrificio; constat etiam, quoad primam gratiam, ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 2.: »Hujus (Sacrificii) oblatione placatus »Dominus, gratiam et donum pœnitentiæ »concedens, crimina et peccata etiam »ingentia dimittit." (*n.* 311.) Effectus igitur *immediatus* sunt illa auxilia gratiæ. Demum, quidquid per orationem impetrabile est, potest per hoc Sacrificium impetrari, et exaudietur eodem modo, quo oratio.

113. — **Quoad secundum. Principia.** I. Fructus, quem percipiunt fideles et Sacerdos quatenus *offerentes* sunt, ipsis immediate provenit, absque ullà applicatione Sacerdotis. Ratio, quia oblatio hujus Sacrificii est fructuosa ex opere operato; omnes proinde, qui illud aliquo modo offerunt, aliquem fructum participant. Recole dicta n. 108 et 110. sub 3°.

Observandum interim, quod fructus *generalis* sit impetratorius tantum; quia fructus satisfactorius exposcere videtur vel oblationem per propriam actionem, vel specialem applicationem Sacerdotis. Fructus vero *specialis* et *specialissimus* est tum satisfactorius, tum impetratorius; quia rationi consentaneum est ut offerentes per proprium aliquem concursum, participent omnes Sacrificii fructus. (Suar. *disp.* 79. *sect.* 8.)

II. Propria applicatio et intentio Sacerdotis necessaria est, ut Sacrificium Missæ iis, *pro quibus offertur*, ex opere operato prosit. Ratio est, quia Sacerdos ex vi Ordinationis suæ constitutus est a Christo minister ac dispensator mysteriorum Dei; et in Ordinatione potestatem accepit Sacrificium offerendi, et consequenter ejus fructum applicandi, pro vivis ac defunctis. Ergo, cum Sacerdos Sacrificium non applicat, effectus Sacrificii nemini applicatur, et remanet in thesauro Ecclesiæ. Idem expressit Apostolus ad Hebr. V. 3. ubi docet Pontificem debere et pro populo et pro seipso offerre sacrificia.

Propterea damnata est a Pio VI in Bullâ *Auctorem fidei.* prop. 30. Pistoriensium: »Doctrina Synodi, quâ, dum »profitetur *credere Sacrificii oblationem* »*extendere se ad omnes, ita tamen ut* »*in Liturgia fieri possit specialis com-* »*memoratio aliquorum tam vivorum,* »*quam defunctorum, precando Deum* »*peculiariter pro ipsis:* dein continuo »subjicit: *Non tamen quod credamus* »*in arbitrio esse Sacerdotis applicare* »*fructus Sacrificii cui vult; imo dam-* »*namus hunc errorem velut magnopere* »*offendentem jura Dei, qui solus dis-* »*tribuit fructus Sacrificii cui vult, et* »*secundum mensuram, quæ ipsi pla-* »*cet:* Unde et consequenter traducit »velut *falsam opinionem invectam in* »*populum, quod illi, qui eleemosynam* »*subministrant Sacerdoti sub condi-* »*tione quod celebret unam Missam,* »*specialem fructum ex ea percipiant;* — Sic intellecta, ut, præter peculiarem »commemorationem et orationem, spe- »cialis ipsa oblatio seu applicatio Sacri- »ficii, quæ fit a Sacerdote, non magis »prosit, cæteris paribus, illis, pro quibus »applicatur, quam aliis quibusque: quasi »nullus specialis fructus proveniret ex »speciali applicatione, quam pro deter- »minatis personis aut personarum or- »dinibus faciendam commendat ac præ- »cipit Ecclesia, speciatim a Pastoribus »pro suis ovibus: quod velut ex divino »præcepto descendens a Sacrâ Triden- »tinâ Synodo *sess.* 23. *cap.* 1. *ref.* di- »serte est expressum. Falsa, temeraria, »perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens »in errorem alias damnatum in Wi- »cleffo."

III. Ad validam applicationem Missæ, sequentes postulantur conditiones: 1° ut fiat ab ipsomet Sacerdote celebrante; quia est actus potestatis Ordinis; 2° saltem ante Consecrationem completam; ne periculo nullitatis exponatur; Sacrificium namque effectum producit, quando perficitur; probabile autem est illud solâ Consecratione perfici, ut diximus n. 109; 3° sit determinata in individuo, sive *explicite* exprimendo personam, sive *implicite* generali termino sufficienter attingente personas in particulari; quia Deus non confert fructus Sacrificii, nisi juxta Sacerdotis intentionem, penes quem est potestas applicandi. (*n.* 334. 335.)

Hinc valet applicatio v. g. pro eo, qui primus dedit stipendium; pro eo, pro quo vult Superior, vel pro quo Petrus applicuit, etc.

114. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Qualis debeat esse intentio Sacerdotis ad Sacrificium applicandum?*

Resp. Communis et verior sententia statuit sufficere habitualem; quia applicatio fit per modum donationis, quæ semel facta valet donec revocetur. (*n.* 335.)

Quær. 2° *Si Sacerdos, postquam alicui applicaverit Sacrificium, oblitus postea talis applicationis, alteri applicet, utranam applicatio censenda sit valida?*

Resp. Dist. 1° Si prior applicatio fuerit omnino absoluta, ita ut ex tunc præferretur cuilibet ex oblivione hujus faciendæ, non censebitur revocata prior; quia fuit magis universalis et revocatoria posterioris. 2° Si utraque voluntas esset æqualis, prævaleret posterior. Ita Lugo. *De Sacram. disp.* 8. *n.* 124. Roncag. *tr.* 18. *qu.* 2. *cap.* 2. *qu.* 3.

In praxi parvi refert; cum enim alterutra valida sit, satis est quod Sacerdos aliâ vice intendat Sacrificium ei applicare, cui ob defectum prioris intentionis applicatum non fuit.

Quær. 3° *An valeat applicatio Sacerdotis facta contra Superioris præceptum?*

Resp. Sententia communis et probabilior, contra paucos, affirmat, quamvis ea applicatio sit illicita; quia actus potestatis Ordinis, cujusmodi est applicatio Sacrificii, non dependet a voluntate Superioris. (*n.* 334.)

Quær. 4° *Quid, si Sacrificium nulli applicetur, vel incapaci?*

Resp. Fructus tunc remanet in thesauro Ecclesiæ. Quare in praxi, quando dubitatur num is, pro quo offertur, sit necne capax fructûs, consultum est ut Sacerdos Missas *gratuitas* applicet sibi vel alteri sub conditione, si persona, cui applicantur, non sit capax; Missas vero *debitas* ex stipendio, cum probabiliter fructus cedat in beneficium propinquorum illius qui dedit stipendium, ex hujus implicità voluntate, non potest Sacerdos cui velit applicare, nisi sub conditione ut præjudicium non fiat ei, pro quo celebrare tenetur. (*n.* 336.)

Quær. 5° *An possit Sacerdos dividere fructus Missæ, applicando uni fructum impetratorium, alteri satisfactorium?*

Resp. Potest in Missis gratuitis; similiter in Missis debitis ex præcepto Superioris, si Missæ ad alterutrum solum finem præceptæ sint, quo casu potest fructus, non correspondens fini præfixo, alteri applicari. Non licet vero in Missis debitis ex stipendio, cum fructus specialis datori eleemosynæ totus debeatur. (Spor. *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 292—302.)

Quær. 6° *An possit Sacerdos aliis applicare fructum specialissimum, qui sibi confertur ex opere operato?*

Resp Controv. Alii affirmant, posse nempe illum applicare per modum suffragii, perinde ac fructum aliorum bonorum operum. Ita Filliuc. Molfes. et alii plures.

Alii vero communius negant, quemadmodum nec potest applicari aliis effectus ex opere operato Sacramentorum, aut satisfactio sacramentalis. Ita Suar. Lugo, Vasq. Laym. Spor. Scot. etc. (*n.* 318.)

CAPUT III.

OBLIGATIONES SACERDOTUM CIRCA APPLICATIONEM FRUCTUS MISSÆ.

Expendemus 1° pro quibus Missam offerre possint; 2° pro quibus eam offerre aliquando debeant.

ARTICULUS I.

PRO QUIBUS MISSA OFFERRI POSSIT.

115. — **Principia.** I. Sacrificium Missæ offerri potest pro omnibus vivis, etiam infidelibus et hæreticis, potissimum tamen pro fidelibus, dummodo ab Ecclesiâ excommunicati non sint. Ratio est, quia et Sacrificium Crucis pro omnibus hominibus oblatum est.

Dictum est 1° *etiam pro infidelibus et hæreticis*, inprimis nempe pro eorum conversione; at pro schismaticis licet dumtaxat ad eorum conversionem impetrandam. Sicubi infideles Missæ applicationem petant et eleemosynam offerant, requiritur ut absit scandalum, ac nihil in Missâ specialiter addatur, et, quoad intentionem, constet nihil mali, aut erroris, aut superstitionis in infidelibus subesse. Ita S. C. Inquis. 13 April. 1837. et 12 Jul. 1865.

Dictum est 2° *dummodo ab Ecclesiâ excommunicati non sint;* quia excommunicatos, saltem *vitandos*, (vitandi sunt, qui nominatim et publice denuntiati sunt, vel notorie Clericum percusserunt) Ecclesia suis ab orationibus excludit. Quamobrem non licet Sacerdoti, ut Christi et Ecclesiæ minister est, pro illis Sacrificium offerre. Potest tamen actionem sacrificandi, prout pendet a merito privato operantis, pro illis offerre, vel eorum in *Memento* in particulari meminisse; quia excommunicatio non privat privatis suffragiis, sed communibus tantum, cujusmodi sunt orationes, quæ fiunt nomine Ecclesiæ, indulgentiæ, et Sacrificium quoad fructum ex opere operato. (*n.* 308. 309. *lib.* 7. *n.* 162.)

Notandum interim, fructum satisfactorium applicari non posse, nisi *justis*, qui sunt in statu gratiæ; quia, durante statu peccati, nulla pœna remittitur.

II Missa offerri etiam potest pro fidelibus defunctis in purgatorio detentis. Est definitum a Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *et can.* 3. (*n.* 310.)

III. Non potest autem offerri, ne secreto quidem, pro iis defunctis, quos Ecclesia externo suo judicio ut damnatos habet. Ratio est, quia, cum Sacerdos Missam offerat nomine Ecclesiæ, hujus judicio se conformare debet; ergo prohibetur pro iis defunctis offerre, pro quibus Ecclesia non orat.

Hinc offerri nequit pro notorie in statu peccati mortalis defunctis, puta 1° pro infidelibus et hæreticis;[1] tum quia, ut inquit Innoc. III: »Quibuscum »non communicavimus vivis, non com»municemus defunctis;"[2] tum quia oblatio Missæ pro defunctis acatholicis cum dogmate de fidei Catholicæ necessitate ad salutem componi nequit; 2° pro excommunicatis, ut supra; nisi ante mortem signa pœnitentiæ dederint; 3° pro iis, qui voluntarie et compotes suî seipsos occiderunt.[3] Neque, ut verbis utar Gregorii XVI[4]: »Juvat dicere acatholi»cum piissime potuisse vivere; vel in »extremis vitæ momentis occulto Dei »misericordis beneficio illuminari ad pœ»nitentiam. Etenim secretiora hæc di»vinæ gratiæ mysteria ad externum »Ecclesiæ judicium minime pertinent."

Nihil tamen obstat quominus Sacerdos in *Memento* privatim pro iis oret, sub conditione v. g. *si forte ante mortem pœnituerit, si forte decesserit in hæresi solum materiali, et alioquin in statu gratiæ fuerit.* Ita Suar. *disp.* 78. *sect.* 3. *n.* 2. — Spor. *part.* 2. *n.* 269. — Salm. *cap.* 2. *n.* 26. 27. — Ferrar. *v. Missa. art.* 7. *n.* 7—14. — Schwetz. *Theol. dogm. vol.* 3. § 20. Müller. *Theol. mor. lib.* 3. § 18. *n.* 3.

116. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An liceat Sacerdoti ut Christi et Ecclesiæ ministro, offerre Missam pro excommunicato tolerato?*

Resp. Controv. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia negat; quia Martinus V Constit. *Ad evitanda.* concessit communicationem externam cum excommunicatis toleratis, in favorem dumtaxat fidelium, declaratque expresse: »Hujusmodi excommunicatos.... non in»tendimus in aliquo relevare, nec eis »quomodolibet suffragari." Multum autem relevasset eos, si intellexisset posse in posterum applicari illis publica suffragia. Ita Suar. Bellarm. Bonac. Soto, Vasq. Roncag. etc.

2ª Sententia affirmat; quia favores sunt ampliandi; dum igitur universaliter concessum est fidelibus communicare cum toleratis, etiam in sacris, non est restringenda ea concessio. Ita Lugo, Navarr. Palaus, Coninc. Croix, Spor. Salm. etc. (*n.* 309. *lib.* 7. *n.* 164.)

Advertendum tamen circa secundam sententiam, offensioni fore et contra praxim Ecclesiæ esse, si pro talibus publice notis Missa *publice* celebraretur.

Quær. 2° *An Missa prosit defunctis infallibiliter, seu ex opere operato?*

Resp. Nonnulli negant; sed verius et communius affirmatur; quia, prout definivit Trid. *sess.* 22. *can.* 3., hoc Sacrificium æque institutum est pro vivis et defunctis; ergo non est ratio cur ex institutione Christi illis, non hisce, infallibiliter prosit. (*n.* 310.)

Quær. 3° *An Missa de Requiem magis prosit defunctis, quam Missa de Sanctis?*

Resp. Ex parte Sacrificii æqualiter prodest, ex parte vero orationum magis prodest; sed defectum istum in Missâ de Sanctis supplere potest vel major devotio, vel intercessio Sancti, cujus suffragium in Missâ imploratur. Ita S. Thomas. (*n.* 310.)

Quær. 4° *An in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Missa applicari possit pro aliquo defuncto particulari?*

Resp. Affirm., possunt nempe eo die applicari ad libitum, scil. vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. Ita S. R. C. 4 Aug. 1663. (*n.* 338.)

ARTICULUS II.

QUANDO MISSA OFFERRI PRO ALIQUIBUS DEBEAT.

Potest Sacerdos variis modis obligari ad Sacrificium pro aliquo vel aliquibus offerendum, scil. ex promissione alicui factâ, ex præcepto Superioris, ex officio, ex beneficio ad hoc specialiter instituto, et ex stipendio propter hanc causam dato. Singulos percurremus.

§ I. *Obligatio ex promissione, et ex præcepto Superioris.*

117. — I. Certum est posse Superiorem, qui jurisdictionem habet, præcipere subdito Sacerdoti ut Missam pro aliquo offerat; atque hujusmodi præceptum sub gravi obligat, quia materia gravis est, dummodo reapse Superior stricte præcipiat. (*n.* 317. *in fine.*)

II. Promissio gratuita offerendi pro aliquo Sacrificium, ex se probabiliter non obligat sub gravi, juxta dicta lib. III. n. 403., saltem, nisi promittens expresse voluerit gravem obligationem sibi imponere. (*n.* 317. *qu.* 4.)

§ II. *Obligatio ex officio.*

118. — I. Omnes, qui curam animarum habent, tenentur Missam applicare populo, omnibus diebus dominicis, et festis ex præcepto. Hanc obligationem explanavimus lib. V. n. 75. 76. et 92.

II. In Cathedralibus et Collegiatis ecclesiis Missa Conventualis, quæ quotidie celebranda est, applicari debet benefactoribus in genere. Si secunda aut tertia Missa Conventualis celebretur, in hisce sub *Memento* pro defunctis fiat commemoratio benefactorum ecclesiæ in genere. Quodsi Canonicatuum præbendæ tenues sint, possunt implorare a S. C. Concilii facultatem non applicandi benefactoribus Missam Conventualem diebus feriatis, sed tantum diebus festis ex præcepto. Ita Bened. XIV Constit. *Cum semper.* 19 Aug. 1744. (*n.* 326.)

§ III. *Obligatio ex beneficio.*

119. — Pia fundatio, seu assignatio certi fundi vel redditûs, ut quotidie vel certis diebus Missæ quotannis celebrentur, adjunctis interdum oneribus aliis a Sacerdote explendis, *Beneficium simplex* vel *Capellania* vocatur. Huc etiam

[1] Conc. Later. III. *cap.* 27. — Constit. Martini V. *Ad evitanda.* item *Inter cunctas.* 22 Febr. 1418. § 8. — Nicolaus I. *Ad consulta Bulgar. cap.* 88. — Gregor. XVI. in Brevi 9 Jul. 1842. Cfr. Analect. Jur. Pont. *tom.* 4. *col.* 2391.

[2] Cap. 12. de sepult.

[3] Nicolaus I. *loc. cit. cap.* 98. — Decret. Causa. 13. qu. 2. cap. 21.

[4] Litter. 16 Febr. 1842. apud Soglia. *Instit. jur. eccl. tom.* 2. § 234.

revocantur *anniversaria fundata*, et id genus alia.

Ex hujusmodi Beneficio sine dubio oritur obligatio ex justitiâ satisfaciendi institutioni fundatoris; quia beneficium datur propter officium. (*n.* 330.)

Quæstiones. Quær. 1° *An Beneficiatus teneatur ipsemet Missas præscriptas celebrare?*

Resp. Non tenetur, nisi id exprimatur in institutione Beneficii sive Capellaniæ. (*n.* 330.)

Quær. 2° *Si fundator, qui Beneficio vel Capellaniæ onus imposuit celebrandi Missas, de applicatione earumdem nihil expresserit, cuinam applicandæ sint?*

Resp. Præsumendum est appositum onus applicandi Missas animæ fundatoris. Ita S. C. C. 18 Aug. 1668. 26 Mart. 1718. — Secus vero, si fundator jusserit certum Missarum numerum *sibi* applicare, alias vero dumtaxat jusserit *celebrare;* tunc præsumitur hârum applicationem liberam reliquisse. (*n.* 324. Bened. XIV. *De sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 62.)

Quær. 3° *Quanta sit obligatio celebrandi in loco et tempore designato a fundatore?*

Resp. Est obligatio gravis, modo fundator illa designaverit ob gravem causam, puta ob memoriam, ob commodum familiæ aut populi, ob specialem cultum Sancti, et similia; si namque nullam habuerit specialem causam, vel si hæc cessaverit, non erit obligatio gravis; imo nulla, si Sacerdos hæc compenset celebrando in altari privilegiato.

Dicta ita intellige, ut Capellanus tum solum peccaret mortaliter, cum locum vel tempus designatum mutaret sæpius, aut sine causâ, aut sine dispensatione. Dico 1° *sæpius;* nam peccat tantum venialiter, si id faciat raro, puta semel vel bis in mense, aut si mutet tantum altare, non ecclesiam. Dico 2° *sine causâ;* non enim peccat, si subsit justa causa, v. g. si alibi celebret, quia ecclesia restauratur, quia egressus e sacristiâ videt altare ab alio occupatum. Dico 3° *sine dispensatione*, ad quam obtinendam adeunda est Sedes Apostolica. *Ita communiter.* (*n.* 329.)

Quær. 4° *An Sacerdos, qui ob Beneficium vel Capellaniam tenetur quotidie celebrare, possit interdum omittere celebrationem Missæ?*

Resp. Dist. 1° Ii, qui tenentur *ipsimet* celebrare, possunt ex legitimâ causâ interdum Missam omittere; nequeunt tamen eo die, quo omittunt Sacrificium pro fundatore, Missam pro alio celebrare, multoque minus eleemosynam accipere. Ita S. C. C. 18 Sept. 1683.

2° Ii vero, qui non tenentur ipsimet celebrare, si non celebrent, debent curare ut per alium Sacerdotem Missa celebretur. (*n.* 332. Bened. XIV. *loc. cit. n.* 19. *et* 20.)

Quær. 5° *An Capellanus, adstrictus ad celebrandum quotidie, si ægrotet, teneatur interim alteri dare stipendium, ut Missas celebret?*

Resp. Communis est sententia ipsum non teneri, si brevis sit infirmitas; nisi fundator voluerit non deficere Missam in tali loco vel tempore. Quænam autem sit infirmitas brevis? Alii extendunt ad 15 dies, alii ad mensem, alii ad duos menses; omnes istæ opiniones videntur esse probabiles. (*n.* 333.)

Quær. 6° *Quomodo acceptari debeant onera Missarum perpetua?*

Resp. 1° Regulares non possunt licite illa acceptare sine licentiâ scriptâ Provincialis, sub pœnâ ipso facto incurrendâ privationis officiorum, inhabilitatis ad illa, vocisque activæ et passivæ.

2° Rectores ecclesiarum indigent licentiâ scriptâ Ordinarii, sub pœnâ interdicti ab ingressu ecclesiæ. Ita ex Decretis Urbani VIII. Pœna interdicti sublata est, ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* 12 Oct. 1869.

Consultum porro est, ut fundator facultatem concedat, referendam in actum fundationis, reducendi Missarum numerum, si contingat ut minuantur fundi redditus, aut ex aliâ causâ impares evadant eleemosynæ pro singulis Missis. Motivum hujus cautionis patebit ex dicendis. Ita Roncag. *tr.* 18. *qu.* 2. *cap.* 8. *qu.* 9. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 13. *cap. ult. n.* 10. *et* 30. — Præstaret porro, ut fundator in genere statuat v. g. pro singulis Missis duplum stipendium ordinarium; tunc difficultates futuræ præcluduntur.

Notandum insuper hoc loco, Innocentium XII Constit. *Nuper a Congregatione.* 23 Dec. 1697. sanxisse ut in singulis ecclesiis sæcularibus ac Regularibus adsit Catalogus sive tabella onerum, quæ in perpetuum vel ad definitum tempus imposita ipsis et respective acceptata fuerunt; utque itidem duo asserventur libri, in quorum altero perpetua sive temporaria hujusmodi onera, in altero vero Missæ manuales et adventitiæ inscribantur, una cum fideli et distinctâ adnotatione subsecuti utrorumque implementi, de quo implemento tenentur exactam rationem suis Superioribus reddere. (Bened. XIV. *De Syn. lib.* 13. *cap. ult. n.* 4.)

Quær. 7° *Cuinam competat potestas reducendi Missas fundatas?*

Resp. Reductio Missarum, sive earum numeri imminutio, Sedi Apostolicæ reservata est, nisi fundator expresse hanc facultatem aliis dederit. Ita ex Decretis Urbani VIII. et Constit. Innoc. XII. *Nuper. v. Ad I.*

Causæ autem, ob quas Sedes Apostolica solet Missas reducere, sunt paucitas Sacerdotum, stipendii tenuitas, vel augmentum stipendii currentis, extenuatio redditum monasterii, vel majores expensæ necessariæ ad victum, vel denique urgens aliqua necessitas fabricæ ecclesiæ, aut monasterii. (*n.* 331.)

Advertendum etiam, *condonationem* Missarum non celebratarum ad solam Sedem Apostolicam pertinere. (Bened. XIV. *loc. cit. n.* 15.)

Quær. 8° *An necesse sit recurrere ad Sedem Apostolicam, casu quo redditus deficiunt?*

Resp. Dist. 1° Si *totaliter* deficiant, sine Capellani culpâ, certum est ipsum non teneri Missas celebrare. Ita communiter, et declaratum est a S. C. C. 7 Julii 1686. et 8 Aug. 1705.

2° Si *ex parte* deficiant, certum videtur posse Capellanum minuere Missas, si testator stipendium singularum Missarum designaverit, v. g. duos francos pro quâlibet Missâ; quia tunc, sicut augendus esset numerus Missarum, si redditus augerentur, ita minuendus est, si redditus minuantur.

Difficultas vero est, si testator designaverit tantum numerum Missarum, et deficiat stipendium etiam ordinarium seu manuale. Multi affirmant, ob Decretum Urbani VIII. Ita Tambur. Dian. Mazzot. Castrop. Salm. etc. — Alii vero negant; ex præsumptâ voluntate testatoris, qui non præsumitur voluisse obligare Capellanum ad celebrandum pro stipendio justo minori; neque obstant Decreta, cum hæc non sit proprie reductio stabilis, sed tantum cessatio obligationis, pro ratâ defectûs redditum. Ita Franc. de Lugo, Busemb. Escob. Bordon. Pasqual. etc. Verumtamen, prosequendo hanc sententiam, ad vitandum hallucinationis periculum, consultum est, imo, juxta aliquos, necesse est exquirere judicium Episcopi, vel saltem docti et pii viri. Utrum porro hæc opinio sit probabilis, non liquet. Cæterum id unum observandum est, quod si Capellanus annis præteritis accepisset stipendium solito majus, teneretur compensare, eumdem Missarum numerum celebrando; qui enim sensit commodum, sentire debet et incommodum. (*n.* 331.)

Quær. 9° *An Episcopus possit moderari officia, preces, et eleemosynas, anniversariis adnexas?*

Resp. Affirmandum videtur; quia prohibitio loquitur tantum de Missarum reductione. (*n.* 331. H. A. *n.* 77.)

Quær. 10° *An possit fieri præscriptio contra onera Missarum et piarum fundationum?*

Resp. Nonnulli affirmant. Sed verius negatur; tum quia primæva fundatio majorem vim habet quam consuetudo; tum quia Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *ref.* interdicit quamlibet derogationem oneribus beneficiorum, et Pius IV in Bullâ confirmationis Concilii hujusmodi actum irritat; clausula autem irritans ligat etiam ignorantes, et in causis beneficialibus inficit titulum et possessionem. Accedit, difficulter præsumi posse bonam fidem in beneficiatis, cum potius præsumantur scire beneficii leges. Ita quoque resolvit S. C. C. 20 Dec. 1879.[1] (*n.* 324. *qu.* 1. *v. Fit dubium.* H. A. *n.* 74.)

§ IV. *Obligatio ex stipendio.*

Expendemus 1° titulum stipendii in genere, 2° quantitatem justi stipendii, 3° tempus implendi obligationem ex stipendio, 4° ejusdem implendi modum.

1. *Titulus stipendii in genere.*

120. — **Principia.** I. Stipendia Missarum, etiam præmisso pacto, sunt licita.

[1] Acta S. Sed. *vol.* 13. *pag.* 220.

Ratio est, quia non dantur nec accipiuntur tamquam pretium operis, sed solum ob sustentationem necessariam et naturali lege Sacerdotibus debitam; proinde, non obstante pacto, retinent suam rationem stipendii, et non fiunt pretium. Constat etiam ex Scripturâ: Christus enim dixit apud Matth. X. 10: »Dignus est operarius cibo suo," et Paulus I Cor. IX. 7: »Quis militat suis »stipendiis unquam?" (*n.* 316. 320. *dub.* 4.)

II. Ex accepto stipendio oritur obligatio justitiæ celebrandi et applicandi Missam juxta intentionem ejus, qui stipendium dedit. Ratio est, quia ex voluntate Ecclesiæ intervenit pactum onerosum, vi cujus sub eâ conditione datur et recipitur.

121. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Sacerdotes divites possint stipendia pro Missis accipere?*

Resp. Affirmative; quia Sacerdoti ministranti ex justitiâ debetur alimentum, ut constat ex rationibus adductis in I° principio; nihil ergo refert quod aliunde dives sit. *Ita communiter.* (*n.* 317.)

QUÆR. 2° *An peccet graviter Sacerdos omittens celebrare Missam, si stipendium pro illâ acceptum non sit materia gravis?*

Resp. Negant plures; quia gravitas culpæ sumenda est ex quantitate stipendii. Ita Pal. Spor. Elbel, Renzi, Salm. etc.

Sed alii probabilius affirmant; quia gravitas materiæ petenda est ex fructu Missæ, quo proximus injuste privatur, ac cujus privatione grave damnum ei infertur. Ita Holzm. Croix, Bonac. Roncag. etc. (*n.* 317. *qu.* 3. H. A. *n.* 63.) A gravi culpâ tamen excusandus videtur Sacerdos, qui obligatus celebrare multas Missas ad eamdem intentionem, unam alteramve omitteret; tunc enim abesse videntur grave damnum spirituale et gravis repugnantia datoris stipendiorum.

QUÆR. 3° *An moderator diarii religiosi possit suum diarium dare Sacerdotibus eâ lege, ut celebrent numerum Missarum respondentem pretio darii?*

Resp. Affirm., »dummodo nil detra»hatur fundatorum vel oblatorum vo»luntati circa stipendii quantitatem, lo»cum ac tempus celebrationis Missarum, »exclusâ quâcumque studiosâ collectione »Missarum, et docto cui de jure de se»cuta Missarum celebratione, facto verbo »cum Sanctissimo." Ita S. C. C. 24 April. 1875.

Licet quoque pro Missis celebratis recipere stipendii loco libros vel alias merces, seclusâ quâvis negotiationis vel turpis lucri specie.

Atvero turpe mercimonium sapit, ideoque prohibenda est, illorum bibliopolarum agendi ratio, qui Missarum eleemosynas colligunt, et Sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, libros rependunt. Neque excusat ratio impendendi lucrum in pia opera. Quare istiusmodi actioni cooperari non licet. Ita S. C. C. 9 Sept. 1874. (Marc. *n.* 1613.)

2. *Quantitas justi stipendii.*

122. — **Principia.** I. Justum Missarum stipendium, quo majus nequit juste exigi, illud est, quod vel ab Episcopo taxatum est, vel communi consuetudine receptum. Ratio est, quia non debet hoc negotium committi cujuscumque voluntati, ut suo arbitrio possit stipendium augere vel minuere; id enim repugnat rationi justitiæ, occasionemque præbet scandalis et sacrilegiis; ergo oportet ut aliquâ auctoritate publicâ definitum sit. (*n.* 319.)

Dictum est: *quo majus nequit exigi;* non enim prohibetur quominus fideles majora dent stipendia, si velint, dummodo spontanee id faciant; neque, quominus Sacerdos possit minori stipendio esse contentus. (*n.* 320.)

Porro 1° Conc. Trid. *sess.* 22. *in Decreto de observ. et vitand.* injunxit Episcopis, ut de medio tollant quidquid avaritia contra reverentiam Sacrificii induxit, utque in primis »cujusvis »generis mercedum conditiones, pacta, »et quidquid pro Missis novis celebran»dis datur, necnon importunas atque »illiberales eleemosynarum exactiones »potius quam postulationes, aliaque hu»jusmodi, quæ a simoniacâ labe, vel »certe a turpi quæstu non longe ab»sunt, omnino prohibeant."

2° Quantitas stipendii taxanda est, habito respectu ad locorum et temporum circumstantias, præsertim ad caritatem vel vilitatem victûs. Advertendum tamen, tantum esse non debere stipendium, ut integram sustentationem Sacerdoti eâ die, qua celebrat, suppeditet; etenim actio sacrificandi nonnisi parvam diei partem exposcit, unde non est cur Sacerdos propter hoc solum ministerium integre alatur ab eo, pro quo Sacrificium offert. (*n.* 319. Bened. XIV. *De Sacr. Miss. sect.* 2. *n.* 188.)

II. Non potest Sacerdos, servatâ justitiæ æquitate, ratione unius Missæ accipere nisi unum adæquatum stipendium, sive ab unâ sive a multis personis. Ratio est, quia alioquin violaret pactum implicitum initum; nam alter dedit duo stipendia sub conditione duorum Sacrificiorum, et Sacerdos ita recepit; accedit, quod, secundum veriorem sententiam, si idem Sacrificium pro multis offeratur, singuli defraudantur aliquo fructu. Propterea damnata est ab Alex. VII prop. 10: »Non est contra justitiam »pro pluribus Sacrificiis stipendium ac»cipere, et Sacrificium unum offerre; »neque etiam est contra fidelitatem, »etiamsi promittam promissione etiam »juramento firmatâ danti stipendium, »quod pro nullo alio offeram."

Præterea advertenda hic est prop. damnata 8.: »Duplicatum stipendium »potest Sacerdos pro eâdem Missâ licite »accipere, applicando petenti partem »etiam specialissimam fructûs ipsimet »celebranti correspondentem, idque post »Decretum Urbani VIII." Ratio damnationis est, quia applicatio fructus specialissimi plane incerta est, prout ostendimus n. 114. qu. 6. (*n.* 318.)

Ex hoc principio etiam consequitur, Sacerdotem, qui *scienter* acceptavit exiguum stipendium pro Missis celebrandis, sive ab uno sive a pluribus, non posse deinceps minuere Missarum numerum, prout sancivit Innoc. XII Constit. *Nuper a Congregatione.* (*n.* 320. *dub.* 3.)

123. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Regulares teneantur sub gravi obligatione servare taxam Episcopi?*

Resp. Affirm.; unusquisque enim obstringitur in contractibus servare æqualitatem statutam a legibus loci, ubi degit. Quocirca S. C. C. 15 Jan. 1639 declaravit: »Eleemosynam pro quâlibet »Missâ per Regulares celebrandâ in eorum »ecclesiis, esse taxandam arbitrio Ordi»narii, juxta morem regionis." (*n.* 320.)

QUÆR. 2° *An possit Episcopus prohibere ne fideles dent eleemosynam pinguiorem taxâ, aut ne Sacerdotes accipiant justo minorem?*

Resp. Ad 1um, *Negat.;* id enim impediret pietatis opera. Ita quoque decisum fuit a S. C. C. 16 Jan. 1649.

Ad 2um, *Affirm.;* quia aliquando illa consuetæ eleemosynæ remissio noxia est aliis Sacerdotibus. Idem declaravit S. C. C. 16 Jul. 1689. (*n.* 320.) Nunquam tamen intelligendum est hujusmodi statuto prohiberi quominus, si misericordiæ ratio postulaverit ut Missa sub minori stipendio celebretur, id licite fieri possit.

QUÆR. 3° *Quomodo licitum sit pacisci de Missarum stipendio?*

Resp. Licitum est, si pactum sit de justo stipendio secundum taxam vel consuetudinem. Non obstant Canones, quippe qui prohibent dumtaxat pacta illicita, seu exactiones immodicas, quæ utique avaritiam sapiunt. Cæterum in hujusmodi pactionibus, quantum fieri potest, scandalum caveri debet. *Ita communiter.* (*n.* 320. *dub.* 4.)

QUÆR. 4° *An liceat quidquam supra taxam exigere pro onère extrinseco?*

Resp. Affirm. pro onere temporali, v. g. pro Missâ celebrandâ in cantu, in dissito loco, tardâ horâ, stato tempore vel loco, per novem dies continuos.

Neque illicitum videtur, si Sacerdos pinguioribus stipendiis ordinarie provisus respondeat petenti: Non possum ipsemet stipendia tua exonerare, nisi tantum tribuas, quantum alii tribuerunt. Hoc pacto enim petentis libertatem non lædit.

QUÆR. 5° *Quomodo taxandum sit stipendium Missarum, quas benefactor tradidit celebrandas sine certo stipendio?*

Resp. Si fieri possit, sciscitanda est dantis voluntas. Quod si fieri nequeat, standum est stipendio, quod dare consuevit, vel de quo moraliter constat fuisse intentionem ejus. Sin minus, standum est stipendio ordinario.

QUÆR. 6° *Quomodo taxandum sit stipendium Missarum, quas testator celebrari præcepit sine certo stipendio?*

Resp. Taxandum est vel secundum consuetum stipendium, vel, prout decrevit Urbanus VIII, ab Episcopo præscribenda est eleemosyna congrua, quæ respondeat oneribus Missarum celebrandarum, secundum morem civitatis vel provinciæ. (*n.* 320. *dub.* 5. Bened. XIV. *De Sacr. Miss. sect.* 2. *n.* 199.)

Similiter, si tribuens eleemosynam nu-

merum Missarum celebrandarum non præscripserit, tot Missæ celebrari debent, quot præscripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciæ. Ita Innoc. XII. Constit. *Nuper. v. Ad II.* et *Ad V.*

QUÆR. 7º *An possint Sacerdotes, in primis Parochi, quibus facultas concessa est bis in die celebrandi, stipendium accipere pro secundâ Missâ?*

Resp. Negat., ut constat ex Declaratione S. C. C. 25 Sept. 1858 et 22 Febr. 1862. Idem jam ante prohibuit Bened. XIV Brevi *Quod expensis.* 26 Aug. 1748 quoad tres Missas in Hispaniis permissas die Commemorationis fidelium defunctorum. Attamen 1º ob rationes extrinsecas, laboris nempe et incommodi, permitti potest Parochis, qui diebus Dominicis et Festis ex necessitate bis celebrant, prudenti arbitrio Episcopi, aliqua remuneratio, exclusâ quâlibet eleemosynâ pro applicatione Missæ. Ita S. C. C. 23 Maji 1861. 2º Pius IX per Decretum S. C. de Propag. 15 Oct. 1863 Ordinariis Missionum facultatem tribuit indulgendi, ut, justâ et gravi causâ intercedente, Sacerdotes sibi subditi etiam pro secundâ Missâ in eâdem die celebrandâ stipendium percipere possint.

Advertendum insuper est, sub præfatâ prohibitione non comprehendi tres Missas, quas celebrare licet in solemnitate Nativitatis Domini; pro hisce ubique fere receptum est ut tria recipiantur stipendia; prohibitio namque illas dumtaxat secundas tertiasve Missas respicit, quæ vi *indulti* aut *dispensationis* celebrari possunt. Ita Bened. XIV in cit. Brevi. — Lugo. *disp.* 21. *n.* 18.

QUÆR. 8º *An liceat Sacerdoti, qui Missas manuales*[1] *suscepit celebrandas cum certâ eleemosynâ, easdem Missas alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retentâ, celebrandas committere?*

Resp. Negat., sed tenetur integram, licet consuetâ pinguiorem, erogare Sacerdoti celebranti. Ratio, quia illud districte vetitum est Decretis Urbani VIII et Innoc. XII, tum causâ arcendi damnabile lucrum seu mercimonium in re tam sanctâ, tum etiam ratione justitiæ, cum tota manualis eleemosyna ex voluntate pii largitoris ad celebrationem referenda sit. Idcirco Alex. VII proscripsit prop. 9.: »Post Decretum Urbani »potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ »traduntur, per alium satisfacere, collato »illi minori stipendio, aliâ parte stipendii »sibi retentâ." Insuper ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* 12 Oct. 1869. excommunicationem latæ sententiæ Papæ simpliciter reservatam incurrunt »Col»ligentes eleemosynas majoris pretii pro »Missis, et ex iis lucrum captantes, fa»ciendo eas celebrare in locis ubi Mis»sarum stipendia minoris pretii esse »solent."

Dictum est: *Missas* MANUALES; quia Beneficiarii possunt aliis Sacerdotibus committere celebrationem Missarum debitam pro Beneficio, tradito eis consueto stipendio; nisi in fundatione Beneficii aliud cautum fuerit. Ita ex Constit. Innoc. XII. *Nuper.* 23 Dec. 1697 *v. Ad VIII.* Idem valet de Missis *fundatis*, dummodo pinguius stipendium assignatum sit in gratiam Parochi vel Capellani, ut colligitur ex declaratione S. C. C. 18 Jul. 1868.[1]

A præfatâ prohibitione excipiuntur duo casus: 1º si pinguius stipendium detur, non solum ratione Sacrificii, verum etiam intuitu alterius extrinseci tituli, puta amicitiæ, paupertatis, gratitudinis, etc. Neque necesse est ut offerens eleemosynam hoc motivum exprimat, sed sufficit quod ex circumstantiis moraliter de eo constet. Ita Roncag. Passer. Tambur. Salm. Viva, Dicast. et alii communiter.

2º Si Sacerdos, cui committitur celebratio, non rogatus, sed *proprio motu* remittat partem stipendii; sicut enim is potest totum stipendium liberaliter remittere, sic et partem ejus. Ita Collet, Roncag. Viva, Tambur. Secus vero, si *rogatus* remitteret; id namque exsecrabilem abusum vocat Bened. XIV Constit. *Quanta cura.* 30 Jun. 1741. (*n.* 321.)

QUÆR. 9º *An ille, qui illicite retinet partem stipendii, teneatur ad restitutionem?*

[1] Missæ *manuales* seu *adventitiæ* vocantur illæ, pro quibus stipendium a fidelibus traditur, ita tamen ut nullus fundus, nullumque onus in futurum tempus constituatur. Missæ vero, quæ vel perpetuo vel ad longum temporis spatium celebrandæ sunt et applicandæ, propterea quod ita jusserunt pii fundatores, qui hunc in finem Instituto ecclesiastico fundum vel capitale reliquerunt, *perpetuæ* seu *fundatæ* dicuntur.

[1] Acta S. Sed. *vol.* 4. *pag.* 39.

Resp. Affirm.; quia 1º ex propositione damnatâ deducitur, retinentem partem stipendii non posse satisfacere per alium, satisfactio autem hic non solum respicit honestatem actûs, verum etiam justitiam; qui autem non satisfacit obligationi justitiæ, ad restituendum tenetur; 2º agit contra voluntatem datoris; hic enim vult, non solum ut Missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendio; non enim gratuito erogare quidquam ei vult, qui non celebrat. *Ita recentiores communiter.*

Cui autem restitutio fieri debeat? Communius et probabilius censent eam faciendam esse celebranti; quia, translato in eum onere, etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem largitoris transfertur. (*n.* 322.)

QUÆR. 10º *An possint commutari Missæ majoris stipendii, hoc retento, cum Missis minoris?*

Resp. Dist. 1º Si quis hoc faciat rogatu alterius Sacerdotis, vel in alterius commodum, potest retinere pinguius suum stipendium; quia tunc abest omnis turpis quæstus.

2º Si fiat principaliter ob majus stipendium, turpem quæstum involvere videtur; attamen gravis peccati damnandum non est, præsertim si paupertas accedat. (*n.* 322. *dub.* 4. Vindic. Alph. *part.* 4. *qu.* 2.)

QUÆR. 11º *An administratores ecclesiarum possint retinere aliquam eleemosynarum portionem, pro expensis altarium, inservientium, paramentorum, luminum, vini, hostiarum, etc.?*

Resp. Negat., nisi ecclesiæ inopiâ premantur; tunc autem nullatenus debet excedi valor expensarum, quæ pro ipsomet tantum Missæ Sacrificio necessario sunt subeundæ. Ita ex Constit. Innoc. XII. *Nuper. v. Ad VII.* (*n.* 322. *dub.* 5.)

3. *Tempus implendi obligationem ex stipendio.*

124. — Oneribus susceptis Missarum tenetur Sacerdos satisfacere vel tempore pacto, vel, si tempus determinatum non fuerit, intra modicum tempus; nisi largitor eleemosynæ consentiat dilationi diuturnæ. Idcirco peccat graviter Sacerdos, si diu differat offerre Sacrificium in favorem illorum, quibus est obligatus; tum quia graviter delinquit quisquis contra voluntatem creditoris diu differt solvere debita, tum ob non leve damnum, quod infertur illis, pro quibus sacrificare debet.

Quamobrem non licet Sacerdotibus nova onera Missarum suscipere, nisi intra modicum tempus possint omnibus satisfacere, aut dantes eleemosynam consentiant in dilationem, prout declavavit Innoc. XII Constit. *Nuper. v. Ad* XII et *Ad* XV.

Dificultas autem est, *quantum temporis spatium censeatur modicum?*

Respondemus: 1º Certum est, quod si Missa petita fuerit pro aliquâ urgente necessitate, puta pro felici partu, pro evadendo periculo, pro lite vincendâ, etc., graviter delinquit Sacerdos, si intra tempus impetrationi aptum illam non celebret; illudit enim postulantis intentionem; unde, transacto illo tempore, tenetur stipendium restituere, (sub gravi vel sub levi juxta quantitatem stipendii), etiamsi postea celebraverit; imo insuper monere eum, qui stipendium dedit, de Missis tempore apto omissis, dummodo scilicet monitio illa prosit.

2º Certum quoque est, extra præfatum casum, modicum tempus esse spatium unius mensis, prout declaravit S. C. C. 17 Jul. 1655.

3º Probabile est, spatium etiam duorum mensium esse modicum, quemadmodum DD. fere communiter sentiunt: verumtamen quoad Missas pro defunctis (saltem pro recenter defunctis) dilatio ultra mensem merito gravis reputatur, secundum sententiam plurium DD. Ad hæc advertendum est, quod si quis multas Missas celebrandas tradat Communitati plurium Sacerdotum, non præsumitur consentire tanto temporis spatio ad eas celebrandas, quantum oporteret, si uni Sacerdoti eas dedisset. Inde tamen non sequitur, omnes illius Communitatis Sacerdotes incumbere debere celebrationi istarum Missarum; quisquis enim numerosas Missas celebrandas committit, facile supponere potest Communitatem alias etiam habere obligationes; sed satis est quod distribuantur convenienti Sacerdotum numero, qui illis celebrandis impendent tempus necessarium. (*n.* 317. *Exam. Ordin. n.* 107.)

4º Si S. Sedes dilationem indulserit, servatis conditionibus injunctis, indulto

uti licet; S. Pontifex enim supremus est causarum piarum administrator.

4. Modus implendi dictam obligationem.

125. — Obligatio ex stipendio postulat 1° ut applicatio Missæ certa sit; 2° ut Missa quoad qualitatem, quantum per Rubricas licet, legatur secundum petitionem dantis eleemosynam. (*Exam. Ordin. n.* 126. *in fine.*)

Propterea non debet recipi obligatio ad Missas votivas celebrandas, nisi pro diebus in quibus secundum Regulas Missalis celebrari possunt. Ita declaravit S. R. C. 3 Sept. 1612.

Quæstiones. Quær. 1° *Si quis acceperit stipendia a decem personis pro decem Missis, an satisfaciat applicando illis in confuso primas decem Missas, quas leget?*

Resp. Dist. 1° Si singula Sacrificia applicet singulis *indeterminate*, non satisfacit; quia requiritur intentio determinata.

2° Si singula Sacrificia applicet omnibus *collective*, satisfacit; quia nullus dubitat quin fructus Sacrificii sit divisibilis, et ideo unicuique tribuitur quod ei debetur; unusquisque enim in singulis Missis decimam fructûs partem accipiendo, in decimâ Missâ totum suum fructum percipit. (*n.* 335.) Recole dicta *n.* 113.

Quær. 2° *An possit Sacerdos, si quando desit ei stipendium, Missam applicare illi, qui primus deinde stipendium erit collaturus?*

Resp. Negat., ex prohibitione Clementis VIII promulgatâ a Paulo V die 15 Nov. 1605. At etiam ejusmodi applicatio non modo erit illicita, sed sæpe invalida; non raro namque continget Missam tunc offerri pro causâ necdum exsistente, unde effectus Missæ suspendi deberet, quod incredibile est.

Nihilominus, si Sacerdos prævideat postulatum iri Missas pro aliquo jam defuncto, potest amodo eas offerre, et deinde stipendium percipere; offeruntur enim pro personâ determinata et causâ exsistente. (*n.* 337.)

Quær. 3° *An obligatus dicere Missam votivam vel de Requiem, ratione eleemosynæ vel Capellaniæ, satisfaciat in diebus permissis celebrando Missam conformem Officio?*

Resp. Dist. 1° Quoad Missas pro defunctis, omnino affirmative, ex Decreto S. R. C. 5. Aug. 1662.

2° Quoad Missas pro vivis, communissime affirmant DD. (*n.* 422.) At S. R. C. 12 Sept. 1840 declaravit eum non satisfacere suæ obligationi; quia Sacerdos tenetur fidem servare præstanti stipendium. Hic tamen defectus, cum non afficiat substantiam fructûs Sacrificii, sed qualitatem dumtaxat Missæ, nonnisi accidentalis esse potest; quare gravis non erit, nisi Missa votiva petita sit ob gravem causam, et omittatur sine legitimo impedimento; si omittatur propter impedimentum, nullum erit peccatum. Idem dicendum de obligatione celebrandi in certo loco, vel certo tempore. (*n.* 327. 329.)

Quær. 4° *An Sacerdos obligatus ex stipendio ad celebrandum in altari privilegiato pro defuncto, debeat restituere, si in alio altari celebret?*

Resp. Non tenetur ad restitutionem stipendii, sed ad applicandam illi defuncto indulgentiam altaris privilegiati aliâ vice lucrandam, aut saltem aliam indulgentiam plenariam. Ita communiter, et sic resolvit S. C. Indulg. 22 Febr. 1847. (*n.* 329. H. A. *n.* 75.)

Ante factum tamen, Sacerdos, qui ad altare privilegiatum celebrare debet, non potest satisfacere suæ obligationi applicando aliam indulgentiam plenariam. Ita S. C. Indulg. 2 Maji 1852. [1]

Notandum superest quod Sacerdos privilegio *personali* altaris auctus satisfacit eo utendo, ut declaravit S. C. Ind. 15 Mart. 1852.

De indulgentia altaris privilegiati vide dicenda in libro VII.

CAPUT IV.

OBLIGATIONES SACERDOTUM CIRCA CELEBRATIONEM MISSÆ.

Hactenus tractavimus de naturâ, de fructibus, de applicatione Sacrificii Missæ; nunc superest tractare tam de obligatione sacrificandi quoad exercitium actûs, quam de prohibitione aliquando celebrandi; ex quibus simul patebit licita frequentia celebrationis; denique de iis, quæ servari debent in modo sacrificandi.

[1] Acta S. Sed. *vol.* 18. *pag.* 94.

ARTICULUS I.

OBLIGATIO ALIQUANDO CELEBRANDI.

126. — Præceptum dedisse Christum universo sacerdotali Ordini Missam celebrandi, de fide est, definitâ in Trid. *sess.* 22. *can.* 2. ex verbis Christi: »Hoc »facite in meam commemorationem."

Præterea, quod *singulos* Sacerdotes attinet, hæc certa videntur: 1° Sacerdotem negligentem celebrare per longum tempus, puta per semestrium, non posse excusari a peccato gravi, ratione scandali; quia existimatur communiter omissionem diuturnam Sacrificii esse signum pravæ conscientiæ et perditæ vitæ. *Ita communiter.* (*n.* 313.)

2° Exsistere aliquam obligationem celebrandi diebus Dominicis et solemnibus Festis, ex præcepto Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *ref.* ubi loquens de Sacerdotibus ait: »Curet Episcopus, ut ii saltem die»bus Dominicis et Festis solemnibus, si »autem curam habuerint animarum, »tam frequenter, ut suo muneri satis»faciant, Missas celebrent." (*n.* 359. *in medio.* Bened. XIV. *De Sacr. Miss. sect.* 2. *n.* 6.)

3° Sacerdotem, qui quotidie celebrare posset (unâ hebdomadis die exceptâ ob reverentiam), et sine ullâ justâ causâ, sed tantum ob desidiam a celebrando abstineret, vix posse a veniali culpa excusari. Ratio est, quia privat Ecclesiam fructu Sacrificii; munus enim sacrificandi non est privatum, sed publicum, nec prodest soli sacrificanti, sed toti Ecclesiæ, et ideo Sacerdos, quamvis sit imperfectus, dummodo indignus non sit, non debet ab hoc sacro munere cessare. Propterea inquit Apostolus ad Hebr. V. 1: »Omnis Pontifex ex homi»nibus assumptus, pro hominibus con»stituitur, in iis, quæ sunt ad Deum, »ut offerat dona et sacrificia pro pec»catis." (*n.* 359. *Exam. Ordin. n.* 111.)

Cæterum de *præcepto divino* dato singulis Sacerdotibus, controversia est, de quâ in sequentibus dicemus.

127. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An præceptum divinum sacrificandi sub peccato mortali obliget singulos Sacerdotes, quamvis non habeant curam animarum, nec alium quemvis titulum obligationis, præter Ordinem susceptum?*

Resp. Quidam negant; quia nullum apparet fundamentum, quod moraliter convincat, ad asserendum strictum præceptum. Ita S. Bonav. Cajet. Lugo, etc.

At sententia longe communior, et probabilior, affirmat quemlibet Sacerdotem teneri stricto præcepto ad sacrificandum aliquoties in anno, nisi legitimo impedimento excusetur. Probatur 1° ex verbis Christi: »Hoc facite in meam »commemorationem;" nam præceptum istud Christus æque omnibus et singulis Apostolis dedit; deinde Conc. Trid. *sess.* 22. *cap.* 1. et *can.* 2. declarat Christum locutum fuisse ad Apostolos ut Sacerdotes, et in ipsis ad omnes futuros Sacerdotes, et non tantum ad pastores Ecclesiæ, vel in communi ad Ecclesiam; sentit ergo præceptum singulos obligare. 2° Ex verbis Apostoli supra citatis: »Omnis Pontifex," etc. 3° Ex *Cap.* 9. *de celebr. Miss.*, ubi inter alia peccata quorumdam Sacerdotum, quæ ibi deplorat Innoc. III., unum est, quod vix quater in anno celebrabant. 4° Ex ratione, quam affert D. Thomas; quia unusquisque tenetur uti gratiâ sibi datâ, cum fuerit opportunum, secundum illud II Cor. VI. 1: »Hortamur vos, ne in »vacuum gratiam Dei recipiatis;" porro Sacramenta ordinantur ad usum fidelium, Sacrificium vero principaliter ut offeratur Deo; ideo ad Sacramenta ministranda solum tenentur ii, qui curam animarum suscipiunt, ad sacrificandum autem tenentur omnes ratione Ordinis suscepti. Ita S. Thom. S. Anton. Durand. Soto, Suar. Vasq. Bonac. Laym. Bened. XIV. etc. (*n.* 313.)

Quær. 2° *Quoties in anno teneatur sub gravi quisque Sacerdos celebrare?*

Resp. Valde discrepant DD. Censet D. Thomas cum aliis, teneri unumquemque in præcipuis Festis. Alii, ex Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *ref.* singulis Dominicis et Festis. Sententia longe communior et probabilior docet teneri, per se loquendo, ter quaterve in anno, in Festis solemnioribus. Imo aliqui probabiliter dicunt sufficere ad vitandum mortale peccatum, quod Sacerdos celebret ter quaterve in anno quibuslibet diebus, dummodo inter illos servetur proportionatum intervallum. Ita Scot.

Suar. Laym. Soto, Sylvius, Palud. Elbel, Bonac. etc. (*n.* 313.)

Dixi: *per se loquendo;* quia nostrâ ætate Sacerdos, qui tam raro Missam celebraret, vix non grave scandalum præberet.

ARTICULUS II.

PROHIBITIO ALIQUANDO CELEBRANDI.

128. — I. Excepto die Nativitatis Domini, et nisi aliter urgeat necessitas, non licet Sacerdoti nisi unam tantum eodem die Missam celebrare. Constat ex Jure Canonico, *Can.* 53. *de consecr. dist* 1. — *Cap.* 3 *et* 12. *de celebr. Miss.*

In die Nativitatis Domini cuique Sacerdoti fas est ter Missam celebrare, dummodo in primâ et secundâ Missâ purificationem non sumpserit; aliter enim Sacramentum non jejunus susciperet.

Casus necessitatis, quo licet bis eodem die celebrare, hodie unus est, quando populus, aut populi magna pars, Missâ careret diebus Dominicis et Festis de præcepto, nisi Parocho liceret geminum Sacrificium offerre. Casus iste triplici modo occurrit: 1° si idem Parochus duarum parochiarum curam gerat, tam inter se distantium, ut utriusque Parochiæ populus in unam convenire ecclesiam commode nequeat. 2° Si Parochus duos habeat in suâ Parochiâ populos, prædicto modo distantes, cum ecclesiâ vel sacello adnexo. In duobus hisce casibus poterit in duabus dissitis ecclesiis celebrare. 3° Si unicæ Missæ magna pars populi adesse nequeat; tunc potest Parochus in eâdem ecclesiâ bis celebrare. — Ut porro in enumeratis casibus fas sit Parocho duas Missas celebrare, duæ necessariæ sunt conditiones, nempe 1° ut præsto non adsit alius Sacerdos præter Parochum, qui Missam possit celebrare; 2° ut, regulariter loquendo, facultatem ab Episcopo obtineat: dico *regulariter loquendo;* quia in casu repentino, quo non facilis patet ad Episcopum recursus, licentia non necessaria videtur. Ita ex Bened. XIV Constit. *Declarasti.* 16 Mart. 1746. (*n.* 351. *Exam. Ordin. n.* 127. Bouix. *De Parocho. part.* 4. *cap.* 6.)

129. — II. Die Parasceves seu Feriâ Sextâ Majoris Hebdomadæ, prohibitum est omnibus Sacerdotibus offerre Sacrificium; solemne enim Officium illius diei non est Sacrificium. Constat ex *Cap.* 13. *de consecr. dist.* 3.; ratio est, quia illâ die Passio Domini ab Ecclesiâ recolitur prout *realiter* gesta est, et ideo non repræsentatur mystice.

Præterea, Feriâ quintâ in Cœna Domini et Sabbato Sancto, prohibitum est *privatas* Missas celebrare; sed solum est in singulis ecclesiis Missa solemnis ab ecclesiæ Rectore, vel ab alio qui ejus locum tenet, celebranda.

Quocirca advertendum superest: 1° In Missa Feriæ quintæ alii Sacerdotes cum reliquo Clero communicent. Constat ex usu Ecclesiæ, et ex Decretis S. R. C. Apostolicâ auctoritate confirmatis; ratio est, in memoriam quod Dominus noster manu suâ propriâ Apostolis Communionem porrexit.

2° Si contingat ut Festivitas S. Joseph vel Annuntiationis B. M. V. incidat in Feriam V, in locis ubi hæc festa de præcepto servanda sunt, »per Ordina»rios locorum accurate providendum est, »ut eo die aliquæ quidem Missæ privatæ, »ante celebrationem solitæ Missæ Con»ventualis celebrandæ, pro præcepti im»plemento non desint; sed tamen prop»terea antiquus mos Communionis Cleri »in Missa solemni ejus diei, quo Ecclesia »SS. Eucharistiæ Sacramenti institutio»nem et memoriam recolit, summâ re»ligione hactenus retentus nullatenus »omittatur." Ita Decretum generale et promulgatum S. R. C. 13 Sept. 1692. et Declar. 10 Jan. 1693. ad 13. [1]. Hæ Missæ dicendæ sunt de Solemnitate diei cum *Gloria* et *Credo*, non autem de Festo, de quo nihil fit. S. R. C. 7 Sept. 1816. ad 15 et 16.

Si Festum Annuntiationis occurrat in Sabbato Sancto, non possunt celebrari Missæ privatæ, sed Festum transfertur ad feriam secundam post Dominicam in Albis, ut declaravit S. R. C. 10. Jan. 1693. (*n.* 350.)

ARTICULUS III.

OBLIGATIO SERVANDI REQUISITA AD MISSAM.

130. — Quoniam Sacrificio Missæ nihil sanctius sit, jure merito Ecclesia multa præscripsit de circumstantiis et cæremoniis, quæ circumstant actionem sacrificandi, ut ea cum omni decore, religione, et pietate exerceatur. Pertinent præscripta illa tum ad tempus celebrandi, tum ad locum, altare, vasa sacra, vestes sacras, præparationem Sacerdotis, et sacros ritus, de quibus sigillatim tractabimus.

[1] Mos iste obtinet in Cathedralibus, Collegiatis, et Regularium ecclesiis, ut observat Benedict. XIV. *Instit.* 38.

§ I. *Tempus debitum.*

131. — **Principia.** I. Regulariter loquendo, Missa celebrari potest ab auroræ usque ad meridiem. Ita Missale Rom. *Rubr. gen. tit.* 15. *De defect. tit.* 10. *n.* 1.

Nomine auroræ intelligitur initium crepusculi diei, seu prima lucis irradiatio. Aurora præcedit ortum solis plus minusve juxta anni temporum locorumque varietatem.

Porro tempus tam auroræ quam meridiei, non mathematice, sed moraliter accipiendum est; quocirca Bened. XIII et Clemens XII declararunt posse tolerari latitudinem tertiæ partis horæ (i. e. 20 minutorum), ut nempe Missa inchoetur horæ triente ante auroram et itidem tanto tempore post meridiem absolvatur. (*n.* 341. Bened. XIV. *Instit.* 13 *et* 68.)

Dictum est: *regulariter loquendo;* quia licet aliquando celebrare ante vel post tempus statutum, nimirum 1° ex privilegio S. Pontificis, post Conc. Trid. concesso; Concilium namque revocavit privilegia ante concessa, ut patet ex *sess.* 22. *decret. de observ. et evit.* ubi prohibet ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent, non obstantibus privilegiis. 2° Ex dispensatione Episcopi in aliquo casu particulari, rationabili ex causâ. Quam dispensandi facultatem habent quoque Prælati Regulares erga suos Religiosos, secluso privilegio, cum sint eorum Ordinarii. 3° Ex justâ causâ occurrente, de quâ num. seq. qu. 2. (*n.* 342—344. Bened. XIV. *Instit.* 68. *n.* 11.)

Denique, Missa Conventualis et Solemnis quo ordine dici debeat, vide in Missali *Rubr. gen. tit.* 15.

II. Tempus legitimum celebrandi servandum est sub præcepto ex genere suo gravi. Constat tum ex præcepto Missalis, tum ex Conc. Trid. *sess.* 22. *Decret. de observ. et vit.* ubi dicitur: »Decernit Sancta Synodus.... ut Ordi»narii.... edicto et pœnis propositis ca»veant, ne Sacerdotes aliis quam debitis »horis celebrent"; tum denique ex Constit. S. Pii V. *SS. in Christo Pater.* 29 Mart. 1566. ubi Pontifex prohibet in virtute sanctæ obedientiæ, ne quis præsumat quovis prætextu, etiam licentiarum, vespertino tempore celebrare. (*n.* 345.)

132. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quænam in hoc præcepto censenda sit materia gravis?*

Resp. Non consentiunt DD. Communius vero et probabilius censent materiam gravem esse, si Missa incipiatur horâ integrâ ante auroram vel post meridiem. (*n.* 346.)

QUÆR. 2° *Quænam causæ excusent ab hoc præcepto?*

Resp. 1° In materiâ levi, i. e. citra horam, excusat causa rationabilis, v. g. ut opifices et famuli summo mane possint audire Sacrum, etc.

2° In materiâ gravi, dummodo unius horæ tempus non excedatur, requiritur causa gravior, puta occasione alicujus solemnitatis, processionis publicæ, ne pars populi Missâ privetur, item ratione itineris, et similes.

Denique, in casu necessitatis, pro administrando Viatico, si deessent particulæ consecratæ, licet celebrare statim post mediam noctem. *Ita communiter.* (*n.* 343. 344. *Exam. Ordin. n.* 113.)

QUÆR. 3° *An liceat in nocte Nativitatis Domini celebrare omnes tres Missas ante auroram?*

Resp. Negat., sed primam Missam solemnem tantum, ut statuit Missale *tit.* 15. *n.* 4. Unde non licet, absque Pontificio privilegio, ante auroram Missas privatas celebrare, neque sacram Communionem distribuere. Ita S. R. C. 7 Dec. 1641. 23 Mart. 1686. (*n.* 343.)

QUÆR. 4° *Quomodo intelligendum sit privilegium celebrandi unâ vel duabus horis ante auroram et post meridiem?*

Resp. Valde probabiliter intelligendum est de unâ vel duabus horis ante vel post illud tempus, quo sine privilegio potest Missa legitime celebrari; quia privilegium tantùm operatur, quantum sonat. Ita Suar. Merat. Bonac. Filliuc. etc. (*n.* 346.)

QUÆR. 5° *Quantum temporis spatium*

privatæ Missæ celebrationi impendi debeat?

Resp. Dist. 1° Ut Sacerdos Missam »quantâ maximâ fieri potest interiori »cordis munditiâ et puritate, atque ex»teriori devotionis ac pietatis specie" celebret, prout vult Concilium Trid. [1], debet fere semihoram celebrationi impendere.

2° Quoad *obligationem*, optime docet Bened. XIV. [2]: »Ex unanimi Scriptorum »opinione, ad tertiam horæ partem sal»tem debet pertingere, neque horæ di»midium excedere;" quia breviori spatio non possunt omnia attente ac decenter peragi, et longius spatium tædio afficit adstantes. Quamobrem non excusatur a peccato mortali Sacerdos, qui infra quadrantem Missam absolvit, etiamsi Missa sit ex brevioribus; quia in tam brevi spatio necessarie committere debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiæ erga Sacramentum, alterum gravis scandali populi. Huic accedit, vix possibile esse ut non graviter delinquat contra præceptos Ecclesiæ ritus; etenim, juxta Trid. *sess.* 22. *cap.* 5., sacræ cæremoniæ duplicem in finem institutæ sunt, tum nempe ut debita præstetur tam venerabili Mysterio reverentia, ipsas exhibendo cum eo decore eâque gravitate, quæ majestati tanti Sacrificii conveniunt; tum ut veneratio erga illud ingeratur fidelibus. Atqui utrumque hunc finem graviter lædit Sacerdos tam festinanter celebrans; non enim poterit celebrare absque plurimis defectibus, nimirum, quin verba, benedictiones, et genuflexiones mutilet; quin indecenter se moveat et convertat; et, quod magis dedecet, quin verba cum cæremoniis permisceat, aut contra Rubricarum præscriptum anticipet vel postponat; quæ quidem omnia quantopere adversentur reverentiæ nemo non videt: deinde, cæremoniæ nimis festinanter peractæ, nedum venerationem ingerant populo, venerationem plane adimunt, imo tentationes adversus fidem ingerunt, fidemque labefactant. Has ob causas Conc. Trid. [3], loquens de reverentiâ Sacrificio debitâ, merito commonet »maledictum »in sacris Litteris eum vocari, qui facit »opus Dei negligenter," subditque irreverentiam erga Sacrificium »ab impie»tate vix sejunctam esse posse."

Ex dictis consequitur, Episcopos et Prælatos Regularium teneri sub gravi turpem hanc et scandalosam celeritatem exstirpare.

Lubet hic subnectere S. Alphonsi gemitus de hoc abusu suâ ætate vigente: »Ita res se habet; sed heu! quot sunt »Superiores isti, et quot Sacerdotes, »qui de hoc sibi scrupulum injiciunt. »Exclamant Concionatores, exclamant »Scriptores, recte docentes quod ingens »divexatio cæremoniarum, et consequen»ter quod Missæ absolutio infra qua»drantem non potest excusari a culpâ »gravi; sed quot sunt ii, qui curam »habent hæc vitandi? Hujusmodi cor»ruptela non quidem calamo, sed la»crymis esset persequenda, dum quotidie »cernimus, non solum partem Sacerdotum »sæcularium hoc tremendum Sacrificium »peragere pejus, quam tractant res tem»porales levioris momenti, ita oscitanter, »ut nullam de tanto Mysterio fidem ha»bere videantur; sed, quod deplorabilius, »etiam Religiosi, adhuc arctioris obser»vantiæ, qui in aliis rebus spiritualibus »agendis magnam diei partem insumunt, »Missam vero, quæ omnium est divinis»sima, non dubitant brevissimo tem»pore perficere, nec ipsi ab hoc detes»tabili abusu se abstinere, nec Prælati »eos corripere curant. En quomodo de »hoc conqueritur venerabilis Card. Bel»larm., relatus in Bullâ *Annus qui.* N. »SS. Bened. XIV.: *Aliud est etiam »lacrymis uberrimis dignum, quod ob »nonnullorum Sacerdotum incuriam »aut impietatem, sacrosancta Mysteria »tam indecore tractentur, ut, qui illa »tractant, videantur non credere Ma»jestatem Domini esse præsentem. Sic »enim aliqui sine spiritu, sine affectu, »sine timore et tremore, festinatione »incredibili Sacrum perficiunt, quasi »fide Christum Dominum non viderent, »aut ab eo se videri non crederent.*" (*n.* 400. *Exam. Ord. n.* 125. H. A. *n.* 84—86.)

[1] Sess. 22. Decret. de observ. et evit.
[2] De Sacrif. Miss. *sect.* 2. *n.* 217.
[3] Sess. 22. Decret. de observ. et evit.

§ II. *Locus sacer.*

133. — **Principia.** I. Jure communi et ordinario, Missa licite celebrari non potest, nisi in Ecclesiis vel Oratoriis ab Episcopo consecratis, aut saltem ab eodem aut ejus permissu ab aliquo Sacerdote benedictis, atque ad cultum Dei dumtaxat deputatis. Constat ex Jure Canonico: *De consecr. dist.* 1. et Trid. *sess.* 22. *Decret. de observ. et evit.*

Dictum est 1° *jure ordinario;* quia in casu necessitatis licet Sacrificium in quocumque terræ loco offerre, dummodo locus, in quo fit, nihil indecori habeat. Casus autem necessitatis sunt: a) si Ecclesia diruta sit; b) si Sacerdos longam peragat peregrinationem per loca deserta vel infidelium, ubi desunt Ecclesiæ; c) quando Ecclesia non est capax populi, et alia non exstat, aut nonnisi valde dissita, ita ut sit difficilis accessus, atque adeo multi Missâ carere deberent [1]; d) si exercitus est in castris tempore belli, aut navigantium multitudo in littore maris, ne milites aut navigantes Missâ careant in diebus festis; similiter e) tempore persecutionis, cum imminet vitæ periculum, aut possibile non est in Ecclesiis celebrare. Constat de dictis ex *Dist.* 1. *de Consecr.* In hisce casibus decet ut Episcopi licentia obtineatur, si commode peti possit; et, si casus necessitatis dubius foret, Episcopus dispensare valet. *Ita communiter.* (*n.* 356. *et* 359.)

Dictum est 2° *jure communi;* quia ex privilegio Pontificio licet celebrare in Oratoriis privatis seu domesticis, imo et in aliis locis non sacris. Hujusmodi privilegium habent Episcopi et Cardinales, qui possunt in suis domibus Oratorium privatum habere, et in eo Missas celebrare, aliisque Sacerdotibus permittere ut celebrent. Pari modo possunt Prælati Regulares deputare Oratoria privata in suis monasteriis. (*n.* 357. 360.)

II. Præceptum non offerendi Sacrificium nisi in loco sacro, est grave præceptum. Ratio est, quia jura loquuntur tamquam de re gravi et maxime necessariâ, quæ prætermittenda non est, nisi necessitate urgente.

134. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Episcopis facultas sit concedendi usum Oratorii privati in domo privatâ, ut Missa in eo celebretur?*

Resp. Negat.; hæc facultas a Conc. Trid. *sess.* 22. *decret. de observ. et evit.* Episcopis adempta est, ideoque ad solum Rom. Pontificem devoluta. Nihilominus potest Episcopus hanc facultatem concedere per modum *actûs transeuntis,* si magna et urgens adsit causa, uti declaravit S. R. C. 1 Febr. 1847. et 20 Dec. 1856. (*n.* 359. *Exam. Ord. n.* 114.)

[1] S. R. C. 27 Aug. 1836.

Quær. 2° *An Episcopi possint celebrare, vel coram se celebrari facere, in domibus ubi reperiuntur, extra domum propriæ habitationis?*

Resp. Id quidem vetuit Clemens XI Decreto diei 15 Dec. 1703.; at Innoc. XIII Constit. *Apostolici ministerii.* 3 Maji 1723. declaravit Decreto Clementino locum non esse, si Episcopus tamquam hospes in alicujus etiam laici domo moretur, sive diœcesim visitando, sive iter faciendo, sive ex licentiâ juris aut Sedis Apostolicæ habitando in domo alienâ extra diœcesim. Eo in casu igitur gaudent Episcopi privilegio altaris mobilis; quo privilegio intelligitur facultas celebrandi super altare portatile omnino extra templa et oratoria. (*n.* 358. Bened. XIV. *De Sacr. Miss. sect.* 2. *n.* 46.)

Quær. 3° *In quibus Oratoriis Episcopi possint dare licentiam celebrandi?*

Resp. 1° In Oratoriis publicis, quæ nempe, non ad alicujus privatæ familiæ commodum, sed et ad aliorum extraneorum utilitatem erecta et benedicta sunt; ideo tale Sacellum sive Oratorium, quod parva ecclesia est, ostium apertum habere debet in viam publicam, ut cunctis pateat ingressus. 2° In Oratoriis Communitatum, puta Hospitalium, Seminariorum, Collegiorum, publicorum carcerum, et similium. 3° In Oratoriis erectis in palatiis Episcoporum. Ratio est, quia hæc non continentur cit. Decreto Trid. *sess.* 22., siquidem Communitates et palatia Episcoporum non censentur domus privatæ: propterea possunt ibidem plures quotidie Missæ celebrari, quique diebus festis ibi Missam audit, ecclesiastico præcepto satisfacit. (*n.* 357.)

Quær. 4° *Quid notandum sit circa celebrationem in Oratoriis privatis privatarum domuum?*

Resp. Ex consuetis Indultorum formulis observanda sunt quæ sequuntur: 1° Oratorium parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, exstructum esse debet. Non est opus quatuor muris cum januâ, sed loco quarti muri aptari potest tapes aut tela, quæ reseretur et claudatur. Sufficere quoque videtur pro Oratorio

amplum armarium ligneum, quod, absoluto Sacrificio, claudatur; quamquam decentius sit separatum cubiculum. 2° Idem prius ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum est, inspiciendi gratiâ num decens et apte compositum sit, et num aliquid eorum, quæ necessaria sunt, in eodem desit. 3° Episcopus debet Indultum exsequi, et secundum rationabile illius arbitrium perdurat. 4° Unica tantum in die Missa in Oratorio celebrari potest; idque sub gravi. 5° Prohibetur celebratio diebus solemnibus Natalis Domini, Epiphaniæ, triduo Hebdomadæ Majoris, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac Patroni loci. Sub solemnitate Paschatis et Pentecostes intelligitur prima horum festorum dies. Quando Oratorium concessum est propter infirmitatem, potest omnibus diebus ibi celebrari, et quidem in die Natalis Domini tres Missæ celebrari possunt, ut declaravit S. C. C. 20 Jan. 1725.[1] 6° Non potest celebrari in privato Oratorio, nisi intersit una ex personis indultariis, dominus vel domina, quibus nempe Indultum principaliter concessum et ad quas directum est. (*n.* 359. *Not.* 3. *lib.* 3. *n.* 318. H. A. *tr.* 6. *n.* 38. *Append.*)

Notandum superest: 1° Privilegium Oratorii privati simul est et *personale* et *locale*, atque adeo et loco designato adhæret, et cum personâ exstinguitur. (*Lib.* 3. *n.* 318. H. A. *tr.* 6. *n.* 38. *Append. Claus.* 1. *et* 3.)

2° Oratoria in domibus privatis erecta, benedicenda non sunt ritu præscripto in Rituali Rom. pro publicis Oratoriis; quia non perpetuo devoventur Deo. Ita S. R. C. 11 Mart. 1820. ad 10. Potest tamen, si lubet, adhiberi benedictio domûs vel loci.

QUÆR. 5° *An liceat Missam celebrare in mari?*

Resp. Non licet sine speciali Indulto Apostolico, quod sub illis conceditur conditionibus, ut 1° navigium longe absit a littore, 2° tranquillum sit mare, 3° celebranti adsit alter Sacerdos vel Diaconus, qui post Consecrationem firmiter teneat calicem, ut, si quis coëriretur motus, quo periculum esset ne calix everteretur, possit manu calicem ab ejusmodi periculo eripere. (*n.* 356. Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 51. Ferrar. *v. Missa. art.* 4. *n.* 6—9.) Hodie tamen 3ª conditio non semper exigitur.

135. — III. Vetitum est sub gravi Missam celebrare in Ecclesiâ exsecratâ, pollutâ, aut interdictâ, nisi coëgerit necessitas, aut in Ecclesiâ pollutâ celebrare permiserit Episcopus. Constat ex Jure Can. *dist.* 1. *de Consecr.* et *lib.* 5 *decret. tit.* 39., pertinetque ad reverentiam Ecclesiis debitam. (*n.* 361. *Exam. Ord. n.* 115.)

Ecclesia *exsecratur*, seu amittit consecrationem, ita ut denuo consecranda sit, quando parietes ex toto vel majori ex parte comburuntur, corruunt, aut destruuntur. Idem dicendum, si crusta parietum dicto modo auferatur. Ratio est, quia consecratio fit in parietibus. Oportet tamen ut præfatæ partes *simul et semel* destruantur; nam si paulatim et successive destruantur ac reparentur, ita ut pars non consecrata, quæ singulâ vice additur, non sit major, non perditur consecratio, etiamsi successive tota Ecclesia destruatur ac reparetur; quia tunc semper censetur manere idem numero templum, et pars major trahit ad se minorem. (*n.* 367. 368.)

Ecclesia *polluitur*, seu *violatur*, quatuor delictis: 1° per homicidium voluntarium et injuriosum; 2° per humani sanguinis effusionem copiosam, voluntariam et injuriosam; 3° per voluntariam et illicitam humani seminis effusionem, sive fiat per pollutionem sive per copulam; 4° per sepulturam hominis infidelis, aut excommunicati vitandi. (*n.* 364—366.)

Quocirca notanda sunt: 1° Quæstio movetur utrum violetur Ecclesia, si vulnus inferatur intra Ecclesiam, mors autem vel sanguinis effusio extra eam contingat? Communiter et probabilius affirmant DD., contra paucos; quia sufficit *delictum* injuriosum, occisivum vel effusivum sanguinis, in Ecclesia patratum esse. (*n.* 364.)

2° Nomine infidelis non comprehenditur catechumenus, quippe qui jam credit; neque proles in utero matris clausa; quia fœtus non reputatur ut persona per se distincta, sed ut pars matris.

[1] Bened. XIV. De Sacr. Miss. *sect.* 2. *n.* 30.

3° Ut prædicti actus polluant Ecclesiam, debent esse *notorii*, notorietate sive facti sive juris, ut tradunt DD. communiter. Satis est tamen, si crimen occulte patratum postea fiat publicum, ut patet ex *Cap.* 5. *de adulter.* (*n.* 364.) — Item debent esse facti in ipsâ Ecclesiâ, non in turri, atrio, sacristiâ; quia in odiosis pro Ecclesiâ habetur solum internum corpus. (*n.* 362. *lib.* 3. *n.* 38. 460.)

4° Tum denuo in Ecclesiâ pollutâ celebrare licet, cum ea *reconciliata* fuerit. Reconciliatio autem consistit in aspersione aquæ, quæ vino, cinere et sale mixta atque ab Episcopo benedicta est, si Ecclesia fuit prius *consecrata*, secundum ritum Pontificalis Rom.: aut in aspersione aquæ lustralis, a simplici etiam Sacerdote benedictæ, si Ecclesia tantum *benedicta* fuit, secundum ritum Ritualis Rom. — Porro Ecclesia *consecrata* reconciliari debet ab Episcopo; Sacerdos id non potest, nisi ex privilegio Pontificis: Ecclesia *benedicta* potest a Sacerdote reconciliari, præobtentâ Episcopi delegatione, ut vult. Rit. Rom.; quamvis Bened. XIV.[1] doceat ex *Cap.* 10. *de Consecr.* et Responso S. R. C. 20 Jun. 1626. non requiri delegationem. (*n.* 363.)

5° Pollutâ Ecclesiâ, consequenter polluitur cœmeterium illi contiguum; sed non vice versa. (*n.* 367.) Unde etiam cœmeterium ex pollutione Ecclesiæ violatum, sola Ecclesiæ reconciliatione reconciliatur.

Denique Ecclesiæ *interdictum* est censura ecclesiastica, quâ ob delictum patratum vetatur celebratio divinorum Officiorum in Ecclesiâ. Hàc de re agemus in Tractatu de Censuris.

§ III. *Altare cum suo ornatu.*

Trademus 1° notionem altaris, 2° ejus necessitatem, 3° ejusdem ornatum.

1. *Notio altaris.*

136. — Altare est lapis ad sacrificandum ordinatus et consecratus.

Duplex distinguitur: 1° *fixum*, quando mensa seu tabula lapidea, vel sacra petra, calce connexa est cum structurâ inferiori, quæ *basis* sive *stipes* vocatur. In hujusmodi altaris consecratione mensa per sacram unctionem in angulis cum stipite conjungitur. Mensa altaris potest vel quadrato ædificio, cujus latera saltem lapidea sint, vel columellis lapideis sustineri, dummodo omni ex parte hujusmodi stipitibus adhæreat, ut declaravit S. R. C. 20 Dec. 1864. 7 Aug. 1875. — 2° *Mobile*, seu *portatile*, quod et *viaticum* nuncupatur, est simplex lapis quadratus, seu petra, quæ seorsim consecratur et absque nexu altari ligneo vel lapideo inseritur. Solet etiam *ara* vocari.

Quocirca observanda sunt: 1° Altare, tam fixum quam mobile, debet constare ex uno integro lapide. Non opus est tamen ut stipes ex uno lapide sit.

2° Sacra petra tantæ sit magnitudinis, ut calicem et patenam, saltem quoad majorem partem, capiat; imo in altari, in quo consecrandæ sunt hostiæ pro Communione, etiam pyxidem capiat necesse est. Quam ob causam sacra petra ponenda est in medio mensæ, prope oram anteriorem.

3° Altaris consecratio postulat ut in eo condantur Reliquiæ Sanctorum; qui quidem ritus ad consecrationis essentiam pertinet. Constat ex constanti Ecclesiæ consuetudine; ex Conc. Nicæno II. *can.* 7. ubi dicitur nullum templum consecrari sine Sanctorum Reliquiis; ex *Can.* 24. *et* 26. *dist.* 1. *de Consecr.*, ubi jubetur ut evertantur altaria, quæ carent Reliquiis; denique ex pluribus decretis S. R. C., quibus declarantur exsecrata altaria, quæ Reliquias amiserunt.[1] (*n.* 369.) Altare sine Reliquiis *vacuum* vocatur, ut colligitur ex declaratione S. R. C. 20 Dec. 1864. et 28 Sept. 1872. Porro Reliquiæ debent esse plurium Martyrum, juxta declar. S. R. C. 6 Oct. 1837, quibus addi possunt Reliquiæ aliorum Sanctorum; item debent esse partes corporis.

137. — Altare *exsecratur* 1° per amotionem mensæ altaris aut sacræ petræ ab inferiori stipite; 2° per fracturam enormem; 3° per læsionem sepulchri Reliquiarum. Constat ex *Cap.* 1. 3. *et*

[1] De Syn. *lib.* 13. *cap.* 15. *n.* 2. *in fine.*

[1] 23 Mart. 1686.—23 Maji 1835. — et præsertim 6 Oct. 1837. cui addita est Instructio approbata a Gregorio XVI.

6. *de consecr. eccl.* ac pluribus Declarationibus S. R. C. [1]

Prima harum exsecrationis causarum convenit soli altari fixo; duæ posteriores communes sunt tam fixo quam portatili. (*n.* 369. *Exam. Ord. n.* 116.)

Quoad secundam causam, enormis erit fractura, si tabula fuerit in duas vel plures notabiles partes divisa, vel si pars defracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis.

Quoad tertiam causam, 1º sciendum est nomine *sepulchri* intelligi loculum illum, in quo Reliquiæ reconduntur: nomine vero *sigilli* parvum illum lapidem, quo sepulchrum clauditur. 2º Læditur sepulchrum, tum per subtractionem Reliquiarum, tum per fractionem sigilli, tum per ejusdem amotionem. Constat ex S. R. C. Declarationibus. [2] (*n.* 369. *dub.* 2.)

Hinc, si deletum sit tantum Episcopale sigillum super sepulchrum hispanicâ cerâ impressum, illæso sepulchro, altare non indiget nova consecratione. S. R. C. 5 Dec. 1851.

2. *Necessitas altaris.*

138. — **Principia.** I. Ex gravi præcepto, Missæ Sacrificium celebrandum est super altare lapideum ab Episcopo consecratum, sive fixum sit sive portatile. Constat ex constanti Ecclesiæ disciplinâ, et edicitur in Missali. *Rubr. gen. tit.* 20.

Porro ara, seu altare portatile, inserenda est in altari ligneo vel ex aliâ materiâ confecto. Ita Missale. *loc cit.* (*n.* 372. 373.)

II. Sub gravi vetitum est celebrare super altare exsecratum. Consequitur ex dictis.

Notandum hoc loco, non sufficere quod hostiæ consecratæ sint super sacram petram tempore Consecrationis, verum debent in eâ manere toto tempore Sacrificii, i. e. usque ad peractam Communionem; quia omnes sunt unica victima, et per modum unius offeruntur. Unde minus recte faceret celebrans, qui post Consecrationem hostias a se consecratas daret alteri Sacerdoti distribuendas populo; tum quia, ut diximus, omnes hostiæ sunt una victima ejusdem Sacrificii, tum quia non congruit ut alius priusquam ipse Sacerdos participet de Sacrificio. Si quis tamen id faceret, non videtur delinquere graviter, imo, si necessitas esset expediendi Communionem populi, excusari potest ab omni culpâ. (*n.* 373.)

[1] 15 Maji 1819. — 3 Mart. 1821. — 23 Maji 1835. — 6 Oct. 1837. — 14 Mart. 1861.

[2] 23 Mart. 1686. — 23 Maji 1835. — 6 Oct. 1837. — 7 Dec. 1844. — 5 Dec. 1851. — 14 Mart. 1861.

3. *Ornatus altaris.*

139. — Rubricæ generales Missalis *tit.* 20. recensent omnia, quibus altare ornari debet, nimirum: 1º Opertum sit tribus linteis sive mappis mundis, benedictis ab Episcopo, vel ab alio habente potestatem. Longa sit oportet superior mappa, utrimque ad terram usque demissa (quod tamen hodie non est ubique in usu): reliquæ duæ breviores esse possunt seu una duplicata. Mappæ debent confici ex lino vel cannabe, ut patet ex Decreto generali S. R. C. 18 Maji 1819 a Pio VII approbato; linum et canabis æquiparantur. (*n.* 375. *Exam. Ord. n.* 116.)

2º Anterior altaris facies pallio seu antependio ornetur, coloris, quoad fieri potest, diei festo vel Officio convenientis. Antependium tamen non requiritur, si altare sit marmoreum, vel formam tumbæ sive urnæ habeat. (*n.* 395.)

3º Super altare esto Crux erecta in medio, cujus ab utrâque parte candelabra sint saltem duo cum candelis accensis. Ad Crucis pedem ponatur tabella secretarum appellata. In cornu Epistolæ pulvinar (vel, ex usu, parvum pulpitum) missali supponendum. (*n.* 395.)

Quod Crucem attinet, decrevit Bened. XIV Constit. *Accepimus.* 16 Jul. 1746: a) Ut nullo modo fiat Sacrificium ad altare, »nisi Crucifixus inter candelabra ita promineat, ut Sacerdos celebrans ac populus Sacrificio assistens »eumdem Crucifixum facile et commode »intueri possint; quod evenire nequit, »si exigua solum Crux exhibeatur." Idem præscribit Cæremoniale Episcoporum. b) Crux debet esse cum imagine Crucifixi, prout vult Cæremoniale Episcoporum, et communis Ecclesiæ consuetudo. c) Quando in altari est magna effigies Crucifixi picta vel cælata, non requiritur alia Crux. d) In altari, ubi publice expositum est SS. Sacramentum, Crux necessaria non est, sed quælibet Ecclesia relinquitur in suâ praxi, ut declaravit S. R. C. 2 Sept. 1741.

Quantum ad luminaria, a) debent esse *cereæ*, ut præscribit Missale *de defect. tit.* 10. *n.* 1. b) Exceptis Cardinalibus et Episcopis, non licet cæteris Sacerdotibus in Missâ privatâ habere quatuor candelas accensas, ratione *personalis cujusdam distinctionis ac præeminentiæ;* ratione vero alicujus *majoris solemnitatis* Festi aut Missæ, omnibus licet, juxta Declar. S. R. C. 12 Sept. 1857.

4º Juxta altare a parte Epistolæ paretur cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, ampullæ vitreæ vini et aquæ, cum pelvicula et manutergio mundo in fenestellâ seu in parvâ mensâ ad hæc præparatâ.

Quocirca notandum, a) non esse obligationem accendendi tertiam candelam ante Consecrationem; sic enim hodie communis usus habet. (*n.* 394.) b) Quamvis ampullas vitreas esse præstet, ut vinum ab aquâ facile discerni possit, nihilominus S. R. C. 28 April. 1865 permisit adhibere aureas vel argenteas.

5º Denique, super altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ Sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat.

140. — **Quæstiones.** Quær. 1º *Quanta sit recensitorum obligatio?*

Resp. 1º Peccatum grave erit, celebrare a) sine ullâ mappâ, quod reputatur communiter gravis irreverentiâ; ab omni tamen culpa excusat gravis necessitas sic celebrandi; b) sine missali, vel si Sacerdos ritûs Romani uteretur missali diversi ritûs; c) sine ullo lumine, etiamsi urgeret necessitas ministrandi Viaticum: item cum candelis, quæ non sunt cereæ, nisi in casu necessitatis. (*n.* 375. 390. 394.)

2º Veniale æstimatur, celebrare a) cum unâ mappâ, vel cum mappis non benedictis; b) sine antependio, ubi requiritur; id saltem probabilius aliqua culpa videtur; c) sine Cruce; d) cum unâ candelâ cereâ. Ab hoc veniali excusat rationabilis causa. (*n.* 375. 393–395.)

Quær. 2º *Quid facto opus sit, si lumen deficiat intra Missam?*

Resp. 1º Si deficiat ante Consecrationem, desistendum est a celebrando, ut tradunt communiter DD. 2º Si post Consecrationem, absolvendum est Sacrificium; quo casu, etiamsi candelæ possint reaccendi, melius est pergere sine morâ, quia continuatio Missæ pertinet ad unitatem Sacrificii. (*n.* 394.) 3º Si una tantum candela exstinguatur, non est desistendum a Sacrificio, et, interea dum reaccendi possit, pergendum est.

§ IV. *Vasa sacra cum accessoriis.*

1. *Vasa sacra.*

141. — **Principia.** I. Sacrificium Missæ offerri non potest, sub gravi peccato, sine calice et patenâ ab Episcopo consecratis. Constat ex usu perpetuo Ecclesiæ; ex *Cap.* 44. *de consecr. dist.* 1., et ex Missali *Rit. Miss. tit.* 1. *n.* 1. (*n.* 379.)

II. Tam calix quam patena debent esse ex debitâ materiâ confecta. Calix, quoad cuppam saltem, debet esse vel aureus, vel argenteus, vel stanneus: non autem æreus neque cupreus, ut colligitur ex Responso S. R. C. 31 Aug. 1867; a fortiori non vitreus, ob fragilitatem. Cuppa, si non sit aurea, debet esse intus inaurata. Patena debet ejusdem esse materiæ ac calix, et pars ejus superior similiter inaurata. Constat ex *Cap.* 45. *de consecr. dist.* 1. et ex Missali *Rit. Miss. tit.* 1. *n.* 1. *De defect. tit.* 10. *n.* 1.

Calix stanneus videtur permitti solummodo ratione paupertatis, aut persecutionis, ut dicitur in *cit. cap. de consecr.;* verumtamen semper potest ex eâ materiâ confici absque peccato, ut colligitur ex *cit. loc. de defect.*

Præterea ex Decreto Pii IX 6 Dec. 1866 permittuntur calices ex ære aluminii (*bronze d'aluminium*), dummodo cuppa intus argento prius et deinde auro obducatur, juxta Instructionem præfato decreto adnexam. [1]

Quæstio est, an inauratio sit sub gravi præcepta? Plerique negant, si calix et patena sint ex argento; excusat autem paupertas ab omni peccato. Ita Lugo, Salm. Roncag. Collet, etc. (*n.* 370. *dub.* 3.)

142. — III. Exsecrantur calix et pa-

[1] Cfr. Revue des scienc. eccl. *Tom.* 17. *pag.* 545. Revue Cathol. *Tom.* 26. *pag.* 236.

tena, quando notabiliter franguntur, vel amittunt formam suam, ita ut ad usum Sacrificii non amplius sint apti. — Sic exsecratur calix, quando in fundo perforatur; quando cuppa divellitur a pede fixo; calix et patena exsecrantur, quando iterato aurantur, prout declaravit S. R. C. 14 Jun. 1845, quia tunc superficies, quæ immediate tangit sacras species, non est consecrata. (*n.* 370. *cum dub.* 2. *et* 4.)

Non exsecratur calix, si cuppa separetur a pede tornatili; quia per hujusmodi separationem citra fractionem formam non amittit, cum ejus partes sine novo artificio jungi possint. Item, si auratura usu detrita est, i. e. si palluit, sed non penitus absumpta est; si enim penitus periit, calix inhabilis est ad Sacrificium, cum auratura omnino requiratur. (*n.* 370. *dub.* 1. *et* 4. Revue théol. 1886. *pag.* 323.) Recole dicta n. 135.

143. — Apposite hic expenditur quibusnam liceat SACRA VASA CONTRECTARE. Quocirca distinguendum est: 1° Sacra vasa contingere, dum Eucharistiam continent, solis Sacerdotibus et Diaconis fas est; cæteris, extra casum necessitatis, sub gravi prohibitum. Constat ex *Cap.* 26. *dist.* 23.

2° Sacra vasa, dum vacua sunt, contingere *jure* possunt Subdiaconi et Acolyti; ex *consuetudine* omnes Clerici; ex *privilegio* omnes Regulares, etiam laici, et Moniales sacristæ. Laicis sæcularibus autem tangere vasa sacra immediate et nudâ manu non licet; et quamvis, secluso contemptu, hoc excusetur a peccato mortali, cum non appareat materia gravis, a peccato tamen veniali, si absque rationabili causâ fiat, excusari non potest. Constat ex *Cap.* 41. *de consecr. dist.* 1. ex *Capp.* 30—32. *dist.* 23. et communi DD. sententia. Verumtamen, laicis sacristis, qui in habitu clericali ecclesiis inserviunt, hodie potest dici licitum tangere sacra vasa; hi enim in ecclesiâ muneribus Clericorum funguntur, et, dum officium sacristæ exercent, semper adest aliqua necessitas sacra vasa tangendi; saltem potest Episcopus illis hanc licentiam concedere, quod consultius est.

Ex dictis infertur, sacra vasa, si expolienda, instauranda, vel inauranda sunt, licite tangi ab artifice; quia adest justa causa.

Prædicta valent, non modo de calice et patenâ, quæ chrismate unguntur, verum etiam de pyxide, de lunulâ ostensorii, de corporalibus, pallis et purificatoriis, postquam adhibita fuerint, atque de altaribus consecratis. Reliqua porro omnia, quæ non attingunt immediate Corpus Christi, nec chrismate consecrantur, possunt sine scrupulo tangi a laicis, etiam a fœminis. (*n.* 382. *lib* 3. *n.* 48.)

2. *Sacrorum vasorum accessoria.*

144. — Super os calicis ponatur, præter patenam cum hostiâ, purificatorium mundum; deinde parva palla linea; postea velum sericum; denique bursa ejusdem coloris, cujus sunt cætera paramenta, intus habens corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum. Ita Missale. *Rit. Miss. tit.* 1. *n.* 1.

Quocirca notanda sunt: 1° Corporalia, pallæ, ac purificatoria, conficienda sunt ex lino vel cannabe; hæc quippe æquiparantur. Constat ex decreto generali S. R. C. 18 Maji 1819, a Pio VII approbato.

2° Purificatorium seorsim non est benedicendum, ut declaravit S. R. C. 7 Sept. 1816. ad 26.; quia in Missali *loc. cit.* solius corporalis cum palla benedictio præscribitur, et in Rituali nulla adest benedictio propria purificatorii. Idem dicendum de benedictione veli ac bursæ. Hinc, si purificatorium non facile haberi possit, probabiliter potest sine eo celebrari, ejusque loco adhiberi strophiolum mundum, quod postea ad profanum usum non adhibeatur. (*n.* 389.)

3° Non est prohibitum quominus corporale in orâ seu extremitate auro vel serico ornetur; quia Missale dicit illud *in medio* non debere ornari. (*n.* 388.) Licet quoque pallam a parte superiori panno serico cooperire, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris aut referat aliqua mortis signa. Ita S. R. C. 10 Jan. 1852.

4° Rebus enumeratis adjungere licet parvum cochlear, quo aqua in calicem immittatur, ut docet Bened. XIV. *De Miss. sect.* 2. *n.* 81. et confirmavit S. R. C. 6 Febr. 1858. Confici potest ex qualibet materia, nec benedicendum est.

145. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quantum peccatum sit celebrare sine corporali, aut sine palla, vel cum iisdem non benedictis?*

Resp. 1° Quoad corporale, nequit excusari a mortali, nisi gravis urgeret necessitas celebrandi; quia præceptum hoc et constans consuetudo Ecclesiæ est valde gravis, multumque pertinet ad Sacramenti reverentiam. *Ita omnes.* (*n.* 387.)

2° Quoad pallam, controvertitur. *Prima sententia* probabilis contendit esse mortale; quia olim palla erat ipsum corporale, quo calix operiebatur, unde, licet hodie sit separata, pertinet tamen ad integrum munus corporalis, estque veluti quædam pars ejus, ac proinde eodem præcepto est necessaria. Ita Suar. Filliuc. Quarti, Escob. Vasq. Collet, etc.

Secunda sententia non minus probabilis docet non esse mortale; quia, cum hodie palla separata sit a corporali, non tanta exsistit ratio reverentiæ pro palla, quæ non tangit sacras species, quanta pro corporali, quod eas immediate tangit. Ita Soto, Manuel, Rodriq. Gobat, etc. Unde, si palla deesset, aut per quadrantem exspectanda foret, posset loco ejus adhiberi aliud corporale, aut, hoc deficiente, purificatorium vel bursa. Ita Spor. Croix, Gobat. (*n.* 388.)

QUÆR. 2° *Quantum peccatum sit celebrare cum corporali immundo?*

Resp. 1° Si sit *valde* immundum, mortale esset; in necessitate tamen, nempe urgente præcepto audiendi Sacrum, nullum peccatum foret.

2° Si *non valde* immundum sit, esset tantum veniale; imo nullum peccatum, si aliud haberi non posset. Ita Suarez, Laym. Tamb. Croix, Gob. Collet. (*n.* 376. *Exam. Ord. n.* 119.)

146. — Quædam subjungere hic juvat de LOTIONE CORPORALIUM, PALLARUM ET PURIFICATORIORUM. 1° Prima eorum lotio fieri debet a Clerico in Sacris constituto, ut constat ex *Cap.* 40. *de Consecr. dist.* 1. Juxta ritum Ordinationis in Pontificali ea lotio est officium proprium Subdiaconorum. Probabiliter tamen potest fieri etiam a Clerico inferiori, cum in *cit. Cap.* Diacono adjungantur *humiles ministri.* Secunda et tertia lotio convenientius etiam fit a personis sacris, atque ex privilegio fieri potest a Religiosis, etiam laicis, et Monialibus: non erit autem peccatum, si ex rationabili causa fiat a laicis sæcularibus, cum hæc tangere ex causa rationabili laicis non sit peccatum.

2° In *cit. Cap.* insuper statuitur, ut vasa, in quibus prædicta lavantur, sint ad hoc tantum munus destinata; ac denique, ut aqua lotionis foras non ejiciatur, sed in Sacrarium; quod quidem omittere erit peccatum, ut dicitur in *cit. Cap.*; idque nulla consuetudine abrogari potest, cum sit actus debitæ reverentiæ. (*n.* 387.)

§ V. *Vestes sacræ.*

147. — I. Sex sunt vestes pro Sacerdotibus sacrificantibus institutæ, scil. amictus, alba, cingulum, manipulus, stola seu orarium, et casula seu planeta. Ita Missale. *Rit. Miss. tit.* 1.

Præceptum est Ecclesiæ Missam cum omnibus sacris vestibus celebrandi, ita ut peccatum mortale sit, non solum nullas adhibere sacras vestes, verum etiam voluntarie omittere aliquam earum præcipuam. Ratio sumitur ab universali consuetudine Ecclesiæ, quæ hunc ritum observat tamquam necessarium, et maxime pertinentem ad reverentiam hujus Sacramenti.

Hinc probabiliter non erit mortale, celebrare sine cingulo, aut sine amictu; imo nullum peccâtum, si prædicta desint, adsitque rationabilis causa celebrandi. Ita multi DD. (*n.* 377.)

QUÆRITUR, *an unquam liceat celebrare Missam sine ulla veste sacra?*

Resp. Plures affirmant, modo absit contemptus; quia præceptum ecclesiasticum non obligat in casu necessitatis. Ita Azor, Navarr. Laym. Quarti, Escob. Vasq. Bonac. Spor. etc.

Sententia vero, quam S. Alph. sequitur, negat; quia fieri non potest sine contemptu, sine scandalo, et sine gravi irreverentia; præceptum autem naturale reverentiæ tanto Sacramento debitæ potius est quacumque necessitate. Ita Suar. Tamb. Cajet. Sanch. Pal. Roncag. Collet, Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 2. *n.* 52. et Constit. *Æstas anni.* 11 Oct. 1757. *n.* 18.

In casu tamen gravis necessitatis probabiliter licebit celebrare sine aliquâ ex

vestibus, etiam præcipuis, puta sine stola vel manipulo. Ita Roncag. Tamb. Fagund. Suar. (*n.* 377.)

148. — II. Necessarium etiam ex præcepto est, ut hæ vestes sint benedictæ ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente. Ratio, quia est consuetudo Ecclesiæ, et præcipitur in Missali. *Rit. Miss. tit.* 1. *n.* 2. — *De defect. tit.* 10. *n.* 1.

Hæc benedictio sub gravi obligat, eodem modo, quo vestes ipsæ, secundum supra dicta; quia vestis non benedicta est res non sacra. (*n.* 377.)

Porro Prælati Regulares possunt sacra paramenta benedicere, sed pro suis dumtaxat Ecclesiis, ex privilegiis eisdem concessis. Ita S. R. C. 16 Maji 1744. (*n.* 378.) Si nihilominus pro aliis Ecclesiis benedixerint, benedictio, utut illicita, valida tamen erit, ex Declar. S. R. C. 27 Aug. 1707.

Quæritur, *an Episcopi possint aliis delegare facultatem benedicendi Sacra paramenta?*

Resp. Ex declaratione S. R. C. 16 Maji 1744. non possunt, absque Apostolico indulto. A fortiori id nequeunt Prælati Regulares. (*n.* 378. *dub.* 4.)

149. — III. Quantum ad materiam sacrorum indumentorum, 1° amictus et alba debent esse linea vel cannabea. 2° Cingulum potest esse sericum vel laneum, congruentius tamen erit lineum, ut declaravit S. R. C. 22 Jan. 1701. 3° Reliqua paramenta confici possunt ex serico, semiserico, vel ex aureâ texturâ; non autem ex telâ lineâ, gossypio, vel lanâ, neque ex vitreâ texturâ. Ita S. R. C. 22 Sept. 1837. — 11 Sept. 1847. — 18 Dec. 1877. et 28 Julii 1881.

Ad hæc, paramenta non debent esse lacera aut scissa, sed integra, decenter munda, ac pulchra. Ita Missale. *Rit. Miss. tit.* 1. *n.* 2. Idcirco peccant Sacerdotes adhibendo paramenta immunda vel lacera; et graviter quidem, si enormiter immunda vel lacera essent; in necessitate tamen, nempe urgente præcepto audiendi Sacrum, nullum peccatum foret. Si non valde immunda vel lacera sint, erit veniale; imo nullum peccatum, si alia haberi non possint. (*n.* 376.)

150. — IV. Quoad colorem, paramenta altaris, celebrantis, et ministrorum, debent esse coloris convenientis Officio et Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit, albo, rubeo, viridi, violaceo, et nigro. Ita Missale. *Rubric. gen. tit.* 18.

Propterea prohibita sunt paramenta flavei aut cœrulei coloris, uti declaravit S. R. C. 16 Mart. 1833. — 23 Febr. 1839.

Paramenta insuper debent unius esse coloris, vel certe unus color in eis prævalere, et pro hoc solo adhiberi possunt. Ita S. R. C. 22 Sept. 1837 ad 8.

Quæstiones. Quær. 1° *An sacra paramenta revera auro, maxima saltem ex parte, contexta, pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro, inservire possint?*

Resp. S. R. C. 28 April. 1866 rescripsit: »Tolerandam esse locorum con»suetudinem, relate tantum ad para»menta ex auro contexta."

Quær. 2° *An color paramentorum sit de præcepto?*

Resp. Sunt qui negant. Sed probabilius affirmandum; quia omnes Rubricæ spectantes ad res, quæ Missam concomitantur, præceptivæ sunt, ut infra n. 154. probabitur. Hæc tamen Rubrica non obligat sub gravi, nisi scandalum oriretur, puta si quis in Missa festiva uteretur paramentis nigris. Unde rationabilis causa ab omni culpa excusat. (*n.* 378. *dub.* 5.)

Nota. Non licet Sacerdotibus paramenta sumere de altari, vel ibidem ea deponere, nisi desit commoditas ea alibi ponendi: quo casu non ponantur in medio altaris, utpote quod solis Episcopis reservatur. Constat ex pluribus S. R. C. Declarationibus, inprimis 17 Junii 1673, interpretantibus Rubricam *Rit. Miss. tit.* 2. *n.* 2. *et tit.* 12. *n.* 6. (*n.* 424. *sub.* 5.)

151. — V. Sacra paramenta exsecrantur, seu benedictionem amittunt, quando ita dissolvuntur, ut suam formam amittant, vel inhabilia sint ad usum sacrum, ad quem ordinata sunt; v. g. si manica albæ omnino separetur, etiamsi postea assuatur; si cingulum omnino rumpatur, ita ut neutra ejus pars per se sufficiat ad cingendum; et ideo non potest adhiberi, etiamsi reficiatur; secus vero, si post ruptionem altera pars sit sufficiens, nam in illa manet benedictio; item perditur benedictio, si ex alba conficiatur amictus, ex stola manipulus.

Si vestes sacræ reparentur per materiam assutam non benedictam, quæ sit minoris quantitatis, hæc participat benedictionem majoris, secundum dicta n. 135.

Denique, lacera paramenta, aut vetustate consumpta, comburenda sunt, et cineres in sacrario recondendi; non autem ad usus profanos adhibenda sunt; ut statuitur in *Cap.* 39. *de consecr. dist.* 1. (*n.* 371.)

§ VI. *Præparatio Sacerdotis, et gratiarum actio.*

152. — Ultra statum gratiæ et jejunium, sequentia statuit Missale. *Rit. Miss. tit.* 1. *n.* 1. *et* 2: »Sacerdos celebratu»rus Missam, prævia Confessione sacra»mentali, quando opus est, et saltem Ma»tutino cum Laudibus absoluto, orationi »aliquantulum vacet, et orationes inferius »positas pro temporis opportunitate di»cat .... Lavat manus, dicens orationem »inferius positam .... Accedit ad para»menta ... quibus induit se ... dicens »ad singula singulas orationes inferius »positas."

Sacerdos, qui sine ulla præparatione ad sacrificandum accederet, ab aliqua culpa excusandus non foret; quia proxima præparatio necessaria est, ut Sacrificium cum debita religione et pietate celebrari possit. (*n.* 410. *dub.* 2.)

Quæstiones. Quær. 1° *Quantum peccatum sit celebrare Missam, non recitato Matutino cum Laudibus?*

Resp. Controv. 1ª Sententia docet esse mortale; tum quia recitatio illa ante Missam est consuetudo Ecclesiæ in re gravi; tum quia in Missali præcipitur, ejusque omissio inter defectus numeratur; tum quia Innoc. IV consultus rescripsit: »Sa»cerdotes ... Missam celebrare, prius»quam Officium matutinale complevе»rint, non præsumant." Ita S. Anton. Navarr. Antoine, Juen. et alii.

2ª Sententia nullam hic culpam agnoscit; quia Rubrica est tantum de consilio, et aliunde nulla apparet lex sub culpa præcipiens. Ita Tamb. Holzm. Gobat, Quarti, etc.

3ª Sententia communior et probabilior docet veniale peccatum esse, si fiat absque justa causa. Etenim aliquam esse culpam, probant rationes primæ sententiæ, præcipue ratio petita ex Rubrica *de defect. tit.* 10., siquidem ea, quæ inter defectus computantur, nequeunt esse de consilio dumtaxat. Hanc autem culpam non esse mortalem, probatur, a) quia recitatio Officii non est instituta ut sit præparatio ad Missam, sed propter se præcipitur ad publicam orationem in Ecclesia faciendam, et, quamvis juvet illam præparationem, aliis tamen modis potest Sacerdos convenienter se præparare; ergo non est connexio inter Officium et Missam; b) gravis obligatio neque exprimitur in Rubrica, neque consuetudine est recepta. Ita Bellarm. Less. Sanch. Concin. Collet, Salm. Soto, Sylv. Bened. XIV. etc.

Excusat quælibet mediocris causa rationabilis, puta si quis impeditus fuerit administratione Sacramentorum; si populus aut persona exspectet; si Superior præcipiat; si dans eleemosynam postulet ut statim celebretur; si instet commoditas studii, itineris, et similia. (*n.* 347.)

Quær. 2° *Quid dicendum, si cantetur Missa Conventualis et solemnis ante recitatum in Choro Matutinum cum Laudibus?*

Resp. Communiter tradunt DD. esse peccatum mortale, nisi gravis et publica causa intercedat, ac vitetur scandalum; quia sic recepta est consuetudo in omnibus Ecclesiis, in quibus est obligatio dicendi Officium in Choro, ita ut graviter læderentur commune bonum, bonum regimen Ecclesiæ, et publicus cultus Dei, si hæc statutis temporibus et debito ordine non fiant. (*n.* 348.)

Quær. 3° *An sit peccatum omittere orationes ante vel post Missam assignatas?*

Resp. Communiter negant; quia Rubrica illas insinuat tantum, dum ait: »Orationes pro opportunitate Sacerdotis »dicendæ," quibus verbis significatur eas relinqui arbitrio Sacerdotis. (*n.* 410. *dub.* 2.)

Allegata ratio non attingit orationes, quæ sub induendo vestes dicendæ sunt, neque Canticum trium puerorum; hæ orationes moraliter pertinent ad Missam, quare Canticum præscriptum legitur in ipso Ordine Missæ. Excusantur tamen, qui Canticum memoriâ tenere non valent; suntque AA. qui ejus obligationem negant, puta Quarti. *p.* 2. *tit.* 12. *dub.* 3. Cavalieri. *tom.* 5. *cap.* 2. *n.* 4. De Herdt. *part.* 2. *n.* 294. *in fine.*

QUÆR. 4° *An sit peccatum omittere orationes induendo vestes?*

Resp. Communiter censent esse veniale; quia illæ orationes jam moraliter pertinent ad Missam, et nonnisi ex acedia omitterentur. (*n.* 410. *dub.* 3.)

QUÆR. 5° *An lotio manuum sub peccato obliget?*

Resp. Ante Missam debet fieri saltem sub veniali; sed sub gravi, si manus essent valde immundæ; propter reverentiam Sacrificii, et in significationem spiritualis munditiæ, quam Sacerdos habere debet; quare nullo non tempore, tam in veteri quam in nova Lege, erat altaris ministerio præmittenda. Post Missam vero omitti potest absque peccato, cum non præscribatur. Ita Croix, Quarti, Roncag. Collet, Bened. XIV. *De Sacrif. Miss. sect.* 1. *n.* 64. cum S. Thoma. 3. *qu.* 83. *a.* 5. *ad* 1., et alii. (*n.* 409.)

QUÆR. 6° *Quantum tempus post Missam gratiis agendis impendi debeat?*

Resp. Deberent Sacerdotes saltem horæ quadrantem pio huic exercitio impendere, ne applicari ipsis possit, quod scripsit S. Bernardus *Epist.* 2. cuidam Sacerdoti: »Heu! quomodo Christum »tam cito fastidis?" Quinimo optandum foret, ut, si nihil impediat, semihoram in gratiarum actionem conferrent. Ita S. Alph. in opusculo: *Missa et Officium festinata.*

§ VII. *Ritus sacer.*

Ritus Missæ comprehendit verba proferenda, actiones præstandas, et ministrum, qui celebranti inserviat. Singula expendemus, sed primo loco obligationem rituum in genere.

1. *Obligatio rituum in genere.*

153. — **Principia.** I. Tenentur Sacerdotes intra Missam servare integrum ritum Missæ, prout in Missali definitus est, sub præcepto ex genere suo gravi. Probatur 1° ex Trid. *sess.* 7. *can.* 13: »Si quis dixerit, receptos et approbatos »Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sa»cramentorum administratione adhiberi »consuetos, aut contemni, aut sine pec»cato a ministris pro libito omitti, aut »in novos alios per quemcumque Eccle»siarum Pastorem mutari posse, ana»thema sit." Atqui certum est Missam ad Sacramenti Eucharistiæ administrationem pertinere. Ergo. Item ex *sess.* 22. *decret. de observ. et evit.* 2° Ex Bulla S. Pii V *Quo primum tempore.* 12 Jul. 1570. in principio Missalis posita, ubi is diserte ait: »Mandantes et dis»tricte omnibus et singulis præcipientes »in virtute sanctæ obedientiæ, ut Mis»sam juxta ritum, modum ac normam, »quæ per Missale hoc a nobis nunc tra»ditur, decantent ac legant." 3° Accedit ratio hujus præcepti, quia hæc res gravis est, et ad debitum cultum divinum spectat, ut tantum ministerium ordinate fiat. (*n.* 399.)

II. Pariter prohibentur Sacerdotes alias cæremonias vel preces, quam quæ in Missali continentur, addere vel recitare, aut quidquam in eis immutare. Ita expressis verbis Trid. *sess.* 22. *decret. de observ. et evit.* et Bulla S. Pii. (*n.* 399.)

Hinc, quando peccatur per *additionem*, si id fiat animo immutandi vel addendi novum ritum, semper erit peccatum grave: si fiat ex importunâ devotione, veniale erit, ob materiæ levitatem. Quoad *omissionem*, si omittatur aliqua cæremonia gravior, continensque specialem significationem, materia erit gravis, ut si quis omitteret vestem sacram præcipuam, mixtionem aquæ cum vino: item, si omittantur cæremoniæ leviores in notabili quantitate. (*n.* 400. 411.)

154. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An omnes Rubricæ Missalis sint de præcepto?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia Bulla Pii V loquitur de omnibus Rubricis, quæ ad Missæ celebrationem attinent, nullam distinctionem facit. Accedit, Rubricas ante Sacerdotis accessum ad altare in Missali adnumerari inter *Ritus servandos in celebratione Missæ.* Ita Suar. Azor, Bonac. Coninc. Bened. XIV. *De Miss. sect.* 2. *n.* 102. etc.

2ª Sententia, quam sequitur S. Alph., distinguit hoc modo: præceptivæ sunt Rubricæ *intra Missam* servandæ; quod quidem indubium est ob rationes allatas in primo principio. Directivæ tantum seu de consilio sunt Rubricæ *extra Missam* servandæ. Ratio hujus est, quia Bulla jubet dumtaxat ut *Missa legatur ac decantetur* secundum Rubricas Missalis; dummodo ergo hoc fiat, impletur præceptum; ea proinde, quæ Missam omnino antecedunt vel subsequuntur, non cadunt sub præcepto. Neque obstat posterior ratio primæ sententiæ, nam titulus primus *Ritûs servandi* inscribitur: *De præparatione Sacerdotis celebraturi;* necdum proinde ibi agitur de celebratione Missæ; contra vero, *Rubricæ generales* omnes fere respiciunt servanda in actu celebrationis; hæc ergo ratio nihil probat. Ita Quarti, Merati, Collet, etc. (*n.* 399.)

QUÆR. 2° *An obligent Decreta et Declarationes S. R. Congregationis?*

Resp. Consule dicta lib. I. n. 173.

QUÆR. 3° *An obliget Cæremoniale Episcoporum?*

Resp. Affirm., Rubricæ in eo præscriptæ ubique obligant, cum in tribus Bullis ei præfixis dicatur: »Cæremoniale »prædictum in omnibus Ecclesiis ser»vandum, præcipue in Cathedralibus et »Collegiatis." Cæremoniale enim est Missalis complementum in Officiis solemnibus. (*Exam. ord. n.* 112.)

QUÆR. 4° *An omissio quarumdam cæremoniarum propter impotentiam excusari possit a culpa?*

Resp. Excusari potest omissio leviorum cæremoniarum, ut sunt v. g. inclinationes profundæ, genuflexiones usque ad terram, dummodo caveatur scandalum populi, absitque gravis indecentia. (*n.* 402.) Quocirca S. R. C. 2 Jul. 1661 declaravit Parochum, qui impeditus in uno brachio, non possit utrâque manu elevare SS^mum^ in Missâ, nisi usque ad os, attamen unâ tantum manu possit idem elevare supra caput, ita ut videri et adorari valeat ab adstantibus, non posse absque dispensatione Apostolicâ celebrare; ratio esse videtur, quia ejusmodi defectus irregularitatem constituit.

2. *Ritus recitandorum.*

155. — I. Quoad *omissionem* partium Missæ, oportet distinguere partes ordinarias ab extraordinariis. Partes *ordinariæ* illæ sunt, quæ semper dicuntur: *extraordinariæ*, quæ non in omni Missâ dicuntur.

Hinc: 1° Omittere partes *ordinarias* est peccatum grave, nisi levitas materiæ excuset. Quare a) DD. censent in hâc augustâ actione materiam gravem esse omittere Confessionem cum aliis in principio Missæ, Epistolam, Evangelium, Collectas principales, panis et vini oblationem, Præfationem, fractionem Hostiæ, et illius mixtionem cum Sanguine. (*n.* 404.)

b) In Canone mortale esset omittere quamlibet orationem, vel ejus verba ita mutare ut sensus varietur, vel aliquod verbum omittere, quo sublato, reliqua verba sensum non faciunt, vel denique omittere octo sive decem nomina Sanctorum. Idem dicendum, si omittatur *Pater noster*, vel *Libera nos*, aut *Agnus Dei*, *Domine non sum dignus*, et *Quid retribuam.* (*n.* 405.)

c) Veniale est omittere psalmum *Judica*, *Kyrie eleison*, Evangelium S. Joannis, unam ex tribus Collectis principalibus. Si omissa sit prima Collecta, ea cum Secretâ est recitanda, non vero postea. (*n.* 406. *Examen Ord. n.* 125.)

d) Mutilare verba, salvo sensu, et secluso scandalo, non excedit veniale; imo nullum erit peccatum, si ex naturali defectu proveniat. (*n.* 407.)

2° Omittere partes *extraordinarias* solummodo veniale est, nisi tot partes omittantur, quæ simul sumptæ notabilem materiam constituunt. Unde veniale erit omittere *Gloria*, aut *Credo*, commemorationes, Sequentiam, Tractum, Præfationem *propriam*, vel ea quæ in quibusdam Octavis interponenda sunt in oratione *Communicantes* aut *Hanc igitur.* (*n.* 409.)

156. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An peccet Sacerdos, si in Missâ solemni non recitet ea, quæ cantantur a Ministris vel a Choro?*

Resp. Affirm.; quia recitatio præscribitur a Rubrica *Rit. Miss.* IV. 7. VI. 4. 5. Sed probabiliter peccat venialiter tantum; quia partes illæ revera non omittuntur, et in Missâ solemni Celebrans cum Ministris et Choro unum totum componunt. (*n.* 410. *dub.* 4.)

QUÆR. 2° *Si Sacerdos ex oblivione aliquid in Missâ omittat, postquam vero aliquantulum progressus est, recordetur; an debeat recitare quæ omisit?*

Resp. Negat.; quia turbaret ordinem Missæ; nisi esset de substantiâ Sacrificii, vel, dum secreto orat, post pauca verba certo adverteret se quidpiam notabile omisisse. *Ita communiter.* Pariter non repetere debet, si v. g. Evangelium aut Epistolam indebitam recitaverit. (*n.* 403.)

157. — II. Quoad *additionem*, si addatur aliquid notabile, est ex genere

suo mortale: si quid leve addatur ex indiscretâ devotione, veniale erit. Hinc veniale est, a) recitare plures commemorationes, quam permittunt Rubricæ, ut constat insuper ex Declar. S. R. C. 27 Mart. 1779 ad 16. et 7 Sept. 1850. b) In Missâ solemni, dum cantatur *Gloria* et *Credo*, Horam canonicam recitare. c) Addere in Confessione, et tanto magis in Canone, nomen alicujus Sancti. (*n.* 411.)

158. — III. Quoad *mutationem*, peccatum veniale erit 1° ea, quæ clarâ voce dicenda præcipiuntur, voce submissâ recitare, ita ut a circumstantibus audiri non possint; aut e converso, clarâ voce recitare ea, quæ secreto dicenda sunt; vel denique ea, quæ secreto recitanda sunt, tam suppressâ voce dicere, ut Sacerdos semetipsum audire nequeat. (*n.* 414—416. *Exam. Ord. n.* 125.)

2° In Missâ solemni non cantare ea, quæ cantanda præcipiuntur a Rubricâ *tit.* 16. *n.* 3.

3° Mutare Missam diei, juxta præscriptum Missalis ordinem, in aliam, contra regulas Missalis. DD. communiter censent hanc ordinis perversionem, secluso scandalo et contemptu, non esse peccatum mortale. Verumtamen in festis solemnibus, si Missa sit publica, hæc mutatio difficulter excusari potest a gravi scandalo. Quoad Missas de Requiem, S. R. C. Decreto 5 Aug. 1662, approbato ab Alexandro VII, »districte »præcipit Sacerdotibus.... ut Missas pri»vatas de Requiem in duplicibus nul»latenus celebrare audeant vel præsu»mant... Curentque Ecclesiarum Rectores »ut hujusmodi Decretum inviolate ser»vetur." (*n.* 420.) Hodie facile conceditur Indultum Apostolicum celebrandi duas Missas de Requiem in singulis hebdomadis.

3. *Ritus agendorum.*

159. — 1° Peccatum veniale est, omittere benedictiones, inclinationes, genuflexiones, etc., uti præscribuntur in Rubricâ. Item advertenter non genuflectere usque ad terram, perturbare benedictiones, etc. Imo possunt hujusmodi omissiones evadere mortiferæ, si quis has cæremonias omitteret in notabili quantitate; quam ob causam non excusatur a mortali Sacerdos absolvens Sacrum infra quadrantem. (*n.* 400. 406.)

2° Venialiter peccat Sacerdos, qui in purificatione calicis et ablutione digitorum solâ aquâ uteretur, sine legitimâ causâ. (*n.* 408.)

3° Sacerdos, qui ad celebrandum accedit, debet esse »calceatus pedibus, et »indutus vestibus sibi convenientibus, »quarum exterior saltem talum pedis »attingat." Ita Missale. *Rit Miss. tit.* 1. *n.* 2. Calceis assimilantur crepidæ nigri coloris, ut communis usus habet. (*n.* 402.) Admodum dedecet celebrare cum calceis lutosis, quod quidem ab aliquâ culpâ excusari nequit. Non minus deforme est, divinum Sacrificium celebrare sine veste talari; contra hunc abusum Benedictus XIV, dum Archiepiscopus erat, pœnas decreverat in *Instit.* 34. § 4.

160. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An liceat Missam tecto capite celebrare?*

Resp. Negat., tum ex *Cap.* 57. *de Consecr. dist.* 1., tum ex Decreto Urbani VIII in Missali apposito, quo sancitur: »Ne audeat uti *pileolo* in cele»bratione Missæ, sine expressâ licentiâ »Sedis Apostolicæ, non obstante quâ»cunque contrariâ consuetudine." Hinc totam Missam tecto capite celebrare, peccatum mortale esset; secus vero probabiliter, si fieret usque ad Canonem, secluso contemptu et scandalo. Unde probabiliter non esset illicitum sine dispensatione celebrare cum pileolo (dummodo detrahatur ante Canonem usque ad finem Communionis) ex necessitate vitandi frigoris vel doloris capitis ob senectutem vel morbum Sacerdotis, ita ut non posset nudo capite celebrare sine notabili incommodo; quia, ut ait Bened. XIV,[1] non videtur Apostolica Sedes ita sibi eam licentiam reservasse, ut illicitum voluerit declarare, quod quis in aliquo casu extraordinario, qui supervenerit, vel propter morbum minime diutinum, fecerit.

Pileoli nomine comprehenditur etiam *coma fictitia*, quæ quidem, cum per totam Missam gestetur, gestari nullo pacto potest sine dispensatione Apostolicâ, sub pœnâ suspensionis a divinis officiis ferendæ sententiæ. (*n.* 397. 398. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 11. *cap.* 9.)

Quær. 2° *An aliquando liceat interrumpere Missam?*

[1] De Sacrif. Miss. *sect.* 1. *n.* 53

Resp. Dist. 1° De industria *mutilare* Sacrificium nunquam licet, ne ad mortem quidem vitandam; non enim licet consecrare panem animo non consecrandi vinum, neque consecrare utrumque animo non sumendi, contra Christi institutionem. Dico: *de industriâ;* nam invite, ob urgentem necessitatem supervenientem, Sacerdos excusatur a perficiendo Sacrificium; puta ob periculum mortis, ab hostibus vel incendio vel terræ motu inferendæ; item ob periculum injuriæ Sacramento faciendæ ab impiis; eo casu potest Sacerdos statim sumere Sacramentum, vel secum auferre; quod quidem facere *debet*, si adsit periculum injuriæ Sacramenti. Cfr. Missale *de defect. tit.* 10 *n.* 2. (*n.* 352.)

2° *Interrumpere* Missam licet in sequentibus casibus: a) Cum, dicto Evangelio, fit concio, vel quædam populo nuntianda sunt. — b) In adventu Episcopi, Principis, aut processionis populi, qui alias die festo Missam audire non posset: imo eo casu, si Celebrans ad Offertorium pervenerit, juxta aliquos potest incœptam Missam rursus ab initio repetere, modo tamen mos sit. — c) Tam ante quam post Consecrationem, si gravis urgeat necessitas necessarium Sacramentum ministrandi proxime morituro, puta Baptismum, Pœnitentiam, vel, si Pœnitentiam recipere nequeat, Extremam Unctionem. Post Consecrationem Viaticum ministrandum non esset, nisi moriturus prope esset, ita ut vestes exuere necesse non foret. Porro, si facta sit Consecratio, curet Sacerdos ut Sacramentum interim custodiatur, vel illud in tabernaculo occludat; et postquam redierit, Missam inde, ubi eam intermisit, prosequatur. Si facta non fuerit Consecratio, et parva mora intercesserit, v. g. infra horam, prosequatur ubi desiit; si autem longior, ordiatur ab initio. — d) Si gravis morbus vel alia gravis corporis necessitas, quam Sacerdos sustinere non valet, superveniat; tunc, necessitate cessante, agat ut in præcedenti casu dictum est. Quod si morbus talis sit, ut nequeat redire et Sacrificium perficere, quid faciendum sit, exponetur in sequenti quæstione. (*n.* 353. 354.)

3° *Relinquenda* est Missa incœpta, si ante Consecrationem Sacerdos recordetur alicujus impedimenti, v. g. se non esse jejunum, vel in statu gratiæ, vel esse irregularem, aut excommunicatum, modo relinqui possit Missa sine scandalo aut gravi notâ. Ita Missale *de defect. tit.* 8. et DD. communiter. Item, si excommunicatus *vitandus* præsumat interesse, nec possit expelli. (*n.* 353.)

Quær. 3° *An Missa ab uno Sacerdote abrupta, ab alio perficienda sit?*

Resp. Dist. 1° Si Sacerdos *ante Consecrationem* gravitêr infirmetur, vel in syncopem inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa.

2° Si *post Consecrationem*, etiam unius tantum speciei, id accidat, debet alius Sacerdos Missam explere, ab eo loco ubi primus Sacerdos desierit; et in casu necessitatis etiam non jejunus, cum major sit vis præcepti integritatis Sacrificii, quam jejunii. Si Sacerdos infirmus adhuc vivat, et Communionis sit capax, nec alia adsit Hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem præbeat infirmo, alteram ipse sumat. Ita Missale *de defect. tit.* 10. *n.* 3.

3° Si Sacerdos deficiat *post sumptionem solius Corporis Christi*, calix ab alio est sumendus. Observandum tamen, a) quod si Sacrificium possit perfici ab eodem Sacerdote, melius utique hoc esset, quam si ab alio suppleatur, etiamsi ille non esset jejunus, b) probabiliter dicunt Gobat et Pasqualigus Sacerdotem, qui suppleat, non esse quærendum ultra horam; alias non censetur unum Sacrificium. (*n.* 355.) Bened. XIV[1] docet, quod si non reperiatur Sacerdos, qui ante meridiem possit Missam perficere, potest Hostia et Calix condi in tabernaculo, ut postero die Sacerdos, qui Missam celebrabit, ea sumat ante purificationem.

4. *Minister celebrantis.*

161. — I. Nulli Sacerdoti licet celebrare sine ministro, qui ei inserviat, ut constat ex *Cap.* 6. *de filiis presbyt.;* atque omnes fatentur ministrum sine gravi culpâ omitti non posse. In casu tamen gravis necessitatis, puta ad ministrandum Viaticum in defectu Hostiarum, potest Sacerdos sine ministro celebrare, sibique ipsemet respondere:

[1] De Sacrif. Miss. *sect.* 2. *n.* 110.

idem concedunt nonnulli, si alioquin die festo non esset copia Missæ audiendæ. Probabiliter quoque dicunt aliqui, quod si, cœptâ Missâ, maxime post factam oblationem, minister abscesserit et brevi non revertatur, fas sit celebranti pergere sine ministro. (*n.* 391.)

Non licet simplici Sacerdoti in Missâ privatâ adhibere duos ministros, ratione alicujus *personalis distinctionis ac præeminentiæ;* licet vero ratione *majoris solemnitatis Festi vel Missæ.* Ita declaravit S. R. C. 12 Sept. 1857.

II. Minister debet esse masculus, et, si Clericus sit, veste talari et superpelliceo indutus. Ita Missale. *Rit. Miss. tit.* 2. *n.* 1. *De defect. tit.* 10. *n.* 1. In *Cap.* 1. *de cohabit. Cleric.* prohibetur ne »ulla fœmina ad altare præsumat »accedere, aut presbytero ministrare, »aut intra cancellos stare sive sedere." Hinc communiter colligunt DD. non posse excusari a mortali, si fœmina immediate ministret ad altare, porrigendo urceolos, incensum, etc.; quia valde dedecet, et nonnullum periculum continet. Neque excusat necessitas; nam potius celebrandum est sine ministro, quam cum fœminâ ministrante, ut observant DD. communiter. Non tamen prohibetur quominus, deficiente viro qui respondere possit, fœmina eminus respondeat Sacerdoti, maxime si sit Monialis. (*n.* 392.)

III. Rubricæ Missalis circa ritum servandum tum a ministro in Missâ privatâ, tum multo magis a Ministris sacris in Missâ solemni, obligant sub præcepto. Ratio est, quia pertinent ad ritum ipsius Missæ celebrandæ, atque adeo cadunt sub præcepto Pii V. (*n.* 391.)

Quocirca notandum est: 1° Probabiliter non debet Sacerdos scrupulo affici si minister male pronuntiet; neque facile debet hujus errores corrigere, ne turbet seipsum, vel circumstantes, vel ordinem Missæ; Croix et Gobat tamen monent celebrantem ut suppleat omissa a ministro. (*n.* 391.)

2° Minor necessitas sufficit ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quam omnino sine ministro. (*n.* 391.)

3° Curandum est a Parochis, ne ministri tanti Sacrificii sint pueri immorigeri, incapaces, aut petulantes, qui adstantes distrahunt vel ad risum movent; sicut neque homines viles aut sordidi.

TRACTATUS V.

DE PŒNITENTIA.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 16.

162. — *Monitum S. Alphonsi.* »Acturi »de hoc Pœnitentiæ Sacramento, quod »Christus Dominus ad humanæ imbecil»litatis remedium instituit, ante omnia »monitum velim confessarium, ut suas »agnoscat partes, nempe judicis, patris »et medici, ad munus suum æquâ lance »exercendum; sicut enim nimia benig»nitas iniquitatum fomentum est, sic »nimia severitas fit pluribus via ad de»sperationem. Hinc Christus Dominus de»claravit non esse spiritûs sui eos, qui »nimis rigide cum peccatoribus agunt. »Et SS. Patres non solum invehunt in »eos, qui falsa pietate ducti indebite »peccatoribus indulgent, sed etiam in »eos, qui indiscretum rigorem cum pœ»nitentibus adhibent, ut conqueritur S. »Ambrosius *in Psalmum* 118. dicens: »*Sunt etiam in nobis, qui timorem* »*Domini habent, sed non secundum* »*scientiam, statuentes duriora præcepta,* »*quæ non possit humana conditio sus»tinere.* Qua de re sapienter advertit »S. Bonaventura: *Cavenda est conscien»tia nimis larga et nimis stricta; nam* »*prima generat præsumptionem, se»cunda desperationem; prima sæpe* »*salvat damnandum, secunda contra* »*damnat salvandum.* Imo Honorius III. »in *Cap.* 1. *de transact.* dixit, cæteris »paribus, magis inclinandum in rebus »dubiis ad benignitatem, quam ad rigo»rem; cum enim ibi ageretur de modo »procedendi contra quosdam, quorum »aliqui celebrabant in ecclesiis inter»dictis, alii furtive sacris initiabantur, »etc. sic inquit: *In his vero, super* »*quibus jus non invenitur expressum,* »*procedas, æquitate servata, semper in* »*humaniorem partem declinando, se»cundum quod personas et causas,* »*loca et tempora videris postulare.* Non »dubito quin majori quidem detrimento »semper in Ecclesia fuerint confessarii »nimis indulgentes, cum major hominum »pars ad vitia proni sint; sed non mo»dice etiam animarum saluti obsunt, »qui per nimiam austeritatem pœnitentes »ita deterrent, ut ipsi vel peccata sua »reticeant, aut sic arctati jugum disci»plinæ abjiciant, laxisque habenis in »vitiorum cœnum miserabiliter deinde se »immergant.

»Aggrediamur opus ad hunc tracta»tum de Sacramento Pœnitentiæ expo»nendum, cui utique omni studio præ »cæteris materiis sedulo incumbendum, »cum in ipso totius Theologiæ Moralis »summa, et quæstiones magis ad praxim »spectantes contineantur; et ideo ego »labori non peperci, ut desiderio lecto»rum satisfacerem, utque ipsi omnia »scitu necessaria hic reperiant." (*n.* 426.)

Tractatum hunc, ob ejus amplitudinem, in quatuor partes dividimus, quarum 1ª erit de virtute pœnitentiæ, 2ª de essentia Sacramenti pœnitentiæ, 3ª de ejusdem subjecto, 4ª de ministro.

PARS PRIMA.

DE VIRTUTE PŒNITENTIÆ.

Trademus 1° notionem virtutis pœnitentiæ, 2° ejus effectus, 3° ejus necessitatem.

CAPUT I.

NOTIO VIRTUTIS PŒNITENTIÆ.

163. — Pœnitentia est virtus moralis infusa, inclinans hominem ad detestandum et vindicandum peccatum a se

commissum, quatenus offensa et injuria Dei est.

Hinc 1° *objectum materiale* pœnitentiæ est peccatum, tum mortale tum veniale, ut destruendum, vel vitandum; pœnitentia enim non solum dolet de commissâ offensâ Dei, sed etiam odio habet illam et fugit. Insuper, non solum culpa, verum etiam pœna comprehenditur sub objecto materiali hujus virtutis; virtus namque pœnitentiæ intendit Dei placationem, et ad hanc consequendam amplectitur pœnam, in vindictam delicti commissi. *Objectum formale*, seu motivum pœnitentiæ, est reparatio divinæ injuriæ.

2° Pœnitentiæ *actus* est contritio, id est, animi dolor ac detestatio peccati commissi, quatenus offensa Dei est, animo illud delendi et vindicandi, cum proposito non peccandi in posterum.

Contritio duplex distinguitur: altera *perfecta*, quæ procedit ex motivo perfectæ charitatis, qua Deus super omnia amatur; altera *imperfecta, attritio* dicta, quæ ab inferiori virtute elicitur, puta quæ concipitur ex metu gehennæ, sive ex timore amittendi vitam æternam, vel ob fœditatem peccati. Turpitudo porro supernaturalis peccati in eo consistit quod animam coram Deo deturpet, ornatu gratiæ ac meritis privet, Deo exosam, servam peccati ac diaboli constituat, ingens sit erga Deum ingratitudo, inobedientia, etc.

De contritione *perfecta* tria notasse juvabit. 1° Actus contritionis convenit cum actu charitatis, quatenus ex motivo charitatis concipitur. Differt vero, quia actus contritionis *directe* tendit in remotionem peccati, et *indirecte* in unionem cum Deo; actus charitatis contra tendit *directe* in unionem cum Deo, et *indirecte* removet peccatum.

2° Actus contritionis, sicut actus charitatis, potest duplicem perfectionem habere, unam ex *motivo*, alteram ex *intensione*. Motivum tribuit actui perfectionem *speciei*, quâ pertinet ad virtutem charitatis; intensio tribuit perfectionem *gradûs* in eâdem specie virtutis, et hac ratione distinguitur contritio in *gradu intenso* et in *gradu remisso*. Sic actus doloris potest esse perfectus, in quantum propter motivum pertinet ad virtutem charitatis, quin tamen sit intensus; et contra, potest esse valde intensus, quin sit perfectus in ordine virtutis, si nempe ex motivo inferiori emanat; ideo actus attritionis, quantumvis perfectus in intensione, nunquam attingit virtutem charitatis, cujus motivum superioris ordinis est.

3° Contritio perfecta, propter motivi sui excellentiam, est a) *efficax*, quatenus per illam voluntas ex toto affectu avertitur non modo a peccato commisso, verum etiam a peccato futuro; quia habet cum illo formalem aut virtualem insociabilitatem; 2° *universalis;* qui enim detestatur peccatum propter offensam Dei summe dilecti, virtualiter detestatur omnia peccata mortalia; quia per illum actum simpliciter et absolute detestatur divinam offensionem; 3° *summa*, id est, detestatur peccatum supra omne malum pœnæ; detestatio enim peccati, quæ fit ex charitate, proportionata est amori, ex quo oritur; sed ille est super omnia; ergo et ipsa detestatio.

Quæritur demum: *An contritio consistat in dolore vel in detestatione?*

Resp. Ex communi et veriori sententiâ consistit in detestatione; quia dolor proxime sequitur ex detestatione: utrumque tamen in contritione requiritur, et in uno alterum exercite continetur. (*n.* 435.)

CAPUT II.

EFFECTUS PŒNITENTIÆ.

164. — Cum quatuor sint effectus peccati mortalis, nimirum: reatus culpæ, reatus pœnæ, perditio meritorum, et peccati reliquiæ, quatuor pariter numerantur pœnitentiæ effectus, scil. 1° remissio culpæ; 2° remissio pœnæ, 3° restitutio meritorum, 4° sublatio reliquiarum peccati. Primum horum effectuum hoc loco expendemus, reliquos vero una cum Sacramento Pœnitentiæ opportunius tractabimus, quippe cujus iidem sunt effectus.

165. — **Principia.** I. Contritio charitate perfecta continuo justificat pœnitentes. Probatur 1° ex S. Scriptura, quæ promittit gratiam Dei et justificationem charitati Dei, et peccatoribus ad Deum ex toto corde conversis, ut constat ex multis ejusdem testimoniis; prout Zachar. I. 3: »Convertimini ad me, et convertar »ad vos." Ezechiel. XXXIII. 12: »Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate suâ." Prov. VIII. 17: »Ego »diligentes me diligo." Joan. XIV. 21: »Qui diligit me, diligetur a Patre meo, »et ego diligam eum." I Petr. IV. 8: »Charitas operit multitudinem peccato»rum." I Joan. IV. 7: »Omnis qui di»ligit, ex Deo natus est." — 2° Ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. docente: »Con»tritionem aliquando charitate perfectam »esse, hominemque Deo reconciliare, »priusquam Sacramentum actu susci»piatur." — 3° Ex damnatis Baji propositionibus 31. 32. 70. et 71. Propositio 71. erat hujusmodi: »Per contritionem, »etiam cum charitate perfectâ et cum »voto suscipiendi Sacramentum conjunc»tam, non remittitur crimen extra ca»sum necessitatis aut martyrii, sine ac»tuali susceptione Sacramenti." — 4° Ex unanimi sensu Patrum et Doctorum.

Porro in Novâ Lege, ut docet Trid. *loc. cit.*: »Reconciliatio ipsi contritioni »sine Sacramenti voto, quod in illa in»cluditur, non est adscribenda." Charitas enim, quâ contritio perficitur, mandatorum divinorum observationem urget, adeoque votum Sacramenti præcepti comprehendit. (*n.* 442. 473.)

II. Attritio sine Sacramento non sufficit ad justificationem pœnitentis. Ita Trid. *loc. cit.* Probatur 1° ex Scripturâ; I Joan. III. 14: »Qui non diligit, ma»net in morte." I Cor. XIII. 2: »Si »charitatem non habuero, nihil sum." Deuter. IV. 29: »Cum quæsieris Domi»num Deum tuum, invenies eum: si ta»men toto corde quæsieris, et tota tri»bulatione animæ tuæ." 2° Ex ratione; sicut fides, quæ per hæresim expellitur, non restituitur nisi actu fidei, et spes, quæ per desperationem expellitur, non restituitur nisi actu spei, sic etiam charitas, quæ per peccatum mortale expellitur, non restituitur nisi actu charitatis. Deinde amicitia non est sine mutuo amore; peccator autem discessit ab amicitia Dei; ergo ut constituatur amicus, necesse est ut amando convertatur. Denique peccator se totaliter avertit a Deo, ut ab ultimo fine; ergo, ut tollatur hæc aversio, necessaria est totalis conversio in ultimum finem, quæ non fit nisi per amorem. Attritio itaque non est *per se* proportionata ad gratiam dispositio.

166. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ad perfectam contritionem, quæ peccatum delet extra Sacramentum, requiratur aliqua ejus intensio?*

Resp. Nonnulli affirmant; quia tenemur detestari peccatum et diligere Deum super omnia; illud autem magis detestatur vel diligit voluntas, quod majori conatu et intensione diligit vel odio habet. Ita Sylvius, Soto, Durand. Juenin. etc.

Communis autem et vera sententia negat, docetque sufficere detestationem peccati *appretiative* summam, ex charitatis motivo profectam, etiamsi fiat in gradu remisso. Rationes sunt, 1° quia S. Scriptura et Patres charitati tribuunt vim justificandi peccatores, quin ullum intensionis gradum adjiciant. Idem argumentum sumitur ex Trid. *loc. cit.*, nam eodem modo loquitur. 2° Charitas habitualis, utcumque remissa, excludit peccatum mortale; ergo etiam charitas actualis. 3° Quæcumque aversio a Deo, ut fine ultimo, et conversio ad creaturam, etiam in gradu remisso, sufficit ad amittendam Dei amicitiam; ergo et quælibet conversio ad Deum, ex dilectione Dei super omnia, sufficit ad eam recuperandum. 4° Essentia actûs contritionis consistit in ejus motivo, scil. in detestatione peccati ut est summum malum summæ Bonitati oppositum; intensio vero nonnisi accidentalis quædam perfectio est. (*n.* 441. 442.)

Quær. 2° *An ad contritionem requiratur distincta recogitatio omnium peccatorum commissorum?*

Resp. Affirmant aliqui, innixi quibusdam Scripturæ locis, v. g. Ezech. XVIII 28: »Considerans enim, et avertens se »ab omnibus iniquitatibus suis, quas »operatus est, vitâ vivet." Ita Canô, Soto, Medin.

Verum omnino negandum cum sententia communi; tum quia nullum est præceptum, ex quo colligi possit id esse necessarium; tum quia, cum quis dolet de suis peccatis ex motivo universali, quod pugnat cum omni peccato, virtualiter peccata sua singula detestatur; actus enim ille doloris ad omnia et singula se extendit. (*n.* 438.)

Quær. 3° *An possit remitti unum peccatum mortale sine alio?*

Resp. Negat.; ratio inprimis est connexio, quam habent omnia peccata mortalia, 1° in ordine ad veram contritionem; quia non potest dari perfecta contritio unius peccati mortalis, quin sit omnium; 2° in amore super omnia; nam cum illo non potest esse aliquod peccatum mortale; 3° in ipsa gratia sanctificante; quia sine illius infusione nullum peccatum mortale remittitur, et cum illâ nullum peccatum mortale esse potest, »nihil »enim damnationis est iis, qui sunt in »Christo Jesu," ut dicitur ad Rom. VIII. 1. Deinde, omne peccatum mortale destruit amicitiam cum Deo; nullum autem peccatum mortale remittitur, nisi quis recipiatur in amicitiam Dei. Denique, per peccatum mortale excluditur homo a regno cœlorum; nemini autem remittitur peccatum mortale, nisi simul acceptetur ad regnum cœlorum. Tandem veritatem hanc profitetur Conc. Trid. multis in locis, v. g. *sess.* 5. *can.* 5. — *sess.* 6. *cap.* 7. 14. *et* 15.

CAPUT III.

NECESSITAS PŒNITENTIÆ.

167. — **Principia.** I. Homini in peccato mortali constituto pœnitentia necessaria est *necessitate medii* ad justificationem et salutem consequendam. Probatur 1° ex Scriptura; Eccli. II. 22. »Si pœnitentiam non egerimus, incide»mus in manus Domini." Luc. XIII. 5.: »Si pœnitentiam non egeritis, omnes »similiter peribitis." 2° Ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1: »Fuit pœnitentia uni»versis hominibus, qui se mortali aliquo »peccato inquinassent, quovis tempore ad »gratiam et justitiam assequendam neces»saria." 3° Idem omnium sæculorum persuasio confirmat. 4° Ex ratione; homo enim peccando se convertit ad creaturam, et ideo ad peccatum delendum debet per pœnitentiam se a creatura avertere.

Nomine porro hujus pœnitentiæ necessariæ intelligitur vel perfecta contritio, vel attritio cum actuali susceptione Sacramenti mortuorum, aut per accidens cum susceptione Sacramenti vivorum.

Deinde contritio perfecta, *per se loquendo*, debet esse *formalis*, ut ostendunt rationes adductæ: *per accidens* vero, in casu naturalis oblivionis peccati, sufficit *virtualis* in actu charitatis inclusa; actus enim charitatis est perfecta ad Deum conversio, virtute continens actum pœnitentiæ; ergo infallibiliter secum affert conversionem mutuam Dei ad hominem per gratiam et peccatorum remissionem.

II. Supposito mortali peccato, pœnitentia necessaria est etiam *necessitate præcepti divini*, tum naturalis, tum positivi. Constat ex multis Scripturæ locis, quæ pœnitentiam præcipiunt ejusque omissionem reprehendunt. Probatur etiam ex ratione; 1° ex lege justitiæ, qua tenetur unusquisque satisfacere injuriæ illatæ; 2° ex lege charitatis Dei, quæ, sicut obligat hominem ad diligendum Deum super omnia, ita obligat etiam ut quod in se est faciat ad recuperandam amicitiam divinam, si illam perdidit, ac denique ad habendum Deum pro ultimo fine; 3° ex lege charitatis propriæ, quatenus homo tenetur habere curam animæ suæ, et consequenter adhibere media necessaria ne in æternum pereat; si enim charitas proximi obligat ut unusquisque, si potest, provideat alteri in gravi necessitate spirituali, multo magis charitas propria obligabit ut provideat sibi ipsi.

168. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quando obliget præfatum præceptum pœnitentiæ?*

Resp. 1° Obligat quandoque *per se*, quando nempe ejus omissio est speciale peccatum impœnitentiæ: quandoque *per accidens*, quando nimirum ejus omissio causa est transgressionis aliorum præceptorum.

2° Certum est apud omnes, illud obligare *per se* saltem in mortis articulo, quando jam non restat aliud tempus, quo homo pœnitere possit. — *Per accidens* communiter dicunt DD. illud obligare 1° quando quis debet Sacramentum ministrare, vel aliquod Sacramentum vivorum suscipere, et non potest vel non tenetur Sacramentum Pœnitentiæ præmittere; 2° quando quis graves patitur tentationes, quas sine actu contritionis vincere se non posse putat; 3° quando quis tenetur elicere actum charitatis erga Deum; tunc enim, occurrente memoria peccati, tenetur suum peccatum detestari. (*n.* 437.)

QUÆR. 2° *An præceptum illud obliget* PER SE *aliquando in vita, extra mortis periculum, ita ut ejus dilatio sit speciale peccatum?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; probatur 1° ex Eccli. V. 8. 9: »Non »tardes converti ad Dominum, et ne »differas de die in diem. Subito enim »veniet ira illius." 2° Ex præcepto charitatis, quod sine dubio obligat per se sæpius in vitâ; ergo etiam sæpius obligat præceptum contritionis. Confirmatur, quia contra omnem rationem est quod homo toto vitæ tempore voluntarie perseveret extra gratiam Dei, ejusque assecutionem rejiciat in finem vitæ. Ita Suar. Lugo, Henric. Coninc. Juenin. Roncag. Antoine, Concin. Carden. etc.

2ª Sententia negat; quia non potest assignari tempus, intra quod obliget hoc præceptum. Ita Navarr. Cajet. Vasq. Durand. Soto, etc.

Præfatæ autem sententiæ facile conciliari posse videntur, dicendo secundam sententiam probabilem esse, *per se* loquendo, ita ut pœnitentiæ dilatio non sit *speciale* peccatum; primam vero sententiam esse veram de obligatione *per accidens*, ita ut excusari a peccato mortali nequeat peccator, qui per notabile tempus differt pœnitentiam; tum quia peccaret contra præceptum charitatis Dei, quod saltem pluries in anno unumquemque obstringit, juxta dicta lib. II. n. 33; tum quia peccaret contra charitatem suiipsius, cum se exponeret proximo periculo novorum peccatorum, succumbendo tentationibus, »sine gratia namque justi»ficante, inquit D. Thomas,[1] quod diu »maneat absque peccato mortali, esse »non potest," et S. Gregorius[2]: »Pec»catum, quod mox per pœnitentiam non »deletur, suo pondere ad aliud trahit."

Quantum porro sit hoc notabile tempus, DD. valde discrepant. Lugo[3] censet id variare juxta diversitatem personarum, locorum, materiarum, tentationum: alius enim, propter graviora pericula in quibus versatur, et propter graviores tentationes quas patitur, citius indigebit pœnitentiâ ad resistendum tentationibus; alius vero, propter minora pericula, et rariores peccandi occasiones, non tam cito indigebit. — Alii vero putant satisfieri Confessione annuâ. Ita Salm. Pal. Laym. Elb. Henno, etc. — S. Alphonsus huic sententiæ non omnino acquiescit, cum anni spatium nimium videatur, ut peccator possit vitare periculum facile relabendi in alia peccata. Neque obstat præceptum Ecclesiæ de Confessione annua, siquidem Ecclesia determinavit solum tempus pro obligatione *confessionis*, non autem pro obligatione *pœnitentiæ*. Cæterum peccatores, rudes præsertim, ab hoc peccato dilatæ pœnitentiæ, ob inadvertentiam, fere semper excusantur.

QUÆR. 3° *An ille, qui in mortis articulo suscepit Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, teneatur insuper elicere actum contritionis?*

Resp. Est duplex sententia. 1ª Sententia affirmat; quia, licet attritio cum Sacramento Pœnitentiæ sufficiat ad justificationem, hoc tamen non est ita certum, ut non sint aliqui graves Theologi, qui id negaverint, etiam post Conc. Trid.; charitas ergo propria obligare videtur ut in re tanti momenti nulli quis se exponat periculo, sed quærat tutiora remedia. Ita Suar. Sanch. Valent. Bonac. Conc. Antoine, Granad. etc.

2ª Sententia negat; quia, cum sit moraliter certa sententia quod attritio sufficiat in Sacramento ad consequendam gratiam, nullum subest morale periculum salutis; homo autem quocumque tempore, sive vitæ sive mortis, non tenetur nisi ad eligenda media salutis tuta, non autem tutiora. Ita Lugo, Laym. Pal. Ronc. Spor. Coninc. Salm. etc. — Prima sententia omnino est consulenda.

Hæc de speciali debito pœnitentiæ. Ex præcepto namque charitatis Dei omnino tenetur ad actum contritionis; dicunt enim communiter Theologi unumquemque in fine vitæ obligari ad actum amoris Dei super omnia; huic autem nemo satisfacere potest, si, occurrente memoriâ peccati, ex eodem charitatis motivo peccatum non detestatur. (*n.* 437. *dub.* 2.) Debet itaque Confessarius excitare pœnitentem moribundum ad perfectam contritionem ac dilectionem Dei super omnia, propositis motivis opportunis; non tamen expedit regulariter proponere *obligationem*, ne laqueos injiciat pœnitenti. (Lugo. *disp.* 7. *n.* 276.)

QUÆR. 4° *Qualis pœnitentia requiratur ad remissionem peccatorum venialium?*

[1] I. 2. qu. 109. a. 8.
[2] Super Ezechiel. Hom. 11.
[3] Disp. 7. n. 241.

Prænotandum est 1° gratiam habitualem non habere repugnantiam et insociabilitatem cum peccato veniali; 2° nullum veniale remitti in homine exsistente in peccato mortali, nisi simul remittatur mortale; non enim congruit Deum reconciliari pro injuriâ levi cum inimico perseverante inimico; 3° posse contrà mortale remitti, quin remittantur venialia; quia potest homo dolere de mortalibus, quin doleat de venialibus; 4° posse unum veniale remitti sine aliis, propter eamdem rationem; 5° nullum peccatum remitti sine pœnitentiâ; Scriptura enim generaliter pœnitentiam ad quodvis peccatum delendum postulat; et aliunde incongruum videtur Deum alicui reconciliari, quem offensæ suæ, utut levis, minime pœnitet, unde S. Aug. *Epist.* 93. ait: »Nec »quemquam putes a quocumque seu »magno seu parvo peccato ad correc»tionem sine pœnitentiâ posse transire.»

Quibus præmissis,

Resp. 1° Contritio perfecta tollit omnia peccata venialia, ad quæ se extendit; unde, si sit universalis de omnibus, omnia tollit. 2° Ex communi sententiâ contra paucos, sufficit extra Sacramentum attritio, formalis vel virtualis; virtualis nempe, quæ sive in actu charitatis, sive in alio pio motu repugnantiam cum venialibus habente, includitur. »Requiritur, inquit S. Tho»mas [1], quædam virtualis displicentia, »puta cum aliquis hoc modo fertur se»cundum affectum in Deum et res di»vinas, ut quidquid sibi occurreret, quod »eum ab hoc motu retardaret, displi»ceret ei, et doleret se hoc commisisse, »etiamsi actu de illo non cogitaret." Hæc intelligenda sunt de illis venialibus, ad quæ se extendit attritio. Probari potest ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 5, ubi docet peccata venialia citra culpam taceri in Confessione, multisque aliis remediis expiari posse. (*n.* 449. 270. *qu.* 1.)

Attritio cum Sacramento aliquo remittit omnia venialia, de quibus est attritio; extra Sacramentum vero, censet Lugo [2] ad talem effectum requiri attritionem ferventem et intensam, secundum gravitatem peccatorum.

[1] 3. qu. 87. a. 1. Eamdem doctrinam repetit in art. 3.

[2] Disp. 9. n. 29—33.

Advertendum denique, ut per Sacramentum Pœnitentiæ ex opere operato remittantur venialia, necessarium esse attritionis actum formalem, atque eorumdem confessionem, ut infra explicabimus. (Lugo. *disp.* 9. Suar. *disp.* 11. *et* 12. Salm. *tr.* 6. *cap.* 5. n. 28—35.)

PARS SECUNDA.

DE ESSENTIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

Agemus in hâc parte 1° de notione et effectibus hujus Sacramenti, 2° de ejusdem materiâ remotâ, 3° de materiâ proximâ, 4° de formâ.

CAPUT I.

NOTIO ET EFFECTUS PŒNITENTIÆ.

169. — Pœnitentia est Sacramentum, quo peccatori contrito et confesso peccata post Baptismum commissa remittuntur per absolutionem Sacerdotis juridici.

Est institutum per modum judicii, in quo pœnitens simul *reus* et sui *accusator* est; *judex* vero Sacerdos absolvens. Etenim apud Joan. XX. 22. Christus contulit Apostolis potestatem remittendi et retinendi peccata; atqui non possunt aliorum peccata remittere, aliorumque retinere, absque judicio, siquidem sententiam remissionis vel retentionis pronuntiare debent juxta merita delinquentis; ergo sic institutum est.

Differt Pœnitentiæ *Sacramentum* a *virtute* sequentibus potissimum: 1° Sacramentum est signum externum, virtus est interna. 2° Virtus per actus suos est pars Sacramenti, quod componitur ex actibus pœnitentis et absolutione Sacerdotis. 3° Virtus est causa *disponens* tantum ad gratiam et remissionem peccati, Sacramentum vero est causa *efficiens* eam, unde dicitur conferre gratiam ex opere operato; virtus vero proprie non dicitur *conferre* gratiam quâ remittitur peccatum, sed *obtinere*, et quasi impetrare illam ex dispositione operantis.

170. — Effectus hujus Sacramenti sunt: 1° infusio gratiæ sanctificantis, quâ reatus culpæ mortalis deletur, simulque reatus pœnæ æternæ. 2° Reatus pœnæ temporalis plus minusve dimittitur, secundum dispositionem pœnitentis, »et potest esse »tanta dispositio, quod ex vi contritionis »tota pœna tollatur", ait S. Thomas [1]. Certum autem est ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. omnimodam hanc remissionem pœnæ, quæ habetur per Baptismum, non obtineri per Sacramentum Pœnitentiæ «sine magnis nostris fletibus et labori»bus." 3° Reviviscunt merita bonorum operum, quæ facta fuerant in statu gratiæ, et per peccatum fuerunt mortificata; dixit enim Deus apud Ezechielem XXXIII. 12: »Impietas impii non »nocebit ei, in quâcumque die conver»sus fuerit"; noceret autem plurimum, si bona opera omnino exstingueret. 4° Gratia sacramentalis, quâ conferuntur auxilia, quibus a peccatis præservemur; non enim institutum tantum est hoc Sacramentum ad liberandum hominem a peccato, sed etiam ut ab eo præservetur. 5° Conscientiæ pax et serenitas, quam interdum viri pii, et cum devotione hoc Sacramentum percipientes, cum vehementi spiritûs consolatione consequi solent, ut ait Trid. *loc. cit. cap.* 3.

CAPUT II.

MATERIA REMOTA PŒNITENTIÆ.

171. — **Principia.** I. Materia remota hujus Sacramenti sunt peccata post Baptismum commissa. Dicuntur autem peccata materia, non *ex quâ*, sicut lignum est materia statuæ, sed *circa quam* Sacramentum hoc versatur; quemadmodum enim causa, de quâ in aliquo judicio agitur, dicitur materia ejus, sic negotium hujus sacramentalis judicii circa peccata versatur, et ad illa tollenda institutum est.

Dictum est: *post Baptismum commissa*; tum quia peccata commissa ante Baptismum, per se ac totaliter remittuntur per Baptismum, et ideo ad illa tollenda non est ordinatum Sacramentum Pœnitentiæ; tum quia homo ante Baptismum non est sub jurisdictione Ecclesiæ, et ideo ejus actus non sunt subjecti clavibus; ergo talia peccata non sunt materia hujus Sacramenti. (*n.* 425.)

[1] In 4. dist. 18. qu. 1. a. 3. qu. 2. ad 4.

II. Materia *necessaria* sunt omnia peccata mortalia nunquam confessa seu nunquam absolutione sacramentali directa remissa. Ratio est, quia, conferendo Sacerdotibus potestatem et officium remittendi peccata, Christus voluit ut omnia peccata mortalia a Sacerdotibus absolvantur. Ergo, etiamsi oblita fuerint, aut quamvis confessa fuerint, si vi absolutionis sacramentalis remissa non sint, manent materia necessaria confessionis. Constat ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *et can.* 7. Confirmatur ex prop. 11. damnata ab Alexandro VII: »Peccata in confessione omissa, seu »oblita, ob instans periculum vitæ, aut »ob aliam causam, non tenemur in se»quenti confessione exprimere." (*n.* 425.)

III. Materia *sufficiens* est quodlibet peccatum post Baptismum commissum, puta peccata venialia, imo et mortalia jam confessa ac directe remissa. Ratio est, quia potest cadere super illa absolutio; at non sunt materia necessaria, quia mortalia non est necesse bis confiteri, et venialia aliis modis possunt deleri. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *et can.* 7.; de peccatis jam confessis ex *Extravag.* 1. *de privil.* (*n.* 425.)

172. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quomodo peccata alias confessa possint esse materia hujus Sacramenti?*

Resp. 1° Virtus pœnitentiæ iterum atque iterum potest exercere suos actus circa eadem peccata; ergo et Sacramentum.

2° Ex una parte dolorosa confessio peccati commissi semper est materia proxima Sacramenti; ex alterâ pœnitens capax est effectûs Sacramenti, quia potest in gratiâ crescere; etenim remissio peccati fit per infusionem gratiæ remissivæ peccati, pœnitens ergo recipiet effectum Sacramenti in actu primo, nempe gratiam remissivam peccati, quamvis per accidens in actu secundo peccatum non deleat; tunc quippe Sacramentum augebit gratiam sanctificantem, remittet pœnas temporales peccatorum, ingeret odium peccati, etc., quemadmodum si quis perfecte contritus peccata mortalia necdum confessa primâ vice confitetur. (*n.* 427. *dub.* 2.)

QUÆR. 2° *An peccatum dubium sit sufficiens materia?*

Resp. Materia sufficiens est solum peccatum revera commissum. Unde in casu dubii, (sive dubitetur num id, quod quis fecit, sit peccatum, sive an id, quod peccatum est, revera fecerit), ut absolutio dari possit, semper adjungenda est materia certa, si fieri queat; quia oportet ut Sacramentum sit certe validum, si fieri possit. Si tamen contingat nullam haberi posse materiam certam, prudenti arbitrio Confessarii relinquitur, ut juxta materiæ necessitatem, et periculum, et dubii probabilitatem, absolvat sub conditione, ut infra uberius exponemus.

173. — **Resolutiones.** 1° Materia sufficiens confessionis sunt peccata venialia, aut mortalia alias confessa, secundum speciem suam subalternam, absque numero et circumstantiis, v. g. si quis confiteatur se peccasse contra castitatem, contra obedientiam parentibus debitam. Ratio, quia eo ipso quod materia necessaria non sit, ex nullo præcepto tenetur numerum et circumstantias exprimere.

2° Non sunt materia Sacramenti meræ imperfectiones, quippe quæ, cum solum opponantur consiliis, ex naturâ suâ non habent rationem peccati; v. g. inspirationi obsecutum non esse, consiliis non acquievisse, solitas preces non fudisse, inadvertenter falsum asseruisse, et quidquid peccatum mere materiale est.

CAPUT III.

MATERIA PROXIMA PŒNITENTIÆ.

Expendemus primo in genere quænam sit materia proxima hujus Sacramenti, deinde partes materiales in specie.

ARTICULUS I.

MATERIA PROXIMA IN GENERE.

174. — Materia proxima, ex quâ intrinsece componitur Sacramentum Pœnitentiæ, sunt tres actus pœnitentis, nempe contritio, confessio, quæ pertinent ad essentiam, et satisfactio, quæ est pars tantum integralis. Ita Theologi communiter cum S. Thoma,[1] S. Bonaventura[1], et S. Alphonso, contra Scotistas, qui contendunt essentiam Sacramenti Pœnitentiæ in sola absolutione Sacerdotis consistere; actus vero pœnitentis requiri sive tamquam conditiones essentiales, juxta veteres Scotistas, sive, juxta modernos, solum ex præcepto divino ad licitam ac fructuosam Sacramenti susceptionem. (*n.* 425. H. A. *n.* 1.)

Communis doctrina probatur ex Decreto Eugenii IV ad Armenos, et Conc. Trid. *sess.* 14. Etenim 1° Decretum Eugenii docet, Sacramenta *omnia* tribus perfici, videlicet rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, et personâ ministri; deinde, Pœnitentiæ Sacramenti quasi materiam esse tres actus pœnitentis, formam vero: *Ego te absolvo*, etc. Eadem omnino repetit Trid. *cap.* 3., additque actus pœnitentis *partes* esse hujus Sacramenti.

2° In hoc Sacramento datur forma; ergo et materia proxima. Non est enim forma sine materiâ quæ informatur, et utraque respicit compositum; atqui materia est pars essentialis et intrinseca compositi; ergo actus pœnitentis, quos Concilium vocat *quasi materiam*, sunt materia intrinseca et essentialis, ex quâ simul cum formâ totum compositum sacramentale consurgit. — Porro actus pœnitentis dicuntur *quasi materia*, quia materia simpliciter dicta solet esse aliquod sensibile corpus; ideo aliis Sacramentis, in quibus materia proxima consistit in usu alicujus corporis sensibilis, materia simpliciter tribuitur, in hoc vero Sacramento, cum materia non sit corpus sensibile, eâ de causâ, et non aliâ, addita est illa particula diminutiva. De cætero confessio dolorosa servat totam rationem et munus materiæ, æque ac materia in aliis Sacramentis. Ita Catechismus Rom. *part.* 2. *cap.* 5. *qu.* 12.

3° Trid. *cap.* 2. docet Sacramenti Pœnitentiæ essentiam materiâ et formâ perfici; atqui tamquam formam assignat verba absolutionis; ergo, præter verba absolutionis, juxta Concilium requiritur materia, quâ Sacramenti essentia perficitur; ergo, dum actus pœnitentis quasi materiam appellat, loquitur de verâ ratione materiæ.

4° Confirmatur ex Rituali et Catechismo Romano, qui doctrinam Concilii Trid. intelligunt de verâ materiâ.

Dictum est: *satisfactio est pars integralis.* Etenim 1° non est pars essentialis, siquidem non ordinatur ad primarium effectum Sacramenti, qui est culpæ remissio, sed ad secundarium, qui est remissio pœnæ temporalis; deinde exsecutio pœnæ reo inflictæ in vindictam criminis, ex naturâ suâ nonnisi ad judicii integritatem pertinet. 2° Est pars integralis: per partem integralem intelligitur ea, sine quâ exsistit quidem Sacramentum essentialiter, non tamen omnino integrum, sicut datur homo essentialiter absque cruribus, non tamen integer et perfectus. Ratio vero est, quia hoc Sacramentum ordinatur ad *integram* remissionem peccati; quare non solum operatur remissionem *culpæ* per absolutionem, verum etiam *pœnæ* per impletionem satisfactionis impositæ; ergo ipsa satisfactio est pars Sacramenti operantis illos effectus. Hâc ratione Trid. *cap.* 3. rectissime dicit *tres* actus pœnitentis requiri »ad *integritatem* »Sacramenti, ad *plenamque* et *perfec-*»*tam* peccatorum remissionem." (Suar. *disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 8. *disp.* 38. *sect.* 1. *n.* 3.)

175. — Duo supersunt circa hanc materiam notanda. 1° Actus pœnitentis dicuntur *partes materiales*, quatenus ex eis tota materia Sacramenti Pœnitentiæ tamquam ex partibus integrantibus constat. Peccata non sunt nisi materia *extrinseca*, seu objectum, circa quod versantur partes Sacramenti; minime vero materia *intrinseca*, seu pars, cui forma respondet, et *ex quâ* simul cum forma constat Sacramentum.

2° Contritio et confessio, ut sint materia apta Sacramenti, debent esse sensibiles, seu externe manifestari, saltem aliquo signo. Contritio porro fit sensibilis per confessionem, ideo confessio dolorosa dicitur materia proxima hujus Sacramenti. (*n.* 445. 459.)

ARTICULUS II.

CONTRITIO.

Trademus 1° quæ contritio requiratur in Sacramento Pœnitentiæ, 2° ejusdem conditiones, 3° propositum.

[1] P. 3. qu. 84. art. 1. ad 1. et 2. — art. 2. — qu. 86. art. 6.

[1] In 4. Sent. dist. 17. part. 2. art. 1. qu. 3. Conclus. — dist. 22. art. 2. qu. 1. Conclus. — Cfr. Piat. *De sententia S. Bonaventuræ.*

§ I. *Quæ contritio requiratur.*

176. — Contritio est animi dolor et detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi in posterum. Ita Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. Contritio itaque duo complectitur, nempe detestationem quantum ad peccata præterita, propositum quantum ad futura. Contritio *perfecta* est, quando concipitur ex motivo charitatis, i. e. quatenus peccatum est offensa Dei summi Boni super omnia dilecti: *imperfecta*, quæ etiam vocatur *attritio*, quando concipitur ex motivo inferiori supernaturali, puta ex consideratione turpitudinis peccati, ex metu gehennæ, ex desiderio æternæ beatitudinis.

His præmissis, dicimus: Certum est, et communis sententia DD., ad effectum hujus Sacramenti percipiendum non requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem. Probatur 1° ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 4., ubi de attritione declarat: »Quamvis sine Sacramento Pœ-»nitentiæ per se ad justificationem per-»ducere peccatorem nequeat, tamen eum »ad Dei gratiam in Sacramento Pœni-»tentiæ impetrandum disponit." Quibus verbis Concilium loquitur de dispositione ultimâ, seu proximâ, per se sufficiente cum Sacramento: etenim efficaciam attritionis in Sacramento opponit inefficaciæ ejusdem extra Sacramentum, ita ut in Sacramento illud producere valeat, quod extra Sacramentum producere nequit; nequit autem extra Sacramentum producere justificationem, sed ad eam in Sacramento impetrandam disponit; ergo hanc producere debet in Sacramento, et dispositio, de quâ loquitur Concilium, intelligi debet de proximâ, quam immediate sequitur gratia; alias oppositio sensum non haberet, quia, si esset sermo de dispositione remotâ, etiam extra Sacramentum disponit attritio ad impetrandam Dei gratiam.

2° Ex fine et institutione Sacramenti. Est enim per se institutum ad suscitandos homines baptizatos a morte peccati, ergo accepit vim ad conferendam gratiam primam et expellendum peccatum mortale; alioqui nec esset medium proportionatum fini, nec recepisset virtutem illi accommodatam; ergo ad suam efficaciam non requirit uti-

que quod peccatum sit jam expulsum. Ulterius, si ad suam actionem postularet contritionem, ut necessariam dispositionem, nunquam posset producere effectum, propter quem institutum est; vana autem esset medicina instituta ad tollendum morbum, quæ non posset illum auferre, nisi supponeret illum jam ablatum; ergo sufficit hoc Sacramentum cum solâ attritione ad justificandum peccatorem. Denique potestas clavium se porrigit ad remittenda vel retinenda peccata, ut verba Christi præ se ferunt; atqui, si contritio esset necessaria dispositio, peccata non remitterentur aut retinerentur virtute clavium, sed ex dispositione pœnitentis. (*n.* 440.)

Nota. Pœnitens dicitur in Sacramento Pœnitentiæ *ex attrito fieri contritum;* quod intelligendum est, non quoad actum, quasi attritio fieret contritio, sed æquivalenter, seu quoad effectum contritionis, qui est gratia et remissio peccatorum. (*n.* 442. *Objic. I.*)

177. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An attritio, ut in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam proxime disponat, aliquam inchoatam Dei dilectionem debeat includere?*

Resp. Affirm.; docet namque Conc. Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. ad peccatoris justificationem requiri, ut is Deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat. Ratio autem est, quia ad omnem adulti justificationem non sufficit sola aversio a creatura, sed requiritur insuper vera conversio ad Deum. Porro 1° istud initium amoris non est initium *amoris benevolentiæ*, seu *charitatis perfectæ;* quia, ut supra n. 166. evicimus, omnis contritionis actus ex perfectæ charitatis motivo elicitus, in quovis gradu, hominem continuo justificat extra Sacramentum. 2° Restat igitur, ut sit initium *amoris concupiscentiæ*, seu *charitatis imperfectæ*, qui est actus spei, quo Deus diligitur tamquam nobis bonus. Hoc autem initium amoris includitur in attritione, a) per timorem divinæ vindictæ, juxta illud Eccli. XXV. 16: »Timor Dei initium dilectionis ejus;" b) per spem veniæ, quâ peccator incipit Deum diligere, ut loquitur Trid., »tamquam justitiæ fontem," id est, tamquam justificationis auctorem; c) per spem beatitudinis æternæ; quia, ut inquit S. Thomas: »Ex hoc... quod per »aliquem speramus nobis posse prove»nire bona, movemur in ipsum, sicut in »bonum nostrum, et sic incipimus ipsum »amare." Quisquis ergo attritus et cum spe veniæ ad Sacramentum accedat, jam Deum ut suum liberatorem, justificatorem, et glorificatorem diligere incipit. (*n.* 442. *Objic. III.*)

Quær. 2° *An ad consequendam gratiam in Sacramento, præter dolorem, requirantur actus expliciti fidei et spei?*

Resp. Quidam affirmant, eo quod Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. hos actus numerat in dispositione ad justificationem. Alii vero negant, quia nullo probabili argumento evincitur actus illos explicitos esse debere. At optime conciliantur istæ sententiæ, dicendo vere pœnitentem necessario elicere illos actus, non *reflexe* quidem, sed *exercite;* procul enim dubio explicite credit per Sacramentum Pœnitentiæ, virtute meritorum Christi, peccata remitti, et idipsum sperat sibi obventurum. (*n.* 439.)

§ II. *Conditiones contritionis.*

178. — Quinque sunt contritionis proprietates necessariæ, ut in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem mortalium valeat; debet esse 1° actus *formalis*, seu *explicitus;* quia materia est Sacramenti. Hinc v. g. actus implicitus contritionis, qui habetur in actu charitatis, non sufficeret ad materiam Sacramenti.

2° *Supernaturalis*, tum *ex parte principii*, i. e. elicita auxilio gratiæ excitantis et adjuvantis; tum *ex parte motivi*, i. e. elicita ex motivo per fidem proposito, et ad Deum aliquatenus impellente. Ratio, quia est ultima dispositio ad gratiam, consequenter ejusdem sit ordinis oportet cum gratiâ.

3° *Universalis*, i. e. ad omnia peccata mortalia commissa saltem virtualiter se extendens; nullum enim peccatum remittitur sine dolore; non potest autem unum peccatum sine alio tolli; ergo dolor debet esse de omnibus. Erit autem dolor virtualiter universalis, quando motivum detestandi universale est, sufficiens nempe ad avertendam voluntatem ab omni peccato, v. g. si quis detestetur peccatum ex eo quod per hoc incurratur pœna æterna, aut amicitia Dei dissolvatur.

4° *Summa*, saltem *appretiative*, i. e. quâ peccatum majus malum æstimamus esse, quam cætera omnia, et præ his omnibus illud magis aversamur, ita ut, datâ optione, mallemus omnia damna et dolores subire, quam peccato Deum offendere. Ratio est, quia non licet ullam creaturam Deo anteponere. — Dixi: *saltem* APPRETIATIVE; quia non necessario requiritur ullus gradus intensionis; est tamen de consilio, nam quo dolor intensior est, eo perfectior erit. Neque requiritur formalis comparatio inter peccatum et mala temporalia, ut infra ostendemus n. 182. qu. 3.

5° *Efficax*, i. e. conjuncta cum proposito non peccandi in posterum; quia alias voluntatem peccandi non *excluderet*, quod expresse requirit Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. De proposito seorsum agemus.

179. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An sufficiat attritio ex metu pœnarum hujus vitæ, prout infliguntur a Deo?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communior et probabilior affirmat: Trid. namque *Cap.* 4. inter motiva attritionis ad Sacramentum sufficientis numerat »me»tum gehennæ et pœnarum", ubi per *gehennam* intelligitur pœna æterna, per *pœnas* autem pœnæ temporales, siquidem Concilium ibidem adducit in exemplum pœnitentiam Ninivitarum, quæ concepta fuit ob metum excidii suæ civitatis, quod Deus comminatus fuerat: et sane, sicut Deus comminatur pœnas æternas, sic etiam pœnas hujus sæculi, ad terrendos homines; ergo hujusmodi motivum supernaturale est, cum respiciatur Deus ut justus vindex peccati. Ita Lugo, Suar. Spor. Anacl. Viva, Elbel, Croix, Reginald. etc.

2ª Sententia non improbabilis, saltem extrinsece, negat; quia propositio Concilii est copulativa, ad indicandum metum pœnarum non sufficere, nisi simul timeatur supplicium vitæ futuræ, utpote quod solum fide supernaturali cognoscitur. Ita Concin. Cano, Hurtad, Vasq. Tolet. etc.

Hinc in praxi, cum secunda sententia non careat probabilitate, tutius est servanda. Cæterum, qui cum tali metu confitentur, facile disponuntur ad attritionem ex metu gehennæ. (*n.* 443. H. A. *n.* 17.)

Quær. 2° *An actus doloris debeat præcedere confessionem?*

Resp. Duplex est sententia. 1ª Sententia affirmat; 1° quia dolor tamquam materia hujus Sacramenti debet esse sensibilis; at nonnisi per confessionem sensibilis efficitur; ergo, si confessionem subsequatur, non est materia apta. 2° Quia confessio non debet esse simplex peccatorum narratio, sed accusatio dolorosa in ordine ad remissionem obtinendam, et ideo oportet ut sit dolore informata. Ita Coninc. Laym. Pal. Concin. etc.

2ª Sententia communior negat; quia dolor post confessionem elicitus potest fieri sensibilis per alia signa externa, v. g. per lacrymas, suspiria, verba pœnitentis dicentis se dolere, etc. Consonat Rituale Rom. dicens: »Audita confes»sione (Confessarius) ad dolorem efficaci»bus verbis adducere conabitur." Ita Suar. Lugo, Bonac. Navar. Holzm. Tolet. etc.

Verum prima sententia cum secunda apprime conciliatur: eatenus enim prioris sententiæ fautores requirunt ut dolor confessionem præcedat, quatenus exposcunt ut confessio non sit mera peccatorum narratio, sed rationem habeat accusationis sacramentalis; ad hoc autem sufficit quod fiat animo obtinendi absolutionem, et deinde dolor manifestetur saltem per petitionem seu exspectationem absolutionis, quo pacto confessio vere sacramentalis evadit. (*n.* 445.)

Quær. 3° *Per quantum temporis spatium actus doloris perseveret?*

Resp. Sunt qui dicunt indefinite, sufficere quod non sit retractatus; sed hæc sententia non probatur. Dicendum vero, quoties confessio derivat ex dolore, hunc semper virtualiter perseverare per unum alterumve diem; secus autem, si quis ex mera devotione, aut ad obligationem implendam, confiteretur, quo casu per horam perseverare posset. Ratio, quia, ut tradunt DD. communiter, exsistit aliqua analogia inter judicium civile et sacramentale; idcirco potest intercedere aliquod spatium inter discussionem causæ et sententiam, at non tantum, quantum in foro civili. Cæterum in praxi consilium est actum doloris ante absolutionem breviter renovare. (*n.* 446. et *n.* 9. H. A. *n.* 20.)

Quær. 4° *An dolor, ut sit materia apta, debeat esse elicitus cum intentione confitendi?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabi-

lior negat; tum quia ex Trid. *cap.* 4. attritio, si modo voluntatem peccandi excludat, disponit ad gratiam in Sacramento; tum quia dolor saltem ordinatur ad absolutionem, cum per confessionem manifestatur. Ita Lugo, Spor. Gobat, Moya, etc.

2ª Sententia probabilis affirmat; quia partes Sacramenti ordinari debent ad constituendum illud. Ita Suar. Bonac. Conc. etc. — Hinc in praxi pars tutior est sectanda. (*n.* 447. H. A. *n.* 21.)

QUÆR. 5° *Si quis statim post absolutionem confiteatur peccatum oblitum, num teneatur novum doloris actum elicere?*

Resp. Est duplex sententia probabilis. 1ª Sententia communior negat; quia prior dolor se extendit etiam ad peccata oblita, et virtualiter perseverat; unde, si iterum fiat sensibilis per novam confessionem, non est cur non possit habere rationem novæ partis Sacramenti. Ita Lugo, Anacl. Viva, Ronc. Spor. etc.

2ª Sententia affirmat; quia in nullo Sacramento potest forma sæpius cadere supra eamdem materiam proximam; atqui dolor, qui in casu moraliter perseverat, est unus atque idem actus. Ita Bonac. Vasq. Filliuc. Suar. *disp.* 18. *sect.* 1. *n.* 7. — In praxi itaque hæc sententia tutius est tenenda. (*n.* 448.)

QUÆR. 6° *An possit dari Sacramentum Pœnitentiæ validum quidem, sed informe?*

Casus esset, si quis duo mortalia peccata commiserit, deinde alterius tantum memor, hoc solum confiteatur, dolens de eo, non ex motivo universali, sed ex motivo particulari turpitudinis supernaturalis hujus peccati.

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; at diverso modo. Alii dicunt in casu posito Sacramentum esse validum et formatum; quia, cum pœnitens doleat ut divinam recuperet gratiam, licet doleat ex speciali motivo turpitudinis unius peccati, tamen ejus dolor virtualiter se extendit ad omnia mortalia oblita, utpote opposita reconciliationi cum Deo intentæ; ac proinde, dum formaliter dolet ob turpitudinem specificam, virtualiter dolet ob genericam, quæ reconciliationem impedit. Ita Potest. Elbel. Alii e converso contendunt in dato casu Sacramentum simpliciter invalidum esse; rationes sunt: 1° ex Trid. *cap.* 3. *et* 4. ea attritio est pars Sacramenti, quæ est sufficiens dispositio ad gratiam; atqui attritio ex motivo particulari concepta non conducit ad remissionem peccatorum in casu posito; ergo non est pars Sacramenti. 2° Ad valorem Sacramenti requiritur propositum universale non peccandi in posterum; atqui non apparet ratio cur dolor de peccatis commissis non deberet perinde universalis esse. Ita Scot. Vasq. Laym. Spor. Conc. Coninc. Holzm. etc.

2ª Sententia probabilior affirmat; etenim validum est Sacramentum, quia, sicut confessio, in qua peccatum aliquod tacetur ex inculpabili oblivione, valida est, ita quoque confessio, in qua est vera et supernaturalis attritio de omnibus peccatis cognitis: est autem informe, quia sine dolore nullum peccatum remittitur, nec unum mortale sine alio remitti potest; atqui in casu pœnitens non dolet de peccato oblito; ergo non consequitur effectum Sacramenti. Ita S. Thom. Suar. Lugo, Tolet. Valent. Bonac. Croix, Salm. Cajet. Soto, Cano, etc.

Juxta hanc posteriorem sententiam, Sacramentum reviviscit, recedente fictione, et non remanet obligatio confitendi nisi peccatum oblitum. Cæterum, semper consultum est ut dolor eliciatur ex motivo generali, imo et necessarium, quando homo advertit se posse habere in anima alia mortalia oblita. (*n.* 444.)

QUÆR. 7° *Qualis attritio requiratur in confessione venialium peccatorum?*

Resp. Si quis sola venialia confiteatur, 1° necessaria est attritio a) *formalis*, quia est pars essentialis Sacramenti; b) *supernaturalis*, cum sit dispositio ad gratiam; c) *appretiative summa*, quia quodlibet peccatum est super omnia detestabile; d) *efficax*, quia verus non est dolor, nisi voluntatem peccandi excludat.

2° Non requiritur dolor *universalis* de omnibus venialibus confessis; quia peccata venialia non sunt materia necessaria Sacramenti, et unum veniale potest remitti sine alio. Hinc sufficit de *uno* tantum veniali pœnitere, vel de *certa* venialium *specie*, vel de solis *deliberatis;* satis quoque est dolere de *multitudine* aut frequentia venialium, cum quis tunc necessario doleat de ultimis peccatis, quæ constituunt multitudinem. (*n.* 449.)

QUÆR. 8° *An sit peccatum mortale confiteri venialia sine ullo dolore?*

Resp. Affirm., si sint sola materia Sacramenti; quia irritatio Sacramenti est semper gravis irreverentia, et nihil refert utrum ex gravi materia an ex levi illa proveniat. *Ita communiter, contra aliquos.* (*n.* 449.)

§ III. *Propositum.*

180. — **Principia.** I. Propositum formale vel virtuale non peccandi in posterum est de essentia hujus Sacramenti. Ratio, quia absoluta et efficax detestatio peccati est de essentia, ut constat ex supra dictis; atqui hujusmodi efficax detestatio voluntatem peccandi excludens, sine proposito haberi nequit, imo hoc virtualiter includit. Quare expresse requiritur a Trid. *sess.* 14. *cap.* 4.

II. Conditiones necessariæ veri propositi sunt ut sit 1° *firmum*, i. e. ut pœnitens habeat, non meram velleitatem, sed absolutam voluntatem amplius non peccandi, ita ut nullius mali metu, nullius boni amore, velit in posterum peccare mortaliter; alioquin enim illud bonum illudve malum pluris æstimaret, quam Deum. 2° *Efficax*, i. e. aptum ad efficiendum quod proponitur; quare oportet ut pœnitens non solum proponat peccatum vitare, sed etiam adhibere operam et media necessaria ad illud in posterum vitandum, speciatim ut proponat amovere et fugere occasiones proximas peccati, restituere quibus debet, remittere ex animo acceptam offensam. 3° *Universale;* propositum enim non peccandi deinceps utique importat propositum vitandi *omnia* mortalia; deinde vera contritio excludit *omnem* voluntatem peccandi, ita ut simpliciter avertat voluntatem ab affectu cujuscumque mortalis peccati. (*n.* 451.)

181. — Circa prædicta notandum est: 1° Propositum debet esse firmum et efficax, non quidem firmitate et efficacia *eventûs futuri*, sed firmitate et efficacia *voluntatis præsentis* tantum. Unde ex eo quod pœnitens post propositum relapsus sit frequenter in idem peccatum, non necessario infertur ipsum non habuisse propositum firmum; relapsus enim non semper est signum infirmi propositi, sed sæpius tantum signum est mutatæ voluntatis, dum non raro homines firmiter proponunt, et mox denuo cadunt, prout S. Petro contigit. Confirmatur ex Rituali Rom., ubi dicitur: »In peccata facile recidentibus »utilissimum fuerit consulere, ut sæpe, »puta semel in mense, vel certis diebus »solemnibus confiteantur, et, si expediat, »communicent." Nihilominus metuendum est, ne peccatores frequenter ex consuetudine in mortalia relabentes sine vero proposito ad Confessionem accedant; quapropter huic negotio Confessarius sedulo incumbere debet, maxime si pœnitens alicui vitio magnam habuerit adhæsionem. (*n.* 451.)

2° Propositum firmum voluntatis non necessario postulat persuasionem certam ex parte intellectûs, quà pœnitens certo credat se non amplius peccaturum, aut tale peccatum non amplius patraturum; quia metus relapsûs ob expertam voluntatis suæ inconstantiam et fragilitatem, potest una consistere cum proposito quam firmissimo. (*n.* 451. H. A. *n.* 24.)

Disserendum hoc loco foret de iis, qui sunt in occasione proxima peccati mortalis, de habituatis et recidivis, sed aptius de hisce tractabimus postea in Appendice.

182. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An in Sacramento Pœnitentiæ sufficiat propositum virtuale, sive implicitum, inclusum in dolore?*

Resp. Tres sunt sententiæ probabiles. 1ª Sententia negat; tum quia de formali proposito expressam mentionem facit Scriptura, Ezech. XVIII. 31.; tum quia Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. postquam definivit contritionem, addit: »Declarat igitur »sancta Synodus, hanc contritionem, non »solum cessationem a peccato, et vitæ »novæ propositum et inchoationem, sed »veteris etiam odium continere." Ergo contritio eodem modo continet propositum novæ vitæ, ac veteris odium; atqui continet veteris odium formale et explicitum; ergo et propositum formale et explicitum non peccandi in posterum. Ita Bellarm. Cano, Cajet. Soto, Tolet. Regin. Valent. etc.

2ª Sententia affirmat, dummodo dolor eliciatur ex motivo universali; quia ex Trid. *loc. cit.* sufficit attritio, si voluntatem peccandi excludat; atqui omnis vera attritio voluntatem peccandi excludit, etiam sine formali proposito, cum separet cor hominis a peccato, non tan-

tum præterito, sed etiam secundum se. Hanc sententiam tradidit Bened. XIII. in Synodo Romana anni 1725. Ita Lugo, Carden. Medin. Anacl. Viva, Elbel, Navarr. Salm. Spor. etc.

3ª Sententia distinguit, dicendo, per se loquendo, requiri propositum formale, per accidens sufficere virtuale. Ratio est, quia, ordinarie loquendo, non videtur dari posse efficax peccatorum detestatio, quin simul voluntas expresse proponat non amplius peccare; per accidens tamen, si pœnitens non cogitaret de futurâ emendatione, aut in ipso mortis articulo constitutus vita jam desperata esset, id contingere potest; revera autem in quocumque dolore propositum necessario continetur, patetque quod taciti et expressi eadem sit efficacia. Ita Suar. Holzm. Bonac. Henriq. Roncag. etc.

Duæ posteriores sententiæ sunt quidem probabiliores, sed, quia prima non caret probabilitate, in praxi tutior sequenda est. Imo, juxta S. Alph. contra multos, qui bona fide confessus est sine proposito formali, tenetur iterum suscipere Sacramentum; quia pœnitens, qui gravem et certam culpam perpetravit, tenetur pro ea Confessionem explere, non probabiliter, sed certe validam. Non tenetur tamen peccata confessa repetere; quia circa hanc legem adest hic probabilitas *juris* de satisfactione, quâ uti licet. Cæterum in praxi casus vix occurrit; quia post factum ordinarie *dubius* tantum erit defectus propositi expliciti; in dubio autem juxta communiter contingentia quis bene poterit præsumere. (*n.* 450. *lib.* 3. *n.* 700. *in fine.* Vind. Alph. *part.* 5. *qu.* 6.)

QUÆR. 2º *An firmum censeri queat propositum pœnitentis, qui asserit nolle se amplius relabi, certo tamen credit se relapsurum?*

Resp. Speculative loquendo, utique posset consistere propositum voluntatis cum præscito relapsùs; *practice* vero *loquendo*, certam suspicionem præbet infirmi et inefficacis propositi; impossibile est enim, ut quis firmiter proponat se emendare, sciens quod Deus suam gratiam coadjuvantem non deneget facienti quantum in se est, et hoc non obstante credat certo se ad sua peccata rediturum. Unde ejusmodi pœnitens, priusquam absolvatur, disponi debet, ut speret, non per vires suas, sed per Dei auxilium a peccatis se liberatum iri (*n.* 451.)

In praxi examinet Confessarius an pœnitens non potius valde timeat quam certo credat, et rem ex quadam animi dejectione exaggeret.

QUÆR. 3º *An, ut firmum probetur propositum, formalis comparatio necessaria sit inter peccatum et alia mala?*

Resp. Communiter DD. tradunt, particulares comparationes, non solum non esse necessarias, verum imprudentes esse, præsertim quando comparatio fit in specie cum aliquo malo sensibili, v. g. cum durâ morte. Ratio, tum quia homines, regulariter loquendo, multum moventur sensibilibus, et ideo verendum est, ne, dum mala terribilia illis in specie proponuntur, in novo periculo peccandi constituantur; tum quia speciale divinæ gratiæ auxilium ad ardua quæque aggredienda ac vincenda sperari utique potest ac debet, quando urget hora, non vero quoties temere per phantasiam periculis se quisque committat. Unde satis est propositum generale nunquam amplius peccandi mortaliter, propter ullam causam vel occasionem, etiamsi necesse foret quodlibet malum pati. (*n.* 433) [1]

QUÆR. 4º *Quale propositum requiratur in confessione venialium peccatorum?*

Resp. Si sint sola materia confessionis, requiritur et sufficit propositum firmum et efficax abstinendi ab aliquo veniali; sufficit quoque propositum vitandi omnia deliberata, semideliberata autem quantum sinat humana fragilitas; vel etiam propositum imminuendi multitudinem aut frequentiam venialium. (*n.* 449. 451.)

In praxi semper tutius est confessioni venialium adjungere aliquod peccatum gravius vitæ anteactæ, contra aliquod præceptum, ut habeatur materia certa Sacramenti; non raro enim metuendum est ne sufficiens dolor ac propositum circa venialia desint, circa ea maxime quæ ex habitu committuntur. (*Prax. Conf. n.* 71.)

[1] D. Thom. *Quodl.* 1. *art.* 9. — Suar. *disp.* 3. *sect.* 9. *n.* 9. *et* 10. — Lugo. *disp.* 5. *n.* 20.

ARTICULUS III.

CONFESSIO.

Materia pertractanda erit 1º notio et conditiones confessionis in genere, 2º integritas confessionis, 3º reliquæ conditiones ejus, 4º necessitas iterandi confessionem invalidam.

§ I. *Notio et conditiones confessionis in genere.*

183. — Confessio est pars essentialis hujus Sacramenti; quia judicium inter homines perfici non potest, nec sententia proferri, causâ non auditâ; auditur autem per confessionem externam et sensibilem ipsius pœnitentis.

Hinc confessio definitur: accusatio propriorum peccatorum, facta Sacerdoti competenti, ad eorum veniam virtute clavium obtinendam. *Virtute clavium*, i. e. vi potestatis remittendi peccata, quam Sacerdos a Christo accepit.

Substantia confessionis salvatur in signo sensibili, quo homo manifestat peccata sua Sacerdoti, prout evenit in moribundo, qui non potest loqui. Conditio jure divino necessaria est quod sit integra; præterea aliæ nonnullæ conditiones postulantur, pertinentes vel ad reverentiam erga Sacramentum exhibendam, vel ad uberiorem fructum ex confessione percipiendum, vel ad frequentem usum ejus.

Agemus primo loco de integritate, deinde de reliquis conditionibus.

§ II. *Integritas Confessionis.*

184. — Confessio erit integra, quando declarantur omnia, quæ ex voluntate Christi declaranda sunt. Integritas duplex distingui solet, materialis et formalis. *Materialis* consistit in eo, quod quis singillatun confiteatur omnia sua peccata mortalia post Baptismum commissa, et nondum directe vi clavium remissa. *Formalis* consistit in eo, quod quis confiteatur peccata mortalia, quæ hic et nunc moraliter potest. Indaganda nobis sunt tum integritatis necessitas, tum ejus objectum, tum causæ ab integritate materiali excusantes.

1. *Necessitas integritatis.*

185. — **Principia.** I. Integritas materialis confessionis requiritur ex præcepto divino, incluso in ipsâ institutione Sacramenti. Est de fide definita a Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *et can.* 7: »Si »quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ »ad remissionem peccatorum necessa»rium non esse jure divino, confiteri »omnia et singula peccata mortalia, »quorum memoria cum debita et dili»genti præmeditatione habeatur, etiam »occulta, et quæ sunt contra duo ultima »decalogi præcepta, et circumstantias »quæ peccati speciem mutant... ana»thema sit." Ratio autem est, quia Confessarius ex institutione Christi gerit officium judicis et medici; atqui judex nec potest incognitâ causâ judicare, nec æquitatem in pœnis injungendis servare, medicus non potest apta applicare remedia, si in genere dumtaxat, et non in specie ac sigillatim fideles sua ipsi peccata declarent; ergo debent omnia confiteri. (*n.* 465.)

II. Integritas materialis non est tamen de substantiâ Sacramenti Pœnitentiæ. Ratio est, quia alioquin hoc Sacramentum recte institutum non esset, siquidem ob impotentiam pœnitentis, non solum moralem, sed et physicam, sæpe impossibilis est omnium peccatorum declaratio. Quapropter Trid. *cap.* 5. dixit: »Reliqua »autem peccata, quæ diligenter cogi»tanti non occurrunt, in universum eadem »confessione inclusa esse intelliguntur;" ex quibus verbis infertur non semper requiri materialem integritatem.

III. Integritas formalis semper requiritur ad substantiam Sacramenti. Ratio est, quia pœnitens, qui aliquod peccatum mortale culpabiliter reticet, transgreditur præceptum divinum, atque adeo committit peccatum mortale, quocum Sacramenti valor et effectus consistere non possunt. Idem pulchre exponit Trid. *loc cit.*: »Dum omnia, quæ »memoriæ occurrunt, peccata Christi »fideles confiteri student, procul dubio »omnia divinæ misericordiæ ignoscenda »exponunt. Qui vero secus faciunt, et »scienter aliqua retinent, nihil divinæ »bonitati per Sacerdotem remittendum »proponunt. Si enim erubescat ægrotus »vulnus medico detegere, quod ignorat »medicina non curat." (*n.* 479.) [1]

[1] Probe notetur discrimen practicum inter ea, quæ pertinent ad essentiam Sacramenti, et ea,

IV. Pœnitens tenetur præmittere diligens examen conscientiæ de peccatis mortalibus commissis, ut integre confiteri possit. Constat ex Trid. *cit. cap.* 5. *et can.* 7.: ratio autem est in promptu, cum enim ex præcepto obligetur omnia peccata mortalia confiteri, consequenter adstringitur ea in memoriam revocare.

Quanta autem debeat esse diligentia, ne peccatorum oblivio culpæ tribuatur, generaliter dici potest sufficere *mediocrem*, qualem homo prudens adhibere solet in re gravi. Hæc porro non est eadem in omnibus, sed ex capacitate pœnitentis, numero et speciebus peccatorum, consuetudine peccandi, diuturnitate temporis, et aliis circumstantiis pendet. (*n.* 471.)

De difficultate confessionis integræ docet Trid. *loc. cit.*: »Ipsa hujusmodi »confessionis difficultas ac peccata de»tegendi verecundia gravis quidem vi»deri posset, nisi tot tantisque commodis »et consolationibus levaretur, quæ om»nibus digne ad hoc Sacramentum acce»dentibus per absolutionem certissime »conferuntur."

186. — **Resolutiones.** 1º Adhibità mediocri diligentià, non tenetur quis ulterius perscrutari, etiamsi putet majori diligentià fortasse plura se reperturum. Ratio, quia non requiritur *summa* diligentia; nullà enim ratione vel auctoritate hoc probari potest; insuper Sacramentum redderet odiosum, et conscientias inquietas, quod est contra finem hujus Sacramenti.

2º Non tenetur pœnitens, qui timet defectum memoriæ, peccata sua scribere; quia hæc est extraordinaria diligentia, et periculo exposita; est tamen utile, dummodo nimia vitetur anxietas, propter quam scrupolosis prohiberi potest. Similiter, nemo tenetur ob timorem oblivionis Confessionem anticipare, juxta communem hujus præcepti interpretationem, ut ait Lugo. *disp.* 15. *n.* 41.

3º Si Confessarius advertat pœnitentem notabiliter defecisse circa examen conscientiæ, et nulla urgeat necessitas, regulariter ei differenda est absolutio, ut debitam præstet diligentiam, eàque præstità, redeat, præsertim si confessio post longum tempus fiat; quia fere impossibile est ut iste repente interrogatus eorum recordetur, de quibus interrogatur. Excipe tamen pœnitentes rudes, qui per seipsos nequeunt suam conscientiam sufficienter discutere, quos proinde Confessarius ipse pro captu eorum examinare debet, ut postea dicemus.

4º Invalida est confessio non integra ex ignorantià vel negligentià mortaliter culpabili.

5º Infirmi non obligantur ad tam diligens examen, imo quandoque nullum ab eis exigendum est, ob nimiam capitis defatigationem; nec facile iis mos gerendum, dum volunt confessionem de die in diem differre sub prætextu quod nondum satis conscientiam discusserint, sed sunt a Confessario ipso breviter examinandi, in quantum sinit ipsorum status; præstat enim eos imperfecte confessos in statum gratiæ restituere, quam damnationis periculo exponere.

6º Non officit integritati, si quis subinde gravius lapsus, id alteri prius confiteatur, et deinde ordinario suo Confessario venialia tantum, (qui imprudenter id ægre ferret, prohiberet, aut reprehenderet). Si tamen eà ratione maneret in morali occasione peccandi, aut ideo circumiret ut liberius peccet, ob defectum dispositionis confessio foret nulla. (*n.* 471.)

187. — **Quæstiones.** Quær. 1º *An hæreticus, qui in sinum Catholicæ Ecclesiæ rediens, propter dubium Baptismi suscepti, sub conditione rebaptizatur, teneatur ad integram confessionem peccatorum præteritæ vitæ?*

Resp. Affirm., ex Decreto S. Inquis. 17 Jun. 1715 et 17 Dec. 1868. Ratio autem est, quia pro validitate suscepti Baptismi standum est, quousque de ejus nullitate non constet; ergo omnes obligationes, quæ ex Baptismo consequuntur, contrahuntur. Neque obstat Baptismum sub conditione iterari; id namque fieri solet unice ad cautelam, cum de re tam gravi agatur, in quâ tutiorem semper viam sequi debemus, ex quo proinde argui nequit ad infirmandas obligationes cum Baptismo connexas. (Acta S. Sedis. *vol. 4. pag.* 320.)

Quær. 2º *An confessio peccati* in genere, *sit materia proxima sufficiens extra casum necessitatis, in eo qui non habet materiam necessariam?*

Resp. Speculative loquendo, posset hoc videri probabile; quia, quemadmodum in casu necessitatis hujusmodi confessio sufficit in eo qui materiam necessariam habet, ut infra exponemus, ita quoque sufficit extra casum necessitatis in eo, qui materiam liberam tantum habet, quippe cujus species declarare non tenetur. Ita Suar. Herincx. *disp.* 3. *n.* 67. Croix. *n.* 622. et plures moderni. Nihilominus tamen oppositum non minus probabile, imo probabilius videtur; judicium enim exposcit cognitionem rei *particularis*, quantum possibile est. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ. *Ita communiter.*

Practice igitur negandum est, propter incertitudinem materiæ; etenim, quoad fieri potest, exhibenda est materia Sacramenti *certa*, et ideo, quoties potuerit dari particularis materia alicujus peccati in specie, id fieri debet.

Propterea curet Confessarius, inquit S. Alphonsus, »aut eum disponere ad »dolendum præsertim de aliqua levi culpa, »a quo magis horret, aut ei insinuare »ut confiteatur de aliquo peccato gra»viori vitæ anteactæ contra aliquod præ»ceptum (sufficit enim quod confiteatur »in generali absque numero), ut habeat »materiam certam, super qua inniti pos»sit absolutio." Quocirca subdo cum Elbel *n.* 19. *et* 15: ne incassum Confessarius pœnitentem et seipsum divexet, nolit a pœnitente postulare ut peccatum in specie exponat, sed ipsemet proponat illi unam alteramve peccatorum speciem, v. g. *Numquid de omnibus peccatis tuis doles teque accusas, præsertim de peccatis contra 4um, contra 6um præceptum?* Si pœnitens affirmative respondeat, absolvatur. Ita S. Alph. *Prax. Conf. n.* 71. *in fine.* Suarez. *disp.* 23. *sect.* 1. *n.* 10. 11. Lugo. *De Euchar. disp.* 14. *n.* 87. Lessius. *Addit. qu.* 6. *n.* 33. *et qu.* 9. *n.* 19. Croix. *n.* 621. Bonac. *De Pœnit. disp.* 5. *qu.* 5. *sect.* 2 *punct.* 2. § 3. *dif.* 2. *n.* 15. Sporer. *n.* 347. 348. 351. 758. Herincx. *loc. cit.*, et alii communiter.

quæ ex præcepto divino requiruntur. E prioribus si quid etiam inculpabiliter deest, Sacramentum est semper invalidum. Defectus posteriorum, si *culpabilis* est, invalidat Sacramentum *indirecte*, ex defectu scilicet contritionis, quippe quæ cum actuali peccato gravi coexstare nequit: si vero *inculpabilis* est, puta ex oblivione, ex ignorantia, Sacramentum valet, et peccata, quæ inculpabiliter reticentur, *indirecte* remittuntur vi infusionis gratiæ sanctificantis, remanente obligatione defectum postea supplendi, ut infra dicemus.

2. *Objectum integritatis.*

188. — **Principia.** I. Ad integritatem confessionis necessarium est peccatorum species, circumstantias mutantes speciem, et numerum, distincte explicare. Ita docet Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *et can.* 7. *Numerum* quidem, quia sine illo non omnia et singula peccata declarantur; *omnes species* peccatorum, quia »sine »illis peccata ipsa neque a pœnitentibus »integre exponuntur, nec judicibus in»notescunt et fieri nequit ut de gravitate »criminum recte censere possint, et pœ»nam, quam oportet, pro illis pœniten»tibus imponere." Recole dicta in Libro I. de distinctione peccatorum.

Declarandus quoque est actus externus peccati, necnon malus effectus peccati non retractati, juxta dicta lib. I. n. 10. et 37.; quia peccati speciem complent.

II. Quidquid probabiliter non cadit sub præcepto integritatis, *per se* non est necessario aperiendum. Ratio est, quia integritas confessionis obligat ad modum præcepti; atqui juxta principia certa Probabilismi lex dubia non obligat; ergo licitum est, per se loquendo, sequi opinionem probabilem minus tutam circa extensionem præcepti divini integritatis confessionis. Accedit, eam confessionem censeri integram, in qua homo nihil omittit peccando mortaliter, sive ex scientià, sive ex ignorantia et negligentia culpabili; atqui principia Probabilismi efformant conscientiam practice certam de non-obligatione præcepti; ergo adest integritas, saltem formalis, quæ sufficit ad valorem et fructum Sacramenti. (*n.* 468. H. A. *n.* 29.)

III. Quoties aliquid, quod *per se* est de necessitate vel integritate confessionis, ex oblivione vel aliâ legitimâ causâ omittitur, in subsequenti confessione illud explicandum est, si fieri potest. Ratio est, quia, ut definivit Trid. *loc. cit.*, ex præcepto divino confitenda sunt omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria habeatur, ut *directe* absolvantur; si quæ ergo peccata memoriæ occurrant necdum confessa, per confessionem sunt clavibus subjicienda. Constat etiam ex prop. 11. damnatâ ab Alexandro VII: »Peccata in confessione »omissa seu oblita, ob instans periculum »vitæ, aut ob aliam causam, non tene»mur in sequenti confessione exprimere."

189. — **Resolutiones.** 1° Necessarium est declarare in confessione circumstantiam, quæ transfert actum ex veniali peccato in mortale, aut e converso; quia talia peccata in propria ratione peccati, id est offensionis divinæ, specie theologicâ differunt; peccatum autem primario pertinet ad confessionem, quatenus offensio Dei est. (*n.* 471.)

2° Si quis recordetur se peccasse mortaliter, oblitus est autem cujus speciei fuerit peccatum illud, debet hoc ipsum confiteri. *Ita communiter.* (Lugo. *disp.* 17. *n.* 10. Salm. *tr.* 6. *cap.* 6. *n.* 7.)

Nota. Quæstiones de hac materia pro objecti varietate ab invicem secernemus, videlicet, de numero peccatorum, de eorum circumstantiis, et de peccatis dubiis.

QUÆSTIONES DE NUMERO PECCATORUM.

190. — QUÆR. 1° *Quomodo numerus peccatorum in confessione sit explicandus?*

Resp. 1° Quando pœnitenti certo constat de numero, illum debet confiteri, non majorem neque minorem.

2° Quando, facta morali diligentia, non occurrerit numerus certus, tamen se offert aliquis numerus, qui parum creditur a vero distare, is declarandus est, addendo *circiter* vel *plus minusve*, idque sufficit; tum quia fit, quod moraliter est possibile, tum quia id satis est ad morale judicium humano modo ferendum. Et post Confessionem, licet aliqua in particulari et distincte occurrant, quæ non videntur ita explicata, non est necessarium ea iterum confiteri, nec de illis esse sollicitos; quia in præcedenti numero sufficienter inclusa fuere; nisi tot occurrant, ut notabiliter excedant numerum prius expressum; quia hæc revera non fuissent sufficienter explicata per priorem confessionem, utpote non inclusa in particula *circiter*.

3° Quando, facta diligentia, neutro ex prædictis modis potest cum probabilitate affirmari aliquis certus numerus, tunc sufficit consuetudinem peccandi declarare, et tempus, quo pœnitens in illa perstitit, et frequentiam lapsuum per dies, vel hebdomadas, quoad fieri potest; ad quam explicandam debet etiam Confessarius pœnitentem juvare, prout potuerit; quod facilius erit in actibus externis, qui non tam frequenter committuntur. Actus vero interni, si nec præfato modo explicari queant, declarari possunt dicendo v. g. se fuisse paratum ad committendum vel desiderandum tale peccatum, quoties occasio vel memoria illius in die occurrebat, vel aliquid simile. Ratio est eadem, scilicet, quia fit, quod moraliter potest, quare in his casibus non debet Confessarius urgere pœnitentem, ut aliquem certum numerum proferat; id enim sæpe moraliter est impossibile, vel ita incertum ut nulla fides illi abhiberi possit. (*n.* 466. *Prax. Conf. n.* 20.)

QUÆR. 2° *Quantus numerus censeatur includi in verbis* CIRCITER *aut* PLUS MINUSVE?

Resp. Excessus modicus supra numerum verum; non item excessus notabilis. Debet in eo judicio formando servari hæc regula, ut, quo major est numerus expressus, eo magis augeatur numerus inclusus. Unde dicendo: circa ter, intelligitur bis vel quater; circa 10 vicibus, intelliguntur 8 vel 12; circa 30, intelliguntur 27 vel 33; circa 100, intelliguntur 95 et 105. (*n.* 466.)

Ex quo consequitur, quod si post Confessionem pœnitens deprehendat se numerum expressisse notabiliter minorem, quam revera est, tenetur postea in Confessione defectum supplere. Contra, cum quis numerum excessit, etiam notabiliter, et postea comperit certe non esse tantum, non tenetur errorem corrigere; quia in majori numero expresso jam continebatur et absolvebatur iste minor. *Ita communiter.* (Spor. *n.* 449. *et* 450.)

191. — **Resolutiones.** 1° Meretrix debet frequentiam solitam fornicationum per hebdomadas aut dies explicare; item species peccatorum saltem principales, quantum potest; deinde explicare debet aliquando numerum certarum specierum, quæ non tam frequenter occurrunt, ut quoties peccavit contra naturam, cum conjugatis, scienter nimirum, cum consanguineis, an unquam cum personis sacris. Circa numerum actuum internorum sufficit frequentiam per dies in genere exprimere. Ita Lugo. *disp.* 16. *n.* 573. Spor. *n.* 452. Roncag. *tr.* 19. *qu.* 3. *cap.* 2. *qu.* 4.

2° Similis difficultas occurrere potest in quocumque alio peccatore inveterato, e. g. in eo, qui passim concupiscit turpiter fœminas sibi obvias, in quo difficilius fortasse est numerum aliquem designare: quare sufficit, si explicet an frequenter quotidie, vel per hebdomadas, item species principales, an frequenter conjugatas, an aliquando cognatas, vel personas sacras, etc. concupiscat. Quod idem valet in delectationibus morosis. Ita Lugo. *n.* 574. Spor. *n.* 453.

3° Idem contingere potest, quando homines rustici vel plebeji confitentur colloquia turpia, quæ quidem passim totâ die, dum simul laborant, aliqui miscere solent, absque ullo delectu circa materiam vel socios; qui satisfaciunt eodem modo. Ita Lugo. *n.* 575. Spor. *n.* 453.

QUÆSTIO DE CIRCUMSTANTIIS PECCATORUM.

192. — Circumstantiæ sunt aliæ *speciem mutantes*, quando supra peccatum addunt speciem novam peccati: aliæ *aggravantes*, aut *minuentes*, quando augent vel minuunt dumtaxat malitiam peccati intra eamdem speciem, v. g. quantitas furti, idque vel *notabiliter* vel *leviter* tantum.

Quæstio. *An, præter circumstantias speciem peccatorum mortalium mutantes, etiam circumstantiæ eadem notabiliter aggravantes intra eamdem speciem sint necessario confitendæ?*

Resp. Controv. Adsunt tres sententiæ probabiles. *Prima sententia* affirmat; probatur 1° ex ratione, quam dat Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. pro circumstantiis speciem mutantibus, nimirum, ut Sacerdos de peccatorum gravitate recte judicare convenientemque pœnam et medicinam præscribere possit; atqui circumstantiæ notabiliter aggravantes judicium Confessarii circa hæc omnia multum variant; ergo pariter confitendæ sunt. Neque officit, Conc. Trid. solas circumstantias speciem mutantes docuisse confitendas; nam Concilium id, quod certum erat, definivit, id vero, quod erat sub opinione, neque affirmavit neque negavit. 2° Ex Rituali Rom. dicente: »Si pœnitens »numerum, speciem, et circumstantias »explicatu necessarias non expresserit, »sacerdos eum interroget." Verbo *species* designantur circumstantiæ mutantes speciem, reliquis verbis notabiliter aggravantes. — Confirmatur ex Catech. Rom. *de Pœnit. n.* 63. *edit. Mechl.*, ubi docet explicandas esse circumstantias, »quæ pravitatem valde augent vel mi»nuunt." Ita Suar. Sanch. Gonet, Concin. Croix, Cano, Cajet. etc.

Secunda sententia negat, sed cum restrictione, excipit namque circumstantiam *quid*, quæ spectat quantitatem materiæ, prout est quantitas furti. Ratio, quia, cum hæc circumstantia pertineat ad integritatem substantialem actûs in individuo, Confessarius nequit sine illius cognitione formare debitum judicium de substantiâ peccati. Ita Spor. Laym. Henriq. Valent. Soto.

Tertia sententia communior et probabilior simpliciter negat, *per se loquendo.* Prob. 1° ex Concilio Trid. *cap.* 5.; primo enim, agendo de circumstantiis, semper limitat positive sermonem ad eas, quæ speciem mutant, unde videtur positive excludere alias. Deinde docet circumstantias ideo explicandas esse, »quod *sine illis* peccata ipsa neque »a pœnitentibus integre exponantur, »neque judicibus innotescant, et fieri »nequeat ut de gravitate criminum »recte censere possint, et pœnam quam »oportet pro illis pœnitentibus impo»nere;" quibus verbis Concilium innuit, *cum illis circumstantiis* hæc omnia præstari, et proinde illas sufficere. — 2° Ex ratione; Christus enim, ut testatur Conc. Trid., solum præcepit confessionem *peccatorum;* ille autem, qui explicat species et numerum peccatorum, vere et proprie confitetur sua peccata; ergo nihil aliud exigitur, per se loquendo, ex parte pœnitentis. — 3° Ex incommodis contrariæ sententiæ; etenim primo, vix potest cum aliquâ certitudine et regulâ explicari quando circumstantiæ notabiliter aggravent; unde pœnitentes semper dubitare possent de integritate suarum confessionum, et sic semper inter angustias fluctuarent. Deinde, ex contrariâ sententiâ sequitur, debere etiam explicari circumstantias notabiliter minuentes, ne Confessarius plus concipiat quam factum sit; quam obligationem etiam adversarii negant. — 4° Tandem, Ecclesia in Concilio Œcumenico non potuit hanc obligationem ex verbis Christi colligere et tradere, alioquin non limitasset Trid. suam doctrinam; ergo lex saltem est dubia, consequenter non obligat. Ita S. Thom. S. Antonin.

S. Bonav. S. Bernardin. Scot. Lugo, Navarr. Vasq. Bonac. Ronc. Salm. etc.

Non obstat 1° Rit. Rom.; quia per *speciem* intelligitur species ex parte objecti, puta quod sit luxuria, furtum; per *circumstantias necessarias* intelliguntur eæ, quæ speciem mutant, seu species ex parte circumstantiarum, puta quod sit adulterium, furtum sacrilegum. — 2° Catech. Rom.; quia Catechismus ipse ibidem doctrinam suam explicat de solis illis circumstantiis, quæ vel peccati mortiferi reatum inducunt, vel speciem mutant. — 3° Ratio; quia, ut ait D. Thomas, »sufficit quod Sacerdos »cognoscat quantitatem, quæ ex specie »peccati consurgit." (*n.* 468. H. A. *n.* 29.)

Dictum est: *non dari obligationem* PER SE LOQUENDO; quia ex aliis capitibus oriri potest hujusmodi obligatio, quando nempe Confessarius legitime de illis interrogat; Confessarius enim sæpe tenetur eas inquirere, sive ad dispositionem pœnitentis dignoscendam, aut relapsum præcavendum, sive ad censuram aut reservationem peccato adnexam cognoscendam, sive demum ad imponendam aliquam obligationem a pœnitente implendam. Constat præterea ex prop. 58. damn. ab Innoc. XI: »Non tenemur »Confessario interroganti fateri peccati »alicujus consuetudinem." Hâc ratione ordinarie est obligatio manifestandi consuetudinem peccati, occasionem proximam, continuam vel interruptam, quantitatem furti, et id genus alia. (*n.* 468. *v. Nec obstat.*)

QUÆSTIONES DE PECCATIS DUBIIS.

193. — Dubium de peccatis versari potest circa tria: 1° quando quis dubitat an peccatum commiserit; 2° quando constat de peccato, dubitat vero an fuerit mortale aut veniale; 3° quando scit se peccasse mortaliter, dubitat tamen an illud peccatum sit confessus. Deinde dubium ipsum potest esse vel positivum, nempe si utrimque adsint rationes probabiles, vel negativum, si rationes nonnisi leves sint.

QUÆR. 1° *An sit obligatio confitendi peccata mortalia dubia, in dubio positivo num quis mortaliter peccaverit?*

Resp. Antiprobabilistæ affirmant; quia inter opiniones æque probabiles tutior sequenda est. Verum Probabilistæ omnes negant; 1° quia in dubio facti *fundantis* obligationem legis, possidet libertas; dubium autem est factum peccati mortalis; ergo...; 2° quia in dubio legis exsistentis lex non obligat; non constat autem de lege confitendi peccata dubia; ergo non obligat. — Attamen in mortis articulo, si quis dubitet an peccatum grave patraverit, sciens se Sacramentum Pœnitentiæ post tale peccatum nunquam suscepisse, teneretur, ad effugiendum damnationis periculum, non illud quidem peccatum dubium confiteri, sed vel absolutionem sacramentalem recipere, vel saltem actum contritionis elicere. (*n.* 473. H. A *n.* 30.)

QUÆR. 2° *An exsistat hæc obligatio in dubio negativo?*

Resp. Controv. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia communior affirmat; quia Trid. ait confitenda esse omnia peccata mortalia, quæ sunt in conscientiâ; ergo ita sunt confitenda, sicut sunt in conscientiâ, saltem dubiâ. Deinde ea est universalis et constans praxis fidelium, quæ idcirco supponitur emanasse ex Christi institutione. Ita Sanch. Suar. Lugo, Pal. Laym. Anacl. Ronc. Spor. Salm. etc.

2ª Sententia probabilior negat; 1° quia Trid. eorum solum peccatorum exigit confessionem, quorum pœnitens conscientiam habet, seu quorum meminit; conscientia autem involvit scientiam, est enim, ait S. Bernard., »cordis scien»tia," et judicium practicum de peccato commisso; at conscientia dubia neque est scientia, neque judicium, sed suspensio judicii; ergo qui negative dubitat, non habet conscientiam peccati. Item, dubitare non est meminisse, sed non meminisse. 2° Non est pro delicto dubio onus certum imponendum: nec in dubio an lex exsistat, adest legis obligatio. 3° Qui dubitat absque ratione probabili, dubium deponere debet. Nec obstat praxis fidelium, quippe qui id facere solent ob majus conscientiæ levamen, neque inde recte colligi potest divina traditio. Ita Merbes. Habert, Coninc. Holzm. Marchant. Mazzot. etc.

Ex hâc sententiâ consequitur, dubitantem non teneri, stricte loquendo, ad confessionem, etiamsi communicare velit: verumtamen, ut *certe* dispositus sit, deberet vel conteri, vel absolutionem sacramentalem recipere confitendo aliam materiam certam. Cæterum in praxi, ordinarie loquendo, omnino suadenda est pœnitentibus confessio mortalium tam negative quam positive dubiorum, cum id ordinarie prosit ad conscientiæ tranquillitatem. Dico: *ordinarie;* nam scrupulosi omnino eximi debent; item personæ timoratæ conscientiæ, quæ non solent lethaliter peccare; quia in dubio credere debent se non consensisse. Contra vero ii, qui in peccata mortalia facile prolabi consueverunt, in dubio præsumuntur consensisse. Unde concluditur, vix unquam dari dubium mere negativum, sed plerumque adest præsumptio pro vel contra pœnitentem. (*n.* 474—476. H. A. *n.* 31. 32.)

QUÆR. 3° *An teneatur quis confiteri peccatum mortale certe commissum, in dubio num illud confessus sit?*

Resp. In dubio *negativo*, communiter docent ipsum teneri. In dubio *positivo*, adest sententia quæ negat obligationem confitendi. Ita Suar. Lugo, Navarr. Bonac. Salm. Croix, etc. Verum hæc sententia non probatur; quia ratione peccati mortalis certe commissi consurgit certa obligatio illud confitendi; huic certæ obligationi satisfieri non potest per confessionem incertam, sicut debito certo non satisfit per incertam solutionem; lex ergo confessionis, cum possideat, obligat. Nihilominus ille, qui diligens fuit in peccatis suis confitendis, si deinde dubitet num aliquod peccatum omiserit, postquam multum elapsum est tempus a quo illud patravit, non tenetur ad confitendum, cum eo casu possit credere moraliter certo illud confessum esse. Similiter, si quis prius in vitiis habituatus fuerit, sed vere conversus jam dudum rectam vitam duxerit, postmodum autem dubitet num aliquod peccatum vel circumstantiam omiserit in confessione generali aut particulari, facta debita cum diligentia, Confessarius debet prohibere illi ne hæc confiteatur, et ne recogitet quidem de præterita vita. Denique scrupulosi minime debent peccata præterita confiteri, nisi penitus certi sint se nunquam illa confessos esse. (*n.* 477.)

QUÆR. 4° *An ille, qui confessus est aliquod peccatum mortale ut dubie commissum, teneatur illud postea denuo confiteri, quando certo commissum agnovit?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; tum quia peccatum illud explicatum fuit prout erat in conscientia tempore confessionis, pœnitensque fuit ab eo directe absolutus; tum ex communi doctrina, juxtâ quam, explicato numero incerto *plus minusve*, postea, licet certo detegatur modicus excessus, non debet hic manifestari. Ita Lugo, Tambur. Holzm. Spor. Arriag. Escob. Elb. etc.

2ª Sententia communis, quam S. Alph. sequitur, affirmat; tum quia, licet peccatum fuerit directe remissum, non tamen fuit expositum uti erat in conscientia tempore commissionis, nec explicata fuit substantia peccati, quæ consistit in cognitâ ejus gravitate; tum quia judicium notabiliter diversum formatur de peccato dubio, ac de certo. Neque obstat doctrina de numero incerto; nam hic error non est circa substantiam, cum in numero incerto, addito *circiter*, moraliter includatur modicus excessus; in nostro vero casu error est circa substantiam, cum versetur circa ipsum peccatum, et in accusatione dubiâ nullo modo includatur certa.

Advertendum hoc loco, quod si quis integre confiteatur peccatum certum, quod nec ipse nec Confessarius sciebat esse ex genere suo mortale, postea vero doctior factus, vel, aliis consultis, novit esse mortale, non tenetur iterum illud confiteri; quia pœnitens integre confessus est suum peccatum, neque ad confessionis valorem requiritur quod pœnitens vel Confessarius sciat materiam illius peccati gravem esse. *Ita communissime et probabilissime.* (*n.* 478. 500.)

3. *Causæ excusantes ab integritate materiali.*

194. — **Principia.** I. Nullum incommodum confessioni *intrinsece* adnexum excusat ab illius integritate. Ratio est, quia Christus, præcipiendo omnium peccatorum mortalium confessionem, eo ipso voluit ea omnia, quæ cum hujusmodi confessione de se connexa sunt.

Hujus generis incommoda sunt v. g. maxima verecundia in revelando aliquod peccatum, timor gravis reprehensionis, amissio æstimationis Confessarii, et similia.

II. Excusat ab integritate materiali

impotentia physica vel moralis. Ratio est, quia præceptum positivum non obligat cum gravi dispendio.

III. Ut moralis impotentia excuset, requiritur 1° ut periculum gravis detrimenti sit vere fundatum seu probabile; 2° ut desit copia alterius Confessarii, cui confessio integra fieri possit absque tali incommodo; 3° ut ea sola peccata, aut eæ solæ circumstantiæ omittantur, quæ malum inferre queant; 4° ut confessio differri nequeat.

195. — **Resolutiones.** 1° Ad *physicam* impotentiam revocantur: a) *Oblivio* vel *ignorantia* inculpabilis, aut nonnisi venialiter culpabilis.

b) *Instans mortis periculum.* Primo, ipsius pœnitentis, quando scil. periculum est ne inter confitendum moriatur. Secundo, in communi periculo, puta instante naufragio, imminente pugna, grassante peste, incendio domum pervadente ubi plures sunt qui exire non possunt; in hisce casibus, deficiente tempore ad singulos audiendos, sufficit omnes in genere manifestare sua peccata ad obtinendam absolutionem, et Confessarius poterit omnes unicâ formâ absolvere dicendo: »*Ego vos absolvo*, etc. Tertio, ex parte ipsius Sacerdotis, si ejus mors etiam immineat, et non sit alius.

c) *Defectus loquelæ*, in mutis, qui nec scripto nec signis integre confiteri possunt; satis est illis, si nutibus, modo quo possunt, unum vel alterum peccatum manifestent. Qui vero non muti, sed balbi sunt, quo possunt modo explicare sua peccata debent.

d) *Defectus auditûs*, in surdis, qui nesciunt omnia explicare, nec audiunt interrogationes Confessarii. Qui vero non surdi, sed surdastri sunt, deduci debent in aliquem remotum locum, ut eorum confessiones audiantur.

e) *Ignorantia idiomatis*, in peregrinis, si Confessarium suæ linguæ gnarum non inveniant; his sufficit manifestare signis peccatorum suorum dolorem. (*n.* 479. 484—486. H. A. *n.* 35.)

2° Impotentia *moralis* intervenit, quando ex integra confessione timetur grave damnum, sive pœnitentis, sive Confessarii, sive alterius, quod præponderat integritati materiali.

Datur itaque excusatio: a) propter *periculum infamiæ*, v. g. quando pœnitens est in talibus circumstantiis, ut, si integre confiteatur, alii audituri sint sua peccata; vel quando confessio integra erit valde prolixa cum gravi ipsius nota, quod accidere potest, si urgeat necessitas communicandi vel celebrandi, et non suppetat tempus. Satis ergo erit in tali casu ita peccatorum facere confessionem, ut infamia vitetur. Cæterum, extra casum necessitatis communicandi vel celebrandi, minime excusandus is est, de quo ob prolixitatem confessionis alii facile suspicarentur ipsum multis esse culpis gravatum.

b) Propter *periculum revelationis*, seu violationis sigilli sacramentalis, v. g. si Confessarius nequeat *suam* confessionem integram facere, nisi alterius pœnitentis peccatum manifestet; item, si confiteatur surdaster, aliis adstantibus; vel si confiteatur graviter vulneratus, aut mulier parturiens, qui a ministrantibus relinqui non possunt; vel si pœnitens prudenter timeat ne Confessarius sigillum infringat, puta si Confessarius adeo altâ voce loquatur, ut a circumstantibus possit audiri, neque monitus vocem moderetur.

c) Propter *periculum scandali*, sive ex parte pœnitentis, sive ex parte Confessarii, v. g. si manifestando peccatum turpe pœnitens cum fundamento timeret, ob cognitam Confessarii fragilitatem, ne hic pravum consensum præbiturus sit, vel sollicitaturus; vel si ex sua fragilitate Confessarius timeat, ne diligentius interrogando circa speciem et numerum peccatorum luxuriæ, sibi aut pœnitenti causa fiat peccandi.

d) Propter *scrupulos*, puta si scrupulosus præteritarum confessionum timore jugiter vexetur.

e) Propter *damnum corporale*, v. g. si ipse Confessarius timeat grave contagium et mortis periculum, si longo tempore ægrotum contagiosum audiat; quo casu satis est aliquod peccatum audire; attamen si Confessarius vellet audire totam confessionem, tenetur infirmus integre confiteri. Item, si pœnitens graviter ægrotans non posset sine gravi valetudinis damno vel capitis defatigatione omnia peccata exponere. (*n.* 484—488. H. A. *n.* 39.)

3° Adesse *Confessionis necessitas* censetur, a) in mortis periculo; b) si impleri debeat præceptum annuæ Confessionis vel Communionis; c) si sumptio Eucharistiæ aut Missæ celebratio omitti vel differri sine nota aut scandalo non possint; d) si alias multo tempore differri deberet Confessio; dilatio autem per duos vel tres dies, imo per unum diem, satis longa censetur pro eo, qui est in peccato mortali. (*n.* 487. H. A. *n.* 39.)

196. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An absolvendus sit moribundus, qui signum doloris dat Sacerdoti præsenti, quin possit ullum peccatum explicare?*

Resp. Affirm., et modo quidem *absoluto.* Constat ex praxi Ecclesiæ, et Rituali Rom.; ratio est, quia signis istis exhibetur vera accusatio in ordine ad absolutionem, quæ sufficit, quando accusatio magis integra fieri nequit. *Ita communiter.*

In præfato casu *directe* absolvuntur omnia peccata secundum rationem genericam peccati, *indirecte* autem singula peccata secundum proprias species, et ideo pœnitens tenetur postea illa in particulari explicare. Neque tunc judicium fertur, incognitâ causâ, sed cognitâ quantum hic et nunc possibile est. (*n.* 480.)

Quær. 2° *An absolvendus sit moribundus sensibus destitutus, qui ex testimonio adstantium antea petiit Confessionem et ostendit pœnitentiæ signa?*

Resp. Affirm.; constat ex perpetua praxi Ecclesiæ, ex pluribus antiquis Conciliis, ex Rituali Rom., et ex communi sensu DD. Ratio est, quia desiderium sacramentaliter confitendi manifestatum Confessario, sive *immediate* per ipsum infirmum, sive *mediate* per testes, includit confessionem in genere.

Quamvis hoc in casu communius censeant DD. absolutionem dandam esse *absolute*, quia adest assensus probabilis, et in Rituali nulla fit mentio conditionis apponendæ; tutius tamen videtur sequi sententiam aliorum, qui volunt eam dandam esse *sub conditione*, saltem ubi de signis datis prudenter dubitatur, prout facile dubitari potest, præsertim si infirmus sit rudis. Ita Suar. Wigand. Bonac. Sylvest. S. Anton. (*n.* 481.)

Quær. 3° *Quid vero, si nullus adsit testis de signo pœnitentiæ præstito ab ægroto, et Sacerdos nullum signum in eo percipere possit?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat hunc absolvi posse; tum quia in nullius Concilii aut Pontificis decreto prætermittitur ea conditio ut voluntatis præteritæ testimonium habeatur; tum ob rationem valde urgentem, quod tunc desit materia Sacramenti, quippe quæ debet esse sensibilis. Ita Suar. Lugo, Petroc. Abelly, Laym. Ronc. Dian. Vasq. Coninc. Regin. etc.

2ª Sententia communior et satis probabilis affirmat eum posse et debere absolvi, dummodo sit Catholicus, qui præsumatur in illo periculo velle Sacramentum recipere. Etenim, quamvis non constet peccatorem, qui sic obmutuit, de peccatis aut salute cogitare, imo nec appareat eum ratione uti, potest tamen fieri, ut non solum intus de peccatis doleat, confiterique desideret, verum etiam aliqua edat signa pœnitentiæ per se sensibilia, etsi Sacerdos ea non intelligat, ut sunt suspiria, oculorum vel oris motus, anxia respiratio, quæ, etsi doloris naturalis sint ordinarie signa, nihilominus ab ipso peccatore forte eduntur ut internæ pœnitentiæ nutus. Porro in urgente necessitate licet Sacramentum administrare sub conditione cum materia quantumvis dubia; per conditionem enim satis cavetur injuria Sacramenti, simulque consulitur saluti proximi. Quando autem Sacerdos *potest*, tunc et *tenetur* sub gravi absolvere infirmum. Ita S. Aug. S. Anton. Merbes. Morin. Genett. Holzm. Spor. Elb. Viva, Salm. Tamb. Croix, etc. (*n.* 482.)

Hunc in finem debet Sacerdos accusationem in genere actumque contritionis moribundo breviter et alta voce suggerere; quia auditus plerumque usque ad extremum vitæ persistit.

Moribundus demum, qui usque ad sensuum destitutionem Sacramenta *recusaverit*, absolvi non debet; tunc enim voluntas præsumi nequit.

Quær. 4° *An possit absolvi moribundus, qui fuit sensibus destitutus in actu peccati, puta adulterii, duelli, ebrietatis?*

Resp. Negant nonnulli. Sed satis probabiliter affirmatur talem infirmum absolvendum esse sub conditione, modo sit Catholicus; ob eamdem rationem, quæ adducta est in præcedenti quæstione; de homine enim Catholico, etiamsi in actuali peccato sensibus destituatur, prudenter præsumi potest quod in pro-

ximo damnationis periculo constitutus cupiat suæ æternæ saluti consulere.

Dictum est: *modo sit Catholicus;* hæretici enim, etiamsi in eo casu dent pœnitentiæ signa, non debent absolvi, nisi expresse absolutionem petant; quia nunquam prudenter præsumi possunt ea signa præbere in ordine ad Confessionem sacramentalem, quam non credunt, atque adeo certe deesset materia Sacramenti. *Ita communiter.* (*n.* 483.) Secus tamen probabiliter dicendum est de hæretico, qui natus et educatus in Religione Catholica postea ad hæresim transiit. (Revue théol. 1876. *pag.* 500.)

Quær. 5° *Quid vero, si hæreticus sensibus destitutus, dum sanus erat, propensionem ostendit ad Religionem Catholicam?*

Resp. Potest in eo discrimine sub conditione absolvi a censuris et peccatis, si in suâ sectâ fuerit jam baptizatus (at in dubio de valore hujus Baptismi, prius sub conditione baptizetur); est enim ratio quædam conjiciendi eum velle in Ecclesiæ communione vitâ fungi. (Konings. *n.* 1371. *sub* 6°. Revue théol. 1876. *pag.* 494.)

Quær. 6° *Quoties moribundus absolvi possit?*

Resp. 1° Si certa pœnitentiæ signa ostendit Sacerdoti præsenti, expedit illum toties absolvi quoties nova præstet signa doloris. (*n.* 480.)

2° Si sensibus destitutus est, nonnisi bis terve absolvi debet, servato trium aut quatuor horarum intervallo; quia, ut Sacramentum administari sub conditione possit, gravis causa requiritur, quæ tunc cessat. Quod si sensuum destitutio perseveret per longum tempus, cum actuali mortis periculo, poterit pluries repeti absolutio, v. g. ter aut quater in die. (*n.* 482. *Prax. Conf. n.* 276. H. A. *n.* 37.)

Quær. 7° *An mutus litteratus teneatur scripto confiteri, si aliter non possit, ad procurandam confessionis integritatem?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia scriptura de se est obnoxia periculo manifestationis, cui se exponere pœnitens non tenetur. Ita Pal. Soto, Cajet. Navarr, Ledesm. Dian. etc.

2ª Sententia communis et probabilior affirmat, regulariter loquendo; quia non est medium admodum difficile, neque ordinarie subjacet morali periculo manifestationis, quippe quod facile caveri potest, ut testatur experientia; sunt enim qui semper scribunt sua peccata, quin talis scriptura unquam in aliorum manus devenerit. Ita S. Thomas, Suar. Lugo, Croix, Anacl. Bonac. Vasq. Ronc. Spor. Salm. etc.

Dictum est: *regulariter loquendo;* quia secus dicendum, si in aliquo casu subesset morale periculum manifestationis, aut grave incommodum. (*n.* 479. H. A. *n.* 35.)

Quær. 8° *An ignarus idiomatis teneatur confiteri per interpretem, si possit?*

Resp. Negat., quia in Conc. Lateran. *cap. Omnis utriusque sexus.* præcipitur confessio *soli Sacerdoti* facienda; cui accedit ejusmodi confessionem non esse omnino secretam; denique adhibere interpretem est grave incommodum. Excipe, si in periculo mortis infirmus dubius sit de sua contritione perfecta; quia charitas obligat ne periculo exponat salutem suam, si forte non habeat contritionem: sed tunc satis est quod unum alterumve veniale confiteatur, et in genere de aliis. *Ita communiter* (*n.* 479.)

Quær. 9° *An ratione magni pœnitentium concursûs in aliquo festo, seu Jubilæo, dimidiari possint confessiones?*

Resp. Negat.; constat ex prop. 59. damn. ab Innoc. XI: »Licet sacramen»taliter absolvere dimidiate tantum con»fessos, ratione magni concursus pœni»tentium, qualis v. g. potest contingere »in die magnæ alicujus festivitatis, aut »indulgentiæ." Ratio est, quia nulla exsistit necessitas. (*n.* 503.)

Quær. 10° *An sit obligatio confitendi peccatum mortale, quod non posset integre explicari sine manifestatione complicis?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia præceptum naturale servandi famam proximi præferendum est positivo servandi integritatem confessionis. Ita Navarr. Valent. Villal. Lopez, Medin. Dian. etc.

2ª Sententia communis, quam S. Alph. sequitur, affirmat, si pœnitens nequeat commode alium Confessarium petere, cui ignotus sit complex. Ratio est, quia non est contra jus naturale aperire ex justa causa homini prudenti delictum occultum proximi; lex autem confessionis est legitima causa integre accusandi peccatum, etiamsi persona complicis a judice cognoscenda sit; ergo eo ipso obligat. Accedit, complicem consentiendo peccato amisisse jus ad famam in ordine ad confessionem illius peccati, quemadmodum ipse pœnitens. Ita S. Thom. S. Bonav. S. Anton. S. Bern. Suar. Lugo, Vasq. Less. Bonac. Salm. Ronc. Spor. etc.

Dictum est 1° *peccatum mortale;* nam ob peccatum veniale explicandum, aut mortale alias confessum, non licet grave peccatum alterius manifestare.

Dictum est 2° *si pœnitens nequeat commode, etc;* quia, quando commode potest, tenetur alium petere Confessarium, cui ignotus sit complex, ut hujus fama servetur. Recole dicta lib. III. n. 534. qu. 2. (*n.* 489.)

Quær. 11° *Quænam sint causæ excusantes a quærendo Confessario, cui complex sit ignotus?*

Resp. 1° Si urgeat periculum mortis, aut præceptum Confessionis annuæ. 2° Si pœnitens non celebrando vel non communicando incurreret infamiæ notam. 3° Si quis exsisteret in peccato mortali, et deberet exspectare per biduum, imo etiam per diem. 4° Si censeatur complex cessisse juri ad famam suam, puta si frater peccavit cum sorore, quam scit sejungi non posse a comitatu matris, ut alium adeat Confessarium. 5° Si cui solito quotidie celebrare vel communicare, grave esset omittere celebrationem vel Communionem. 6° Si quis difficulter alteri, quam consueto Confessario, conscientiam aperiret. 7° Si alias privaretur jubilæi vel indulgentiæ beneficio. 8° Sæpe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum et virorum Confessario, qui hos novit; id enim communiter faciunt ad consilium petendum, vel ad leniendum dolorem; alioquin nimis durum ipsis foret semper alios Confessarios adire. 9° Si quis propter consolationem, quam accipit ab amico vel docto Confessario, nollet alium quærere; probabiliter enim nonnisi veniale est manifestare crimen proximi sui uni alterive viro probo, a quo veniali præfata causa satis excusat. (*n.* 490.) Vix ergo deerit causa excusans.

§ III. *Reliquæ conditiones confessionis.*

197. — Solent plures assignari, e quibus tres specialiter tangemus. In primis debet esse confessio *vocalis*, cum fieri potest, propter Ecclesiæ consuetudinem, quæ per se obligat graviter. Excusat impotentia, sive physica sive moralis; quæ si adsit, fieri potest nutibus, gestibus, scripto, prout in mutis, et moribundis sensibus destitutis fieri solet. Item, si quis ob anxietatem loqui non possit, vel ob impedimentum linguæ prægravem difficultatem confitendi voce experiatur, aut ob summam verecundiam aliter sese explicare nequeat, ut in puella accidere potest, satis erit quod in scripto peccata sua legenda tradat Confessario, quibus ab eo lectis, pœnitens dicat: *De his omnibus me accuso.* Recole dicta *n.* 196. *qu.* 7. (*n.* 493.)

Notandum hoc loco est, neque confessionem fieri posse per litteras aut per internuntium Sacerdoti *absenti*, neque absolutionem pœnitenti *absenti* tribui posse. Constat ex Decreto Clementis VIII 20 Jul. 1602, quo damnavit propositionem: »Licere per litteras seu internun»tium Confessario absenti peccata sacra»mentaliter confiteri, et ab eodem absente »absolutionem obtinere." Quamvis autem hæc propositio damnata videatur in sensu copulativo, falsa tamen est etiam in sensu diviso, ut declaravit Paulus V die 14 Jul. 1605. in Congr. S. Officii. (*n.* 428).

198. — Secunda conditio est, ut sit *secreta*, id est, ut fiat soli Sacerdoti, ex usu Ecclesiæ. Publica confessio solum obligat ex præcepto charitatis sui in bello, naufragio, etc., in quo satis est aliquod peccatum confiteri, si fieri possit, et de cæteris se accusare in genere, ut supra dictum est. (*n.* 494.)

199. — Tertia conditio est, ut sit *vera*, id est, sine mendacio, ita ut, qui Confessarium decipit in materia necessaria, mortaliter peccet, et irritum faciat Sacramentum; quia deceptio judicis in re necessaria gravis inordinatio est. Quod si in materia non necessaria quis mentiatur, non peccat graviter; quia hujusmodi mendacium non est perniciosum, neque graviter injuriosum ipsi Sacramento, siquidem cum illo stare potest vera materia, et dispositio necessaria ad effectum, et alias non decipit Confessorem graviter. *Ita communiter.*

Hinc: 1° Qui negat Confessario peccatum aliquod veniale commissum, aut mortale alias confessum, nonnisi venialiter peccat. Potest tamen aliquando esse mortale, v. g. si quis confiteretur peccatum veniale, quod non commisit, et esset materia totalis Sacramenti; nam tunc redderet absolutionem invalidam: pariter, si negaret mortale alias confessum Confessario legitime de eo interrogante, juxta dicta n. 192. in fine.

2° Peccat graviter, qui scienter confitetur peccatum mortale, quod non commisit, aut qui scienter numerum peccatorum mortalium auget; item, qui peccatum dubium scienter confitetur ut certum, aut contra; quia judicium Confessarii in re gravi notabiliter alterat. (*n.* 495—497.)

200. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An graviter peccet pœnitens, si mentiatur circa tempus, quo peccata mortalia commisit?*

Resp. Per se, negat.; quia circumstantia temporis per se ad confessionem minime pertinet, sed est illi extrinseca, non se tenens ex parte peccati, sed ex parte pœnitentis. Esset tamen mortale, casu quo istud mendacium notabiliter alteraret judicium Confessarii, v. g. si peccator habituatus vel occasionarius affirmaret peccata recentia diu ante commissa fuisse. (Lugo. *disp.* 16. *n.* 47. 52. Croix. *lib.* 6. *n.* 1184.)

Quær. 2° *An in confessione, in qua repetuntur peccata præterita, pœnitens debeat necessario distinguere peccata post ultimam confessionem commissa, ab iis quæ jam antea confessus est?*

Resp. Quamvis tutius sit peccata nova ab antiquis secernere, non est tamen *per se* necessarium; quia peccatum idem est, sive illud antea confessus fuerit sive non; neque refert quod peccatum antiquum jam sit remissum, nam peccatum non est materia confessionis, prout est habituale, seu prout habet maculam perseverantem, sed prout est peccatum actuale commissum. *Per accidens* tamen exsistit obligatio distinguendi, si necessarium esset ob occasionem proximam, quæ removenda foret, aut ob casum reservatum, aut ob aliam circumstantiam. (*n.* 425. H. A. *n.* 4. Lugo. *disp.* 16. *n.* 46—49.)

§ IV. *Necessitas iterandi confessionem invalidam.*

201. — Nullitas Confessionum ex parte pœnitentis provenire potest 1° ex ignorantia earum veritatum, quæ ex necessitate medii noscendæ sunt; 2° ex defectu examinis conscientiæ, si gravis graviterque culpabilis fuerit; 3° ex voluntaria reticentia peccatorum, si nempe peccatum mortale, numerum vel circumstantiam specificam voluntarie omiserit; 4° ex defectu doloris et firmi propositi; qui defectus potissimum inveniri potest in recidivis, in omittentibus restitutionem, reconciliationem, etc.

202. — **Principia.** I. Si confessio invalida fuit, necesse est peccata in ea declarata iterum confiteri, et sine illis subsequens confessio non erit integra. Ratio est, quia illa peccata non fuerunt per claves remissa; ergo iterum sunt subjicienda clavibus.

II. Confessio non est necessario repetenda, nisi de ejus nullitate moraliter constet. Ratio est, quia, quando actus certo est positus, dubitatur vero num fuerit valide positus, præsumptio atque adeo possessio stat pro actûs valore; unde peccata confessa non necessario sunt iterum confitenda. (*n.* 505. H. A. *n.* 46.)

III. Confessio invalida ex integro iteranda est, si subsequens confessio alteri Sacerdoti fiat. Ratio est, quia hic prioris confessionis nullam notitiam habet; debet autem plenam recipere, ut judicis et medici partes agere valeat.

IV. Si vero repetitio confessionis fiat eidem Sacerdoti, qui de singulis peccatis jam judicavit, et nunc in confuso saltem statûs pœnitentis recordatur, vel sumit notitiam ejus in confuso, satis erit uno verbo de omnibus sese iterum accusare. Ratio est, quia ex unâ parte prior confessio, cum facta fuerit in ordine ad absolutionem recipiendam, atque ad sigillum sacramentale obstringat, vere sacramentalis dicenda est: ex altera parte generalis accusatio conjuncta cum notitia et judicio distincto prius habito, plane sufficit. (*n.* 502. H. A. *n.* 44.)

Ad hanc cognitionem status *in confuso* non requiritur memoria numeri nec variarum specierum, sed sufficit recordatio gravium peccatorum secundum speciem objecti et multitudinem in genere.

203. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quid, si Confessarius recordetur dumtaxat pœnitentiæ injunctæ?*

Resp. Id satis est ad absolvendum; quia ex notitia pœnitentiæ poterit Confessarius formare judicium de statu conscientiæ pœnitentis. Ita Suar. Lugo, Navarr. Vasq. Tal. Laym. Ronc. etc.

Quinimo censent Suar. Lugo, S. Anton. et alii, quod si Confessarius jam prius pœnitentiam imposuerit, sufficit quod recordetur pœnitentem fuisse sibi confessum et judicatum dispositum; quia prior confessio fuit sacramentalis, et Sacerdos imposuit pœnitentiam, judicavitque de dispositione pœnitentis, ergo adsunt omnia requisita. Sed huic sententiæ non acquiescit S. Alph.; quia Confessarius, dum profert sententiam, debet recordari saltem in confuso status conscientiæ pœnitentis.

Notandum porro, quod si Confessarius prius nec imposuisset pœnitentiam, nec haberet nunc notitiam saltem confusam statûs pœnitentis, non potest *licite* absolvere; quia non posset convenientem imponere pœnitentiam. Si tamen absolveret, factâ confessione in communi, *valide* absolveret, quia adsunt omnia essentialia. Ita Suar. Lugo, Laym. Croix, Spor. etc. (*n.* 502. *dub.* 2 *et* 3.)

Quær. 2° *An repetenda sint distincte omnia peccata, quæ quis extra confessionem narravit Sacerdoti?*

Resp. Negant Lugo et Aversa, dicuntque sufficere quod idem Confessarius eorum in confuso recordetur, et pœnitens deinde in communi de illis se accuset; quia posterior accusatio relata ad memoriam, quam habet Confessarius de illis peccatis distincte prius auditis, dat illi sufficientem notitiam.

Verius tamen affirmandum est; quia eo in casu nulla adest sacramentalis confessio: non prior narratio, quippe quæ facta non fuit in ordine ad absolutionem; non posterior generalis accusatio, quia in eâ peccata non sunt sigillatim declarata, quemadmodum requirit Trident. Tum vero Lugonis sententia admitti potest, cum Confessarius, quando pœnitens se accusat de peccatis narratis, *distinctam* eorum haberet notitiam; quia generalis accusatio, relata ad notitiam distinctam Confessarii, æquivalet distinctæ confessioni (*n.* 502. *dub.* 1. H. A. *n.* 44.)

Quær. 3° *An repetenda sit confessio, si Confessarius ante absolutionem oblitus sit peccatorum auditorum?*

Resp. Negat., quando confessio fuit prolixa, aut absolutio per aliquot dies dilata, modo Confessarius recordetur saltem in confuso statûs pœnitentis, juxta supra dicta. *Ita communiter.* (*n.* 502.)

Quær. 4° *Ad quid teneatur pœnitens, si advertat Confessarium aliquod vel aliqua peccata non audivisse ob somnum aut distractionem, vel peccati gravitatem non percepisse?*

Resp. Dist. 1° Si *intra confessionem* id advertat, debet repetere quod Confessarius non audivit. Quod si bonâ fide omittat, valet absolutio, remanente obligatione confitendi peccata non audita: si malâ fide, nulla est et sacrilega confessio.

2° Si, *peractâ Confessione*, id advertat, sed nesciat quodnam fuerit peccatum non auditum, tunc debet totam confessionem repetere, si brevis fuerit; quia tunc de singulis peccatis prudenter dubitari potest num Confessarius hoc peccatum audierit. Secus vero, si longa fuerit, quo casu satis est confiteri quod dubitet num aliquod peccatum Confessor perceperit; ob rationem contrariam, et quia non præsumitur Christus imposuisse præceptum integritatis cum tanto onere, scilicet repetendi omnia peccata in tali casu. *Ita communiter.*

Advertatur insuper, ut Sacramentum validum sit, satis esse quod Confessarius *unum* peccatum audierit, dummodo reliqua non audierit sine gravi culpâ pœnitentis. (*n.* 499. H. A. *n.* 42.)

Quær. 5° *An rustici, pueri, aliive rudes, qui semper in confuso confessi sunt sine specierum et numeri peccatorum expressione, sed bonâ fide, teneantur repetere confessiones sic factas?*

Resp. Negant Tambur. Hurt. Segneri. Attamen, quamvis confessiones illæ fuerint validæ ob integritatem formalem, et peccata directe absoluta, defectivæ tamen fuerunt quoad integritatem materialem, quæ semper supplenda est; quare tenentur, si postea præceptum divinum de confessionis integritate cognoscant, (puta in concione, vel catechismo, vel confessione edocti), peccata

omnia secundum species et numerum, quatenus fieri potest, explicare. *Ita communiter.*

Contendunt Salm. Dicast. Fagund. Henriq. ejusmodi rudes non teneri confessiones repetere, casu quo uniformem vitam duxerunt annis præteritis. Verum censet S. Alph. id solum admitti posse in duplici casu, videlicet 1° quando in principio confessionis pœnitens patefecit præteritarum defectum, et Confessarius, excipiendo ultimi anni confessionem, format simul judicium de annis præteritis; 2° quando, post exceptam ultimi anni confessionem, retinuit distinctam memoriam peccatorum auditorum; quia in hisce casibus potest Confessarius simul distinctum judicium formare de annis præteritis. Secus vero, quando in fine confessionis deprehenderet præteritarum defectum, et novissimæ confessionis memoriam confusam tantum retinuerit, ut sæpe accidit in longioribus implicatisque confessionibus; quia ex unâ parte tenetur pœnitens aliquando peccata sua confiteri sigillatim, quod nunquam fecit, et ex alterâ parte tenetur Confessarius aliquando distinctum formare de peccatis judicium. (*n.* 504. H. A. *n.* 45.)

Quær. 6° *An recidivi cogendi sint ad repetendas confessiones præcedentes?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si post suas confessiones ut plurimum *cito*, puta post biduum aut triduum, et *sine ullâ resistentiâ*, nempe quin ullum medium adhibuerint et quin occasionem removerint, in eadem peccata reciderunt; quia tunc moraliter certum est confessiones fuisse nullas, nam ille, qui in confessione vere dolet et emendationem proponit, saltem per aliquod tempus a peccato abstinet, saltem aliquem conatum adhibet ante relapsum. Utrum autem Confessarius debeat de hâc obligatione monere pœnitentem, qui eam ignorat, dependet a spe fructûs; quâ de re consule dicenda n. 272.

2° *Negat.*, si post suas confessiones per aliquod tempus perseverarunt, vel saltem ante lapsum aliquam resistentiam præstiterunt. Confer Appendicem in fine hujus Tractatûs. (*n.* 505. H. A. *n.* 26.)

ARTICULUS IV.

SATISFACTIO.

204. — Satisfactio sacramentalis est opus pœnale a Confessario virtute clavium impositum ad consequendam remissionem pœnæ temporalis. Alia dicitur *vindicativa*, quæ datur ad castiganda peccata commissa; alia *medicinalis*, quæ datur ad cavenda peccata futura: sæpe autem una eademque est medicinalis et vindicativa.

Agemus 1° de obligatione injungendi satisfactionem; 2° quæ opera sint in satisfactionem imponenda; 3° de obligatione eamdem acceptandi et implendi; 4° de ejusdem commutatione.

§ I. *Obligatio injungendi satisfactionem.*

205. — **Principia.** I. Confessarius tenetur, sub obligatione per se gravi, satisfactionem imponere pœnitenti, cui absolutionem impertit. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 8. ubi expresse docetur. Ratio porro est, quia ut *minister* Sacramenti debet illud integrum efficere; ut *judex* vindicare peccata; ut *medicus* præbere infirmitatis medicamentum ad novæ vitæ custodiam.

Peccat igitur Confessarius, si satisfactionem non imponat, et graviter quidem, si pœnitens peccatum mortale nondum directe remissum confessus est. Ob parvitatem vero materiæ probabiliter peccabit venialiter dumtaxat, ubi levis tantum pœnitentia injungenda esset ob peccata venialia, vel ob mortalia jam directe remissa; quia privare Sacramentum parte integrali levis momenti non est gravis inordinatio. Interdum denique nullum erit peccatum, quando nimirum pœnitens est impotens, ut si est morti proximus, maxime si caret jam sensibus: cæterum, si infirmus utitur sensibus, consultum est aliquam vel levissimam satisfactionem imponere, quam etiam in articulo mortis potest implere, v. g. osculari crucifixum, invocare nomina Jesu et Mariæ, corde saltem. (*n.* 506. 507. H. A. *n.* 47.)

II. Debet Sacerdos satisfactionem gravitati peccatorum et facultati pœnitentis *proportionatam* injungere, quæ non modo *vindicativa*, sed et *medicinalis* sit. Ratio est, quia Sacerdos ut *judex* debet æquitatem servare; ut *medicus* consectari pœnitentis emendationem. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 8., ubi sunt illa verba notanda: »Debent ergo »Sacerdotes Domini, quantum spiritus »et prudentia suggesserit, pro qualitate »criminum et pœnitentium facultate, »salutares et convenientes satisfactiones »injungere, ne, si forte peccatis conni»veant, et indulgentius cum pœnitenti»bus agant, levisima quædam opera »pro gravissimis delictis injungendo, »alienorum peccatorum participes effi»ciantur. Habeant autem præ oculis, ut »satisfactio, quam imponunt, non sit »tantum ad novæ vitæ custodiam et in»firmitatis medicamentum, sed etiam ad »præteritorum peccatorum vindictam et »castigationem."

Ergo graviter peccaret Confessarius, si absque justa causa satisfactionem *in se* levem injungeret pro peccatis mortalibus; quia nec peccata puniret, nec pœnitenti mederetur. Pro peccatis tamen *dubie* gravibus, sive objective sive subjective, non necessario imponenda est satisfactio gravis. (*n.* 516. H A. *n.* 55. Castrop. *tr.* 23. *punct.* 21. *n.* 9. Sporer. *n.* 558.)

Ex dictis consequitur, posse Confessarium justis de causis leviorem satisfactionem imponere; cujusmodi causæ sunt: 1° ob vehementem pœnitentis contritionem; nisi pœnitentia ad medicinam sit necessaria; 2° ob jam præstitam magnam satisfactionem, aut multa bona opera præstari solita; 3° ob tempus jubilæi, vel indulgentiæ plenariæ; 4° ob infirmitatem corporis, de qua monet Rituale Rom.: »Ægris non esse »injungendam gravem pœnitentiam, sed »indicendam tantum illam, quam, si »convaluerint, peragant." Quod si infirmus eleemosynis possit satisfacere, eleemosynæ sunt injungendæ; 5° ob spiritualem infirmitatem pœnitentis, ob quam censetur satisfactionem *proportionatam* non impleturus, aut Confessionem aversaturus; secus enim satisfactio non foret salutaris, quia in hoc Sacramento magis intenditur salus pœnitentis, ejusque emendatio, quam satisfactio pro pœnâ, quandoquidem, si peccator plene non satisfecerit, in purgatorio solvet usque ad novissimum quadrantem. Quamobrem Confessarius non debet permittere, ut pœnitens recedat sine absolutione, eo quod nollet aut ægre ferret proportionatam pœnitentiam, sed potius imponat satisfactionem, dummodo *in se* gravis sit, quam ille libenter suscipiat, et verosimiliter impleturus sit. (*n.* 507—510. H. A. *n.* 49. 50.)

206. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Confessarius possit imponere pœnitentiam absque præcepto et obligatione, sed solum de consilio implendam?*

Resp. Nonnulli affirmant; sed eorum sententia omnino improbabilis est; 1° quia Trid. *cit. cap.* 8. potestatem injungendi pœnitentiam deducit ex potestate clavium ad ligandum; sed pœnitentia imposita per modum consilii non ligat pœnitentem; ergo non oritur ex potestate clavium; 2° quia Sacerdos imponit pœnitentiam tamquam judex, ut puniat pœnitentem; judex autem non punit, nisi per pœnam coercitivam, quâ obligat reum ad subeundam eam. Ita Lugo, Vasq. Coninc. Turrian. etc. (*n.* 518.)

Quær. 2° *An possit Confessarius pro culpis gravibus gravem pœnitentiam imponere, sed sub obligatione levi?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia Confessarius non obligat per seipsum, sed ut gerens personam Dei, et juxta institutionem Sacramenti, cujus vim ipse minister temperare non potest. Ita Lugo, Renzi, Bonac. Coninc. Nugno.

2ª Sententia communior et valde probabilis affirmat; quia Confessarius, quamvis fungatur vicibus Christi, est tamen a Christo constitutus verus judex et legislator, qui ex potestate sibi traditâ solvit remittendo peccata, et ligat imponendo præcepta circa obligationem satisfactionis implendæ; unde hujus obligationis gravitas oritur, non ex vi Sacramenti, sed ex præcepto Confessarii. Ita Suar. Medin. Filliuc. Segneri, Tamb. Dicast. Fagund. Viva, etc. — Hæc de potestate. Interim Confessarius perperam ageret, si hanc sententiam in praxim traduceret; nam, ut censet S. Alph., secundum Trident. tenetur regulariter injungere aliquod opus grave, sub obligatione gravi, quamvis sit leve comparate ad numerum et gravitatem peccatorum. Præfata igitur sententia ei dumtaxat usui esse potest, ut Confessarius, postquam imposuit aliquam pœnitentiam gravem sub gravi, aliam graviorem adjungat sub levi, quam si pœnitens impleat, sacramentaliter satisfacit, sin

minus, non gravatur culpâ gravi. Et hæc quidem est optima praxis, siquidem eo pacto omnia opera injuncta elevantur ad meritum satisfactionis sacramentalis, et pœnitenti fragili non injiciuntur laquei. (*n.* 518.) Nostra ætate, ob religionis defectum, praxis illa raro adhiberi poterit.

QUÆR. 3° *An tempore jubilæi, vel indulgentiæ, possit Confessarius nullam injungere pœnitentiam?*

Resp. Quamvis multi affirmaverint, omnino tamen negandum est, ut constat ex Constit. Benedicti XIV *Inter præteritos.* 3 Dec. 1749. § 65., ubi priorem sententiam reprobat; et ratio est, quia non licet Sacramentum mutilare; cui accedit quod nullus certus sit se plenam indulgentiam plene lucrari. Obligationi Confessarii correspondet obligatio pœnitentis injunctam pœnitentiam implendi. (*n.* 519.)

QUÆR. 4° *Quando debeat imponi satisfactio?*

Resp. Etsi possit immediate post absolutionem injungi, rectius tamen ante absolutionem imponitur; tum quia hæc est Ecclesiæ consuetudo; tum quia ordo judicii suadet ut pœnitens satisfactionem spondeat priusquam absolvatur. *Ita communiter.* (*n.* 514. *in fine.*)

QUÆR. 5° *Quæ satisfactio censenda sit in se gravis?*

Resp. Ex praxi hodiernâ Ecclesiæ, ea censenda est in se gravis, quæ respondet operi, quod sub gravi ab Ecclesiâ injungitur, vel quod sub gravi ex se obligaret, si præciperetur. Ratio, quia satisfactio præcepti rationem habet. Hinc satisfactio gravis est auditio Missæ, dies jejunii, Rosarium quinque decadum, Officium parvum B. Virginis, et similia. Levis erit psalmus *Miserere.* (*n.* 515.)

§ II. *Opera in satisfactionem imponenda.*

207. — Opera satisfactionis communiter solent distingui in jejunium, eleemosynam, et orationem, eo sensu nimirum, ut ad hæc quodammodo reducantur. Sic omnes afflictiones corporis reducuntur ad jejunium; opera vero misericordiæ ad eleemosynam; et denique ea, quæ spectant ad cultum Dei, reducuntur ad orationem. Quocirca advertendum, in præsenti statu naturæ lapsæ omne opus bonum quodammodo afflictivum esse et pœnale. (*n.* 514. H. A. *n.* 53.)

208. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An possit imponi opus internum?*

Resp. Negant aliqui; quia satisfactio, utpote pars Sacramenti, debet esse sensibilis. Sed communis sententia merito affirmat; quia satis fit sensibilis per impositionem Sacerdotis, ac acceptationem pœnitentis, quemadmodum contritio fit sensibilis per confessionem. (*n.* 514. *dub.* 1.)

QUÆR. 2° *An possit imponi opus applicandum defunctis?*

Resp. Nonnulli negant; quia tunc opus non proderit pœnitenti ad satisfaciendum pro seipso, ut tenetur. Verum communius et probabilius affirmant; quia quælibet eleemosyna est meritoria, et, licet satisfactio operis applicetur defunctis, satisfactio tamen, quæ resultat ex bonâ voluntate pœnitentis, quâ opus applicat, ipsimet cedit. (*n.* 514. *dub.* 2.)

QUÆR. 3° *An possit injungi abstinentia ab aliquo bono opere, v. g. a Communione?*

Resp. Negant quidam; quia non est opus meritorium. Sed communiter et recte affirmatur; quia potest aliquando esse actus virtutis ex parte piarum animarum, saltem ut experimentum capiatur obedientiæ earum erga Confessarium. Regulariter tamen non expedit talem pœnitentiam imponere; imo nec potest imponi, si forte aliis daretur ansa judicandi quod a Confessario in pœnitentiam fuerit injuncta, juxta dicenda qu. seq. (*n.* 514. *dub.* 3.)

QUÆR. 4° *An possit imponi pœnitentia publica?* [1]

Resp. Dist. 1° Pro peccatis *occultis, negative;* quia foret indirecta revelatio confessionis, idque expresse prohibet Rituale Rom. *tit.* 3 *cap.* 1. *n.* 21.

2° Pro peccatis *publicis*, sunt qui negant, ob eamdem rationem. Sed communiter affirmant; ex *Cap.* 1. *de pœnit. et remiss.* et Trid. *sess.* 24. *cap.* 8. *ref.*, ubi statuitur publico peccatori publicam pœnitentiam esse imponendam, ut scandalum reparetur. Id autem non est contra sigillum; quia manifestatio oritur ex ipso pœnitente consentiente in publicam pœnitentiam, qui imo absolvendus non esset, si nollet acceptare, dum ad eam teneretur. Interim ea non est injungenda, præsertim reluctanti, nisi *necessaria* sit ad scandali reparationem, v. g. ad restituendum honorem publice inhonorato. Cæterum ut plurimum scandalum tolli potest per publicam vitæ emendationem, puta si publice quis Sacramenta frequentet, ecclesias devote visitet, Missam audiat, nomen det piæ Confraternitati, etc. (*n.* 512.)

QUÆR. 5° *An possit imponi opus alias debitum ex præcepto?*

Resp. Communis sententia merito affirmat, contra paucos; quia, cum opus ejusmodi sit satisfactorium, potest per claves elevari ad satisfactionem sacramentalem. Hoc tamen faciendum non est, nisi, spectatâ fragilitate pœnitentis, id convenire censeatur. Præterea, quando Confessarius nihil explicat, intelligitur injunctum opus ultroneum; quia regulariter hæc est intentio Confessarii. Quandoque tamen ex circumstantiis colligitur alia intentio, sic v. g. si Confessarius imponat auditionem Missæ quotidie per mensem, non est obligatio audiendi duas Missas diebus dominicis, ut satis communiter tradunt DD. (*n.* 513. *dub.* 1.)

QUÆR. 6° *Si statim post absolutionem pœnitens confitetur peccatum oblitum, a quo denuo absolvi debet, an sufficiat eamdem illi imponere pœnitentiam?*

Resp. Sunt qui affirmant, ob rationem allegatam in præcedenti quæstione. Ita Bonac. Croix, Lugo, *disp.* 14. *n.* 28.

Sed merito negant alii; quia præfata ratio non valet pro opere jam præcepto eodem titulo satisfactionis sacramentalis. Sufficit tamen eo casu injungere levem pœnitentiam. Ita Palaus, Candid. Roncag. (*n.* 513. *dub.* 2. H. A. *n.* 47.)

E converso, si post pœnitentiæ impositionem, sed *ante* absolutionem, pœnitens peccata oblita subjicit, necesse non est novam satisfactionem adjungere; quia tunc non datur duplex Sacramentum integrandum.

209. — **Resolutiones.** Non abs re erit referre hoc loco aliquas satisfactionum species, quas prudentia suadet ut Confessarius vel non imponat, vel contra, attentis circumstantiis, salubriter injungere potest.

I. Non imponat pœnitentias, quæ pœnitentem periculo omissionis vel fastidii exponunt; quare non injungat 1° perpetuas, neque, saltem ordinarie, ad diuturnum tempus, v. g. ad dimidium annum. 2° Nimis onerosas, cujusmodi forent, quæ pœnitentes ludibrio aliorum exponerent; — item jejunia pro pueris, rusticis, opificibus continuo labori addictis; aut filiisfamilias, qui jejunando nimiam admirationem parentibus injicerent, aut etiam eos offenderent; — peregrinationes, prolixæ preces, notabiles eleemosynæ, pro mulieribus sub potestate viri constitutis, pro famulis aut pauperibus; — pueris generatim non imponatur ut veniam petant a parentibus, aut ab aliis, ob inobedientiam, irreverentiam, aut furtula; quia sæpe odiosam reddit Confessionem, et plerumque omittitur. 3° Multis operibus diversis implicatas; quia pœnitentes facile earum obliviscuntur. (H. A. *n.* 52. 54. Gury. *n.* 526.)

II. Pœnitentiæ, quæ opportune imponi possunt, sunt v. g. 1° auditio Missæ, Rosarium, via Crucis, (duo posteriora tamen iis non injungantur, quibus insolita sunt), eleemosyna, Psalmi pœnitentiales, Litaniæ, etc. 2° Singulis diebus per hebdomadam, per mensem, certas preces persolvere, v. g. ter Salutationem Angelicam mane et vespere. (Hanc pœnitentiam cum supplicatione: *Mater mea, adjuva me hodie, ne in Deum peccem,* solebat S. Alph. plerumque injungere, aut saltem consulere, iis, qui hoc exercitium frequentare non consueverant.) 3° Certam aliquam pœnitentiam implere quotiescumque pœnitens in quoddam peccatum relapsus fuerit, v. g. Litanias B. M. V., 5 Pater et Ave, aliquam eleemosynam; multum enim juvat ad coërcendam pravam consuetudinem. Hæc tamen pœnitentia injungenda est solum ad breve tempus, puta ad mensem, ad proximam Confessionem, ob periculum negligentiæ. 4° Ad certum tempus singulo vespere actum doloris elicere, et singulo mane propositum renovare abstinendi a tali peccato. 5° Intra determinatum tempus denuo confiteri, et, si expediat, communicare; nisi tamen obstet periculum omissionis, ut non raro eveniet; quo casu satius est instanter

[1] Vocatur hoc loco publica pœnitentia, quæ ita fit coram aliis, ut ex illâ colligi possit Confessarium illam imposuisse propter grave peccatum.

hortari ad frequentationem Sacramentorum. Quocirca præ oculis habendum est, quod, licet ex se multum prodesset injungere Sacramentorum frequentationem et eleemosynas, experientia tamen docet id iis damnosum evadere, qui hæc bona opera raro exercent. (H. A. *n.* 52. 54)

§ III. *Obligatio acceptandi et implendi satisfactionem.*

210. — **Principia.** I. Pœnitens tenetur acceptare et implere æquam pœnitentiam a Confessario injunctam; quæ obligatio ex genere suo gravis est. Ratio est, quia Sacerdos debet imponere pœnitententiam, ne maneat judicium incompletum, ut diximus supra, ergo et pœnitens tenebitur eâdem ratione acceptare et exsequi sententiam; hæc quippe correlativa sunt.

Dictum est 1° *sub obligatione gravi ex genere suo;* quia ex levitate materiæ erit culpa solum venialis.

Dictum est 2° *æquam pœnitentiam;* quia, si irrationabilis sit, aut nimis onerosa respectu spiritualis debilitatis pœnitentis, et Confessarius nolit eam moderari, probabiliter potest pœnitens, saltem sine culpâ gravi, discedere absque absolutione, et alium adire Confessarium. (*n.* 515. 516.)

II. Tenetur pœnitens implere pœnitentiam tempore præscripto a Confessario: si vero hic nullum tempus præfixerit, non diu eam differre: quapropter, si nimia fuerit dilatio, culpa gravis erit. Ratio est, quia satisfactio est præceptum Confessarii, et solutio debiti. (*n.* 521. H. A. *n.* 57.)

Si pœnitens satisfactionem tempore præscripto non impleverit, ab illâ liberatus non est; quia Confessarius principaliter intendit opus injunctum, et accessorie tempus; tempus ergo præfixum non est ad finiendam obligationem, sed ad urgendam exsecutionem. (*n.* 525.) De dilatione confer qu. 4.

211. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An obliget sub mortali pœnitentia gravis, imposita pro venialibus, vel mortalibus jam confessis?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis et communior affirmat; quia gravitas obligationis non est petenda ex peccato, pro quo imponitur, sed ex materiâ, quæ præcipitur. Ita Lugo, Pal. Bonac. Coninc. Ronc. Conc. Salm. Escob. etc.

2ª Sententia etiam probabilis negat; quia pro materiâ liberâ confessionis nequit Confessarius imponere obligationem gravem satisfaciendi. Ita Navarr. Suar. Laym. Dian. Spor., et probabilem censent Lugo, Mazzot. Tambur. Soto, Croix, etc.

Aliquando tamen, ut censet S. Alph. cum aliis, potest Confessarius pro levibus peccatis gravem pœnitentiam imponere, et pœnitens, si absolvi velit, tenetur eam acceptare et implere, si nempe venialia ejusmodi sint, quæ pœnitentem valde disponunt ad mortale; tunc enim potest gravis satisfactio medicinalis præscribi, ut pœnitens amoveatur a periculo labendi in mortale. Idem dicendum pro peccatis mortalibus jam rite confessis, pro quibus potest satisfactio gravis injungi, si pro illis pœnitens dignam non egerit pœnitentiam. (*n.* 517.)

Quæritur 2° *Quid agendum Confessario, si pœnitens nolit acceptare satisfactionem gravem, impositam pro materia necessaria confessionis?*

Resp. Dist. 1° Si pœnitens recuset pœnitentiam *in se* gravem, et absolvi velit cum levi, Confessarius eum absolvere nequit; quia, sicut graviter peccaret Sacerdos imponendo levem pœnitentiam sine justâ causâ pro gravibus culpis, ita peccaret pœnitens volens sine causâ recipere absolutionem cum pœnitentiâ justo leviori; hujusmodi pœnitens arguit etiam defectum contritionis. (*n.* 516. H. A. *n.* 55.)

2° Si recuset tantum pœnitentiam *relative* gravem, id est, proportionatam numero et gravitati suorum peccatorum, Confessarius non debet propterea negare absolutionem, sed satisfactionem accommodare, quantum fieri potest, fragilitati pœnitentis, ut illam libenter suscipiat, et impleat; melius enim est cum parvâ pœnitentiâ, quæ impletur, ducere pœnitentes ad purgatorium, quam cum magnâ, quæ omittitur, præcipitare in infernum. (*n.* 509. 510. H. A. *n.* 55.)

Quær 3° *Quantum obligent circumstantiæ pœnitentiæ impositæ, v. g. ut recitetur Corona flexis genibus, oretur brachiis extensis, et similia?*

Resp. Certo obligant sub veniali. Utrum vero sub mortali, dependet ex levi aut gravi molestiâ, quam affert circumstantia, sive per se, sive respectu pœnitentis. *Ita communiter.* (*n.* 517.)

Quær. 4° *Quanta dilatio satisfactionis sit culpa mortalis?*

Resp. Dist. 1° Si Confessarius determinaverit tempus, non peccat graviter pœnitens, si differat ad paucos dies, habitâ ratione materiæ satisfactionis; v. g. si jejunium feriæ sextæ transferat in sabbatum, aut Confessionem et Communionem intra mensem suscipiendam differat per octo dies; modo tamen ejusmodi pœnitentia non sit medicinalis, ita ut, eâ dilatâ, periculum sit relabendi. Ita probabiliter Pal. Suar. Spor. Holzm. Conc. Ronc. etc.

2° Si Confessarius tempus non determinarit, gravis est dilatio per sex menses, ut communiter sentiunt DD.: neutiquam vero per mensem, modo pœnitentia non sit medicinalis, ut dicunt Mazzotta et Croix. (*n.* 521. H. A. *n.* 57.)

Quær. 5° *An pœnitentia impleri possit in statu peccati mortalis?*

Resp. Dist. 1° *Valide*, communis sententia affirmat; quia satis est ponere materiam præcepti et Sacramenti, etiamsi finis ejusdem non obtineatur. (*n.* 522. H. A. *n.* 60.)

2° *Licite*, conveniunt DD. non esse mortale. Utrum vero sit veniale, disputatur. Alii negant; quia ponitur tantum obex remissioni pœnæ; alioquin etiam peccatum esset audire Sacrum in statu peccati. Ita Lugo, Avers. Dicast. etc. Alii tamen probabilius affirmant; quia ponere obicem effectui partiali Sacramenti, non potest ab omni culpâ excusari. Ita Suar. Laym. Bonac. Spor. Wig. etc. (*n.* 523.)

Quær. 6° *Ad quid teneatur pœnitens, qui oblitus est acceptæ pœnitentiæ?*

Resp. Nonnulli dicunt eum teneri repetere confessionem, saltem præcipuorum peccatorum, ut aliam pœnitentiam accipiat; quia, quantum commode potest, debet Sacramentum facere integrum. Ita S. Anton. Bonac. Sylv. etc.

Verum communis et forte probabilior sententia negat, etiamsi culpabiliter oblitus fuerit, docetque eo casu cessare obligationem pœnitentiæ; quia ex unâ parte illius impletio facta est pœnitenti impossibilis, ex alterâ parte non videtur exstare obligatio repetendi confessionem peccatorum jam directe remissorum, ut integretur Sacramentum, siquidem gravissimum esset onus. Ita Lugo, Pal. Spor. Croix, Ronc. Salm. Viva, etc.

Merito tamen advertunt DD., pœnitentem teneri, cum commode potest, adire Confessarium suum, si putet illum adhuc memorem esse pœnitentiæ, quam injunxit; quia tunc ejus impletio est adhuc moraliter possibilis. (*n.* 520. H. A. *n.* 59.)

Ad hæc notandum est: 1° Si quis pœnitentiæ oblitus probabiliter putat tale opus sibi fuisse impositum, ad hoc tenetur; quia, qui certus est de debito, tenetur ad satisfactionem *probabilem*, si *certa* impossibilis est. (H. A. *tr.* 6. *n.* 33. *in fine.*)

2° Quando pœnitentes confitentur neglectam pœnitentiam, cum tamen easdem preces ex devotione, pœnitentiæ immemores, recitaverint, tunc debito satisfecerunt, et Confessarius non debet aliam satisfactionem ab eis exigere; quia in omni liberali præstatione quisque præsumitur prius velle satisfacere obligationibus. *Ita communiter.* (H. A. *n.* 58. *Lib.* 3. *n.* 700. *qu.* 2.)

§ IV. *Commutatio satisfactionis.*

212. — **Principia.** I. Injunctam pœnitentiam justâ de causâ commutare et minuere potest solus Confessarius in Confessione. Ratio est, quia potestas circa satisfactionem sacramentalem pertinet omnino ad judicium sacramentale, nec potest extra illud ab aliquo exerceri; actus ergo ille extra Confessionem factus non potest procedere ex potestate clavium, nec consequenter esse validus.

Potest tamen ab eodem Confessario commutatio fieri immediate post absolutionem, quemadmodum de pœnitentiæ impositione dictum est n. 206. qu. 4; quia moraliter perseverat idem judicium sacramentale. (*n.* 528. 529. *dub.* 3.)

II. Commutare pœnitentiam potest non modo idem Confessarius, verum etiam alius æqualem potestatem habens. Ratio est, quia duo Confessarii habent se sicut duo judices succedentes in eodem munere et eodem tribunali; quare unus potest mutare pœnam impositam a prædecessore. (*n.* 529.)

213. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ad commutandam pœnitentiam opus sit*

repetere confessionem, ob quam fuit injuncta?

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si pœnitens confiteatur eidem Confessario; quod quidem certum est, si hic confuse recordetur statûs ejus conscientiæ.

2° Si confiteatur alii Confessario, duplex est sententia probabilis. *Prima sententia* affirmat, quoad præcipua peccata, quantum sufficit ad dandam notitiam confusam statûs conscientiæ; quia 1° Confessarius non potest pœnitentiam commutare, nisi in judicio sacramentali; nequit autem judicium exercere, nisi pœnitens sua deferat peccata; 2° pœnitentia debet esse, non solum vindicativa, sed et medicinalis; nequit autem Confessarius convenientem medicinam applicare, ignoto morbo. Ita Suar. Lugo, Laym. Pal. Tambur. Spor. Salm. Vasq. Croix, etc.

Secunda sententia negat; quia non est ferendum judicium de peccatis confessis, sed tantum de causâ commutandi pœnitentiam, nimirum de pœnitentis impotentia vel fragilitate ad eam implendam. Deinde ex pœnitentiâ impositâ potest Confessarius peccatorum, pro quibus illa imposita erat, materiam conjectare, et aliam pœnitentiam medicinalem imponere juxta præsentem dispositionem pœnitentis. Ita Navarr. Tolet. Bonac. Sa, Dian. Henriq. Rodrig. Villal., etc. et probabilem putant Lugo, Anacl. Spor. Laym. Salm. etc. — Probabile quoque est, quod subjungunt Navarr. Spor. et Tamb., nempe quod si Confessarius advertat pœnitentem non implesse satisfactionem, nec facile impleturum esse, possit, eo etiam non petente, illam commutare. (*n.* 529. *dub.* 1.)

Quær. 2° *An inferior Confessarius commutare possit pœnitentiam a Superiore impositam ob peccata reservata?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia, ablatâ reservatione per primam absolutionem, quivis Confessarius potest de illis judicare, ac proinde pœnitentiam pro illis injunctam commutare. Ita Pal. Elb. Sanch. Bonac. Henr. etc.

2ª Sententia communior recte negat, per se loquendo; quia judex inferior nullatenus potest mutare sententiam Superioris. Ita Suar. Lugo, Gonet, Holzm. Spor. Conc. Coninc. Valent. etc.

Dictum est: *per se loquendo;* quia, quando pœnitens difficulter posset redire ad Superiorem, et gravis adesset causa commutandi pœnitentiam, poterit inferior eam commutare ex merito præsumpta Superioris conniventia. (*n.* 529. *dub.* 2. H. A. *n.* 61.)

CAPUT IV.

FORMA PŒNITENTIÆ.

Agemus 1° de forma hujus Sacramenti in genere; 2° de absolutione sub conditione.

ARTICULUS I.

FORMA IN GENERE.

214. — Hujus Sacramenti forma consistit in verbis voce prolatis: »Absolvo »te a peccatis tuis;" quibus de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur. Ita ex Decreto Eugenii IV ad Armenos, et Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. (*n.* 428. 430.)

Forma absolutionis cum dictis precibus sic traditur in Rituali Rom.: »*Con»fessarius primo dicit:* Misereatur tui »omnipotens Deus, et dimissis peccatis »tuis, perducat te ad vitam æternam. »Amen.

»*Deinde dextra versus pœnitentem »elevata, dicit:* Indulgentiam, absolutio»nem et remissionem peccatorum tuo»rum tribuat tibi omnipotens et mise»ricors Dominus. Amen. Dominus noster »Jesus Christus te absolvat, et ego »auctoritate ipsius te absolvo ab omni »vinculo excommunicationis, suspensio»nis, et interdicti, in quantum possum »et tu indiges. Deinde ego te absolvo »a peccatis tuis, in nomine Patris, ✝ et »Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

»*Si pœnitens sit laicus, omittitur »verbum* suspensionis.

»Passio Domini nostri Jesu Christi, »merita beatæ Mariæ Virginis, et om»nium Sanctorum, quidquid boni feceris, »et mali sustinueris, sint tibi in remis»sionem peccatorum, augmentum gratiæ, »et præmium vitæ æternæ. Amen.

»*In confessionibus autem frequentio»ribus, et brevioribus, omitti potest* »Misereatur, etc. *et satis erit dicere:* »Dominus noster Jesus Christus, etc. »*ut supra, usque ad illud:* Passio Do»mini nostri, etc. (*exclusive, ut decla»ravit S. R. C.* 28 *Febr.* 1847.)

»*Urgente vero aliqua gravi necessi»tate in periculo mortis, breviter dicere »poterit:* Ego te absolvo ab omnibus cen»suris, et peccatis, in nomine Patris, ✝ »et Filii, et Spiritus S. Amen."

Nota. 1° Manus elevata tenetur usque ad *Passio Domini.*

2° Multis in locis mos est, ut ante Confessionem pœnitens petat benedictionem, quam Confessarius ei dat his verbis: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ut rite confitearis peccata tua.*

3° Ex eo quod Conc. Trid. dicat preces *laudabiliter* adjungi, DD. communiter inferunt eas non esse de præcepto, sed de consilio tantum. Convenit tamen omnino, ut Confessarii ab Ecclesiæ consuetudine non recedant. (*n.* 430. *dub.* 3.)

215. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An sufficiant ad essentiam verba:* ABSOLVO TE?

Resp. Controv. 1ª Sententia communissima et probabilior affirmat; quia verba illa, supposita confessione super quam cadunt, satis determinate significant absolutionem a peccatis. Ita S. Thom. S. Anton. Suar. Lugo, Navarr. Caj. Conc. Holzm. Ronc. Spor. etc. cum Catech. Rom. *n.* 19.

2ª Sententia satis probabilis negat; tum quia Concilia, dum dicunt formam esse: *Ego te absolvo*, addunt particulam *etc.*, qua indicant et alia verba necessaria esse, non enim frustra posita est; tum quia sine verbis *a peccatis tuis* non est satis completus sensus locutionis. Neque obstat ratio adversariorum, quia, si valeret, posset etiam omitti pronomen *te*. Ita Palud. P. Soto, Gabr. Maj. Mazzot. Croix, etc.

In praxi sequenda est secunda sententia. (*n.* 430. *dub.* 2.)

Quær. 2° *An sufficiant verba:* ABSOLVO A PECCATIS TUIS?

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilior affirmat; quia pronomen *te* satis exprimitur in verbo *tuis*. Ita Lugo, Wigand.

2ª Sententia negat; quia Concilia expresse apponunt pronomen *te*. Ita Holzm. Conc. Pal. etc. — Hæc sententia est etiam probabilis, saltem ob auctoritatem DD., ac proinde in praxi sequenda. (*n.* 430. *dub.* 1.)

Quær. 3° *An per verba:* ABSOLVO TE *possit Sacerdos absolvere tam a censuris quam a peccatis?*

Resp. Communiter affirmant DD.; quia nihil prohibet quominus verba illa ex intentione Sacerdotis dirigantur ad utramque absolutionem. Id tamen non excusatur a culpa veniali, cum sit contra usum Ecclesiæ; nisi, ut probabiliter plures censent, nulla adsit probabilis suspicio quod pœnitens aliquam censuram incurrerit. (*n.* 430. *dub.* 4.)

Quær. 4° *An possit Confessarius absolvere prius a peccatis quam a censuris?*

Resp. Dist. 1° *Valide, affirm.*, si pœnitens sit in bona fide; quia censura obstat tantum licitæ susceptioni Sacramenti.

2° *Licite, negat.*, si agatur de excommunicatione; quia hæc privat usu Sacramentorum; consequenter Confessarius graviter peccaret contra prohibitionem Ecclesiæ. Secus, si agatur de suspensione aut interdicto, utpote quæ non privant receptione Sacramenti Pœnitentiæ. (*n.* 430. *dub.* 4.)

Quær. 5° *An possit absolutio conferri absenti?*

Resp. Negat., nec licite, nec valide, ut colligitur ex propositione damnata Decreto Clementis VIII. 20 Jun. 1602. Ratio est, tum quia foret contra constantem usum Ecclesiæ; tum quia omnia Sacramenta, quæ peculiarem ritum habent, confici debent in præsentia subjecti, cui conferuntur: excipitur Matrimonium, quia peculiarem ritum non habet, sed ipsemet contractus naturalis ad rationem Sacramenti elevatus est. (*n.* 428.)

Quær. 6° *Quænam præsentia pœnitentis requiratur?*

Resp. Sufficit præsentia *moralis*, qualis censetur ea distantia, intra quam homines communi voce, quamvis altiori, loqui possunt et solent. Hanc distantiam multi extendunt ad 20 circiter passus, præsertim ubi pœnitens non est extra aspectum Confessarii.

Inde colligitur: 1° Si pœnitens nondum absolutus inopinate e confessionali discesserit, absolvendus est, si prope aspiciatur, aut certo sciatur nonnisi paucis passibus abesse; revocandus tamen est, si commode fieri possit.

2° Si Confessarius, ob periculum in-

fectionis, aut ob aliam causam, non posset intrare cubiculum infirmi, potest e janua eum absolvere.

3° Si quando non posset quis nisi eminus absolvi, absolutio sub conditione danda foret. (*n.* 429.)

ARTICULUS II.

ABSOLUTIO SUB CONDITIONE.

216. — **Principia.** I. Si conditio sit *de præterito* vel *de præsenti*, constat inter omnes, absolutionem sub conditione datam validam esse, si conditio subsistat. Invalida vero *semper* est, si conditio sit *de futuro*. Recole dicta n. 8. sub V. (*n.* 431.)

II. Ex justa causa licet absolutionem conferre sub conditione; imo in casu necessitatis, sub gravi oportet illam conferre. *Ita communiter*. Recole dicta n. 14. et 15., et constat ex Declar. S. Inquis. 14 Jun. 1715. [1]

Justa causa censetur adesse, quando ex una parte absolutio *absolute* data exponeret Sacramentum periculo nullitatis, propter prudens dubium de subsistentia alicujus ex requisitis ad valorem Sacramenti; ex altera vero parte, negata absolutione, notabile detrimentum immineret animæ pœnitentis. (*n.* 431.)

217. — **Resolutiones.** Casus, in quibus adest justa causa absolvendi sub conditione, assignantur sequentes. 1° Quando Confessarius dubitat num *absolverit* aut *rite* absolverit pœnitentem peccatum mortale confessum.

2° In dubio utrum talis pœnitens sit *sufficienter præsens*.

[1] Conditionatæ absolutioni nullatenus obstat quod sententia sacramentalis semper nitatur in hac suppositione, pœnitentem esse rite dispositum; tanto magis quod sententia semper ministerialiter proferatur a Confessario, atque, ut efficax sit, divino judicio reapse conformis esse debeat. Respondetur namque: si *gravis* ratio est timendi ne forte sententia Confessarii a divina sententia discrepet, at propter bonum pœnitentis etiam dubia tentanda sunt, *reverentia Sacramento debita* postulat ut conditio expresse addatur, mente saltem, qua Confessarius protestetur se, conditione deficiente, ne *intendere* quidem verba absolutionis in persona Christi proferre. Eadem prorsus obtinet agendi ratio in cæteris Sacramentis, quando sub conditione conferuntur vel iterantur. (Lehmkuhl. *n.* 272.)

3° In dubio an pœnitens sit *vivus vel mortuus*, v. g. si confitendo aut confessus intermoriatur.

4° Si Confessarius dubitet dubio *facti*, an habeat *jurisdictionem*, et adsit necessitas confitendi. Tunc autem monendus esset pœnitens de absolutione sub conditione tantum collata, ut, si postmodum forte innotescat Confessarium revera jurisdictione caruisse, sciat pœnitens se non esse absolutum, adeoque iterare debet confessionem lethalium.

Dictum est: *dubio* FACTI; quia in dubio positivo *juris*, seu cum jurisdictione probabili ex opinione probabili inter Doctores, potest *absolute* absolvi, ut dicemus infra. [1]

5° In dubio de *materia apta*, quod dupliciter contingere potest: a) si adultus, postquam sub conditione rebaptizatus est, statim absolvendus sit; b) si pœnitens pius aliquas tantum imperfectiones confiteatur, de quibus dubitatur an pertingant ad peccata venialia, et non possit materiam certam e vita præterita præbere; tunc nempe probabile est justam subesse causam hujusmodi pœnitentem per intervalla absolvendi sub conditione, ne fructu Sacramenti careat per multum tempus; hoc tamen non sæpius quam semel in mense admittendum est. Cæterum, quando pœnitens non affert materiam certam, non tenetur Confessarius eam exquirere, ut absolvat, et, casu, quo exquisierit nec deprehenderit, non tenetur absolvere sub conditione, cum pœnitens eo casu jus certum nullum habeat ad illam.

6° In dubio de *debita dispositione* pœnitentis, accedente gravi causa. Hoc modo absolvi possunt:

a) Moribundus sensibus destitutus, in dubio num Sacramentum petat.

b) Recidivus in mortalia, si sit in periculo mortis, vel si prudenter timeatur ne ad Confessionem amplius rediturus non sit, et in peccatis tabescat. Hoc tamen admittendum non est, si pœnitens ipse *minetur*, se, nisi absolvatur, rediturum non esse, tunc quippe certum signum præberet indispositionis;

[1] Dubium *facti* hic intelligitur, quod versatur circa factum privatum, v. g. si Sacerdos dubitet num sit sibi delegata jurisdictio, num hæc expiraverit: dubium *juris* intelligitur casus, de quo habetur communis quæstio inter Doctores num liceat in eo absolvere.

dico: *minetur*, secus namque foret, si ita loqueretur ex tædio tantum vel animi abjectione.

c) Pueri et semifatui, in dubio de sufficienti usu rationis aut de cognitione veritatum scitu necessariarum, sub conditione absolvi possunt non solum in mortis periculo, verum etiam quando urget præceptum Ecclesiæ, et maxime quando confessi sunt aliquod peccatum dubie mortale: idque faciendum est, etiamsi recidivi sint; ideo namque differri debet absolutio dubie dispositis, qui perfecta discretione fruuntur, quia spes est fore ut dispositi redeant; sed hujusmodi effectus difficulter sperari potest a pueris et semifatuis. Imo probabiliter idipsum facere licet, saltem post duorum triumve mensium intervallum, quamvis sola venialia confiterentur, ne diu priventur gratia sacramentali, et fortasse etiam sanctificante, ob occultum aliquod mortale peccatum. Tenetur autem Confessarius, quantum fieri potest, ejusmodi pueros et semifatuos instruere et disponere ad absolutionem. (*n.* 432. H. A. *n.* 6. *Prax. Conf. n.* 91.)

d) Sponsi, qui versantur in occasione proxima, aut recidivi sunt, et jamjam inituri sunt Matrimonium, ipsis salutiferum ad emergendum ex occasione et habitu peccati: isti absolvi subinde possunt sub conditione, propter Matrimonium ineundum, quod secus certo profanarent. Inducat tamen illos Confessarius, ut, contracto Matrimonio, brevi ad se redeant.

PARS TERTIA.

DE SUBJECTO HUJUS SACRAMENTI.

Edicemus 1° quis sit subjectum capax hujus Sacramenti; 2° quæ sit obligatio illud suscipiendi.

CAPUT I.

SUBJECTUM CAPAX SACRAMENTI.

218. — Solus et omnis homo, post Baptismum in peccatum formale lapsus, capax est hujus remedii ad vitam spiritualem. Ut quis autem valide et salubriter hoc Sacramentum recipiat, necesse est ut vere contritus et ad pœnitentiam agendam paratus sit, atque peccata commissa clavibus Ecclesiæ subjiciat, seu Sacerdoti jurisdictionem habenti confiteatur; hi enim tres actus, ut supra exposuimus, tres pœnitentiæ partes sunt seu *materia proxima* hujus Sacramenti, simulque *dispositiones necessariæ* subjecti ad licitam ac fructuosam ejusdem susceptionem.

Huc ergo spectaret exponere, quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio; at, cum hæc materia ad officium Confessarii potius pertineat, eam ad Partem quartam hujus Tractatûs remittimus.

CAPUT II.

OBLIGATIO SUSCIPIENDI HOC SACRAMENTUM.

219. — **Principia.** I. Ex præcepto divino, omnibus, qui post Baptismum mortaliter peccarunt, Sacramentum Pœnitentiæ necessarium est necessitate medii ad salutem, in re vel in voto. Est de fide ex Trid. *sess.* 14. *can.* 6. *et cap.* 2. *coll. cum. sess.* 6. *cap.* 6. Ratio est, quia, ex Christi institutione, sine hoc Sacramento reipsa suscepto, vel certe sine ejus voto, quod in perfecta contritione includitur, peccatorum remissio post Baptismum obtineri nequit. Christus enim constituit Sacerdotes judices peccatorum mortalium, committendo ipsis claves cœli, cum potestate ligandi et solvendi peccata; atqui, si fideles sine ipsorum ministerio possent cœlum intrare et solvi a peccatis, frustra talis potestas Sacerdotibus commissa fuisset.

II. Ex præcepto Ecclesiæ, suscipiendum est hoc Sacrameutum semel saltem in anno, ab omnibus fidelibus, qui mortaliter peccarunt. Hoc præceptum explicuimus lib. IV. n. 32. et 33.

220. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quo tempore obliget præceptum divinum Confessionis?*

Resp. Obligat *per se:* 1° in periculo mortis; quia præceptum affirmativum obligare debet saltem tempore necessitatis. Unde obligat periculose ægrotantem; ingredientem periculosam navigationem, vel prælium; mulierem primum parituram, vel quæ solet habere partus dif-

ficiles; reum morti adjudicatum; et quando aliquis probabiliter credit se non amplius habiturum copiam Confessarii per totam vitam. 2º Sæpius in vita, tempore ab Ecclesia determinando; quia hoc Sacramentum non est institutum ut ultimo disponat hominem jam migraturum ex hac vita, sed ad curandos spirituales morbos, et præcavendum ne homo in similes incidat; contra rationem ergo hujus Sacramenti est, ut in finem vitæ reservetur. *Ita communiter et probabilius.*

Obligat *per accidens:* 1º ante susceptionem Eucharistiæ; 2º quando Confessio alicui est medium moraliter necessarium ad superandam aliquam tentationem, et vitandum peccatum mortale; vel etiam, si non conteratur, ne diu differat reconciliationem cum Deo. Recole dicta n. 168. qu. 2. (*n.* 662. 663. 665.)

Quær. 2º *An præceptum divinum Confessionis non obliget statim post peccatum mortale?*

Resp. Negat.; quia natura præcepti affirmativi non est statim obligare, sed certis seu necessariis temporibus; deinde, cum Ecclesia statuerit dumtaxat annuam Confessionem, satis indicavit non esse de jure divino statim confitendum. *Ita communiter.* (*n.* 663.)

Quær. 3º *An propter periculum recidendi in peccata, obligentur fideles ad confitendum sæpius in anno?*

Resp. 1º Communiter non obligantur; colligitur ex præcepto Ecclesiæ, quod alioquin superfluum esset; deinde Confessio non est medium unicum et necessarium ad vitandum periculum peccati, sed sufficit pœnitentia interna, oratio, mortificatio, lectio piorum librorum, et similia.

2º Specialiter vero, si in quopiam homine experientia doceret ipsum nonnisi hoc medio posse vitare periculum proximum relapsûs, per accidens is obligaretur ad frequentius confitendum. (Lugo. *disp.* 15. *sect.* 4). Utrum autem expediat pœnitentem de hac *obligatione* monere, dependat a spe, quam Confessarius adesse censet, fore ut monitio fructum ferat.

PARS QUARTA.

DE MINISTRO HUJUS SACRAMENTI.

De ministro hujus Sacramenti, qui *Confessarius* seu *Confessor* nuncupatur, explicandum est, 1º quis possit hoc Sacramentum ministrare, seu quis sit legitimus ejus minister; 2º quomodo præcipue possit Confessarius potestate suâ abuti; 3º quæ sint Confessarii dotes; 4º quæ ejus officia seu obligationes.

CAPUT I.

POTESTAS MINISTRANDI HOC SACRAMENTUM.

Agendum est 1º de ministro hujus Sacramenti in communi; 2º de ministro ex potestate ordinaria; 3º de ministro ex potestate delegata; 4º de ministro quoad casus reservatos.

ARTICULUS I.

MINISTER HUJUS SACRAMENTI IN COMMUNI.

221. — De fide est, solos Sacerdotes esse Sacramenti Pœnitentiæ ministros. Ita ex Trid. *sess.* 14. *can.* 10. Ut autem Sacerdos valide hoc Sacramentum administret, præter potestatem *Ordinis*, quam a Christo immediate recepit, et qua aptus exsistit ad Sacramentum conficiendum, etiam requiritur ut ab Ecclesia accipiat *jurisdictionem*, quemadmodum declaravit Trid. *cap.* 7: »Quoniam »natura et ratio judicii illud exposcit, ut »sententia in subditos duntaxat feratur, »persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, »et verissimum esse Synodus hæc con»firmat, nullius momenti absolutionem »eam esse debere, quam Sacerdos in eum »profert, in quem ordinariam aut subde»legatam non habet jurisdictionem."

Jurisdictio in foro sacramentali est potestas, qua Sacerdos ut legitimus judex in alterum sibi subditum sententiam valet proferre, ipsius peccata remittendo vel retinendo. *Ordinaria* est ea, quæ habetur ex Officio aut Beneficio, cui animarum cura adnexa est: *delegata* est, quæ habetur ex commissione illius, qui ordinaria jurisdictione pollet.

ARTICULUS II.

MINISTER HUJUS SACRAMENTI EX JURISDICTIONE ORDINARIA.

222. — Ordinaria jurisdictio iis competit, qui ex officio sunt Pastores animarum. Eam igitur habent 1º Summus Pontifex in omnes fideles; 2º Episcopi in suos diœcesanos; 3º Parochi in suos parochianos, sive hi laici sint, sive Clerici, vel etiam Sacerdotes; 4º Prælati Regulares in suos subditos. Quibus adde tum Vicarium Generalem Episcopi, quippe qui in iis, quæ jurisdictionis sunt, Ordinarius censetur, atque unum idemque tribunal cum Episcopo constituit; tum Canonicum Pœnitentiarium, utpote qui quasi Parochus totius diœcesis est, habetque jus audiendi diœcesanorum confessiones, non ex speciali Episcopi commissione, sed a lege, id est a Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 8. *ref.*, ideoque Ordinarius censeri debet. (*n.* 557. 558. H. A. *n.* 81.)

Notandum superest: 1º Parochi et Episcopi possunt etiam extra propriam diœcesim subditos absolvere, quamvis ab Episcopo loci approbationem non obtinuerint. Constat ex Declaratione S. C. C. 3 Dec. 1707, et ratio est, quia actus jurisdictionis gratiosæ exerceri potest in quovis territorio. (*n.* 548. H. A. *n.* 79.)

2º Parochi *de jure* solum censendi sunt approbati pro territorio sui Beneficii; adeoque in aliis diœcesis partibus confessiones *alienorum* excipere non possunt; nisi aliter constet de Episcopi loci consensu. Constat ex Declaratione S. C. C. apud Bened. XIV. *Instit.* 86. *n.* 14. (*n.* 544.) Possunt tamen in Parochia sua excipere confessiones peregrinorum ad se convenientium; quia in parochia sua sunt Confessarii approbati. Vide infra n. 229. qu. 5.

3º Jurisdictio ordinaria *amittitur* a) per amissionem Beneficii vel Officii, cui adnexa est; b) per excommunicationem et per suspensionem, si censuratus *vitandus* est. Per alias autem excommunicationes aut suspensiones tantum impeditur *licitus* jurisdictionis usus, ut infertur ex Extravag. Martini V *Ad vitanda.*

Nota. Quæstiones quandonam Ecclesia suppleat defectum jurisdictionis, vide infra n. 226. qu. 3. et 4.

ARTICULUS III.

MINISTER HUJUS SACRAMENTI EX JURISDICTIONE DELEGATA.

Jurisdictio alio modo delegatur in articulo mortis, alio extra illud; unde de singulis seorsim tractabimus.

§ I. *Delegatio jurisdictionis in articulo mortis.*

223. — In articulo mortis, si approbatus desit Confessarius, jurisdictio *a jure* delegatur cuilibet Sacerdoti, ut quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis absolvere possit. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7., ex Rituali Rom., et perpetuâ Ecclesiæ consuetudine, ne hâc occasione aliquis pereat.

Quæstiones. Quær. 1º *An hæretici, schismatici, et excommunicati vitandi possint absolvere in articulo mortis?*

Resp. Affirm., si alius Sacerdos desit; quia verba Concilii »*omnes Sacerdotes,*" nullam patiuntur exceptionem. *Ita communiter.* (*n.* 560.)

Quær. 2º *An quilibet Sacerdos possit absolvere non solum in articulo, sed etiam in periculo mortis?*

Resp. Verior et communior sententia, contra paucos, affirmat; tum quia hæc duo in jure assimilantur, tum quia in morali periculo mortis obligat divinum præceptum confitendi, atque adeo adest casus necessitatis. — Hujusmodi autem periculum censetur adesse in morbo periculoso, in operatione chirurgicâ periculosâ, in partu difficili, ante longam navigationem, in prælio, et similibus. (*n.* 561.)

Quær. 3º *An simplex Sacerdos possit valide absolvere moribundum, etiam præsente Confessario approbato?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia verba Concilii universalia sunt, absque ullâ restrictione. Ita Sa, Sayr. Navarr. Barbos. Villal. Dian. Comit. etc.

2ª Sententia communissima et tenenda negat, per se loquendo. Probatur 1º ex Rituali Rom., ubi id expresse declaratur; Rituale autem, ut testatur Paulus V in Bulla confirmationis, continet antiquos Ecclesiæ usus. 2º Ex Conc. Trid.; præbet namque facultatem omnibus Sacerdotibus absolvendi in articulo mortis, *ne*

quis pereat; præsente autem alio Sacerdote approbato, non adest salutis periculum: accedit, Concilium non condidisse jus novum, sed innovasse perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, quæ qualis fuerit, docet Rituale Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 1. Idem confirmatur ex Catech. Rom. *de Pœnit. n.* 72.

Excipe, si approbatus 1° nollet aut non posset audire confessionem; id enim perinde est ac si abesset; 2° si esset nominatim excommunicatus aut suspensus; 3° si superveniret, incœptâ jam confessione; quia compleri debet judicium jam inchoatum; 4° si esset complex infirmi in peccato turpi; 5° si a moribundo ita respueretur, ut ille esset in periculo ei sacrilege confitendi; tunc enim periculum est ne pereat, ut ait Trid. (*n.* 562. 563.)

§ II. *Delegatio jurisdictionis extra mortis articulum.*

Jurisdictio extra mortis articulum delegatur mediante *approbatione* Superioris. Agemus primo loco de approbatione respectu sæcularium, indagando 1° ejus notionem; 2° necessitatem; 3° consecutionem; 4° exspirationem. Deinde 5° de approbatione respectu Regularium; 6° de eâdem respectu Monialium.

Punctum I.

Notio approbationis respectu sæcularium.

224. — Hâc de re decrevit Conc. Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *ref.* »Nullum, etiam »Regularem, posse confessiones sæcula»rium, etiam sacerdotum, audire, nec ad »id idoneum reputari, nisi aut parochiale »beneficium, aut ab Episcopis per exa»men, si illis videbitur esse necessarium, »aut alias idoneus judicetur, et approba»tionem, quæ gratis detur, obtineat; »privilegiis et consuetudine quâcumque, »etiam immemorabili, non obstantibus."

Nomine approbationis plerique Theologi intelligunt Episcopi testimonium authenticum de Sacerdotis alicujus idoneitate ad excipiendas confessiones. Hoc sensu approbatio non est jurisdictionis collatio. — Atvero in sensu, quo Concilium Trid. hanc vocem usurpat, approbatio dicenda videtur facultas audiendi confessiones, ab Episcopo facta Sacerdoti, qui idoneus judicatus est. Probatur 1° ex verbis Concilii; dicit enim nullum posse confessiones audire, nisi aut parochiale beneficium aut approbationem obtineat; atqui, præter hæc, aliud quidpiam quo jurisdictio obtineatur, nusquam exposcitur; ergo approbatio, haud secus ac parochiale beneficium, est conditio unica quâcum potest Sacerdos confessiones audire. 2° Ex Constitutionibus Pontificiis, in quibus approbatio passim vocatur *licentia* seu *facultas audiendi confessiones.*[1] 3° Ex communi usu loquendi, juxta quem Sacerdos approbatus idem sonat ac jurisdictione præditus. Consonant denique Bened. XIV. *De Syn. lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 7. — *Instit.* 84. *n.* 14. *seqq.* — *Instit.* 86. — S. Carolus Borrom. *Concil. provinc. I. part.* 2. — *VI. part.* 3. — *Actor. part.* 6. *Instruct. Confess.* — *part.* 8. *formulæ.* — Fagnanus. *In V Decret. de pœnit. cap. Omnis. n.* 84. — Roncaglia. *tr.* 19. *qu.* 5. *cap.* 1. *qu.* 4. — Billuart. *dissert.* 6. *art.* 5. — Wirceburgenses. *cap.* 8. *art.* 2. — Theol. Mechlin. *n.* 68.

Huic sententiæ conformis est praxis Episcoporum, qui solent approbando conferre jurisdictionem.

Punctum II.

Necessitas istius approbationis.

225. — Episcopi approbatione pro excipiendis sæcularium confessionibus indigent omnes, qui actu non habent parochiale beneficium in loco ubi confessiones audiunt. Recole dicta n. 222. — Unde eâ indigent etiam Episcopi et Parochi, 1° quando amiserunt suum beneficium; 2° quando versantur extra propriam diœcesim vel parochiam et agatur de Confessione non-subditorum. In multis diœcesibus solent Episcopi Parochis conferre approbationem pro totâ diœcesi.

Ex dictis etiam colligitur facultatem eligendi Confessarium intelligendam esse de approbato juxta Concilium. (*n.* 565. H. A. *n.* 85.)

Denique notamus, ad excipiendas sæcularium confessiones, ex nostrâ sententiâ, Regulares accipere jurisdictionem, non a S. Pontifice, ut multi contendunt, sed ab Episcopo. Consequitur ex dictis n. 224, ex Declar. S. C. Ep. et Reg. 2 Mart. 1866;[1] et liquet ex *Extrav. comm. cap.* 2. *de sepult.*, ex *Clement. cap.* 2. *de sepult.*, et ex *Extrav. comm. cap. un. de judic.*; etenim in hisce capitibus tum solum S. Pontifex jurisdictionem concedebat, cum Episcopus Regulari debite præsentato eam negabat;[2] ergo extra repulsæ casum jurisdictio ab Episcopo emanabat; porro privilegium, quo S. Pontifex in casu repulsæ jurisdictionem concedebat, abrogavit citatum decretum Trid., et inde prop. 13. damn. ab Alex. VII: »Satis»facit præcepto annuæ Confessionis, qui »confitetur Regulari Episcopo præsen»tato, sed ab eo injuste reprobato." Ergo post Trid. Regulares non accipiunt jurisdictionem a S. Pontifice, neque in neque extra casum reprobationis.

226. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An sufficiat approbatio præsumpta?*

Resp. Negat; quia ex Trid. requiritur approbatio actu obtenta. Sufficit tamen approbatio tacita, signo externo manifestata, v. g. si quis, Episcopo vidente vel sciente, et non contradicente, confessiones audiret.

Nec etiam sufficit approbatio per litteras petita, et nondum recepta, etsi certo obtinenda videatur. *Ita communiter.* (*n.* 570. H. A. *n.* 83.)

Quær. 2° *An requiratur approbatio ad absolvendum a peccatis venialibus, et mortalibus antea confessis?*

Resp. Olim DD. communiter censuerunt eam non requiri, ex receptâ consuetudine, vi cujus Ecclesia delegat jurisdictionem. At, post decretum Innocentii XI, 12 Febr. 1679, affirmandum est; hoc enim Decreto interdicitur Sacerdotibus audire confessionem venialium sine approbatione Episcopi; ergo non præsumitur Ecclesia eis conferre jurisdictionem. (*n.* 543. 582. H. A. *n.* 76. 132.)

Quær. 3° *An Ecclesia aliquando suppleat defectum jurisdictionis in Sacerdote, dum nempe hic nullam habet?*

Resp. Dist. 1° Quando adest *error communis* in populo[1], *cum titulo colorato*[2] in Sacerdote, certum est apud omnes ab Ecclesiâ conferri jurisdictionem. Colligunt id ex nonnullis Juris textibus; et ratio est bonum commune animarum, ne hujusmodi defectus populo noceat.

2° Quando adest *solus error communis* in populo, sine titulo in Sacerdote, controvertitur. *Prima sententia* communior negat; quia Jura exigunt titulum. Ita Lugo. *De justit. disp.* 36. *n.* 23. Sanch. Less. Coninc. Concin. Navar. Cajet. Covar. etc.

Secunda sententia, quam S. Alph. probabilem censet, affirmat; quia Ecclesia supplet jurisdictionem, non præcipue ratione tituli, sed ob bonum publicum, quæ ratio in utroque casu prorsus eadem est. Ita Sylvius. *Resol. v. Matrim. n.* 11. Viva, Ronc. Spor. Pont. Dian. Billuart, etc. (*n.* 572.)

Priori sententiæ favet decisio S. C. C. 11 Dec. 1683, apud Bened. XIV. *Instit.* 84. *n.* 22.; et damnum, quod ex hâc sententiâ evenire poterit, tantum non erit, siquidem sine titulo officium Confessarii diu exerceri non poterit, et damnum reparatur subsequenti vel Communione vel Confessione. Recte præterea dicunt plures DD. non esse obligandos fideles ad repetendas Confessiones bonâ fide factas apud Sacerdotem, qui ex communi errore Confessarius reputabatur; quod idem concludit S. C. C. supra cit. propter scandalum vitandum.

3° Quando deest error *communis*, sed adest tantum error *privatus* aliquorum, Ecclesia certo non supplet; quia Ecclesia in suo regimine attendit bonum *commune.* Ita omnes.

Quær. 4° *An sufficiat jurisdictio probabilis ad valide et licite ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ?*

Resp. Tres sunt sententiæ. 1ª Sententia negat; quia ex prop. 1. damn. ab Innoc. XI non licet uti opinione probabili in Sacramentis conferendis. Ita Concin. Antoine, Elizalde.

2ª Sententia communis affirmat, modo

[1] Cfr. Constit. Clementis X *Superna.* 21 Jun. 1670. Innocentii XIII et Benedicti XIII apud Bened. XIV. *Instit.* 86. *n.* 9.

[1] Acta S. Sedis, *vol.* 1. *pag.* 683.

[2] Lugo. *disp.* 21. *n.* 53. Vasquez. *qu.* 93. *art.* 3. *dub.* 3. Diana. *tom.* 1. *tr.* 3. *res.* 24. Salmant. *tr.* 6. *cap.* 11. *n.* 95.

[1] Quando nimirum populus putat Sacerdotem jurisdictione pollere.

[2] Titulus *coloratus* dicitur, qui legitimus apparet, eo quod fuerit a legitimo Superiore collatus, sed vel ob occultum vitium invalidus est, vel occulte amissus.

jurisdictio probabilis sit *probabilitate juris*, i. e. ex opinione vere probabili, gravi fulcita ratione et auctoritate; quia hæc est universalis consuetudo fere omnium Confessariorum; consuetudo autem præbet jurisdictionem, ut tradunt omnes, et constat ex Jure can.; proinde Sacramentum nulli periculo exponitur, cum hoc in casu jurisdictio, quamvis speculative dubia, practice certa sit. Unde nec obstat prop. damn., quippe quæ tangit opiniones circa ea, in quibus nihil potest Ecclesia, id est, circa materiam et formam, non autem circa jurisdictionem, quam Ecclesia supplere potest, et hoc in casu moraliter certo præsumitur supplere ob bonum animarum.

3ª Sententia, quam amplectitur S. Alph., admittit secundam sententiam cum eo temperamento, ut non *liceat* sic absolvere, nisi gravis vel rationabilis causa adsit; quia, quamvis Ecclesia eo casu ob bonum animarum censeri possit jurisdictionem supplere, non præsumitur tamen, nullâ accedente justâ causâ, velle connivere meræ libertati Sacerdotum. Ita Suar. Holzm. Marchant. Gob. Wigandt, Spor. Elb. etc.

Justa causa subest e. g. 1º si pœnitens præcipue istius Confessarii auxilio indigeat. 2º Si complex pœnitentis sit notus Confessario habenti jurisdictionem certam, et ignotus habenti probabilem. 3º Si urgeat præceptum Confessionis, aut singularis indulgentia lucranda sit, vel si pœnitens diu confiteri non possit, et deesset Confessarius certam jurisdictionem habens. 4º Si, jam cœptâ confessione, oriatur dubium de jurisdictione circa unum alterumve peccatum confessum; quia secus pœnitens cogeretur confessionem apud alium iterare, quod grave onus esset. *Ita præfati AA.* (*n.* 573. 600. H. A. *n.* 91.)

QUÆR. 5º *An liceat Sacramentum ministrare cum jurisdictione dubiâ* DUBIO FACTI?

Resp. Non licet, nisi urgente aliquâ necessitate; quia valor absolutionis dubius esset. Recole dicta n. 216. et 217.

Punctum III.

Consecutio approbationis.

Indagandum est 1º a quo obtinenda sit; 2º an possit ab Episcopo negari vel limitari.

1. *A quo obtinenda sit?*

227. — Concilium declaravit approbationem ad Episcopum pertinere; quocirca duo oportet enodare: 1º quis nomine Episcopi intelligendus sit, 2º cujus Episcopi approbatio postuletur, nimirum an Episcopi loci, an Confessarii, an vero pœnitentis.

I. Quoniam actus approbandi non est actus *Ordinis Episcopalis*, sed *Jurisdictionis ordinariæ*, sequitur nomine Episcopi comprehendi omnes, qui habent ordinariam jurisdictionem episcopalem in populum fidelium. Hujusmodi autem sunt: 1º Episcopus electus et confirmatus, etsi nondum consecratus; quia jam habet jurisdictionem; secus, si sit tantum electus, non confirmatus. 2º Vicarius Generalis Episcopi, siquidem tanquam unus cum Episcopo censetur, cujus jurisdictionem exercet; constat præterea ex Constit. Clementis X *Superna*. 3º Vicarius Capitularis, Sede vacante; quia succedit Episcopo in jurisdictione episcopali. 4º Vicarii Apostolici; quia constituti sunt a Pontifice loco Episcoporum, et cum jurisdictione episcopali. 5º Abbates nullius diœcesis, ob eamdem rationem. (*n.* 547. 558.)

228. — II. Olim controversia erat inter DD. cujusnam Episcopi approbatio postuletur; lis autem dirempta est Decretis SS. Pontificum, cumprimis Constit. Innocentii XII *Cum sicut*. 19 April. 1700, et Benedicti XIV *Apostolica indulta*. 3 Aug. 1744. Virtute horum Decretorum requiritur et sufficit approbatio Episcopi *loci*, in quo fit confessio, quâcumque aliâ approbatione minime suffragante. — Hâc approbatione indigent Confessarii tam sæculares, quam Regulares, quicumque sint. (*n.* 548.)

Ex hâc disciplinâ Ecclesiæ consequitur, in foro Sacramenti Pœnitentiæ Confessarios et pœnitentes subjici jurisdictioni judicis, in cujus territorio vel illi Sacramentum ministrant, vel hi illud suscipiunt.

229. — **Quæstiones.** QUÆR. 1º *An Episcopus Sacerdotem extraneum approbare possit?*

Resp. Affirm., ad excipiendas confessiones in suâ diœcesi; quia ex Decreto Innocentii XII, in ordine ad hoc munus Sacerdos subditur Episcopo diœcesis, in quâ versatur; constat insuper ex praxi universali Ecclesiæ.

QUÆR. 2º *An Parochus possit adsciscere Parochum alterius diœcesis ad audiendas confessiones in suâ ecclesiâ?*

Resp. Sunt qui affirmant; quia ex Trid. parochiale beneficium reputatur approbatio universalis pro totâ Ecclesiâ. Ita Pal. Lugo, Conc. Suar. Vasq. etc.

Sed probabilius negandum est, sine approbatione Episcopi loci; quia ordinaria jurisdictio, quam confert parochiale beneficium, se extendit tantum ad parochiam vel parochianos; sic quoque declaravit S. C. C. 3 Dec. 1707. Ita Barbosa, Bonac. Croix, Laym. Garz. Bened. XIV. etc.

Consuetudine tamen multis in locis receptum est, ut in confinibus diversarum diœcesium Parochi accersant vicinos alterius diœcesis Parochos, ut opem sibi ferant in confessionibus excipiendis; hujusmodi autem consuetudo, nota Episcopis, jurisdictionem confert ex tacitâ Episcoporum approbatione. (*n.* 544. H. A. *n.* 77.)

QUÆR. 3º *An Parochus possit adsciscere alium Parochum ejusdem diœcesis?*

Resp. Affirmant communius; quia Trid. in habente parochiale beneficium non requirit aliam approbationem Episcopi.

Sed probabilius negandum, sine approbatione Episcopi; ob rationem adductam in præcedenti quæstione, et quia ita declaravit S. C. C. Unde sententia opposita locum solum habet, ubi viget consuetudo, quæ jurisdictionem conferre valet ex tacitâ Episcopi approbatione. (*n.* 544. *dub.* 2. H. A. *n.* 78.)

QUÆR. 4º *An omnes Sacerdotes ab Episcopo approbati possint confessiones audire sine licentiâ Parochi?*

Resp. Affirm., idque etiam tempore paschali, et invito Parocho; quia ex Trid. sufficit Episcopi approbatio. Quinimo neque Episcopus id prohibere valet, ut resolvit S. C. Episc. 3 April. 1584: »Decretum Episcopi, in quo habetur quod nullus Confessarius etiam »ab Ordinario approbatus possit tempore »paschali confessiones alicujus audire »sine licentiâ proprii Curati, nullo modo »est observandum, cum satis valide fa»ciat pœnitens, deferendo Parocho fidem »confessionis auditæ a personâ appro»bata." Et recte sane, cum ejusmodi decretum necessariam conscientiæ libertatem tollat, et multorum sacrilegiorum causa esset. (*n.* 564.)

Non liceret tamen, sine veniâ Parochi, confessiones excipere *in Ecclesiâ* Parocho subjectâ.

QUÆR. 5º *An Sacerdos in aliquo loco approbatus, excipere valeat confessiones peregrinorum eo advenientium?*

Resp. Affirm.; ex quo enim Innoc. XII sanxit requiri approbationem Episcopi *loci*, in quo confessiones excipiuntur, nequaquam autem suffagari approbationem Ordinarii sive Sacerdotis sive pœnitentium, sequitur, illam approbationem sufficere, etiamsi pœnitentes non sint subditi Episcopi loci, in quo confessiones fiunt, atque adeo jurisdictionem in pœnitentes, sive diœcesanos sive exteros, emanare a solo Ordinario loci. Accedit universalis consuetudo.

Præterea, quoad Confessarios Regulares, id expresse declaravit Clemens X in Constit. *Superna*. (*n.* 569. H. A. *n.* 87.)

QUÆR. 6º *An Capellani exercituum possint absolvere milites, sine approbatione Episcopi loci?*

Resp. Negat., ut claret ex dictis; nisi habeant approbationem universalem Summi Pontificis, vel, tempore belli in itinere et in castris, ex tacito consensu Episcoporum, ut patet ex consuetudine universali. Constat ex pluribus Declarationibus S. C. C. 6 Mart. 1694. — 29 Jan. 1707. — 18 April. 1722. (*n.* 577. *in fine.*)

QUÆR. 7º *A quo obtinenda sit approbatio, ad absolvendos navigantes in Oceano?*

Resp. A S. Pontifice, vel, ex receptâ consuetudine, ab Episcopo loci, unde suscipitur navigatio; et hæc approbatio durat usquedum Sacerdotes perveniant ad locum, ubi alius Superior ecclesiasticus jurisdictione pollens constitutus sit. Ita S. C. Off. 17 Mart. 1869., approbante Pio IX.

QUÆR. 8º *An Religiosus non approbatus juxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, cum solâ facultate Ordinarii valide excipiat confessiones sæcularium?*

Resp. Affirm.; quia per approbationem Episcopi accepit necessariam jurisdictionem, quam Superior auferre non potest,

quamvis possit prohibere licitum ejusdem usum. Ita S. C. E. et R. 2 Mart. 1866. (Acta S. Sedis. *Vol.* 1. *pag.* 683.)

2. *An possit negari vel limitari?*

230 — **Principia.** I. Non licet Episcopo *pro libitu* negare approbationem Sacerdoti digno eam petenti. Ratio est, quia omnes Sacerdotes ex ipso Sacerdotio videntur jus habere ad petendam approbationem. — Id multo magis valet de Regularibus, cum Ordines, qui vitam mixtam profitentur, ad sacrum ministerium exercendum a Sede Apostolica approbati sint, atque adeo ad finem sui Instituti assequendum jus habeant.

Potest tamen Episcopus *ex justa causa* approbationem negare, si defectus adsit ex parte personæ, sive in doctrinâ, sive in moribus, sive in aliquo alio, quo Sacerdos non judicatur minister idoneus. (Lugo. *disp.* 21. *n.* 49.)

II. Potest Episcopus approbationem concedere, etiam Regularibus, cum limitatione ad certum tempus, locum, aut genus personarum. Constat ex Constit. Clementis X *Superna.* et Benedicti XIII *Pastoralis officii.* atque ex prop. damn. ab Alexandro VII 30 Jan. 1659: »Non »possunt Episcopi restringere vel limitare »approbationes, quas Regularibus conce»dunt ad Confessiones audiendas, neque »illas ullâ ex causâ revocare." (*n.* 552.) Plures namque possunt occurrere justæ causæ approbationem limitandi, nimirum 1° potest aliquis aptus judicari ad audiendos viros, non fœminas; ad audiendas Confessiones in oppido, non in civitate, etc.; 2° potest idoneus judicari propter præsentem necessitatem et concursum pœnitentium, non longiori tempore; 3° potest Episcopus habere notitiam de probitate et scientiâ sufficiente quidem ad approbandum, non tamen sufficiente ad approbandum in perpetuum; 4° si prudenter timeatur, ne, obtentâ semel appobatione perpetuâ, studium negligatur, etc.

Notandum superest de approbatione Regularium: 1° Si Confessarii Regulares reperiantur *absolute* idonei, in doctrinâ, prudentiâ, ac bonitate, sunt absque ullâ limitatione approbandi; secus, si non sint *perfecti* in studio totius Theologiæ moralis et casuum conscientiæ. Constat ex Constit. Clementis X *Superna.*

2° Potestas Episcopi limitandi jurisdictionem ad tempus, intelligitur dumtaxat quoad *durationem;* non ita vero, quasi *excipere* liceret aliquod tempus, v. g. tempus paschale. Constat ex Decreto S. C. C. 22 Sept. 1668.

3° Non licet Episcopis restringere approbationem Confessariorum Regularium respectu *infirmorum;* infirmi enim non sunt speciale genus personarum, siquidem infirmitas attingit omne personarum genus; cui accedit ratio, ne ægrotantes priventur solatio peccata sua aperiendi Confessario, quem optant. Tenentur tamen Regulares exceptæ Confessionis attestationem, in schedulâ scriptum, in ægroti domo relinquere, quâ certior fiat Parochus de peractâ ab infirmo sacramentali Confessione, ut tuto deinde possit cætera Sacramenta eidem conferre. Constat ex Constit. Clementis X. *Superna.* et Declaratione S. C. C. 14 Dec. 1658. (Bened. XIV. *de Syn. lib.* 9. *cap.* 16. *n.* 9.)

Punctum IV.

Exspiratio approbationis.

231. — Exspirat 1° per lapsum temporis, ad quod concessa fuit; 2° per revocationem factam a concedente ejusve successore; 3° per excommunicationem et suspensionem in *vitando;* si vitandus non sit, impeditur tantum licitus jurisdictionis usus.

Quæstiones. Quær. 1° *An approbatio, seu jurisdictio delegata, exspiret morte aut amotione concedentis?*

Resp. Negat., idque firmatur ex praxi, et regulâ generali, quod gratiæ factæ non exspirent finitâ jurisdictione concedentis. Excipe, si concessio facta fuerit cum clausula: *Usque ad beneplacitum nostrum*, vel: *Ad arbitrium nostræ voluntatis.* Recole dicta lib. I. n. 180. qu. 3.

Hæc de delegatione generali. Si namque delegatio fuerit particularis, scil. de audiendâ alicujus tantum Confessione, hæc exspirat morte concedentis, nisi confessio jam incœpta fuerit. (*n.* 559.)

Quær. 2° *An possit Episcopus approbationem semel concessam revocare?*

Resp. Dist. 1° Ex justâ causâ, *affirm.;* quia nullum est jus, quod prohibeat hanc revocationem, neque approbatio habet ex se unde irrevocabilis sit. — Approbatio tamen *illimitata* Confessario Regulari *prævio examine* concessa, revocari nequit, nisi ex novâ superveniente causâ, quæ *Confessiones concernat*, quemadmodum sanxit Clemens X in Constit. *Superna.* — Præterea nequit Episcopus *omnibus simul* unius Conventûs Regularibus Confessoribus approbationem adimere, inconsultâ Sede Apostolicâ. Ita ex cit. Constit.

2° Sine justâ causâ, non potest *licite;* quia non potest a principio juste negare sine causâ; ergo multo minus postea revocare. Utrum autem ejusmodi revocatio etiam foret *invalida*, disputatur; alii negant; alii vero probabile censent eam invalidam esse, quia esset ablatio juris jam acquisiti. Verum hæc sententia vix potest in praxim deduci; quia non potest facile constare revocationem esse omnino injustam, cum revocandi approbationem multæ possint esse causæ justæ apud Episcopum, quæ a Confessario ignorantur; ubi autem hoc aperte non constiterit, semper est pro Superiore præsumendum. Ita Suar. Lugo, Pal. Coninc. Salm. etc. (*n.* 551. H. A. *n.* 75.)

Quær. 3° *An possit Episcopus Confessarios semel approbatos iterum in examen vocare?*

Resp. 1° Potest ad examen vocare omnes, tam Regulares quam sæculares, quos non ipse, sed vel antecessor vel alius approbavit; quia non cogitur ratas habere omnes facultates a prædecessore vel alio concessas.

2° Potest similiter ad examen vocare eos, quos ipsemet quidem approbavit, sed absque prævio examine, vel etiam si adsit justa causa. Ad revocandos Parochos in examen, requiritur ut vehemens adsit eorum imperitiæ suspicio, ut decrevit S. C. C. 15 Jan. 1667. — Nequit vero in examen vocare Regulares, quibus ipsemet prævio examine illimitatam approbationem concessit, nisi novâ superveniente causâ Confessiones concernente. Ita ex Constit. Clem. X *Superna.* et Doctorum sententiâ.

Hinc inferunt multi AA. Vicarium Capitularem non posse Regulares revocare ad examen, nec eos privare facultate excipiendi confessiones; quia Constitutiones Pontificiæ hanc potestatem tribuunt tantum Episcopo. (*n.*552. H. A. *n.* 75.)

Punctum V.

Approbatio respectu Regularium.

232. — Regulares pro excipiendis confessionibus Religiosorum proprii Ordinis non indigent approbatione Episcopi, sed solum sui Prælati Regularis. Ratio est, quia ex quo Prælati Regulares, vi exemptionis a jurisdictione Episcoporum, habent jurisdictionem quasi episcopalem in suos subditos, hæc facultas approbandi ad confessiones competit eis a jure communi et antiquo; nec est revocata a Trid. *sess.* 23. *cap.* 15. *ref.*, quia ibi fit solum sermo de confessionibus *sæcularium;* et expresse habetur ex Decreto Clementis VIII. 26 Maji 1593, ubi sic præcipitur ipsis Regularibus Prælatis: »Superiores in singulis domibus »deputent duos aut tres aut plures Con»fessarios, pro subditorum numero majori »vel minori."

Hæc porro Superioris sui approbatio necessaria est, ita ut si Religiosus Confessario a Superioribus non approbato sine eorumdem licentiâ confiteretur, absolutio esset invalida; nisi Confessarius immediate a S. Sede vel a S. Pœnitentiariâ speciales facultates obtinuerit. Constat ex Constit. Clementis VIII *Romanus Pontifex.* 23 Nov. 1599. Solo tempore Jubilæi Regulares libere sibi alium Confessarium quemcumque ab Ordinario approbatum eligere possunt, ut concedi solet in Bullis Jubilæi. (*n.* 574.)

Insuper Regulares possunt cum solâ approbatione sui Superioris audire confessiones Novitiorum, et illorum sæcularium, qui in suis Monasteriis sunt vere de familiâ et continui commensales. Ratio quoad Novitios est, quia communicant in privilegiis professorum: pro cæteris constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 11. *ref.* et Constit. Clementis X *Superna.* Prædicti tamen etiam cuilibet Confessario ab Ordinario approbato valide confiteri possunt.

Quæritur autem: *Num possint Regulares cum solâ approbatione sui Superioris excipere confessiones convictorum educandorum?*

Resp. Affirm.; tum quia dici possunt vere de familiâ et continui commensales; tum quia pluribus Ordinibus Regularibus id expresse concessum est, v. g. Benedictinis, Theatinis, et aliis, ut testatur

Gury. *n.* 564; in quo privilegio cæteri communicant. Non dissentit S. Alph.; loquendo enim *n.* 583. de Religiosorum familiaribus, quatenus exempti sunt, subjungit: »Id extendit Bordoni ad alum»nos monasteriorum."

II. Regulares cum licentiâ Superiorum itinerantes vel extra Conventum commorantes, si copiam habeant Confessarii sui Ordinis, huic confiteri tenentur: si hâc copiâ careant, confiteri possunt cuilibet Sacerdoti ab Ordinario loci vel a suo Superiore Regulari approbato. In hoc conveniunt omnes. (*n.* 575.)

QUÆRITUR autem: *Utrum hic Sacerdos* DEBEAT *esse ad Confessiones approbatus?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communissima, quam S. Alph. veriorem censet, negat; ob privilegia Sixti IV et Innoc. VIII, quæ concedunt Regularibus eo in casu licentiam confitendi »apud quem»cumque Presbyterum idoneum et dis»cretum;" quæ privilegia a Conc. Trid. non sunt revocata, quia requirit approbationem ad Confessiones *sæcularium* dumtaxat. Non obstat Breve Bened. XIV *Quod communi.* 30 Mart. 1742., quod pro Capucinis approbationem Episcopi exposcit; nam valet tantum pro Capucinis, qui particularem habebant Constitutionem nunquam confitendi nisi propriis Confessariis. (*n.* 575.)

2ª Sententia, quam tenent Wigandt, Antoine, Concin. Cont. Tourn. Vasq. Clericat. etc., affirmat; probatur 1º ex cit. Constit. Bened. XIV, ubi revocando statutum Capucinorum, quo ipsis vetitum erat ne Confessariis extra proprium Ordinem unquam confiteri possent, proprio motu addit conditionem ut Sacerdos extraneus, cui confiteri indulget, approbatus sit; porro nulla exsistebat causa privandi Capucinos privilegio communi Regularium, si exstaret, eligendi Sacerdotem non approbatum; ergo hæc conditio particularis non est. 2º Ex Declar. S. C. Ep. et Reg. 3 Junii 1861, [1] in quâ eadem conditio proprio motu denuo apponitur pro Augustinianis, qui non habent statutum sicut Capucini. Inde colligitur, juxta hanc sententiam, nomine Sacerdotis *idonei*, de quo loquuntur privilegia Sixti IV et Innoc. XIII, intelligendum non esse Sacerdotem, quem quilibet idoneum reputaverit, sed quem Superiores idoneum approbaverint, et hâc ratione laudata Decreta esse privilegiorum interpretationes.

Nota. Doctrina in hoc Puncto exposita, valere quoque videtur pro iis Congregationibus cum votis simplicibus, quæ privilegio exemptionis a jurisdictione Episcoporum donatæ sunt, prout colligitur ex Declar. S. C. Ep. et Reg. 23 Sept. 1881 [1] pro Congregatione Missionis; fundatur enim ea disciplina, non in solemnitate votorum, sed in prædicta exemptione.

[1] Cfr. Acta S. Sedis. *vol. I. pag.* 677. Zamboni. *part.* 3. *v. Confessarius.* § 2.

[1] Acta S. Sedis. *vol.* 14. *pag.* 273.

Punctum VI.

Approbatio respectu Monialium.

233. — Quæ de hac materia dicturi sumus, spectant Moniales *stricte dictas*, quæ nempe vota solemnia professæ et clausuræ legibus adstrictæ sunt. Quoad illas vero, quæ vota simplicia tantum emiserunt, Confessarii se gerere debent juxta statuta Episcoporum in singulis diœcesibus. Solent autem Episcopi sibi reservare specialem approbationem pro Monialibus vota simplicia tantum professis.

Nostra ætate in pluribus regionibus vota omnium Monialium simplicia sunt.

234. — I. Nullus potest excipere confessiones Monialium, etiam Regularibus subjectarum, sine speciali Episcopi approbatione *pro Monialibus.* Constat ex Constit. Gregorii XV *Inscrutabili.* 5 Februar. 1622, et Clementis X *Superna.* 21 Jul. 1670. (*n.* 577.)

Quocirca notanda sunt: 1º Etiam Superiores Regulares indigent speciali Episcopi approbatione pro confessionibus Monialium sibi subjectarum audiendis. Constat ex Declaratione S. C. C. ad dub. 7. et 8. post Constit. *Inscrutabili.* in Bullario positâ.

2º Confessarius ad audiendas confessiones Monialium unius monasterii ab Episcopo approbatus, non potest audire confessiones Monialium alterius monasterii. Constat ex eâdem Declar. S. C. C. ad dub. 10. et Constit. Clementis X *Superna.* Secus vero est, si Confessarius *generaliter* approbatus sit pro Monialibus.

3º Confessarii Communitatum Monialium nonnisi ad tempus triennium non

excedens constitui possunt, quo elapso, declarantur suspensi ab audiendis ipsarum confessionibus, nisi licentiam S. C. C. obtineant. Pluribus tamen in locis, ob defectum Confessariorum idoneorum, hoc statutum receptum non est. (*n.* 577. *lib.* 1. *n.* 108. 139. *lib.* 6. *n.* 573.)

4º Tempore Jubilæi, Moniales possunt sibi eligere Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium confessiones ab Ordinario loci approbatum, sive in genere, sive pro quocumque monasterio diœcesis illius. Ita ex Constit. Benedicti XIV *Benedictus Deus.* 25 Dec. 1750. § 4. et *Celebrationem.* 1 Jan. 1751. § 11. (*n.* 536. *in fine.*)

235. — II. Præter Confessarium *ordinarium*, tenentur Episcopi, aliique monasteriorum Prælati, subjectis sibi Monialibus Confessarium *extraordinarium* bis aut ter in anno exhibere, qui omnium confessiones audire debet. Non tamen omnibus et singulis Monialibus præcipitur, ut peccata sua extraordinario Confessario confiteantur, sed tantummodo tenentur singulæ coram eo se sistere, sive ad sacramentalem Confessionem apud ipsum, si placuerit, peragendam, sive ad salutaria monita, etiam extra sacramentalem Confessionem, ab ipso accipienda. Constat ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 10. *de Reg.* et Constit. Benedicti XIV *Pastoralis.* 5 Aug. 1748.

Hâc de re observanda supersunt: 1º Quamvis Conc. Trid. de solis claustralibus Monialibus loquatur, idem tamen Pontifex extendi cupit eamdem disciplinæ formam ad omnes mulierum aut puellarum Communitates, quæ unicum ordinarium Confessarium a Superioribus designatum habent.

2º Confessarii extraordinarii electio pertinet ad Ordinarium loci pro monasteriis sibi subjectis; ad Superiorem vero Regularem pro iis, quibus alias Confessarium ordinarium deputare consuevit. Pro utrisque tamen requiritur specialis approbatio Episcopi pro Monialibus. Prælati Regularis negligentia in deputatione Confessariorum extraordinariorum suppleri debet ab Ordinario loci; Ordinarii vero incuria a Card. Majori Pænitentiario.

3º Quo tempore extraordinarius Confessor alicui Communitati deputatus, ministerio suo fungitur, ordinarius prohibetur alicujus Monialis, vel alterius personæ intra septa monasterii aut piæ domûs commorantis, confessionem audire.

4º Confessarius extraordinarius Monialibus peculiaribus denegari non debet in casu gravis infirmitatis, aut insuperabilis reluctantiæ adversus ordinarium. Superioris repulsa suppletur ut supra dictum est. Si qua vero Monialis peculiarem Confessarium optet, cui aliquoties confiteatur, non ex animi levitate neque ex indiscretâ affectionis singularitate, sed vere pro spirituali profectu, suadetur Prælatis ut faciles se exhibeant in ejusmodi concessionibus. Hæc omnia ex cit. Constit. Bened. XIV. (*n.* 576.)

5º Confessores extraordinarii semel deputati, atque approbati ab Episcopo ad Monialium confessiones *pro unâ vice* audiendas, haud possunt pluries in vim approbationis ejusmodi illarum confessiones audire: sed ab Episcopo toties sunt approbandi, quoties casus deputationis contigerit. Constat ex Declaratione S. C. C. ad dub. 1. post Constit. *Inscrutabili.* positâ et Constit. Clementis X *Superna.* Secus est, si Confessarius *generaliter* approbatus sit pro Monialibus.

236. — **Quæstio.** *An absolvi possint a quolibet Confessario Moniales claustrales, dum casu extra monasterium versantur?*

Resp. Affirmant Croix. *n.* 1527. Mazzotta. *tr.* 6. *disp.* 2. *qu.* 1. *cap.* 3. §. 3.; quia Constitutiones Pontificiæ intelligendæ sunt de Monialibus *in monasteriis degentibus.* Et ita resolvit S. C. C. 4 Sept. 1787, et 14 Mart 1856, necnon S. C. Ep. et Reg. 27 Aug. 1852, de omnibus Monialibus, quæ cum debitâ licentiâ iter agunt vel extra monasterium commorantur. (Craisson. *Des Commun. à vœux simp. n.* 234.)

ARTICULUS IV.

MINISTER HUJUS SACRAMENTI QUOAD CASUS RESERVATOS.

Trademus 1º reservationis notionem; 2º ejus auctorem et subjectum; 3º ejus materiam; 4º ejus cessationem; 5º reservatorum absolutionem.

§ I. *Notio reservationis.*

237. — Jurisdictio, sive ordinaria sive

delegata, non solet concedi illimitata, sed cum exceptione certorum peccatorum, quorum absolutionem Superior sibi, vel Sacerdotibus specialiter a se deputatis, reservat, et hæc peccata propterea vocantur *casus reservati*. Unde casuum reservatio definitur: negatio jurisdictionis circa aliqua peccata, quorum absolutionem Superior sibi reservat.

Motiva reservationis sunt 1° necessitas coërcendi fideles a graviorum delictorum perpetratione, ob difficultatem nempe obtinendi absolutionem, pro quâ Superiorem adire coguntur; 2° necessitas adhibendi remedium speciale, ut rei talium delictorum ab ipso Superiore judicentur severiusque corrigantur, ac hâc ratione efficacius a relapsu absterreantur. (*n.* 581.) Ut prior finis obtineatur, necesse est ut casus reservati populo noti sint, atque adeo ut populo promulgentur. [1]

238. — **Divisio.** Distinguuntur 1° casus *Papales*, *Episcopales*, et *Regulares*, prout a S. Pontifice, vel ab Episcopo, vel a Prælato Regulari reservati sunt.

2° *Peccatum reservatum*, quando directe reservatur peccatum ipsum: *censura reservata*, quando immediate reservatur censura alicui peccato adnexa, et propter censuram ipsum quoque peccatum.

Quâ de re animadvertendum est: 1° Cum censura reservata medium sit quo reservatur peccatum, ideo, sublatâ censurâ, cessat reservatio peccati. (*n.* 580.)

2° In casibus Papalibus reservatio regulariter afficit immediate solam censuram: in casibus Episcopalibus et Regularibus ordinarie reservatur solum peccatum, sine censurâ. Excipiuntur duo casus Pontificii, in quibus reservatur peccatum absque censurâ, videlicet a) falsa denuntiatio Confessarii innoxii de sollicitatione: ita ex Constit. Bened. XIV *Sacramentum Pœnitentiæ*. 1 Jun. 1741.; b) acceptio munerum a Regularibus utriusque sexus, nisi post factam restitutionem; intellige munera prorsus *liberalia*, Religiosis graviter prohibita a Clemente VIII, dummodo valorem 10 francorum excedant [1]: ita ex Constit. Clementis VIII *Religiosæ Congregationes*. 19 Jun. 1594, et Urbani VIII *Nuper a Congregatione*. 16 Oct. 1640. (*n.* 580. H. A. *tr.* 13. *n.* 8. 9. Ferrar. *v. Regulares. art.* 1. *n.* 67—69.)

In hoc tractatu agemus tantum de peccatis reservatis, remittendo censuras ad lib. VII.

[1] In Italiâ tabella casuum reservatorum appendi solet in confessionalibus. S. Alphonsus in suâ diœcesi eos singulis annis in Quadragesimâ populo annuntiari præceperat.

[1] Nomine *Regularium* intelliguntur tantum Religiosi vota solemnia professi.

§ II. *Reservandi potestas et reservationis subjectum.*

239. — **Principia.** I. Potestas peccata reservandi solis competit Ecclesiæ Prælatis, qui gaudent potestate jurisdictionis ordinariæ in foro externo. Ratio est, quia ad eos spectat facultatem absolvendi limitare, ad quos pertinet eamdem concedere.

Hinc illâ potestate gaudent 1° S. Pontifex in totâ Ecclesiâ; 2° Episcopi in suis diœcesibus; 3° Prælati Regulares in suo Ordine, quippe qui jurisdictione quasi episcopali pollent, nimirum Generalis in toto ordine, Provincialis in suâ Provinciâ, localis in suo Conventu; sed, præter undecim casus a Clemente VIII enumeratos, nullum alium reservare possunt absque consensu Capituli Generalis vel Provincialis. (*n.* 583. H. A. *n.* 130.)

Undecim prædicti casus sunt: 1° Apostasia a Religione, etiam retento habitu. 2° Nocturna ac furtiva e monasterio egressio. 3° Veneficia, incantationes, et sortilegia. 4° Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5° Furtum mortale de rebus monasterii. 6° Lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 7° Juramentum falsum in judicio legitimo. 8° Procuratio, consilium, vel auxilium ad abortum fœtûs animati, etiam effectu non secuto. 9° Occisio vel vulneratio seu gravis percussio cujuscumque personæ. 10° Falsificatio manûs vel sigilli Officialium monasterii. 11° Malitiosum impedimentum, retardatio aut apertio litterarum a Superioribus ad inferiores, vel contra. (*n.* 583.)

II. Ad licitum usum reservationis requiritur justa causa. Ratio est, quia secus magis esset in destructionem, quam in ædificationem, propter nimiam enim et frequentem reservationem, quamplures ob absolutionis difficultatem diu remanerent in statu peccati et a Sacramentorum usu deterrerentur. Quare Clemens VIII monet Ordinarios, »ut »paucos, eosque tantum, quos ad christianam disciplinam retinendam reservandos judicaverint, casus reservent." (*n.* 579. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 5. *cap.* 5.)

III. Reservatio immediate afficit Confessarium, et mediate pœnitentem. Ratio est, quia jurisdictionem Confessarii limitat, et in foro Sacramenti pœnitens fit subditus reservanti. (*n.* 581.)

Inde colligitur: 1° peregrinos, quoad reservationem, judicandos esse juxta diœcesim, in quâ confitentur; omnis quippe Confessarii jurisdictio, etiam in peregrinos, emanat ab Episcopo loci: hanc autem limitatam habet. Constat insuper ex Constit. Innoc. XII *Cum sicut*. 19 April. 1700, ubi sancitur »non suffragari approbationem ab aliis Ordinariis aliarum diœcesium obtentam, etiamsi pœnitentes illorum Ordinariorum, »qui tales Confessarios approbassent, »subditi sint." (*n.* 588.)

Non potest ergo simplex Confessarius absolvere peregrinum a peccato reservato in diœcesi, in quâ confitetur, quamvis non sit reservatum in suâ patriâ. Econverso, potest eum absolvere a peccato reservato in suâ patriâ, sed non reservato in diœcesi, in quâ confitetur; excepto casu, quo Confessarius noverit pœnitentem in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinendâ migrasse, ut decrevit Clemens X in Constit. *Superna*. Verba *in fraudem* probabilius intelliguntur de eo, qui alio migraret ex motivo primario vitandi judicium proprii Pastoris. (*n.* 588. 589. Fagnan. *in V Decret. de pœnit. cap. Omnis. n.* 83—89.)

Colligitur 2° Regulares non subjacere reservationi Episcopi. Ratio est eorum exemptio a jurisdictione Episcopi, vi cujus Confessarii Regulares accipiunt a suis Prælatis jurisdictionem pro suis subditis. Ejusdem privilegii participes sunt eorum Novitii; item eorum familiares, modo in Conventu sint quasi de familiâ et continui commensales, ut habetur in Constit. Clementis X *Superna*. Id extendit *Bordon.* ad alumnos monasteriorum, cum etiam sint quasi de familiâ et continui commensales. (*n.* 583.)

240. — **Quæstio.** *An invincibiliter ignorantes reservationem peccati eam incurrant?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; tum quia reservatio habet rationem pœnæ, tum quia in ignorantibus caret fine suo. Ita Graff. Palud. Quintan. Regin. Bass. Elbel. Spor. Salm. etc.

2ª Sententia communissima, cui subscribit S. Alph., affirmat; 1° quia hæc reservatio non habet rationem pœnæ, sed medicinæ tum præservativæ tum curativæ; 2° quia est restrictio jurisdictionis respiciens Confessarios; 3° quia in ignorantibus non cessat totus finis ejus, quippe qui non est tantum ut fideles a culpis gravioribus absterreantur, sed etiam ut recipiant a Superioribus pœnitentias et monita ac remedia opportuniora, quæ nonnisi a prudentioribus applicari expedit. Ita Lugo. *disp.* 20. *n.* 9. Sanch. Pal. Croix, Holzm. Wigandt, Tambur. Anaclet. Gobat, etc. (*n.* 581.)

§ III. *Materia reservationis.*

241. — **Principia.** I. Reservari non solent, neque expedit, nisi peccata mortalia eaque atrociora. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. et Decreto S. C. C. 26 Nov. 1602: ratio porro est, quia, ut supra diximus, fines reservationis nonnisi parco ejusdem usu obtineri possunt. (H. A. *n.* 132.)

II. Ut peccatum sit reservatum, requiruntur sequentes conditiones; sit nempe 1° *mortale* quoad actum tum internum tum externum; 2° in suo genere *consummatum*, non attentatum dumtaxat; 3° *certe* reservatum. Ita communis DD. sententia ususque Ecclesiæ; ratio autem est, quia reservatio, utpote odiosa, restringenda est, et in dubio possidet Confessarii jurisdictio, quam certe supplet Ecclesia. (*n.* 582. 600.)

Præfatæ conditiones sunt *communes*, ex communi usu requisitæ, quas proinde omnis Superior reservans subintelligere censetur, nisi oppositum declaret. Quoad *particulares* conditiones et exceptiones in singulis diœcesibus appositas, consulenda est tabella casuum reservatorum uniuscujusque diœcesis.

242. — **Resolutiones.** 1° Si reservatum

sit homicidium vel abortus, requiritur ut mors aut abortus realiter secutus sit. Si reservatum esset adulterium vel incestus, non caderet sub reservatione copula habita sine seminatione intra debitum vas; quia deesset vera copula consummata. Si reservata foret sodomia, aut bestialitas, non esset reservatus concubitus non consummatus. (*n.* 582. H. A. *tr.* 9. *n.* 24.)

2° Si reservata sit sodomia, intelligitur sodomia perfecta seu proprie dicta; quippe quæ sola est vera sodomia. (*n.* 582.)

3° Non est reservatio a) in dubio *facti*, quando nempe dubitatur num peccatum reservatum fuerit commissum, an cum conditionibus requisitis; b) in dubio *juris*, sive negativo sive positivo, quando nimirum dubitatur an aliquod peccatum sub tenore legis reservantis comprehendatur. (*n.* 600.) Attamen, quoad dubium juris, si Confessarius *privato errore* dubitet de aliqua reservatione aut eam ignoret, non ideo cessat reservatio; nihilominus in pluribus diœcesibus Episcopi declararunt Confessionem in tali casu *validam* esse.

§ IV. *Cessatio reservationis.*

243. — **Principia.** I. Nulla est reservatio in articulo mortis. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7.; rationem addit: »Ne hâc ipsâ occasione aliquis pereat." Omnis ergo Sacerdos approbatus, et, eo deficiente, simplex Sacerdos quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis directe absolvere potest. Ita ex Trid. et Rituali Rom. *tit.* 3. *n.* 1. Recole dicta n. 223.

II. Tollitur reservatio peccati, 1° per directam ejus absolutionem sacramentalem, datam a Superiore reservante vel ab habente facultatem absolvendi a reservatis; 2° per expressam ablationem reservationis, factam a Superiore reservante, remissâ Confessario inferiori absolutione sacramentali. Ratio prioris est, quia tunc reservatio finem suum assecuta est; ratio posterioris, quia potest Superior etiam extra Sacramentum peccatum reservatum judicare, satisfactionem, monita et remedia applicare, et, hoc facto, auferre reservationem. (*n.* 598. H. A. *n.* 141. Filliuc. *tr.* 7. *n.* 307. 308. Catalan. *part.* 3. *qu.* 6. *cap.* 15. *n.* 24. Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 12. *n.* 8. Lugo. *disp.* 20. *n.* 83. 84. Salm. *tr.* 6. *cap.* 13. *n.* 68. 69.)

244. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An auferatur reservatio peccatorum per absolutionem invalidam, datam a Superiore vel a delegato?*

Resp. Dist. 1° Si *inculpabiliter* invalida fuerit, et pœnitens omnia reservata confiteatur, communiter affirmant; quia, licet pœnitens non satisfecerit fini Sacramenti, qui est remissio peccatorum, satisfecit tamen fini reservationis, qui est subjectio peccatorum judicio Superioris; Confessarius porro satisfecit muneri suo, imponendo satisfactionem et remedia, ac intendendo absolvere quantum poterat.

2° Si *sacrilega* fuerit, plures valde probabiliter negant; quia non præsumitur Superior velle ut subditus ex suâ malitiâ commodum reportet. Ita Holzm. Viva, Ronc. Conc. Croix. — Sed longe communius et non improbabiliter affirmatur; ob rationes supra adductas, quæ et hic valent.

Præmissa tamen doctrina extendi non potest ad Confessarium absolventem a reservatis virtute Jubilæi; quia per Jubilæum non fit facultas absolvendi a reservatis quoslibet pœnitentes, sed *vere* pœnitentes, qui animum habent lucrandi Jubilæum, quales non sunt, qui vel ex malitiâ, vel ex defectu inculpabili doloris efficiunt Confessionem invalidam. (*n.* 598.)

Quær. 2° *Quid, si pœnitens omiserit confiteri peccata reservata?*

Resp. Dist. 1° Si *ex oblivione* omiserit, controvertitur. *Prima sententia* communissima et probabilis affirmat auferri reservationem; quia hæc præsumitur Superioris intentio respectu pœnitentis rite dispositi. Ita Lugo, Sanch. Pal. Holzm. Viva, Salm. etc.

Secunda sententia probabilior negat; ratio valde urget, quia reservatio non aufertur, nisi peccatum subjiciatur Superioris judicio, ut finem suum assequatur. Ita Sylvius, Suar. Sylvest. Navar. Covar. Bonac. Coninc. Cont. Tourn. etc.

2° Si *culpabiliter* omiserit, non aufertur reservatio; quia minime præsumitur Superior velle auferre reservationem peccati sibi de industriâ celati. (*n.* 597. 598.)

Quær. 3° *An in periculo mortis ita cesset reservatio peccatorum, ut, etiam præsente Superiore, simplex Confessarius possit absque illius delegatione a peccatis reservatis absolvere?*

Resp. Affirm.; quia Conc. Trid. absolute declaravit nullam esse reservationem in articulo mortis; atque adeo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibuslibet peccatis absolvere posse. (*n.* 563. *dub.* 1.)

Quær. 4° *An absolutus a peccatis reservatis in articulo mortis a simplici Confessario vel Sacerdote, teneatur se sistere Superiori, si convalescat?*

Resp. Negat.; quia ex Trid. in articulo mortis nulla est reservatio, neque hoc onus aliunde probatur. (*Lib.* 7. *n.* 91.)

§ V. *Potestas absolvendi a peccatis reservatis.*

245. — **Principia.** I. Potestate *ordinariâ* a reservatis absolvere possunt 1° ipse reservans; 2° ejus Superior in hoc foro. (*n.* 599.)

II. Potestate *delegatâ* absolvere potest is, qui a supradictis eam facultatem acceperit, intra terminos concessionis factæ. (*n.* 599.)

III. Simplex Confessarius, dum audit in confessione peccatum reservatum, regulariter debet pœnitentem mittere ad Superiorem vel ad delegatum. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. (*n.* 584.)

Dictum est: *regulariter;* quod exponetur in sequenti principio.

IV. Si urgeat necessitas confitendi, simulque adsit impedimentum adeundi Superiorem vel delegatum, simplex Confessarius poterit *directe* absolvere a non reservatis, et consequenter *indirecte* a reservatis, cum onere tamen, datâ opportunitate, se sistendi coram Superiore aut coram delegato, ut *directe* a reservatis absolvatur. Ratio est, quia, stante necessitate, confessio est integra formaliter, et Confessarius pollet jurisdictione in non reservata: extra casum vero necessitatis non potest, quia confessio non esset integra, utpote non facta legitimo judici reservatorum, et Confessarius unum peccatum mortale remittere nequit sine alio.

Porro 1° adest necessitas confitendi, quando adest necessitas communicandi, vel implendi præceptum annuæ Confessionis, aut ne pœnitens diu maneat in peccato mortali.

2° Adest impedimentum adeundi Superiorem vel delegatum, si non posset adiri sine scandalo, aut notâ infamiæ, vel sine magna difficultate ob longam distantiam. (*n.* 584. 585.)

246. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quomodo procedere debeant Superior et delegatus cum pœnitente, qui confitetur peccatum reservatum?*

Resp. Ut reservationis finem prosequantur, debent pœnitentem severius corripere, graviorem satisfactionem ei injungere, ac specialia remedia præscribere, ut hoc modo a relapsu absterreatur. Quamobcausam Confessarius delegatus casus reservatos probe cognoscere debet.

Quær. 2° *An aliquando possit Superior, auditis tantum peccatis reservatis, sacramentaliter absolvere pœnitentem, et pro reliquis non reservatis remittere ad inferiorem?*

Resp. Negat.; quia nulla multitudo negotiorum potest esse sufficiens causa ad dimidiandam confessionem, ut constat ex prop. 59. damn. ab Innoc. XI: »Licet sacramentaliter absolvere dimi»diate tantum confessos, ratione magni »concursûs pœnitentium, qualis v. g. »potest contingere in die alicujus mag»næ festivitatis aut indulgentiæ." Excipiunt quidem DD. casum aliquem urgentis necessitatis, sed qui vix occurrit. (*n.* 595.)

Quær. 3° *An expediat ut simplex Confessarius, audito peccato reservato, a Superiore veniam petat absolvendi?*

Resp. Ordinarie loquendo, consultum est ut Confessarius a subeundo tali onere abstineat. Ita S. Alph. cum Tambur. (*n.* 584.) Excipe tamen, si pœnitens ab adeundo Superiore vel delegato impeditus esset, aut refugeret; quod in hisce regionibus communiter evenit.

Quær. 4° *An teneatur Superior petitam facultatem absolvendi concedere?*

Resp. Regulariter tenetur ex lege charitatis eam concedere, ne forte pœnitens, si adstringeretur ad confitendum Superiori, posset aliqua peccata reticere. Nihilominus, si pœnitens commode posset adire delegatum, vel justa causa adesset cogendi subditum ut ad se accedat, poterit facultatem negare; quia secus fere inutilis evaderet casuum reservatio. (*n.* 586. H. A. *n.* 134.)

Quær. 5° *An pœnitens in necessitate*

constitutus communicandi aut celebrandi, si habeat peccatum reservatum, teneatur confiteri simplici Confessario, alio deficiente?

Resp. Dist. 1° Si nullum aliud mortale peccatum habeat, non tenetur, sed sufficit contritio; quia simplex Confessarius nihil potest in peccata reservata, et confessio venialium vel alias remissorum non obligat. Excipe tamen, si pœnitens existimaret se non esse *contritum*, sed *attritum* dumtaxat; tunc quippe teneretur ad confessionem ob necessitatem statûs gratiæ. *Ita omnes.*

2° Si simul habeat mortalia non reservata, tenetur ad confessionem; quia in casu necessitatis potest simplex Confessarius directe absolvere a non reservatis, atque ideo urget præceptum divinum præmittendi Confessionem. Ita communissima et probabilior sententia. (*n.* 265. 585. H. A. *n.* 133. *tr.* 15. *n.* 27.)

Statuta particularia Episcoporum hanc difficultatem prævisam sæpe solvunt, concedendo pro casu jurisdictionem.

Quær. 6° *An in hoc posteriori casu pœnitens teneatur confiteri etiam peccata reservata?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis affirmat; quia Confessarius pœnitentis dispositionem agnoscere nequit, nisi hic omnia sua peccata manifestet. Ita Suar. Viva, Conc. Bonac. Soto, Filliuc. Salm. etc.

2ª Sententia forte probabilior negat, per se, sive ex obligatione integritatis; tum quia non videtur esse obligatio confitendi peccata illa, quorum judex esse Confessarius nequit, eo quod super eis jurisdictionem non habeat; tum quia alias teneretur bis peccata illa confiteri, primo inferiori, deinde Superiori.

Dixi: *per se;* quia per accidens aliquando teneretur, ut Confessarius de sua dispositione recte judicare posset, puta si recidivus esset in reservata, vel in proxima occasione eorumdem. Ita S. Anton. Lugo, Gerson, Petrus Soto, Salas, Ledesm. Pal. Elbel, etc. (*n.* 265. 585.)

Quær. 7° *An valide absolvatur pœnitens, qui bonâ fide confitetur simplici Confessario peccatum reservatum, aut apud eumdem illius obliviscitur?*

Resp. Affirm., si simul confiteatur peccatum non reservatum; quia ponitur vera materia Sacramenti, scil. confessio dolorosa peccati non reservati legitimo judici facta, siquidem hujus peccati ille Sacerdos est legitimus judex; præterea ex hypothesi confessio est formaliter integra. Remanet tamen onus peccatum reservatum iterum confitendi habenti facultatem ab illo absolvendi, si quando pœnitens errorem resciat. (*n.* 596. Coninc. *disp.* 8. *n.* 101.)

Quær. 8° *Quantum peccaret simplex Confessarius, qui extra casum necessitatis scienter absolveret pœnitentem, qui confessus est peccatum reservatum?*

Resp. Peccaret graviter, sicut pœnitens qui peccatum mortale celaret. Ratio est, quia deesset integritati *absolutionis*, quæ graviter obligat Confessarium, sicut integritas *confessionis* pœnitentem; quemadmodum enim pœnitens tenetur omnia peccata mortalia, quæ commisit, confiteri, ita et Confessarius omnia absolvere.

CAPUT II.

ABUSUS POTESTATIS IN CONFESSARIO.

Dolendum sane est quod ejusmodi materia in hoc Sacramento tractanda sit; sed hac occasione elucet sollicitudo Ecclesiæ ne fideles a pravis ministris ullum detrimentum patiantur. Tres sunt abusus, quos Ecclesia gravibus pœnis plectendos esse merito censuit, videlicet 1° praxis exquirendi a pœnitente nomen sui complicis; 2° absolutio proprii complicis in peccato carnis; 3° sollicitatio proprii pœnitentis ad turpia. De hisce in hoc Capite disseremus.

ARTICULUS I.

EXQUISITIO NOMINIS COMPLICIS.

247. — Cum primum Benedictus XIV certior factus est nonnullos Portugalliæ Confessarios perniciosam praxim introduxisse, ut, si forte in pœnitentes incidissent socium criminis habentes, ab iisdem complicis nomen passim exquirerent, atque ad illud sibi revelandum denuntiatâ absolutionis negatione prorsus adigerent, idem Pontifex illico huic malo remedium abhibuit. Constit. *Ubi primum.* 2 Jun. 1746. et *Ad eradicandum.* 28 Sept. 1746. sub gravibus pœnis prohibet Confessariis, ne, conformiter ad reprobatam praxim, complicis nomen passim exquirendi, pœnitentes interrogare præsumant de nomine socii seu complicis, de loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis, expressionem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus. Ratio est, quia hac praxi proximi læditur fama, arctum sacramentalis confessionis sigillum periclitatur, et scandala oriuntur.

Nihilominus possunt et debent Confessarii, ad integritatem confessionis servandam, inquirere circumstantias peccati, quæ speciem mutant, aut quæ necessariæ sunt ut pœnitentis saluti consulatur, puta an persona, quacum peccavit, sit consanguinea in primo gradu, an ligata voto, an ejus ancilla, an habitet in eadem domo, etc., licet sic veniant in notitiam complicis. Præterea, cum agitur de graviori malo vel scandalo avertendo, potest Confessarius obligare pœnitentem, ut complicem revelet alicui, qui malum impedire possit; raro autem expedit ut Confessarius ipsemet hoc sibi munus assumat, ob periculum scandali, et offensionis sacri ministerii. (*n.* 491. 492.)

248. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Bened. XIV ita interdixerit Confessariis quærere nomen complicis, ut in nullo casu id liceat?*

Resp. Quamvis S. Alph. n. 492. agnoscat pœnitentem aliquando teneri complicem manifestare ad aliquod grave damnum impediendum, nihilominus ob rigidam Pontificis prohibitionem non est ausus affirmare quod Confessario unquam liceat nomen complicis exquirere. At S. Doctor non animadvertisse videtur Benedictum XIV damnasse dumtaxat praxim *passim* exquirendi nomen complicis, »opiniones hac de re falsas et »erroneas sequendo, vel *veras et sanas* »male applicando." Quibus verbis Pontifex supponit casus, in quibus id liceat juxta *veras et sanas* opiniones; et hoc sensu ipse suas Constitutiones interpretatus est in opere *De Syn. lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 1. hisce verbis: »Certum est, »*raro* evenire posse ut liceat Confessario »complicis nomen a pœnitente sciscitari, »multoque minus ad illud sibi patefaciendum eumdem obligare." Deinde allegat Constitutiones suas. Si *raro*, ergo *aliquando* casus evenire potest.

Casus porro esset, ut tradit Lugo. *disp.* 16. *n.* 432., si Confessarius videat »ex occultatione complicis gravissima »damna imminere, ad quæ impedienda »pœnitens omnino tenetur: rursus videt »pœnitentem seipso immediate id non »posse exsequi, nec habere alium per»quem id posset, præter ipsum Confes»sarium: quo casu certum est, teneri »pœnitentem ad illud medium unicum »eligendum: quod si eligere nolit, jam »non est aptus ad absolutionem recipien»dam." Verumtamen, scite observat Lugo. *n.* 435., »cautissime debet Con»fessarius in hoc negotio procedere, ne »scandalum sequatur ex usu notitiæ ac»ceptæ in confessione: quare expedit »petere a pœnitente, ut extra confessio»nem de hoc sibi loquatur."

Quær. 2° *Quænam pœnæ statutæ sint in delinquentes contra præfatam prohibitionem?*

Resp. 1° Suspensio ab officio audiendarum confessionum, aliæque etiam graviores pœnæ, ferendæ sententiæ, in Confessarios, qui, conformiter ad reprobatam praxim, nomen complicis exquirere præsumant, pœnitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando.

2° Excommunicatio ipso facto, ac Rom. Pontifici simpliciter reservata, in quemlibet, qui ausus fuerit docere licitam esse ejusmodi praxim, vel scribere aut loqui in ejusdem damnatæ praxis defensionem. Ita ex Constit. Bened. XIV et Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.*

Adhæc, quicumque, non ex propria Confessione, sed aliunde, Confessarium noverit, qui reprobatam praxim tamquam licitam defendit, vel complicis manifestationem exegit sub denegatione absolutionis, dummodo hic actus iis circumstantiis vestitus sit, quæ de pravâ credulitate vel de malâ adhæsione ad praxim reprobatam eumdem Confessarium suspectum reddant, tenetur illum intra mensem Sacro Officio denuntiare. Ita ex Constit. *Ubi primum.*

ARTICULUS II.

ABSOLUTIO PROPRII COMPLICIS IN PECCATO CARNIS.

249. — Inveniuntur nonnunquam sacrilegi quidam dæmonis potius quam Dei

ministri, qui, nedum animas per Sacramentum Creatori suo reconcilient, majori peccatorum mole eas onerantes in profundum iniquitatis barathrum submergunt. Propterea, ad longe submovendam a sanctitate tribunalis pœnitentiæ omnem turpitudinis occasionem, Sacramentorum contemptum, et Ecclesiæ injuriam, necnon ad animarum periculis occurrendum, Bened. XIV Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ.* 1 Jun. 1741. et *Apostolici muneris.* 8 Febr. 1745. sequentia saluberrime decrevit.

I. Confessarius omnino caret jurisdictione respectu complicis sui in peccato turpi contra sextum præceptum, quoadusque alius Confessarius complicem illum ab hoc peccato absolverit. Ita Bened. XIV in cit. Constit. Ratio hujus legis est, quia in confessionibus factis Confessario complici solent deficere verecundia ac contritio, periculum relapsûs adducunt, et præterea occasionem præbent liberius peccandi. (*n.* 553—555.)

Quocirca notandum: 1° Subtractio illa jurisdictionis est in ordine ad ipsum peccatum turpe, in quo idem Confessarius complex fuit, ut declaravit S. Pœnit. 16 Maji 1877. Nihilominus efficit ut absolutio a Confessario complici impertita irrita sit etiam quoad alia mortalia, quæ complex ipsi simul confitetur; Pontifex enim absolutionem *omnino nullam atque irritam* declarat. (*n.* 555.)

2° Postquam peccatum complicis fuit ab alio Confessario rite absolutum, Sacerdos complex potest quidem deinceps absolvere suum complicem a peccatis, quorum complex non fuit; ordinarie tamen id non expedit, tum ob pudoris diminutionem, tum ob reverentiam Sacramento debitam, tum ob periculum relapsûs aut gravis saltem tentationis. Avertendi igitur sunt fideles, quoad fieri potest, ne in posterum, secluso necessitatis casu, illum adeant Confessarium, a quo semel ad peccatum sollicitati fuere. (Gury. *n.* 587.)

II. Ut prædicta jurisdictionis subtractio incurratur, requiritur et sufficit 1° ut peccatum sit *mortale*, quoad actum tum internum tum externum; 2° ut *uterque sit complex formalis*, id est, ut tam Sacerdos quam pœnitens peccarint, et delicti turpis fuerint participes; 3° *certitudo* præmissorum, id est, certum sit peccatum fuisse interne et externe mortale, idque ex utrâque parte. Hæc requiruntur, quia odiosa sunt restringenda; sufficiunt, quia clare colliguntur ex Bullis. (*n.* 554.)

Hinc 1° perinde est utrum complex diversi an ejusdem sit sexûs; Constitutio enim diserte habet: »qualemcumque personam."

2° Non opus est ut peccatum fuerit consummatum; quia Constitutio generaliter et indefinite dicit »peccatum contra sextum Decalogi præceptum," et quia finis legis est removere occasiones, non tantum copulæ, sed omnis turpitudinis a sanctitate tribunalis pœnitentiæ. Casum complicis ergo constituunt tactus impudicus, osculum, amplexus, colloquium, uti et aspectus, dummodo complicitatem importent, ac tum interne tum externe sint graviter mali. Ita ex Declar. S. C. Inquis. 28 Maji 1873.[1] (*n.* 554.)

3° Non est casus complicis, a) si Sacerdos fœminam dormientem vel reluctantem impudice attrectaret, aut ipse dormiens vel reluctans a fœmina attrectaretur; quia deest complicitas. b) Si Sacerdos puellæ innocenti et incallidæ persuasisset nullum esse peccatum, si se turpiter ab ipso tangi sinat, et illa revera decepta talia in se fieri bona fide permisisset; quia iterum deest complicitas. c) Si intercederet osculum vel tactus leviter tantum inhonestus, etiamsi delectatio venerea adesset; quia actus non est externe gravis. (Marc. *n.* 1784.)

III. Confessarius potest absolvere complicem suum in mortis articulo constitutum, si alius Sacerdos, etiam non approbatus, sine gravi aliquâ exoriturâ infamiâ aut scandalo vel vocari non possit, vel, licet præsens sit, morientis confessionem excipere nequeat. Ratio est, quia, ut inquit Pontifex, tunc alius Sacerdos perinde censeri potest ac si revera deficeret. — Tenetur autem Sacerdos complex, quantum in se est, opportuna adhibere remedia, ut infamia aut scandalum non sequatur; v. g. sub aliquo prætextu non adveniendo vel discedendo, pœnitentem præmonendo ut alium Sacerdotem eligat. Quod si facere omittat, graviter peccat et statutam pœnam incurrit; absolutio tamen valet, ne hâc occasione aliquis pereat. Constat ex Constit. *Apostolici muneris.* (*n.* 553.)

IV. Confessarius, qui extra prædictum casum necessitatis ausus fuerit complicem suum absolvere a peccato turpi, in quo complex fuit, ipso facto incurrit excommunicationem specialiter Romano Pontifici reservatam. Ita ex Constit. Bened. XIV cit. et Pii IX *Apostolicæ Sedis.* 12 Octob. 1869.

Si forte Sacerdos absolvens complicem, ob ignorantiam vel inadvertentiam a gravi peccato excusaretur, a pœna quoque immunis foret; absolutio tamen invalida esset.

250. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An possit Confessarius complicem absolvere in articulo mortis, si adsit periculum infamiæ respectu alterius Sacerdotis, qui ejus loco rogaretur?*

Resp. Negandum videtur; quia respectu unius vel non datur infamia, vel eam aliquantam debet complex sustinere ob culpam commissam; accedit, quod secus casus vix evenire posset, quo, præsente simplici Sacerdote, Confessarius complicem suum absolvere nequiret. Ita Salm. *Append. tr.* 6. *cap.* 6. *n.* 259.

QUÆR. 2° *An Confessarius absolvere queat complicem suum in articulo mortis, si hic absque illius culpa alteri Sacerdoti confiteri recuset?*

Resp. Affirmandum videtur, dummodo pœnitens circa Ecclesiæ vetitum in bona fide versetur et prudenter admoneri nequeat; quia in iis adjunctis non solum æterna infirmi salus necessitatem huic Sacerdoti imponit audiendi confessionem, sed facile accedet etiam causa scandali, si infirmi confessionem excipere abnuat. Ita Salm. *Append. tr.* 6. *cap.* 6. *n.* 259. Ballerini. *ad n.* 586. Godschalk. *De censur. pag.* 49.

QUÆR. 3° *An unquam extra mortis articulum Confessarius complicem suum* INDIRECTE *absolvere possit?*

Resp. Nonnulli affirmant, si quando urgeret necessitas vitandi scandalum vel infamiam; ratio petitur ex paritate cum casibus reservatis. Ita Salm. *loc. cit. n.* 262.

Verum hæc opinio non videtur probabilis; tum quia peccatum complicis non est casus reservatus; nulli enim Superiori ejus absolutio reservata est; tum quia Bened. XIV excipit solum casum *extremæ* necessitatis, nimirum in mortis articulo; tum denique, quia diserte declarat Confessarium non solum in hujusmodi *peccatum*, verum etiam in hujusmodi *pœnitentem* jurisdictione carere, adeo ut absolutio, si quam impertierit, irrita *omnino* sit. Ita Gury. *Cas. consc. tom.* 2. *n.* 617. Godschalk. *De censur. pag.* 50.

QUÆR. 4° *An incurrat excommunicationem Confessarius confessionem complicis audiens quidem, sed eum non absolvens?*

Resp. Negat.; claret ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.*, qua excommunicantur soli absolventes. (*n.* 556.) Quodsi Confessarius *simulet* complicem suum absolvere, non effugit excommunicationem, uti declaravit S. Pœnit. 9 Jul. 1751. et 1 Mart. 1878. necnon S. C. Inquis. 10 Dec. 1883. (Revue théol. 1884. *pag.* 363.)

QUÆR. 5° *An incurrat privationem jurisdictionis et excommunicationem, qui complicem quidem absolvit, sed complicem, qui complicitatis peccatum in confessione non declaravit?*

Resp. Negat., prout S. Pœnit. 16 Maji 1877. respondit: »Privationem ju»risdictionis absolvendi complicem in »peccato turpi, et adnexam excommu»nicationem, quatenus Confessarius illum »absolverit, esse in ordine ad ipsum »peccatum turpe, in quo idem Confes»sarius complex fuit. Tenetur nihilomi»nus Confessarius Sacerdoti, qui hac »ratione complicem, non tamen a pec»cato complicitatis, absolvit, omni studio »ob oculos ponere enormitatem delicti »sui et abominabilem abusum Sacramenti »Pœnitentiæ, nec aliter ei beneficium »absolutionis impertiri, quam præmissâ »gravissimâ adhortatione ut officium »Confessarii dimittere studeat, necnon »impositâ obligatione ut a confessionibus »complicis audiendis omnino in poste»rum abstineat, monitâ eâdem personâ »complicis, si denuo compareat, ut de »peccato complicitatis et cæteris inva»lide confessis apud alium Confessarium »se accuset." Ratio responsi est, quia talis Sacerdos, etiamsi complex sacrilege hujus peccati confessionem omitteret, et ipse culpabiliter ab interrogando abstineret, non tamen absolvit ab hujusmodi complicitatis culpâ, utpote non declaratâ, nec subjectâ clavibus; atqui privatio jurisdictionis et censura adnexa

[1] Acta S. Sedis. *vol.* 10. *append. pag.* 345. Revue théol. 1871. *pag.* 590. — 1878. *pag.* 117.

spectant peccatum complicitatis, ut claret ex Constit. Bened. XIV *n.* 4: »Sublatà illi ipso jure quàcumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpà absolvendam." (Revue théol. 1881. *pag.* 573. *et seqq.*)

QUÆR. 6° *An Episcopus possit ex concessione Trid.* sess. 24. cap. 6. Liceat. *absolvere Confessarium, qui complicem suum absolvit?*

Resp. Negat.; constat tum ex Declar. S. C. Inquis. 18 Jul. 1860 [1], tum præsertim ex Constit. *Apostolicæ Sedis.*, qua excipiuntur a facultate concessâ Episcopis in præfato cap. *Liceat.* casus papales omnes speciali modo Romano Pontifici reservati.

Insuper Pius IX Decreto S. C. Inquis. 27 Jun. 1866. edixit: »In facultatibus, »quibus Episcopi aliique locorum Ordinarii ex concessione apostolicâ pollent, »absolvendi ab omnibus casibus Apostolicæ Sedi reservatis, excipiendos semper »in posterum et exceptos habendos esse »casus reservatos in Bullâ Benedicti XIV, »quæ incipit *Sacramentum Pœnitentiæ.*" Idem repetitur in Instructione S. C. Inquis. 20 Febr. 1867. [2]

QUÆR. 7° *An Episcopus aut Confessarius habeat facultatem absolvendi, casu quo, propter imminens periculum gravis scandali aut infamiæ, recursus ad S. Sedem fieri nequit opportuno tempore?*

Resp. »In casibus vere urgentioribus, »in quibus absolutio differri nequeat »absque periculo gravis scandali et infamiæ, super quo Confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem, injunctis de jure injungendis, »a censuris etiam speciali modo Summo »Pontifici reservatis, sub pœna tamen »reincidentiæ in easdem censuras, nisi »saltem infra mensem per epistolam et »per medium Confessarii absolutus recurrat ad S. Sedem." Ita S. C. Inquis. 30 Jun. 1886., quam resolutionem Leo XIII approbavit et confirmavit. (Revue théol. 1886. *pag.* 378.)

Notandum hoc loco esse censui, quod, cum S. Sedes facultatem concedit absolvendi Sacerdotem hàc excommunicatione innodatum, injungere solet ut Sacerdos ille in posterum abstineat ab excipiendis confessionibus pœnitentis, quocum peccavit; immo nonnunquam ut officium Confessarii dimittat.

[1] Gury. *Cas. conscient. Tom.* 2. *n.* 647.

[2] Revue des sciences ecclés. *Tom.* 18. *pag.* 359.

ARTICULUS III.

SOLLICITATIO PROPRII PŒNITENTIS AD TURPIA.

251. — Ne Sacramentum Pœnitentiæ, quod in salutem et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordiâ, institutum est, exsecrabili scelestorum quorumdam Sacerdotum improbitate in eorum perniciem atque interitum vertatur, SS. Pontifices Gregor. XV Constit. *Universi gregis.* 30 Aug. 1622, et Bened. XIV Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ.* 1 Jun. 1741, ejusmodi indignos Confessarios denuntiandos ac severe puniendos esse sanxerunt.

Horum Pontificum decreta commentando expendemus 1° ipsum delictum sollicitationis; 2° obligationem denuntiandi sollicitantes; 3° modum denuntiationem exsequendi; 4° modum recipiendi denuntiationem; 5° modum procedendi contra denuntiatos; 6° pœnas infligendas sollicitantibus.

§ I. *Delictum sollicitationis.*

252. — I. Crimen hoc committitur, quando Confessarius aliquem pœnitentem ad turpia sollicitare tentat, aut cum eo illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habet, in una ex sequentibus circumstantiis: 1° in *actu* sacramentalis confessionis, sive immediate ante vel post; 2° *occasione* vel *prætextu* confessionis, licet ipsa confessio non excipiatur; 3° *in confessionali*, sive *in alio loco ad confessiones audiendas destinato* aut *electo*, simulans ibidem confessionem audire. Ita ex cit. Constit.

Perinde est 1° utrum pœnitens mas sit an fœmina; 2° utrum Confessarius sollicitet ad peccandum secum an cum alio. (*n.* 691.)

II. Prædicta sollicitatio est peccatum mortale, et gravissimum quidem, tum luxuriæ, tum sacrilegii, tum scandali. Ratio est, quia est enormis abusus Sacramenti Pœnitentiæ, quo nempe Sacerdos, ut ait Gregor. XV, »pro medicinà »venenum, pro pane aspidem porrigit, »et ex cœlesti medico infernalis venefi»cus, ex patre spirituali proditor exse»crabilis animarum redditur."

253. — Opus est ut supra recensitas circumstantias uberius commentemur.

I. *De modo sollicitandi.* Sollicitatio fieri potest sive verbis, sive signis, sive tactu, sive scripto statim aut postea legendo, demum sive explicite sive implicite. Implicite fieret v. g. interrogando pœnitentem ubi habitet, vel rogando ut eum domi exspectet, si ex adjunctis pateat ejusmodi interrogationem factam fuisse animo sollicitandi, ut esset si Confessarius postea illuc se conferret et sollicitaret. Constat ex cit. Bullà, et ex prop. 6. damn. ab Alexandro VII: »Confessarius, qui in sacramentali con»fessione tribuit pœnitenti chartam pos»tea legendam, in quâ ad venerem »incitat, non censetur sollicitare in »confessione, ac proinde non est de»nuntiandus." (*n.* 676.)

II. *De tempore sollicitationis.* 1° *In actu sacramentalis confessionis*, i. e. quando pœnitens sua peccata cœpit confiteri, etiamsi non impertiatur absolutio.

2° *Immediate ante vel post confessionem*, i. e. quando inter sollicitationem et confessionem nihil mediat, ita ut nec Confessarius nec pœnitens ad aliud negotium serio se divertant. Casus esset v. g. si Confessarius immediate post confessionem duceret pœnitentem ad cubiculum, et ibi eum ad venera provocaret. (*n.* 677.)

3° *Occasione confessionis*, i. e. quando Confessarius, rogans aut rogatus ad confessionem hic et nunc audiendam, hàc occasione datâ, divertit pœnitentem a proposito et ad venerem provocat. (*n.* 678.) Secus esset, si rogatus a personâ *extra confessionale* seu *locum confessionis*, ut *postera die* confessionem ejus excipiat, eam sollicitaret extra locum et absque prætextu confessionis. Ita ut probabile ex Declar. S. C. Inquis. 11 Febr. 1661. dub. 4; [1] et ratio est, quia tunc sollicitatio non est proxima *confessioni* faciendæ, sed *petitioni* de illà faciendà.

4° *Prætextu confessionis*, i. e. quando Confessarius vel pœnitens *ficte* proponit confessionem ad sollicitandum. Secus probabilius dicendum, si prætextus confessionis non est ordinatus ad sollicitationem, sed ad peccati jam conventi exsecutionem, puta ad avertendum Superiorem vel familiares domùs a scandalo et suspicione mali. (*n.* 678. 679.)

Hinc denuntiandus est Confessarius, a) si mulier, nullà conventione præmissà, prætextu confessionis vocet ipsum in domum suam, qui cum accesserit, a muliere sollicitatus turpiter peccat cum illà; quia necesse non est, juxta Decreta S. C. Inquis. infra citanda, ut sollicitatio a Confessario emanet, neque ut ipse prætexat confessionem. b) Si extra confessionem sollicitaret fœminam, huicque renuenti ob timorem diffamationis suaderet ut fingens se ægrotam eum ad peccandum accerseret. c) Si vocatus a matre ad excipiendam confessionem filiæ ægrotæ, accedat cum pravo fine, et, sub prætextu confessionis audiendæ, eam sollicitet. (*n.* 679.)

III. *De loco sollicitationis.* In *Confessionali*, sive in *loco* ad confessionem *destinato* aut *electo*, cum *simulatione* ibidem confessionem audiendi. Simulatio confessionis adesse censetur, si Sacerdos ita se gerat, ut adstantes credant ipsum audire confessionem. (*n.* 680.)

Utrum simulatio confessionis etiam referenda sit ad confessionale, infra indagabitur qu. 3.

IV. *De inhonestis sermonibus sive tractatibus.* Sub his verbis comprehenduntur etiam sermones inhonesti sine formali provocatione; turpiloquia enim, quæ ad rem non pertinent, *ex se* ad turpia provocant, et hàc ratione sollicitationem continent.

254. — **Resolutiones.** Juxta Decreta sollicitaret Confessarius, 1° si diceret pœnitenti: »Si sæcularis essem, te uxo»rem ducerem;" vel: »Exspecta me ho»die domi tuæ, quia tecum loqui cupio," et postea domi sollicitaret; vel: »Hisce »peccatis tuis pollutionem passus sum;" item, si fœminæ petenti confessionem responderet in confessionali: »Nolo tuam »audire confessionem, ne quid mihi con»tingat, quia amore tui captus sum;" item: »Totum me commoveri sentio ex »affectu, quo te prosequor;" vel: »Do»mum tuam veniam, et promitte mihi »te facturam esse quod voluero." Ratio

[1] Cfr. Revue théol. 1876. *pag.* 357.

horum est, quia hæc et similia verba, impertinentia ad confessionem, valde incitativa sunt ad venerem. (*n.* 704.)

2° Si pœnitentis sollicitationi consentiat, quamvis statim desistat de turpi materiâ loqui, illius complementum ad aliud tempus differat, et non præbeat absolutionem pœnitenti. Imo idem dicendum, etiamsi metu inductus sollicitationi consentiat. Ita Declar. S. C. Inquis. 11 Febr. 1661. dub. 2. et 9; et Instruct. 20 Febr. 1867. n. 2.; [1] et ratio est, quia habet inhonestum tractatum, et consensus incitat libidinem pœnitentis.

3° Si sollicitatus a pœnitente ad copulam, renuat, dicens se velle tantum tactibus oblectari. Sequitur ex citatis Decretis.

4° Si pœnitentem osculis vel tactibus lascivis incitat ad libidinem; si fixis aspectibus lascivis aut signis libidinosis ei suum impurum amorem aperiat. *Ita communiter.*

255. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An sollicitare dicendus sit Confessarius, qui pœnitentis pulchritudinem laudat?*

Resp. Dist. Affirm., si ex adjunctis dignoscatur pravus finis; secus *negative*, v. g. si laus esset seria, vel ex quâdam animi levitate procederet.

Eadem distinctio valet, si Confessarius magnum vel insolitum donum daret mulieri pœnitenti. Ita probabile est ex Declar. S. C. Inquis. 11 Febr. 1661. dub. 12. et 16. (*n.* 703.)

QUÆR. 2° *An sollicitare dicendus sit occasione confessionis Confessarius, qui, ob mulieris fragilitatem auditam in ejus confessione, postea domi eam sollicitat?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia sollicitatio facta ex *cognitione* confessionis, non potest dici facta *occasione* confessionis, cum remota sit et a *loco* et ab *actu* confessionis. Ita Trullench. Navarr. Leand. Rosignol. Dian. Castrop. Salm. etc.

2ª Sententia probabilior affirmat; quia, cum sollicitatio *impulsum* accipit a confessione, satis verificatur quod *occasione* confessionis fiat. Ad hoc tamen præsumendum requirunt alii ut Confessarius, compertâ pœnitentis propensione ad libidinem, in confessione interrogaverit ubi habitet, an maneat sola, et similia; alii ut sollicitatio eâdem die contingat. Ita Potest. *n.* 604. Bordon. Lezan. Peyrin. Graff. Concin. Mazzot. Roncag. Giraldi. *Expos. Jur. Pontif. sect.* 809. *reg.* 4. etc. (*n.* 678. H. A. *n.* 168. Ferrar. *v. Sollicit. n.* 23.)

QUÆR. 3° *An requiratur simulatio confessionis, quando sollicitatio fit in confessionali?*

Resp. Olim controversia erat inter DD. Hodie vero affirmandum est; 1° ex regula generali: »Clausula ultimo loco »posita ad omnia antecedentia connexa »refertur." 2° Ex Declar. S. C. Inquis. 11 Febr. 1661. dub. 15, qua probabiliter denuntiandus non est Confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando confessionem. Non obstant Decretum Pauli V 30 Julii 1614. et Edictum S. C. Inquis. 10 Mart. 1677; nam Decretum Pauli excludit quidem *occasionem*, sed non *simulationem* confessionis, imo verba: »tractant cum mu»lieribus in confessionali" satis designant coëxsistentiam mulierum in eo loco, atque adeo simulationem confessionis: Edictum cit. expresse restringit utentes confessionali ad utentes *contra Decreta et Constitutiones Apost.;* hæc autem simulationem exposcunt.

In praxi simulatio confessionis regulariter aderit.

QUÆR. 4° *An detur parvitas materiæ in delicto sollicitationis?*

Resp. Negat.; quia »in rebus vene»reis non datur parvitas materiæ, et, si »daretur, in re præsenti non datur." Ita S. C. Inquis., 11 Febr. 1661. dub. 3. Dicitur: *in rebus venereis;* nam secus est probabilius, si Confessarius sollicitat ad actus leviter dumtaxat inhonestos; nisi ex circumstantiis certe conjiceretur Sacerdotem animum habuisse ulterius progrediendi. (*n.* 683.)

§ II. *Obligatio denuntiandi sollicitantes.*

256.—I. Omnes pœnitentes sub mortali tenentur Confessarios sollicitantes seu inhonesta tractantes denuntiare Ordinario loci, vel Sanctæ Sedi per S. Pœnitentiariam vel S. Inquisitionem. Constat ex cit. Constit. et Instruct.; finis autem est, non rei emendatio, sed condigna punitio, ut et cæteri timorem habeant, eoque pacto abusus Sacramenti præcaveatur.

Quocirca notanda sunt: 1° Denuntiare debent personæ *quæcumque* sint, sive mares sive fœminæ, sive sæculares sive Moniales, sive nobiles sive ignobiles, cujuscumque conditionis sint. Constat ex Constit. et Instruct. cit.

2° Denuntiare oportet quemcumque Sacerdotem, etiam jurisdictione carentem, tam sæcularem quam Regularem quomodolibet exemptum, ac cujuscumque dignitatis sit; insuper, sive ipse sollicitaverit sive pœnitentis sollicitationi consenserit; imo, etiamsi emendatus fuerit. Constat ex cit. Constit. et Instruct. (*n.* 686. 688.)

3° Urget obligatio denuntiandi, sive pœnitens sollicitationi consenserit sive eam repulerit, consensum tamen manifestare non debet; item, etiamsi sollicitatio fuerit mutua inter Confessarium et pœnitentem, vel pœnitens ipse sollicitaverit et Confessarius consenserit; vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit; aut pœnitens sollicitationem non posset juridice probare, ut colligitur ex prop. 5. damn. ab Alex. VII: »Quamvis evidenter tibi constet Petrum »esse hæreticum, non teneris denuntiare, »si probare non possis;" præterea, etiamsi Confessarius suâ sponte comparuerit, aut ab alio jam fuerit denuntiatus, quin etiam punitus; quia lex obstringit *singulos* sollicitatos. Constat ex loc. cit. et Decreto S. Inquis. 26 Jul. 1628. (*n.* 700. 697. 695. 687.)

4° Ex Decreto S. Inquis. 11 Maji 1707, puella in simplicitate constituta et absque notitia inhonestatis tenetur denuntiare Confessarium sollicitantem, postquam compos effecta fuerit et notitiam præteritæ sollicitationis acquisiverit.

II. Omnes Confessarii sub gravi obligantur monere suos pœnitentes, quos noverint fuisse ut supra sollicitatos, de obligatione sollicitantes quumprimum poterunt denuntiandi. Constat ex cit. Constit. et Instruct.

Porro 1° A pœnitentibus admonendis instruendisque eorum bona fides non excusat.

2° Confessarii, qui pœnitentes suos non admonent, puniri debent. Ita Instruct. *n.* 3. 4.

3° Confessarii pœnitentes docere debent a) obligationem denuntiandi, b) tempus intra quod implenda sit, c) pœnam omissioni impositam, d) denique modum denuntiationem perficiendi.

III. Confessarii absolvere nequeunt pœnitentes, quos noverint sollicitatos, nisi prius delinquentem denuntiaverint, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos promittant. Constat ex Constit. Benedicti XIV, et Instruct. S. C. Inquis.

Porro 1° Etiamsi Confessarius certo prævideat personam sollicitatam non esse denuntiaturam, debet nihilominus monere illam de suâ obligatione, et dimittere, si denuntiare omnino renuat. Constat ex cit. Constit. et Instruct.; ratio autem est, ob vitandum damnum commune. (*n.* 694.)

Interim laudandus est Confessarius, qui operam suam pœnitenti non denegaverit. In hoc casu ergo pœnitentem non quidem absolvat, sed alio commodo tempore ad se redire faciat, interea Ordinarium, vel S. Sedem per S. Pœnitentiariam aut S. Inquisitionem, expositis omnibus circumstantiis, pro opportuno remedio consulat, suppresso tamen pœnitentis nomine. Ita cit. Instruct. *n.* 7.

2° Qui ob justam causam denuntiationem differre debent, eamque quo citius poterunt faciendam serio spondent, absolvi possunt. Ita cit. Instruct. — Justa causa esset, si Episcopus longe distet, vel si sit necessitas communicandi ad vitandum scandalum vel ob lucrandum Jubilæum. (*n.* 693.)

3° Denique notetur prop. 7. damn. ab Alex. VII: »Modus evitandi obligationem »denuntiandæ sollicitationis est, si solli»citatus confiteatur cum sollicitante: hic »potest ipsum absolvere absque onere »denuntiandi."

IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare intra mensem Confessarios sive Sacerdotes, a quibus sollicitati fuerint, ipso facto incurrunt excommunicationem, nemini tamen reservatam. Ita Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.*

Quocirca notandum: 1° Mensis computandus est a die, quo cognoverint tum obligationem denuntiationis, tum tempus intra quod explenda est, tum pœnam omissioni adnexam.

2° Facta denuntiatione, excommunicatio contracta a quolibet Confessario absolvi potest.

257.—**Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quid agendum sit in dubio de sollicitatione facta?*

[1] Cfr. Revue théol. 1876. *pag.* 345. Revue des scienc. ecclés. *Tom.* 18. *pag.* 359.

Resp. Dist. 1° Si actus *externus* præ se ferat veram sollicitationem, et dubitetur tantum de *intentione* Sacerdotis, facienda est denuntiatio; quia intentio præsumitur esse consentanea actui externo.

2° Si actio externa sit *ambigua*, non est facienda denuntiatio, nisi accedant vehementia indicia pravæ intentionis, quæ moralem fundent certitudinem; quia in dubio nemo privandus est famâ, quam possidet. (*n.* 702.)

Res utrimque spectata gravissima est: nam ex unâ parte bonum spirituale animarum præponendum est bono temporali alicujus Sacerdotis; ex alterâ vero parte grave malum est innocentis Sacerdotis famam in tanto crimine maculare apud Superiorem, eumque injustæ punitionis periculo exponere.

QUÆR. 2° *An facile fides habenda sit mulieribus Sacerdotem de sollicitatione accusantibus?*

Resp. Negat.; non semel enim accidit, ut mulierculæ ex odio, vindictâ, zelotypiâ, aliove pravo motivo, Sacerdotes prorsus innocentes atrociter calumniatæ sint. Quapropter sedulo explorandæ sunt tum pœnitentis sinceritas, tum facti circumstantiæ, præcipue quidem cum mulieres præcepto denuntiationis facile obtemperant; hæc quippe facilitas suspicionem præbet. (Gury. *n.* 596.)

QUÆR. 3° *An Confessarius, qui sollicitavit, absolvi possit a quovis Confessario?*

Resp. Affirm., si rite dispositus sit; quia sollicitatio nullo jure reservata est; nisi tamen in aliqua diœcesi ab Episcopo reservata sit. (Ferraris. *v. Sollicit. n.* 54.)

QUÆR. 4° *An obligatio denuntiandi urgeat, non solam personam sollicitatam, sed etiam aliam, quæ aliunde novit sollicitationem?*

Resp. Dist. 1° Virtute Constitutionum Pontificiarum contra sollicitantes, sola persona sollicitata obligatur, sicut exposuimus.

2° Vi præcepti denuntiandi intra mensem hæreticos et suspectos de hæresi, denuntiare Confessarios sollicitantes tenetur quicumque *certo* noverit, licet sub secreto jurato, aliquem sollicitasse, v. g. ex relatione fide dignâ ipsius pœnitentis sollicitatæ (extra Confessionem nempe); quia ejusmodi Confessarii sunt suspecti de hæresi. Et quamvis præceptum denuntiandi hæreticos et suspectos de hæresi hodie usu ferme non vigeat, respectu tamen illorum Confessariorum in suo vigore persistit. Attamen hæc obligatio non tam rigida est; nam non obligat a) si persona sollicitata denuntiet; b) cum gravi damno sive incommodo, nisi Sacerdos magnæ auctoritatis frequenter sollicitaret pœnitentes; c) si Confessarius esset cognatus usque ad 4um gradum; quia in hoc semper adest grave damnum aut incommodum. Ita Mazzot. *tr.* 2. *disp.* 1. *qu.* 1. *cap.* 2. § 4. et alii communiter. (*n.* 695. 698. *lib.* 4. *n.* 249. 250. H. A. *tr.* 13. *n.* 76.)

§ III. *Modus denuntiandi.*

258. — Ad finem legis assequendum, tria Ordinario indicanda sunt: 1° *ipsum sollicitationis crimen* cum omnibus suis adjunctis, describendo modum, locum, confessionale, tempus, occasionem, vices, etc.; ut Ordinarius judicare valeat an crimen lege designatum reapse commissum fuerit; 2° *nomen Confessarii sollicitantis*, ut ab Ordinario accersiri, et, si reus deprehendatur, puniri possit; si denuntians ejus nomen et cognomen ignoret, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando ut recognosci valeat; 3° *nomen et domicilium denuntiantis*, ut Ordinarius de illius veracitate inquirere, ipsumque, si opus fuerit, ut testem vocare valeat.

II. Denuntiatio fieri potest aliquo ex sequentibus modis: 1° Persona sollicitata adeat Ordinarium, cui prius sollicitationis actum, deinde, si Ordinarius roget, tam proprium quam sollicitantis nomen revelet. Hoc modo fieri debet, si possit; si non possit, tenetur denuntiare per epistolam, ut sequitur.

2° Scribat epistolam, quâ Ordinarium certiorem facit se habere denuntiationem faciendam, pertinentem ad tribunal ecclesiasticum, et rogare ut delegetur vir ecclesiasticus ad eam excipiendam. — Si persona scribere nequeat vel tergiversetur, potest Confessarius, de licentia pœnitentis, ejusmodi epistolam scribere.

Quodsi persona sollicitata, ob nimium pudorem aut infamiæ timorem, apud alium, præter Confessarium, deponere recuset, moneatur eâ de re Episcopus, qui ipsum Confessarium in ejusmodi casu delegare poterit ad denuntiationem in forma judiciaria recipiendam. Ita ex Instruct. cit. *n.* 7. (Marc. *n.* 1800.)

259. — Notandum superest: 1° Denuntiationes anonymæ nullam vim habent. Instruct. cit. *n.* 6.

2° Denuntiatio facienda est Episcopo diœcesis *pœnitentis*, etiamsi Confessarius sollicitans ad aliam diœcesim pertineat; præfati nempe Episcopi est juratam excipere denuntiationem, eamque ad Episcopum rei transmittere. (Gury. *Cas. consc. tom.* 2. *n.* 652.)

§ IV. *Modus recipiendi denuntiationem.*

260.—I. Denuntiationes fieri debent *in judicio*, nempe coram Episcopo ejusve delegato, cum interventu ecclesiastici viri, qui Notarii partes teneat, et cum juramento cumque expressione et subscriptione sui nominis. Prohibetur ne alii testes intersint. Cavendum quoque ne ex denuntiantibus quæratur num sollicitationi consenserint: et convenientissimum foret si de hujusmodi consensu, quantumvis sponte manifestato, nihil notetur in tabulis. Instruct. cit. *n.* 6.

Deputatio Judicis et Notarii *scripto* exaranda est. (Ibidem.)

II. Si quando Confessarius aliusve ecclesiasticus vir, ad hoc gravissimum munus idoneus, ab Episcopo deputetur ad denuntiationem recipiendam absque interventu Notarii, eam conficere debet juxta modum infra referendum. Quapropter de actu denuntiationis *judiciaria ratione* assumendo instrui debet, ac moneri ut statim a receptâ denuntiatione eam continuo ad ipsum Episcopum, a quo deputatus fuit, caute transmittat, neque confecti actûs exemplum vel vestigium aliquod sibi retineat. Instruct. cit. *n.* 8.

Recipiens denuntiationem exploret num denuntians integram fidem mereatur; præmoneat ipsum crimen falsæ denuntiationis reservatum esse S. Pontifici, nec non de consensu præstito nullam quæstionem institui.

III. Si in denuntiationibus aliæ indicantur personæ forte pariter sollicitatæ, vel quæ de hoc crimine testimonium ferre possint, hæ quoque omnes et seorsim judiciariâ formâ superius enuntiatâ examinandæ sunt, et primo per *generalia*, deinde gradatim, quoad ita res ferat, ad *particularia* deveniendo, interrogari debent, utrum et quomodo revera fuerint ipsæ sollicitatæ, vel alias personas fuisse sollicitatas viderint vel audierint. Instruct. cit. *n.* 9.

IV. Quicumque ad has pertractandas vel defendendas causas assumuntur, jusjurandum de secreto servando debent emittere, et ipsi Episcopi aliique locorum Ordinarii ad servandum secretum obstringuntur.

Qui denuntiant, quique in hisce causis examini subjiciuntur, juramentum ab initio de veritate dicendâ, et, actu expleto, de secreto servando, tactis Evangeliis, præstare tenentur. Instruct. cit. *n.* 14.

261. — Modus recipiendi denuntiationes absque interventu Notarii, ab iis servandus qui ad hoc delegantur.

»Die Mensis Anni"

»Sponte personaliter comparuit coram »me infrascripto sistente in *(notabit »locum, ubi reperitur ad actum reci»piendum)* ad hunc actum tantum ab »Illustrissimo et Reverendissimo N. spe»cialiter delegato, prout ex ejusdem »Ordinarii litteris mihi directis et datis »sub die *(exprimet quo die ipsi scrip»tæ fuerint litteræ)* præsenti positioni »alligandis, N. N. *(Scribet nomen, cog»nomen, patrem, patriam, ætatem, »conditionem et habitationem personæ »denuntiantis; et, si hæc Religiosa »fuerit, exprimet etiam nomen, quo ea »vocabatur in sæculo. Deinde prose»quetur,)* cui delato juramento veritatis »dicendæ, quod præstitit tactis SS. Dei »Evangeliis (*quæ manu tangere faciet,*) »exposuit prout infra, videlicet:"

Hic persona denuntians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu Notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia justis de causis eidem Rmo Antistiti se sistere nequit: deinde narrare continuo debet quæ ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu scripta, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices, ac singula adjuncta, nec non utrum in actu confessionis, an prius, vel post sacramentalem absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem et ipsum Confessarium sollicitantem, et quatenus hujus

nomen et cognomen ignoret, aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus, non esse interrogandam personam denuntiantem, utrum consensum ad actum turpem quocumque modo præstiterit vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce exscriptis prout narrantur, delegatus quæ sequuntur, neque aliud præterea quidpiam requiret.

Interrogata: *An sciat, vel dici audierit, dictum N. N.* (nominando personam) *Confessarium sollicitasse alias pœnitentes ad turpia?* et quatenus etc.

Respondit: (Notabit responsionem, et si hæc affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiæ.)

Interrogata: *De fama supradicti Confessarii N. N. tam apud se, quam apud alios?* et quatenus etc.

Respondit: (Responsionem exscribet.)

Interrogata: *An odio vel amore præfata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus*, etc. et quatenus etc.

Respondit: *Recte* (si ad propriam conscientiam exonerandam denuntiasse se dicet.) Si a sollicitatione plus uno mense præterlapsum fuerit, erit etiam interroganda:

Interrogata: *Cur tamdiu distulerit præfata denuntiare propio Ordinario et conscientiam suam exonerare?*

Respondit: (Notabit responsionem.)

Actus claudatur hac ratione.

»Quibus habitis et acceptatis etc. di»missus (vel dimissa) fuit juratus (vel »jurata) de silentio servando ad novum »tactum SS. Dei Evangeliorum: *(super »Evangelium iterum jurabit)*: et in »confirmationem præmissorum se sub»scripsit, *(et si scribere nesciat)* et cum »scribere nesciret, prout asseruit, fecit »signum crucis *(crucis signum calamo »faciendum ab ea exiget.)*"

Postquam denuntians se subscripserit, aut crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo:

»Acta sunt hæc per me N. N. ab »Illmo et Rmo Antistite N. N. ut »supra specialiter delegatum."

Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittat[1] una cum instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo.

§ V. *Modus procedendi contra denuntiatos.*

262. — I. Accepta denuntiatione, antequam procedat, Superior ecclesiasticus sedulo inquirere debet utrum persona denuntians sit fide digna. In hâc enim causâ ad plenam probationem faciendam unus testis sufficit, at tum solum, cum præsumptiones, indicia et alia adminicula concurrunt. Judex igitur contra denuntiatum procedere non debet, nisi perspectum exploratumque sit quod mulieres vel viri denuntiantes boni nominis sint, neque ad accusandum vel inimicitiâ vel alio humano affectu adducantur; oportet enim ut testis singularis ab omnibus privatis affectionibus immunis sit, ut ipsi integra fides haberi possit. Instruct. cit. *n.* 10.

II. S. Inquisitionis praxis est, post unam alteramve denuntiationem decernere ut denuntiatus *observetur;* post tertiam denuntiationem procedi solet, hoc modo: ad formale examen vocantur Parochi vel probatæ fidei spectatæque virtutis viri præsertim ecclesiastici, qui, cum juramento de veritate dicendâ et de secreto servando, super qualitatibus denuntiantium et denuntiati et super mutuis eorum odiis et inimicitiis examinentur. Absente inimicitiâ et compertâ bonâ qualitate testium, reus in judicium vocatur, et coram Judice cum interventu Notarii super singulis cujusque denuntiationis et examinis adjunctis, juramento dicendæ veritatis obstrictus, respondere debet. Cavetur solertissime, ne denuntiantium nomina reo manifestentur et ne sacramentale sigillum quoquomodo violetur. Instruct. cit. *n.* 11.

III. Quando, acceptis rei responsis eoque ad defensionem admisso, perspecta evaserit patrati criminis veritas, interdicenda illi erit in perpetuum confessionum auditio, subtrahendo omnes et quascumque facultates ad id muneris eidem, etiam per quodcumque privilegium vel ab ipsâ S. Sede, impertitas. Hujusmodi sententiam Episcopus ipse, non alius ab eo delegatus, proferat; et pro modo culpæ, atque omnibus attentis circumstantiis, cæteras quoque pœnas reo irroget, quæ in Pontificiis Constitutionibus decernuntur. Præterea, si reus in judicio crimen confessus fuerit, congruam debet emittere abjurationem, ut se ita purget ab hæresis suspicione: et hâc quoque pœna in ipsâ sententiâ mulcetur. Instruct. cit. *n.* 12.

IV. Qui nullâ denuntiatione præventi, Ordinario loci ejusve delegato se sistunt, patratas sollicitationes sponte ac plene confitentur et veniam petunt, dimitti debent cum congruâ abjuratione et pœnitentiis dumtaxat salutaribus, adjecto consilio vel præcepto, ut ab excipiendis personarum sollicitatarum confessionibus abstineant. Idque valet, licet denuntiationes postmodum accedant.

Ii vero, quos veritatem non integram in prædicto casu confessos esse Ordinarius ex acceptis postea denuntiationibus deprehenderit; ii quoque, qui judiciariâ formâ jam præventi, sed nondum citati, suâ sponte se sistunt, beneficio impunitatis non gaudent, verumtamen pro ipsius Ordinarii prudentiâ mitius puniantur. Instruct. cit. *n.* 13.

263. — Notanda supersunt: 1° Causæ sollicitationis, utpote ad fidem attinentes, secretissime peragantur, et, postquam fuerint definitæ et exsecutioni traditæ, perpetuo silentio omnino premantur. Quare omnes, quos Ordinarii in hisce causis adsciscunt, juramentum de secreto servando emittere debent. Instruct. cit. *n.* 14.

2° In regionibus, in quibus difficillimum foret prædicta omnia adamussim servare, S. Sedes nonnunquam indulget ut absque judicii ordine procedatur, mediis et modis magis facilibus et expeditis. Instruct. cit. *n.* 15.

3° Si Ordinarii in conficiendis processibus, vel in proferendâ sententiâ, gravioribus involvantur difficultatibus, rem, transmissis actis, deferre poterunt ad S. Inquisitionem, quæ peculiares instructiones singulis casibus accomodatas tradet, ac definitivam sententiam, si expediat, ipsa proferet. Instruct. cit. *n.* 16.

4° Præmissa ubique locorum observatu facilia sunt, et, si impleantur, haud difficulter denuntiandi munus adimplebitur, totumque negotium caute recteque procedet. Instruct. cit. *n.* 8. *et* 16.

§ VI. *Pœnæ infligendæ sollicitantibus.*

264. — Pœnæ, quas Pontificiæ Constitutiones sollicitantibus irrogandas decernunt, sunt sequentes: 1° suspensio ab exercitio Ordinis; 2° privatio beneficiorum, dignitatum et officiorum, cum perpetuâ inhabilitate ad illa; 3° privatio vocis activæ et passivæ, si Regulares sint; 4° perpetua inhabilitas ad Missam celebrandam.

Circa has pœnas animadvertere oportet: 1° Omnes sunt tantum *ferendæ sententiæ*, uti constat ex cit. Instruct. *n.* 12.

2° In iis infligendis Episcopus procedat juxta dicta in præcedenti §.

3° Abstinendum est ab infligendâ degradatione et traditione brachio sæculari. Id nimirum a Gregorio XV statutum fuit: cæterum *ad terrorem* potius impositum haberi debet quam ut exsecutioni mandetur. Instruct. cit. *n.* 12.

CAPUT III.

DOTES CONFESSARII.

Confessarius, ut licite et cum fructu ministret hoc Sacramentum, debet præditus esse scientia, prudentia, et bonitate vitæ. Ita Rituale Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 1. De singulis disserendum nobis est.

ARTICULUS I.

SCIENTIA.

265. — **Principia.** I. Confessarius sub gravi culpa tenetur callere Theologiam Moralem. Quisquis enim munus aliquod assumit, ea scire tenetur, quæ ad rite illud obeundum spectant; ignarus Confessarius evidenti periculo se exponit graviter errandi, cum injuria Sacramenti et magno animarum detrimento. (*n.* 628.)

II. Non requiritur in Confessario scientia *eminens*, qua semper possit statim et per seipsum omnes casus resolvere; sed sufficit *mediocris*, qua sciat ea, quæ frequentius occurrunt, de aliis vero minus obviis saltem dubitare norit, ut vel proprio studio aut doctiorum consilio dubium occurrens prudenter resolvere queat. Ratio est, quia

[1] Tuto nimirum, ne forte perdatur; tutius esset eum deferre.

secus paucissimi reperirentur apti ad confessiones audiendas. (*n.* 627.)

266. — **Resolutiones.** 1° Confessarius ut *Doctor* scire tenetur tum ea, quæ ipsemet præstare debet ut Sacramentum rite administret, tum ea, quæ docere pœnitentes debet, nempe quæ permittere, quæ prohibere, quæve imponere eis debeat. Ut *Judex* scire tenetur, quænam peccata ex iis, quæ communiter occurrunt, sint mortalia et quænam venialia, saltem ex genere suo; species, numerum, et circumstantias necessario in confessione aperiendas; qualis dispositio sit necessaria in pœnitente ut absolvi possit; quæ peccata habeant adnexam obligationem restitutionis; casus reservatos; censuras saltem communiores, et similia. Ut *Medicus* scire debet remedia opportuna peccatis, ut præterita curentur et futura caveantur. (*n.* 627. *Prax. Conf. n.* 18.)

2° Non eadem scientia requiritur in omnibus Confessariis, sed major vel minor pro diversitate locorum et personarum. Quapropter Confessarius expositus pro quovis genere personarum in magnis civitatibus majori scientia abundare debet, præ exposito in parvis oppidis, qui rusticorum confessiones audire debet. (*n.* 627. *Prax. Conf. n.* 18.)

3° In statu damnationis est Confessarius, qui concius suæ inscitiæ hoc munus exercet; nec eum excusat approbatio Episcopi; hæc enim non infundit scientiam, sed supponit. Dixi: *conscius;* nam qui dubitat de sua aptitudine dubium deponere debet, quando Prælatus, qui eum bene novit, imponit illi hocce munus, dummodo nempe seduliori studio se habilem reddere satagat. (*Prax Conf. n.* 18.)

4° Excusatur Confessarius, qui caret sufficienti scientia, si adsit necessitas, v. g. in articulo mortis. Item in parvis oppidis, si haberi nequeant docti Sacerdotes, deputari possunt minus docti, quales possint haberi; magis siquidem expedit indoctos præficere, quam oppida illa diu carere Confessario et Pastore. Admonendi tamen hi sunt de obligatione pro capacitate studendi doctioresque consulendi. (*n.* 628.)

5° Nullus Confessarius intermittere debet Theologiæ Moralis studium; quia ex tot rebus tam diversis et inter se disparibus, quæ ad hanc scientiam pertinent, multa, quamvis lecta, quia rarius accidunt, temporis progressu e mente decidunt; quare oportet semper frequenti studio eas in memoriam revocare. (*Prax. Conf. n.* 18.)

Neque experientia potest scientiam supplere, sed juvare tantum; ubi autem scientiæ præsidio destituitur, in errores plurimos, eosque gravissimos, temerarium Confessarium impellet. (Gury. *n.* 609.)

6° Denique notatu digna est hæc S. Alphonsi admonitio: »Qui ad hoc »munus excipiendi confessiones inhiant, »non facile sibi suadeant quod satis »idoneos ad tantum munus se reddere »possint sine diuturno studio scientiæ mo»ralis; pro qua certe non sufficit aliquam »percurrere Summulam earum, quæ »circumferuntur; nec satis est generalia »principia hujus facultatis scire, ut qui»dam autumant, qui (casuistas contem»nentes) litteratorum sibi nomen arro»gant. Moralis enim scientia non solum »valde necessaria est Christianæ Reipu»blicæ, cum ex ea dependeat bonum »regimen animarum, sed etiam est »summopere difficilis; tum quia genera»lem notitiam requirit omnium aliarum »scientiarum, officiorum et artium; tum »quia tot diversas complectitur materias »inter se dissitas; tum quia ex magna »parte constat tot legibus positivis, quæ »nonnisi apud casuistas allatæ inveniun»tur, et maxime apud recentiores, cum »hujusmodi leges in dies prodeant; de»mum difficillima evadit propter innu»meras casuum circumstantias, ex quibus »resolutionum pendet variatio: nam ex »circumstantiarum diversitate diversa »applicanda sunt principia: et in hoc »difficultas consistit, cum nequeat id »fieri sine magna discussione, vel plu»rium accurata lectione librorum, qui »res examinant et dilucidant." (*n.* 628.)

ARTICULUS II.

PRUDENTIA.

267. — I. Maxime necessaria est Confessario prudentia, qua noscat principia in praxim deducere et applicare juxta personarum adjunctorumque exigentiam, ita ut neque in laxitatem neque in rigorem impingat. Judicis enim et medici est ea recte aptare, quæ ad causas judicandas vel morbos curandos requiruntur; Confessarius autem est judex ac medicus animarum.

II. Confessarius debet esse prudens tum erga pœnitentem, tum ergo seipsum, ut neutri noceat, tum etiam erga Rempublicam Christianam, ne cum detrimento Religionis et scandalo multorum ministerium suum præstet pœnitenti, sed pro viribus bonum publicum procuret.

268. — Erga pœnitentem debet esse prudens præcipue in sequentibus: 1° In *interrogatione*, ut scil. roget verisimilia secundum cujusque statum; non doceat simpliciores ignota peccata; cautissimus præsertim sit in materia sexti præcepti, ne pœnitens vel ignota addiscat vel in tentationem inducatur; detegat vulnera latentia; investiget spiritualium morborum causas et gravitatem. (*Prax. Conf. n.* 6. 180.)

2° In *instructione*, monendo pœnitentem ignorantem vel relinquendo illum in sua bona fide, prout bono pœnitentis expediat. (*Prax. Conf. n.* 8. 9.)

3° In *applicandis mediis* accommodatis pœnitenti, cumprimis tollendo causas peccatorum. (*Prax. Conf. n.* 15.)

4° In *imponenda salutari pœnitentia*, quæ sit accommodata peccatis et pœnitenti, sed magis pœnitenti, declarando quanta deberetur ejus peccatis, et cohortando ad majorem. (*Prax. Conf. n.* 11. 12.)

5° In *absolutione*, ut recte discernat pœnitentis dispositionem vel indispositionem; indispositos apte disponere satagat; absolutionem concedat vel differat, prout saluti eorum expediat, potissime cum occasionariis et recidivis. (*Prax. Conf. n.* 10. 63—77.)

6° In *consulendo*, si casus difficilis occurrat, ne temere resolvat, sed circumstantias diligenter inquirat, et, si opus fuerit, a pœnitente tempus petat ad studendum ac virum doctum consulendum. (*Prax. Conf. n.* 194.)

7° In *seligendis opinionibus*, ut inter utrimque probabiles eas sequatur, quæ pœnitentes magis removent a periculo peccati formalis. Hujus generis regulariter sunt opiniones benigniores; quandoque vero rigidiores, in lubricis nempe materiis. (*Prax. Conf. n.* 114.)

8° In *custodiendo sigillo sacramentali*, ut in hoc gravissimo negotio caveat omne periculum revelationis sive directæ sive indirectæ, et in dubio tutiorem sequatur partem. (*Prax. Conf. n.* 117.)

269. — Erga seipsum prudens esse debet 1° in *exquirendis circumstantiis peccatorum contra sextum præceptum*, ut non sciscitetur modos minutos non necessarios, ne seipsum vel pœnitentem excitet ad aliquam tentationem.

2° In *vitando aspectu fœminarum*, juniorum præcipue, et, nisi crates interjecta sit, manus certe cum sudario intercedat. (*Prax. Conf. n.* 119.)

3° In *agendo caute cum fœminis*, ut nempe resecet superfluas confabulationes; omnem vitet familiaritatem; munuscula non recipiat; absque necessitate eas domi non invisat; cum junioribus præsertim rigidus potius sit quam suavis. Hæc cumprimis servanda sunt cum personis spiritualibus, quibuscum est periculum majoris adhæsionis. (*Prax. Conf. n.* 119.)

ARTICULUS III.

BONITAS VITÆ.

270. — Nomine bonitatis intelligimus, non solum statum gratiæ, verum etiam complexum earum virtutum, quæ ad divinum hoc munus cum fructu obeundum postulantur. (*Prax. Conf. n.* 1.) Præcipuæ porro sunt:

1° *Zelus animarum*, qui efficere debet, ut Confessarius non refugiat a molestiis huic ministerio adnexis, ob pœnitentium sive multitudinem, sive ruditatem, sive peccatorum molem; sed contra, omnibus omnia fiat, ut omnes Christo lucrifaciat, absque personarum acceptione, non præferendo divites pauperibus, fœminas viris, pios peccatoribus, conjugatos juvenibus. Omnibus sedulam curam impendat, ut peccatorum vulnera sanet, justos in via salutis custodiat, pios in virtutum exercitio rite instruat et adjuvet; atque hæc agens uberem animarum messem in horrea Patris cœlestis invehet, sibique pinguem mercedem parabit.

2° *Charitas paterna*, ita ut benigne excipiat omnes, sive pauperes, sive rudes, sive peccatores sint; maxime vero miseros peccatores, quos quo majori peccatorum multitudine et atrocitate coinquinatos reperit, eo majori cum charitate amplecti debet, ut Deo ipsos lucrifaciat. Suavem et benignum se exhibeat in omni, quo fungitur, munere:

in instruendo, monendo, interrogando, disponendo pœnitentem, quin etiam dum acriori correptione uti debet, ita ut nunquam impatientiam, iram aut tædium manifestet. Præsertim cum peccatori absolutionem differre debet, blandissime eum tractet, diemque, quâ redire debeat, benevolis verbis assignet. »Hæc est via, »inquit S. Alph., quâ peccatores salvi »fieri possunt, nempe cum eis agere »quantâ maximâ fieri potest charitate; »alioquin, si in Confessarium incidant »qui cum eis inclementer agit, a Con»fessione horrebunt, confiteri negligent, »et effrænate in perditionem ibunt." (*Prax. Conf. n.* 3—5.)

3° *Fortitudo*, ita ut neque ex timiditate neque ex humano respectu officio suo desit; unde quemlibet pœnitentem, qualiscumque dignitatis sit, quantum opus fuerit, interroget, moneat atque corripiat, remedia salutifera, quamvis amara, præscribat; urgeat obligationem restituendi, tollendi occasiones proximas, quamvis peccatori tam charæ sint, quam homini oculus, manus et pes, secundum Christi monitum; denique fortis sit in absolutione differendâ, imo et denegandâ, cuicumque necesse fuerit; verumtamena fortitudine nunquam sejungat mansuetudinem in modo procedendi. (*Prax. Conf. n.* 7.)

4° *Maxima patientia*, contra quam non raro omnia conspirant, nimirum et numerositas peccatorum, et indispositio et ruditas pœnitentium. Ex impatientia sæpe evenit ut Confessarius perturbetur atque minus idoneus efficiatur fungendo suo officio, utque pœnitentes indisponantur, imo et peccata reticeant.

5° *Castitas eximia*, quam ut custodiat, in Confessionibus mulierum abstineat a nimia suavitate, ab omni verbo affectuoso; cautus sit et brevis in interrogando de materia sexti præcepti; extra confessionale omnem devitet cum pœnitentibus alterius sexûs familiaritatem, quæ et bonæ Confessarii famæ et virtuti periculosa esse potest. (*Prax. Conf. n.* 119.)

CAPUT IV.

OFFICIA CONFESSARII.

Agemus de ejus officiis 1° in ipso actu confessionis; 2° post Confessionem exceptam.

ARTICULUS I.

OFFICIA CONFESSARII IN ACTU CONFESSIONIS.

Distinguenda sunt 1° ejus officia in genere, 2° ejus agendi ratio cum diversis pœnitentium generibus. Pro hâc posteriori parte remitto lectorem tum ad Appendicem hujus Tractatus, tum ad *Praxim Confessarii*. De solâ ergo priori parte hoc loco disseremus, expendendo triplex Confessarii munus, videlicet doctoris, medici, et judicis.

§ I. *Officium Doctoris.*

271. — **Principia.** I. Confessarius tenetur *semper* pœnitentem ignorantem docere ea omnia, quæ necessaria sunt ad validam Sacramenti susceptionem. Ratio est, quia minister Sacramenti ejusdem valorem providere debet.

Ejusmodi necessaria sunt v. g. ea, quæ scitu necessaria sunt necessitate medii ad salutem, debitus dolor ac propositum.

Hæc instructio fieri debet, quamvis pœnitentis ignorantia sit inculpabilis, vel nullus fructus speretur; quia alias pœnitens incapax esset Sacramenti. (*n.* 608. 610.)

II. *Ordinarie* tenetur quoque docere pœnitentem ignorantem præcepta vitæ christianæ, sive communia, sive particularia statûs. Ratio est obligatio Confessarii pœnitentes dirigendi in via salutis; porro peccata etiam materialia sunt materia necessaria correptionis fraternæ, ut dictum est in libro II. n. 54. qu. 2. Ergo, si unusquisque tenetur fratrem avertere a peccatis materialibus, a fortiori Confessarius tenebitur. Consonat Rituale Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 13.

Debet ergo Confessarius pro re natâ instruere pœnitentes circa gravitatem peccatorum, circa obligationem restituendi bona aliena, compensandi famam injuste ablatam, proximam occasionem vitandi, scandalum reparandi, subditos corripiendi, eleemosynam largiendi, etc. (H. A. *n.* 105.)

Dixi: *ordinarie*; quia, ut ex dicendis patebit, instructio non semper prodest.

272. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quando Confessarius debeat admonere pœnitentem ignorantem, quando non debeat?*

Resp. 1° Si ignorantia est *vincibilis*, i. e. si Confessarius advertat pœnitentem de quâpiam obligatione ita dubitare, ut jam absit bona fides, puta si pœnitens Confessarium eâ de re interroget, tunc eum admonere debet; quia, sicut tenetur pœnitens dubium illud vincere, sic et Confessarius tenetur veritatem aperire; deinde pœnitens interrogans credi debet dispositus ad se gerendum juxta responsum. Attamen, si præstaret ut pœnitens veritatem ignoret, Confessarius interrogatus non plus respondeat, quam pœnitens rogat. (*n.* 616.)

2° Si ignorantia est *invincibilis*, debet pœnitentem admonere, quoties ex admonitione fructus speratur. Ad hoc judicandum, *generatim* loquendo, pensandæ sunt difficultas rei, de quâ agitur, dispositio pœnitentis, et auctoritas Confessarii in pœnitentem. Porro, *speciatim* loquendo, spes fructûs certe aderit, atque adeo monitio facienda est, in sequentibus casibus: a) quando pœnitens, quamvis initio reluctaturus, brevi tamen obsecuturus prævidetur. Sin autem non credatur nunc æquo animo accepturus monitionem, sed aliâ vice melius suscepturus, Confessarius eam differat in tempus opportunius, ne pœnitens deterritus abstineat a Confessione, et majus detrimentum patiatur. (*n.* 616. H. A. *n.* 115.) — b) Quando ignorantia versatur circa conclusiones proximas primorum principiorum juris naturalis; quia talis ignorantia diu invincibilis esse non potest, et plerumque noxia est pœnitenti. Recole dicta lib. III. *n.* 226. — c) Quando ignorantia versatur circa obligationem deserendi occasionem proximam gravis peccati formalis; quia hæc ignorantia cedit in spirituale pœnitentis detrimentum, cum lapsus in peccata formalia faciliores reddat. — d) Quando ex silentio Confessarii oriretur damnum spirituale Communitatis, v. g. scandalum fidelium; quia, licet Confessarius ratione sui officii teneatur principaliter incumbere bono pœnitentis, nihilominus, cum societatis christianæ et pars sit et in ejus bonum minister constitutus, tenetur præferre bonum commune bono privato pœnitentis. (*n.* 615.)

Dictum est supra: *si ex monitione fructus speratur;* si enim nullus fructus speratur, neque pro pœnitente neque pro bono publico, Confessarius potest et tenetur eam omittere, et pœnitentem in suâ bonâ fide relinquere; quia e duobus malis minus est permittendum, ut majus evitetur; unde in concursu peccati materialis et formalis magis præcavendum est formale, quod solum offendit Deum. Ita communis et vera sententia. (*n.* 610.)

Neque obstat dicere quod pœnitens sit indispositus, eo quod, si moneretur, non pareret Confessario; nam Confessarius non debet attendere ad indispositionem interpretativam, quam pœnitens haberet, sed ad actualem quam nunc habet. Ideo, sicut non licet proximum exponere occasioni, in qua positus succumberet, ita Confessarius, cum prævidet ex monitione ruinam pœnitentis, tenetur ab eâ abstinere, esto pœnitens relinquendus sit in peccato materiali, eo quod unum peccatum formale omnibus præponderet materialibus peccatis. (*n.* 610. *in fine.*)

Quær. 2° *An facienda sit monitio in dubio num sit profutura vel obfutura?*

Resp. Dist. 1° In dubio *negativo* non est omittenda; quia Confessario munus incumbit docendi ignorantem, dum nihil *positive* obstat; deinde nemo præsumendus est malus, adeoque bene sperandum est.

2° In dubio *positivo* regulariter omittenda est; quia peccata formalia sunt potius cavenda quam materialia. Si tamen monitio non obfutura aut probabilius profutura videatur, facienda est. — Dixi: *regulariter;* propter exceptiones in præcedenti quæsito factas. (*n.* 616.)

Adhæc pro dubio resolvendo juvabit sequentia præ oculis habere: unum peccatum *mortale* præponderat mille venialibus; unum peccatum *formale*, sive pœnitentis sive aliorum, præponderat omnibus materialibus (*n.* 610); magis cavendum est damnum *spirituale* pœnitentis, quam damnum temporale alterius (*n.* 614.); bonum commune Religionis præponderat bono particulari pœnitentis. (*n.* 615.)

273. — **Resolutiones.** 1° Omittenda est monitio de restitutione faciendâ, si Confessarius prævideat pœnitentem, qui in bona fide est, non esse obtemperaturum; quia monitio obesset pœnitenti, quin prodesset creditori; quinimo Confessa-

rius magis præcavere debet damnum spirituale pœnitentis, quam damnum temporale alterius. Attamen non facile præsumendum est admonitionem non esse profuturam. (*n.* 614.)

2° Omittenda est monitio, etiamsi pœnitens obtemperaturus esset, quando prudenter timetur ex obtemperatione scandala aliorum, infamiam, lites, aliave gravia inconvenientia oritura esse; præstat enim vitare mala formalia aliorum, quam materialia pœnitentis; v. g. si uxor quidem posset de nullitate sui matrimonii admoneri absque ullo periculo, sed pericula formidanda essent, prout ordinarie continget, ex parte mariti. (*n.* 614.)

3° Si agatur de matrimonio contrahendo, et Confessarius ex confessione pœnitentis detegat impedimentum dirimens matrimonii, quod hic invincibiliter ignorat, Confessarius regulariter tenetur pœnitentem admonere, et obligare ut vel matrimonio renuntiet, vel prævie dispensationem obtineat; tum quia ex matrimonio irrito frequenter oriuntur gravia inconvenientia; tum quia postea ignorantia sæpe cessare solet, quâ cessante, pœnitens expositus est non levi periculo formaliter peccandi; tum denique, quia ordinarie præsumi debet pœnitens obtemperaturus. Si vero nulla spes fructûs adesset, tunc Confessarius omittere debet monitionem, donec ipse dispensationem obtinuerit; quia melius est permittere peccatum materiale, quam præbere occasionem certi peccati formalis. (*n.* 612. H. A. *n.* 113.)

4° Si pridie vel ipso die matrimonii celebrandi, dum omnia parata sunt, ita ut sine scandalo et infamiâ differri jam nequeat, alter sponsorum manifestet Confessario impedimentum occultum, tunc, si tempus suppetat, recurrendum est ad Episcopum, qui in hujusmodi casu ex epikeiâ dispensare potest, prouti in aliis legibus, quando aditus ad Papam est impossibilis, et periculum in morâ; imo potest Episcopus hanc potestatem, utpote ordinariam, delegare aliis, etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus. Si nec ad Episcopum recurri possit, Confessarius ex epikeiâ declarare potest legem impedimenti eo casu non obligare, eo quod nociva esset; attamen, ad cautelam et ad salvandam reverentiam legibus Ecclesiæ debitam, quantocius recurrere debet ad S. Pœnitentiariam, vel Ordinarium facultatibus quinquennalibus instructum, ut dispensationem obtineat. (*n.* 613.)

5° Si, matrimonio jam contracto, Confessarius ex confessione conjugis percipiat matrimonium invalidum esse ob impedimentum occultum, et periculum adsit infamiæ, scandali, aut incontinentiæ, si nullitatem manifestet, tunc omittere debet monitionem, donec obtinuerit dispensationem: quod si nullitas manifestari omnino nequeat, petat sanationem in radice. In præfato casu potest etiam Confessarius obligare putatum conjugem, qui debitum negat, ad reddendum illud; quia, stante ejus persuasione de valore matrimonii, tenetur reddere, ut dictamen suæ conscientiæ sequatur. Hoc autem tutius exsequetur Confessarius dicendo pœnitenti in genere, conjugem teneri debitum reddere, nec absolvi posse, si obligationi suæ satisfacere renuat. (*n.* 611. H. A. *n.* 113.)

6° Monendi sunt Principes, Gubernatores, Prælati, Parochi, Confessarii, qui desunt officiis suis; quia raro contingit eam ignorantiam esse inculpabilem, vel non esse perniciosam aliis, qui facile putant licita, quæ a Superioribus fieri vident. Item monendus est pœnitens, si in iis versetur facti circumstantiis, quæ, Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo; cum quis arbitretur ea sibi licere, quæ ab iis, qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit. Imo, si Confessarius rationabiliter dubitat num hujusmodi pœnitentes suo debito satisfaciant, tenetur eos de illo interrogare. Ita Bened. XIV. Constit. *Apostolica.* 26 Jun. 1749. *n.* 20. (*n.* 615.)

7° Similiter admonendi sunt pœnitentes, si silentium Confessariorum causa foret cur aliquod falsum dogma, sive contra fidem sive contra bonos mores, spargeretur in populum, v. g. Liberalismum, lectionem pravorum librorum vel diariorum, frequentationem noxiarum scholarum, non tam mala esse, eo quod Confessarii ista dissimulent aut non urgeant.

§ II. *Officium Medici.*

274. — Ut medicus spiritualis Confessarius debet causam et gravitatem morborum seu peccatorum cognoscere, ac media salutaria pœnitentibus applicare.

1° Quod causam et gravitatem peccatorum attinet, Confessarius pœnitentes interrogare debet de peccandi consuetudine, de occasionibus proximis, de tempore, de loco, de personis quibuscum, quo rerum concursu in peccata prolabi soleant; sic enim melius poterit pœnitentes corripere, ad absolutionem disponere, et remedia salutaria eis injungere. (*Praxis Conf. n.* 6.)

2° Quantum ad remedia, cognitâ morbi origine et gravitate, Confessarius debet pœnitentes, eos præsertim qui multis mortalibus gravati ad Pœnitentiæ Sacramentum raro accedunt, monere, corripere, disponere ad absolutionem, ac satisfactiones medicinales, quæ magis conveniunt eorum morbo, illis imponere. Demum insinuare debet pœnitentibus remedia spiritualia, quibus in Dei gratia perseverent. Hujusmodi alia generalia sunt pro omnibus, alia particularia pro vitiorum diversitate. Generalia præcipua sunt oratio, veritatum æternarum meditatio, mortis præcipue, devotio erga B. M. V., fuga proximarum occasionum, et Sacramentorum frequentatio. Particularia pro occasionariis et recidivis, vide in Appendice hujus Tractatus. (*Prax. Conf. n.* 7—16.)

§ III. *Officium Judicis.*

275. — Quemadmodum judicis cujuscumque est, causam cognoscere, ejus momenta discutere, et demum sententiam ferre; ita Confessarius primum peccata pœnitentis cognoscere, dein ejusdem dispositionem inspicere, et tandem absolutionem impertire aut negare debet. (*Prax. Conf. n.* 19.)

De triplici hâc obligatione agemus.

1. *Obligatio cognoscendi peccata.*

276. — Cognitio peccatorum acquiritur per confessionem pœnitentis et interrogationes Confessarii. De obligatione Confessarii interrogandi pœnitentes hoc loco nobis disserendum est.

Principia. I. Confessarius non tenetur interrogare pœnitentes, quamvis cæteroquin rudes, qui videntur sufficienter instructi et diligenter confiteri peccata sua cum numero et circumstantiis, juxta statum et captum suum. Ratio est, quia tunc interrogatio et otiosa et onerosa foret. (*n.* 607. *Prax. Conf. n.* 20.)

II. Confessarius tenetur interrogare pœnitentem, quem prudenter suspicatur non satis aperire ea, quæ vel ad integritatem confessionis requiruntur, vel Confessarius scire debet ut judicis et medici partes rite implere valeat. Ita communis sententia. Ratio est, quia ad fidelem Sacramenti ministrum spectat providere, ne necessariâ integritate Confessio fraudetur; præterea, sicuti ad Judicem spectat procurare, ut sibi innotescat omnis causa in suo foro judicanda, ne quam injudicatam relinquat; et ad Medicum, ut omnia vulnera sibi pateant, ne quod incuratum remaneat; sic etiam ad munus Confessarii spectabit, tum omnia peccata perquirere, quæ prudenter suspicatur commissa fuisse a pœnitente ea non manifestante ob ignorantiam, oblivionem, vel ruborem, tum ea peccatoris adjuncta, quibus intelligat quale ei debeat consilium præbere, et cujusmodi medicamentum adhibere ad sanandum ægrotum. Constat quoque ex Concil. Later. IV. *cap.* 21. in *Cap.* 12. *de pœnit.*, et ex Rituali Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 15. (*n.* 607. 629. H. A. *n.* 102.)

Adeo indubia est hæc interrogandi obligatio, ut Benedictus XIV in Constit. *Apostolica.* 26 Junii 1749. docere non hæsitaverit *n.* 19: »Primo loco monemus, »ut meminerint, suscepti muneris partes »non implere, immo vero gravioris cri»minis reos esse eos omnes, qui, cum »in sacro Pœnitentiæ Tribunali resident, »nulla tacti sollicitudine, pœnitentes »audiunt, non monent, *non interrogant*, »sed, expletâ criminum enumeratione, »Absolutionis formam illico proferunt. »Id sane a solertis Medici, qui oleum »ac vinum vulneri infundit, moribus »nimis alienum est. Equidem Medicum »agit quisquis Pœnitentiæ Sacramentum »ministrat; hinc debet, nedum crimi»num circumstantias, sed etiam illius, »qui in crimina lapsus est, indolem ac »ingenium sedulo inspicere, ut illi »præsto sit opportunis remediis, ex »quibus animæ salutem consequatur."

III. Quod integritatem Confessionis

attinet, non tenetur Confessarius examinare pœnitentem exquisitâ industriâ, sed mediocri et prudenti, juxta conditionem, ætatem, captumque pœnitentis. Ratio est, quia non est attendendum solum ad exactam et integram confessionem peccatorum, sed maxime quoque ad conditionem humanam, ne Sacramentum ipsum reddatur grave et odiosum; deinde non est major obligatio Confessarii ad interrogandum, quam pœnitentis ad examinandam suam conscientiam, imo pœnitens obligatur primo loco, et in ejus defectu obligatur Confessarius ad eum juvandum juxta ipsius capacitatem, atque ideo minus obligatur, quam ipse pœnitens. Atqui pœnitens ipse non obligatur nisi ad examen mediocre, quo Sacramentum non reddatur nimis grave et onerosum. Ergo nec major est obligatio Confessarii. (*n.* 607. 629. *Prax. Conf. n.* 20.)

277. — **Resolutiones.** 1° Juxta præfatum principium interrogationes Confessarii debent esse a) *moderatæ;* unde interroget tantum de peccatis, in quæ pœnitens facile incidere potuit, spectata ejus conditione, ætate et capacitate; non roget inutilia, neque importune de numero peccatorum. b) *Discretæ*, juxta doctrinam supra expositam de monitione facienda vel omittenda; potissimum in materiâ luxuriæ cautus sit et parcus, præsertim cum fœminis, adolescentibus et pueris, ne occasionem præbeat pœnitenti curiose investigandi, aut traducendi confessionem, neve ignorantem doceat, aut pœnitentem offendat, aut seipsum vel illum periculo exponat. Si quod ejusmodi incommodum timeat, præstat deesse aliquid integritati materiali confessionis. Deinde interrogationes necessariæ in hac materia debent verecunde fieri. c) *Tempestivæ;* unde ordinarie non præmittat Confessarius plures interrogationes ante confessionem, ne terreat pœnitentem, sed, si pœnitens ignotus sit, tantum interroget initio de tempore elapso ab ultimâ confessione, quippe quod multum juvat ad numerum peccatorum postea melius percipiendum; reliqua intra confessionem, prout opus erit, inquirat. Deinde, intra confessionem, si brevis non sit, statim examinet singula, quæ pœnitens confuse et indistincte dixit; quia, si in finem ea reservet, facile memoriâ excident. Consonat Rituale Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 14. 16. (*n.* 607. 629. 632.)

2° Confessarius confitentem non reprehendat, nisi finitâ confessione, ne forte deterritus alia peccata reticeat. Ita Rit. Rom. *loc. cit. n.* 14. Aliquando tamen incongruum non erit criminum gravitatem humaniter illi exponere, dummodo illico animum ei addat ad reliqua confitenda. (*n.* 607.)

3° Quemadmodum in specierum distinctione inquirenda Confessarii minus instructi deficere possunt, ita contra docti excedere queunt; species enim peccatorum accusandæ sunt a pœnitente et inquirendæ a Confessario pro captu pœnitentis ejusque conscientia, quam peccando habuit, siquidem malitia ignorata non contrahitur: attamen sufficit confusa gravioris malitiæ cognitio seu apprehensio. (Lugo. *disp.* 16. *n.* 589. 590.)

4° Numerum peccatorum, quorum pravo habitu pœnitens tenetur, exquirat Confessarius rogando quoties circiter in mense, in hebdomadâ, in die, peccatum commiserit, sicut n. 189. et 190. explicuimus. Cæterum, quoad peccata interna habituatorum, post duas vel tres interrogationes non debet angi, si judicium, quod facit, sibi videatur nimis confusum esse; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est majorem claritatem sperare. (*Prax. Conf. n.* 20.)

5° Confessarius debet, quantum moraliter fieri potest, omnia peccata pœnitentis audire et intelligere, ita ut peccet, si culpabiliter aliquod peccatum mortale non satis intellexerit; secus enim de iis judicare nequit. (*n.* 626.)

6° Necesse non est ut Confessarius de omnibus, quæ audit a pœnitente, judicet an sint peccata gravia vel levia; sufficit, si sciat hoc judicare de iis, quæ communiter occurrunt: reliqua vero audiat et intelligat, ac postea absolvat. (*n.* 627. H. A. *n.* 104.)

7° Pœnitentes ignotos, de quibus justa potest esse suspicio quod ex pudore aliqua peccata tacuerint, proderit sub finem confessionis mansuete interrogare an sit quidpiam de anteactâ vitâ, quod adhuc conscientiam angat, eos animando ad dicendum omnia. Ejusmodi interrogatione plures pœnitentes, rudes præsertim, mulieres et pueri, solent a sacrilegiis liberari; exinde enim occasionem sumunt confitendi peccata antea celata, vel ex silentio aut perplexâ responsione ansam præbent Confessario suaviter expiscandi. Quodsi defectum priorum confessionum deprehenderit, pœnitentem moneat et adjuvet ad repetendas priores confessiones. (*Prax. Conf. n.* 178.)

8° Perperam agunt Confessarii, qui rudes non satis præparatos dimittunt, ut melius se examinent; vix enim paratiores unquam redibunt; imo timendum est ne difficultate examinandæ conscientiæ territi a Confessione retrahantur et in peccatis obdurescant. Confessarius ergo ipsemet eos examinet secundum ordinem præceptorum. Hæc praxis speciatim servanda est, si pœnitentes illius generis sint, qui vitam solent ducere æternæ salutis negligentes rerumque divinarum ignorantes, procul a concionibus et Ecclesiis; maxime vero, si pœnitens antea ex rubore aliquod peccatum reticuerit, quamvis repetendæ essent confessiones multorum annorum; tunc quippe majus periculum subesset, ne pereat, si non redeat. (*n.* 607. *Prax. Conf. n.* 20.)

9° Ex officio judicis et medici sæpe necesse erit sciscitare ex pœnitente occasionem proximam, necnon relapsum in pravum habitum. (*Prax. Conf. n.* 6.)

278. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quid agere debeat Confessarius in dubio de sinceritate pœnitentis?*

Resp. Post opportunas interrogationes debet pœnitentem negantem absolvere, si cæteroquin absolutione dignus sit; quia in dubio de sinceritate regulariter alia via ad cognoscendam veritatem non patet, nisi testimonium pœnitentis, et cæterum in dubio veracitas ejus præsumenda est; ideo hac in re est regula communiter recepta: »In dubio credendum est pœnitenti tam pro se quam »contra se dicenti.“ (*n.* 631. S. Thom. *Quodl.* 1. *a.* 17.)

Quær. 2° *Quid autem, si Confessarius certo sciat pœnitentem commisisse aliquod peccatum grave, quod tamen non confitetur?*

Resp. Dist. 1° Si sciat *extra Confessionem*, et quidem a) *ex propriâ experientiâ* eo quod ipsemet viderit aut audierit peccatum, non potest pœnitentem absolvere, si hic interrogatus pertinaciter neget, et Confessarius certo sciat eum alteri confessum non esse; tunc enim constat de defectu integritatis formalis. b) *Ex aliorum relatione*, post diligentem interrogationem regulariter debet absolvere negantem; quia standum potius est testimonio ipsius pœnitentis, qui in hoc foro et reus et testis est; relatores autem forte decepti sunt. *Ita communiter.* Dico: *regulariter;* quia, si ex una parte testes adeo fide digni essent, ut eorum relatio in dubium vocari non posset, et ex altera parte certo constaret Confessario pœnitentem non fuisse alteri confessum nec potuisse peccati oblivisci, non potest negantem absolvere; quia tunc constaret pœnitentem mentiri contra integritatem confessionis; sed casus est de raro contingentibus.

2° Si sciat *ex Confessione* complicis, tunc pœnitentem specialiter de illo peccato interrogare nequit, sine complicis expressâ licentiâ, aut nisi peccatum illud commune sit talibus personis, prout v. g. sponsis commune est prolabi in tactus inhonestos, vel saltem in pravas cogitationes; alioquin debet tantum in genere interrogare, v. g. an nihil ultra sit quod conscientiam gravet, cavendo omne revelationis periculum in repetendis pluries ejusmodi interrogationibus.

Utrum porro Confessarius possit pœnitentem negantem absolvere, controvertitur. *Prima sententia* docet Confessarium debere pœnitentem absolvere, saltem, ut aliqui volunt, sub conditione; tum quia certitudo de sacrilegio pœnitentis vix haberi potest; tum quia secus frangeret sigillum, cum notitiâ ex Confessione acceptâ uteretur ad gubernationem alterius. Conditio porro prospicit reverentiæ Sacramenti; illamque apponere licet, quamvis de sacrilegio pœnitentis constaret, quia hæc scientia ex confessione provenit. Ita Lugo. *disp.* 22. *n.* 22. Bonac. *disp.* 5. *qu.* 6. *n.* 33. Spor. *n.* 802. Elbel. *De Sacram. in gen. conf.* 2. *n.* 44. et *De Pœnit. n.* 453. Laym. *lib.* 5. *tr.* 6. *cap.* 14. *n.* 24. Anaclet. *tr.* 14. *dist.* 8. *qu.* 3. *n.* 42. Mazzot. *tr.* 6. *disp.* 2. *qu.* 2. *cap.* 2. § 3. Billuart. *diss.* 6. *art.* 10. § 2. *etc.*

Secunda sententia, cui adhæret S. Alph., docet Confessarium non posse pœnitentem absolvere, sed debere secreto aliquid orare ad occultandam ne-

gationem absolutionis; quia hoc modo ex unâ parte sigillum non lædit, cum nihil manifestet, et neutri gravamen afferat; ex alterâ parte reverentiæ Sacramenti consulit frustrationem ejus impediendo. Ita Croix. *lib.* 6. *part.* 2. *n.* 1969. Babenst. *art.* 5. § 4. *n.* 44. Henno. *disp.* 10. *qu.* 8. *pet.* 4. Voit. *tom.* 2. *n.* 878. 879. (*n.* 631. H. A. *n.* 120.)

2. *Obligatio explorandi et provocandi dispositionem pœnitentis.*

279. — **Principia.** I. Tenetur Confessarius sedulo explorare pœnitentis dispositionem. Patet, tum quia ad judicem spectat de rei dignitate vel indignitate judicare; tum quia dispensator fidelis cavere debet ne Sanctum det canibus. (H. A. *n.* 117.)

II. Requiritur et sufficit in Confessario certitudo moralis seu judicium prudens et probabile de dispositione pœnitentis. 1° *Requiritur*; quia cum prudenti *dubio* de valore Sacramenti non licet, extra casum necessitatis, illud ministrare. 2° *Sufficit;* quia dispositio animæ est res interna, cujus indicia seu signa externa ut plurimum nonnisi probabilitatem dare possunt. Unde, si circumstantiæ non ingerant prudentem suspicionem indispositionis, pœnitens sufficienter dispositus præsumi debet. (*n.* 461.)

III. Spontanea confessio per se sola, aut cum assertione doloris et propositi, est signum ordinarium dispositionis, nisi obstet aliqua positiva præsumptio in contrarium. Ratio est, quia ex confessione ipsâ quisque præsumitur dispositus, cum dolor per confessionem manifestetur, et nemo præsumendus sit malus, ita ut velit indispositus ad Sacramentum accedere, nisi talis probetur. Confirmatur ex Catechismo Romano *De Pœnit. n.* 82.: »Si, audita confessione, judicaverit (Sa»cerdos) neque in enumerandis peccatis »diligentiam, nec in detestandis dolorem »pœnitenti omnino defuisse, absolvi po»terit."[1] (*n.* 459. *Prax. Conf. n.* 71.)

Quando ergo pœnitens ex modo se accusandi præbet signum doloris, vel bene moratus est et serio se accusat, Confessarius de dispositione non ambigat.

Dixi supra: *nisi obstet præsumptio in contrarium;* tunc enim præsumptio dispositionis, orta ex confessione, destruitur præsumptione contraria, quam ingerunt fundata indicia indispositionis. Quapropter, ut redeat præsumptio in favorem pœnitentis, pœnitens ostendere debet signum aliquod peculiare seu extraordinarium dispositionis.— Porro signa extraordinaria sunt vel aliquod emendationis studium, quod pœnitens jam adhibuit, vel aliqua specialis manifestatio doloris, quem concepit vel hortatu Confessarii concipit. Horum uberiorem explanationem more Theologorum remitto ad Appendicem de recidivis, quoniam cum hisce potissimum usu veniunt.

IV. Pœnitentes, qui non sufficienter dispositi videntur, tenetur Confessarius, quantum valet, paternâ ac fervidâ exhortatione disponere. Ita Leo XII Constit. *Charitate Christi.* 25 Dec. 1825. Ratio est, quia charitas districte ei jubet ut tamquam pater peccatorem quantocius cum Deo reconciliet, et tamquam medicus morbo pœnitentis promptam apponat medelam, exemplo boni Samaritani oleum et vinum statim adhibentis.

Hunc in finem debet pœnitenti exponere deformitatem peccati, valorem divinæ gratiæ, periculum damnationis, bonitatem Dei, et similia. Nec ei curæ

[1] Verba: OMNINO *defuisse* recte intelligenda sunt. Catechismus enim significat absolvi posse pœnitentem, dummodo in ipso non desit dolor tam *contritionis* quam *attritionis*, quandoquidem, si *uterque* desit, dolor deest omnino. Hunc esse sensum Catechismi, patet 1° ex absurdis, quæ secus orirentur; sequeretur enim Confessarium non debere absolutionem negare, nisi *certus* sit de *indispositione* pœnitentis. 2° Ex interpretatione præcipui Catechismi auctoris, S. Caroli Borromæi, qui in *Act. part.* 4. *Instruct. Pœnit.* sic sensum Catechismi declarat: „Antequam (Confessor) absolutionem tribuat „pœnitenti, videbit an propter Deum *veram* „peccatorum suorum contritionem habeat, anque „*certum deliberatumque* ei sit, in posterum, „quantum in se est, divinâ gratiâ adjuvante, a „peccatis abstinere... Si vero talem contritionem „illum non habere intellexerit, illius desiderio „accendere conabitur.... Quod si pœnitens *nul*„*lam contritionem, nec vero saltem attritionem*, „aut neque propositum abstinendi in posterum „ab aliquo mortali peccato ostendat, eum mi„nime Confessor absolvat." 3° Ex ipsomet Catechismo, qui n. 76. hæc habet: „Hoc primum „Sacerdotes in pœnitente diligenter observabunt: „si *veram* peccatorum suorum contritionem „habeat, *certumque* illi sit ac *deliberatum*, in „posterum a peccatis abstinere." Ita fere Berardi. *De recidiv. n.* 29.

esse debet, quod alii pœnitentes expectent, aut discedant; nam in hoc casu Confessarius non tenetur attendere ad bonum aliorum, sed sui pœnitentis tantum, de quo solo tunc, non de aliis, rationem Deo redditurus est. (*n.* 608. *Prax. Conf. n.* 7.)

Porro, sæpe rudiores, qui raro confitentur, et pueri, excitandi sunt a Confessario ad dolorem et propositum; quia non satis advertunt ad eorum necessitatem, et ideo ea negligunt. Illi quoque disponendi sunt, qui recidivi sunt in pravum habitum absque emendationis studio; quia motiva præbent ad præsumendum dispositionis defectum. (*Prax. Conf. n.* 10.)

Merito ergo S. Alph. culpat »desides »illos Confessarios, qui statim ac noverint »pœnitentem non satis dispositum, dimit»tunt, nullâ aut valde modicâ præmissâ »diligentiâ ad eum curandum." (*n.* 608. *Prax. Conf. n.* 7.)

Hæc de obligatione. De cætero, semper bene faciet Confessarius ignotos pœnitentes adhortando ad dolorem et propositum, aut saltem rogando an ex animo detestentur peccata.

3. *Obligatio concedendi, differendi, vel negandi absolutionem.*

280. — Postquam Confessarius pœnitentium dispositionem inspexerit, et, ubi opus erat, excitaverit, reperiet pœnitentes alios *certe dispositos* ad recipiendam absolutionem, alios *dubie dispositos*, alios vero *indispositos*. Quomodo cum singulis agere debeat, declarabunt sequentia principia. Quum porro in hac materiâ, non *judicis* tantum, sed et *medici* officium exercere debeat, utrumque simul exponemus.

Principia. I. Absolutio ex justitiâ danda est pœnitentibus rite confessis et recte dispositis. Ratio patet, quia judex, auditâ causâ, debet judicare reum; judicium autem rectum, suppositâ dignitate rei, positum est in absolutione; ergo pœnitentem, si dignus sit, debet absolvere. Confirmatur, quia Confessarius est Dei minister, ideoque illi conformari debet; Deus autem digne pœnitentem absolvit: ergo etiam minister absolvere debet. (*n.* 603. H. A. *n.* 117.)

Hæc obligatio gravis vel levis est, prout pœnitens materiam necessariam vel liberam confessus est; si liberam tantum, veniale erit sine justâ causâ absolutionem negare; nulla culpa erit, si causa rationabilis adsit. (H. A. *n.* 118.)

II. Absolutio semper deneganda est hominibus certo indispositis. Ratio patet, quia Sacramentum indignis ministrare grave sacrilegium est.

Indispositi judicandi sunt, qui nulla dant signa doloris; vitæ emendationem proponere nolunt; remediis necessariis ad relapsum præcavendum uti renuunt; gravem obligationem implere detrectant, e. g. aliena, dum possunt, restituere, proximam peccandi occasionem deserere, offensam remittere, inimico reconciliari, publicum scandalum tollere, etc. Ita Rituale Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 22.

III. Absolutio ordinarie differenda est pœnitentibus, qui dubie dispositi videntur. Ratio est, quia Confessarius cavere debet ne Sacramentum periculo nullitatis temere exponat; alias grave sacrilegium committeret. (*n.* 461.)

Prudentem suspicionem indispositionis sæpius ingerunt illi, quibus est peculiaris obligatio vel relinquendi occasionem proximam, vel pravum habitum emendandi, vel restituendi, se reconciliandi, et similem, et fidem datam Confessario fefellerunt.

Dictum est: *ordinarie;* quia, si adsit gravis causa, absolutio sub conditione impertiri potest; Sacramenta enim instituta sunt propter homines, atque adeo, quando ex dilatione absolutionis multo majus timetur malum, quam speratur bonum, bonum pœnitentis postulat ut Sacramentum periculo nullitatis exponatur. Casus vide n. 115. sub 6°, et infra in Appendice.

Hæc de officio Confessarii, quatenus *judex* est. Quum autem *medicus* quoque sit, oportet quartum adjungere principium.

IV. Pœnitenti disposito potest et debet aliquando Confessarius, ex officio medici, absolutionem differre, si pro ejus emendatione utile vel necessarium esse censeat. Ratio est, quia ut medicus curationi pœnitentis prospicere debet, et ideo, quamvis pœnitens dispositus jus habeat ad absolutionem, non semper tamen jus habet ut statim absolvatur. (*n.* 462. Vindic. Alphons. *p.* 6. *cap.* 2. § 1. *art.* 1.)

Hæc obligatio gravis erit in casu ne-

cessitatis remedii; levis vero in casu solius utilitatis, cum charitas non obliget sub gravi ad id quod melius est. (*n.* 733.)

Porro dilatio absolutionis 1° necessaria esse potest, quando subest probabile periculum ne pœnitens, post acceptam absolutionem, infringat suum propositum: ut sæpe accidit eis, qui debent restituere, denuntiationem facere, amovere occasionem peccati, cum inimicis se reconciliare, res scitu necessarias addiscere, excutere culpabilem negligentiam, etc. Dilatio in hisce casibus poterit esse brevissimi temporis, donec scil. obligationem impleverint.[1] 2° Utilis esse potest, ut pœnitens dilatione territus melius agnoscat gravitatem peccati et necessitatem emendationis, necnon exstimulatus majorem conatum adhibeat ad se emendandum, certiorique fidelitate peculiarem obligationem impleat.

E converso, dilatio absolutionis 1° non expedit, quando pœnitenti allatura est aliquam notam aut infamiæ periculum; 2° etiam pro locorum et temporum diversitate sæpius vel rarius conducit: unde in magnis urbibus vel in regionibus, ubi fides infirmata est, vix unquam prodesse videtur; secus alibi, ubi fides firma est. (Marc. *n.* 1816.)

Denique Bened. XIV in Constit. *Apostolica.* 26 Jun. 1749. *n.* 22. monet Confessarios: »Ut, sive denegent sive differant Absolutionem, miti ingenio ac »suavi sermone pœnitentibus causas de»negatæ Absolutionis aperiant, ac osten»dant ita expedire ut animæ saluti bene »consulatur. Hinc illos, ut quantocius »revertantur, invitent, atque animos ad»dant ut ante reditum ea omnia, quæ »illis agenda præscribuntur, rite perfi»ciant, ex quo fiet ut ad sacramentale »forum regressi Absolutionis beneficio »donentur."

281. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An pœnitens obligatus ad restitutionem absolvi possit antequam restituerit?*

Resp. Communiter censent eum posse semel atque iterum absolvi, si appareant doloris signa et firmum propositum quamprimum restituendi. Nihilominus S. Alphonso placet sententia, quæ docet regulariter non esse absolvendum, quoties restitutio ante absolutionem moraliter possibilis est; quia experientiâ satis compertum est, ob hominum adhæsionem ad pecuniam, debitores post absolutionem rarissime restituere. Dictum est: *regulariter*, i. e. nisi specialis ratio aliter suadeat. Hinc v. g. si restitutio ob aliquam circumstantiam cito fieri nequeat, et debitor sincere paratus appareat restituere cum primum poterit, semel absolvi potest; imo et secundâ et tertiâ vice, si adjuncta postulent ut Confessarius dilationem concedat. Vide dicta lib. III. n. 351. (*Lib.* 3. *n.* 682. H. A. *tr.* 10. *n.* 105.)

Quær. 2° *An possit ac debeat absolvi pœnitens, qui vult sequi opinionem contrariam sententiæ Confessarii?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si dissensio respiciat *administrationem Sacramenti*, e. g. si Confessarius judicet pœnitentem non habere sufficientem dispositionem, vel se non habere jurisdictionem in aliquem casum, dum pœnitens contrarium opinatur; in hoc casu pœnitens debet acquiescere judicio Confessarii, et Confessarius tenetur proprium sequi judicium; nam absolvendo quem judicat indispositum, vel dum putat se carere jurisdictione, ageret contra suam conscientiam, ac proinde peccaret.

2° *Affirm.*, si dissensio respiciat *obligationes pœnitentis*, et opinio pœnitentis vere probabilis sit; tum quia pœnitens integre confessus et bene dispositus strictum jus habet ad absolutionem, non enim peccat sequendo opinionem probabilem; tum quia Confessarius non est judex controversiarum, sed dispositionis tantum sui pœnitentis. *Ita communiter.*

Præfata quæstio, uti patet, supponit pœnitentem doctum, qui capax est sibi formandi conscientiam rectam ex opinione probabili; nam indocti, qui sibi conscientiam formare nequeunt, stare debent sententiæ Confessarii. (*n.* 604. H. A. *n.* 118. 119.)

Quær. 3° *Quid vero, si Confessarius opinionem pœnitentis falsam haberet?*

Resp. Dist. 1° Si opinio pœnitentis probabilis reputetur inter Doctores probatæ auctoritatis, quin Confessario adsit ratio convincens contra illam, debet Confessarius pœnitentem, cui persuadere nequit suam sententiam, absolvere; quia tunc debet se conformare conscientiæ pœnitentis, permittendo illi suam opinionem. Hæc tamen intellige, modo opinio illa sit etiam *practice* probabilis, seu non conjuncta cum probabili peccati formalis periculo, ut dictum est lib. I. *n.* 77. et 121.

2° Si Confessarius plane certus sit opinionem pœnitentis improbabilem esse, debet regulariter docere pœnitentem, et pertinacem non absolvere, utpote indispositum. Dico: *regulariter;* quia, si videret pœnitentem esse in ignorantia invincibili, et ex monitione majus malum secuturum, deberet dissimulare, juxta dicta n. 272. (*n.* 604. *in fine.* H. A. *n.* 119.)

Nota. Alias quæstiones circa hanc materiam concedendi et differendi absolutionem, vide in Appendice hujus Tractatus.

[1] Marc. *n.* 1816.

ARTICULUS II.

OFFICIA CONFESSARII POST CONFESSIONEM.

Tenetur Confessarius 1° reparare defectus in Confessione commissos; 2° servare secretum.

§ I. *Obligatio corrigendi defectus in Confessione commissos.*

282. — Ad tres species reduci possunt ejusmodi defectus; pertinent nimirum 1° ad *valorem Sacramenti*, ut si ex oblivione non absolvit, vel absolvit sine jurisdictione, vel sine dispositione requisitâ ex parte pœnitentis; 2° ad *integritatem confessionis*, ut si non interrogavit circumstantias vel numerum, vel non examinavit circa alia præcepta, quando oportebat examinare; 3° ad *obligationes pœnitentis*, ut si pœnitentem reliquit in occasione proximâ peccandi, vel non obligavit ad restitutionem debitam, vel obligavit ad indebitam.

283. — **Principia.** I. Error circa valorem Sacramenti, si cum gravi culpâ Confessarii et gravi damno pœnitentis commissus sit, a Confessario reparandus est, etiam cum gravi suo incommodo. Ratio est, quia, auditâ confessione, tenetur Confessarius ex officio et ex quasi-contractu rite ministrare Sacramentum; unde, si invalide ministravit, est injustus damnificator.

Dictum est 1° *cum gravi culpâ;* quia ex culpâ levi non oritur obligatio cum gravi incommodo. Excipe a) si Confessarius Parochus est, quippe qui ratione stipendii strictius tenetur avertere grave damnum spirituale subditorum; b) si pœnitens in gravi periculo esset moriendi in statu peccati mortalis, v. g. in articulo mortis.

Dictum est 2° *cum gravi damno;* unde, si pœnitens postea alii Sacerdoti confessus est, vel Eucharistiam suscepit, quod communiter fieri solet, vel moribundus Extremam Unctionem recepit, Confessarius non tenetur; cum pœnitens tunc jam justificatus sit. Quare in praxi gravis obligatio vix unquam exsistet. (*n.* 619.)

II. Defectum circa integritatem Confessionis non tenetur Confessarius postea extra Confessionem reparare, si *negative* se habuit, non interrogando: si vero *cum gravi culpâ positive* induxit pœnitentem ad defectum integritatis, tenetur defectum reparare, etiam extra Confessionem, dummodo possit sine scandalo pœnitentis aut gravi suo dedecore. Ratio prioris est, quia Confessarius non tenetur procurare integritatem, nisi in actu Confessionis; ratio posterioris, quia ille, qui induxit alterum ad violandum præceptum grave, etiam materialiter, debet, si commode possit, auferre errorem a se traditum, ut alter non amplius transgrediatur illud præceptum.

Dictum est: *cum gravi culpâ*; nam si levis fuerit, multo minor causa excusat; et, si bona fide egerit, nullatenus tenetur, cum sine incommodo et rubore admonitio nunquam fieri possit. (*n.* 620.)

III. Defectum circa obligationem pœnitentis, qui vergit in damnum sive ipsius pœnitentis, sive tertii, tenetur Confessarius cum gravi suo incommodo reparare, si *cum gravi culpâ* pœnitentem *positive* induxit in errorem; secus tenetur cum incommodo non gravi. Ratio prioris est, quia suo consilio fuit causa injusta damni; quoad posterius, tenetur cum aliquo incommodo, (et quidem cum majori incommodo, si culpabiliter, quam si inculpabiliter erravit,) quia unusquisque tenetur cavere, quantum commode potest, ne ex suâ actione vel omissione proveniat proximo damnum; non tenetur cum gravi incommodo, quia vel non graviter peccavit, vel ex solâ charitate obligatur, quæ non obligat cum gravi incommodo. Porro levitas incommodi accipienda est respective ad damnum, quod consequi potest; unde,

si damnum sit gravissimum, poterit adesse obligatio reparandi errorem cum incommodo ex se notabili. (*n.* 621.)

284. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Si Confessarius errorem commissum circa restitutionem faciendam postea non reparet vel reparare nequeat, an tunc ipse contrahat obligationem restituendi?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si *culpabiliter* pœnitentem *positive exemit* a restituendo, quod debebat; quia tunc est causa injusta damni tertii. Casus evenit, quando Confessarius vel non revocat errorem a se commissum, vel, cum revocat, pœnitens jam non potest vel non vult restituere, cum prius potuisset et voluisset. — Dixi: *culpabiliter*; certe quidem, si ex *gravi* culpâ exemit a restitutione; sed verius quoque, si ex culpâ *levi*, quia etiam tum debet Confessarius ex justitiâ, si commode possit, damnum impedire.

Idem dicendum, si Confessarius cum gravi culpâ *obligavit* pœnitentem ad solvendum, quod non debebat, isque jam solvit; tunc nempe tenetur pœnitentis damnum resarcire, cujus causa injusta fuit.

2° *Negat.*, si tantummodo *negative* se habuit, non monendo pœnitentem; quia Confessarius non tenetur *ex justitiâ* impedire damna temporalia. *Ita communiter.* (*n.* 621.)

QUÆR. 2° *An Confessarius possit, sine pœnitentis licentiâ, extra Confessionem cum eo loqui de defectu commisso in Confessione?*

Resp. Neg., si pœnitens jam discessit; quia monitio illa nata est ruborem vel offensam pœnitentis provocare, atque adeo cederet in odium Confessionis. Excipe tamen, si Confessarius absolutionem ex oblivione omisisset; quia hic defectus sine rerum confessarum mentione manifestari potest, ac proinde nullum gravamen pœnitenti afferre valet. (*n.* 622.)

QUÆR. 3° *Si idem pœnitens postea redeat ad Confessionem, an debeat Confessarius illum in Confessione admonere de defectu commisso in Confessione præcedenti?*

Resp. Affirm., cum incommodo n. 283. definito; quia tunc Confessarius debet iterum ex officio pœnitentem interrogare et docere, ac proinde errores a se commissos corrigere.

§ II. *Obligatio servandi sigillum Confessionis.*

285. — Obligatio reticendi ea, quæ in Confessione manifestata fuerunt, *sigillum* vocatur, quia quasi obsigillata sunt, ut nemini manifestari possint.

Agemus 1° de ipsâ obligatione sigilli; 2° de personis, quas obligat; 3° de materia, quæ cadit sub sigillo; 4° de modis, quibus violatur.

1. *Obligatio sigilli.*

286. — **Principia.** I. Sigillum obligat ex jure tum naturali, tum divino positivo, tum ecclesiastico. 1° Ex *jure naturali*; nimirum ex *religione*, ob reverentiam et bonum Sacramenti, ne alioquin fidelibus odiosum reddatur; ex *fidelitate*, ob secretum commissum; ex *justitia*, ob famam proximi servandam. 2° Ex *jure divino positivo;* quod colligitur ex traditione perpetuâ Ecclesiæ, et ex ratione; qui enim præcipit finem, præcipit et media ad finem consequendum necessaria; atqui integritas confessionis absque sigillo esset hominibus moraliter impossibilis; ergo Christus illud præcepit. 3° Ex *jure ecclesiastico;* constat præcipue ex Conc. Lateran. IV *cap.* 21. *Omnis.* hisce verbis: »Caveat Sacerdos, »ne verbo aut signo aut alio quovis »modo aliquatenus prodat peccatorem: »sed si prudentiori consilio indiguerit, »illud absque ullâ expressione personæ »caute requirat." (*n.* 634. 635.)

II. Obligatio sigilli strictissima est, adeo ut nec parvitatem materiæ, nec ullam exceptionem unquam admittat, nisi ex pœnitentis *expressâ* et *liberâ* licentiâ. Ratio est, ut fideles plenissimam habeant securitatem, ne ullo metu revelationis ab hujus Sacramenti usu tam necessario retraherentur. Ratio unicæ exceptionis est, quia pœnitens cedere potest juri suo in ejus favorem instituto. (*n.* 634. 635. 651. H. A. *n.* 147.)

Porro, *parvitas materiæ* confundenda non est cum *levitate periculi* violandi sigillum; hæc quippe admittitur, ut n. 294. dicetur.

Ex dictis colligitur, sigilli sacramentalis obligationem in eo discrepare ab omni alio secreto, quod 1° parvitatem materiæ non admittat, 2° etiam erga eum ipsum urgeat, qui confessus est, seu qui secretum commisit, 3° nulla unquam exceptio admitti possit, quæ a servando secreto eximat; ita ut neque ad mortem vitandam, neque ad Rempublicam salvandam, neque ad extremam necessitatem spiritualem levandam, secretum violare liceat. (Lehmk. *n.* 455. 457.)

III. Obligatio sigilli oritur ex *omni* et *solâ* confessione sacramentali, quæ nempe fit animo se accusandi et absolutionem obtinendi. Ratio est, quia hæc, et hæc sola, relationem cum Sacramento habet. (H. A. *n.* 156. 44.)

IV. Contra Confessarium, qui *scienter* sigillum frangeret, statutæ sunt pœnæ depositionis ab Officio Sacerdotali, et perpetuæ pœnitentiæ in arcto monasterio. Pœnæ istæ sunt ferendæ sententiæ. Ita ex Conc. Later. cit.

287. — **Resolutiones.** 1° Licentia pœnitentis manifestandi audita in Confessione, ut eâ uti possit Confessarius, debet data esse verbis, aut factis illam exprimentibus, v. g. si pœnitens extra Confessionem ipsemet incipiat loqui cum Confessario de dictis in Confessione. Non ergo sufficit licentia præsumpta, etiamsi in bonum ipsiusmet pœnitentis cederet. (*n.* 651.)

2° Non sufficit licentia minis, aut metu reverentiali obtenta, v. g. si Confessarius eam obtinuisset replicatis petitionibus, postquam pœnitens in principio eam renuit. (*n.* 651. H. A. *n.* 156. *sub* VIII.)

3° Pœnitens semper potest datam licentiam pro libito revocare; cum ab ejus voluntate pendere debeat. (*n.* 651.)

4° Caveat Confessarius, qui licentiam obtinuit, ne prætergrediatur limites concessionis a pœnitente præscriptos in re tanti momenti, puta quoad rem, personas, tempus, locum, ac alias circumstantias.

5° Hujusmodi licentiæ peti non debent, nisi ex justâ causâ; imo melius est inducere pœnitentem, ut det licentiam extra Confessionem. (*n.* 561.)

6° Confessio *scienter* facta Clerico non Sacerdoti aut Sacerdoti jurisdictione carenti, non inducit obligationem sigilli, sed tantum secreti naturalis. Secus vero, si Sacerdos credatur approbatus.

7° Si quis conscientiam Confessario aperiat absque animo recipiendi absolutionem, sed ad consilium obtinendum, vel ob alium finem, oritur dumtaxat secretum naturale; idque valet, etiamsi diceret se sub sigillo manifestare. (*n.* 636. H. A. *n.* 156.)

8° Confessio simulata ad malum finem, v. g. ad Confessarium decipiendum, irridendum, in peccatum pertrahendum, aliquid ab eo extorquendum, multo minus sigilli obligationem inducit; quum nonnisi sacrilega simulatio sit. (*n.* 636. H. A. *n.* 156.)

288. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An in hac materia sigilli liceat uti opinione probabili?*

Resp. Negat., propter periculum gravaminis pœnitentis; non licet enim uti opinione probabili in præjudicium juris certi, quod alter possidet; atqui pœnitens possidet jus ne gravetur ex sua confessione; ergo non licet Confessario uti scientiâ habitâ ex Confessione, nisi moraliter certum sit ex usu nullam evenire confessionis revelationem nullumque pœnitentis gravamen. (*n.* 633. H. A. *n.* 164.)

QUÆR. 2° *Quid Confessarius respondere debeat interroganti de auditis in Confessione, aut de impertitâ absolutione?*

Resp. Ad 1um respondeat, etiam cum juramento si opus sit, se nihil scire, aut nihil audivisse; quia nullam habet scientiam communicabilem. Idque valet, etiamsi Confessarius requisitus esset ad respondendum ut Dei minister aut sine æquivocatione; cum sit restrictio omnino palpabilis.

Ad 2um respondeat; »Functus sum meo »officio," vel melius exprobrando: »Suntne »hujusmodi interrogationes faciendæ?" Pariter in casu, quo non absolvisset, si clericus seu minister interrogaret utrum pœnitens communicaturus sit, Confessarius respondere debet: »Interroga eum, »an communicare velit." (H. A. *n.* 148. *lib.* 3. *n.* 153.)

2. *Subjectum sigilli.*

289. — **Principia.** I. Ad sigillum primario tenetur Confessarius, sive verus, sive existimatus. Ratio est, quia confessio ex parte pœnitentis vere est sacramentalis; quisquis ergo eam audit, sigillo obstringitur. (*n.* 645. H. A. *n.* 148.)

II. Secundario ad sigillum tenentur omnes, ad quos notitia rei, quæ sub sigillo cadit, quomodocumque pervenit.

Ratio est, quia secus non satis provisum esset pœnitentibus, qui possent a Confessione deterreri; unde recte infertur Christum extendisse sigillum ad omnes istos. (*n.* 645. 648.)

290. — **Resolutiones.** 1° Præter Confessarium ad sigillum obligantur a) Superior, a quo extra Sacramentum petitur facultas absolvendi a casu reservato; b) interpres adhibitus in confessione peragendâ; c) Theologus a Confessario de casu difficiliori consultus; d) is, qui sive fortuito sive datâ operâ audit confessionem alterius, et alii, qui ab eo notitiam peccati acceperunt; e) omnes, quibus aliquid sacrilege vel imprudenter revelatum est. (*n.* 647.)

2° Pœnitens non tenetur lege sigilli quoad ea, quæ Confessarius illi dixit; sed tenetur lege secreti naturalis quoad ea omnia, quorum propalatio Confessario vel Sacramento damnum afferre posset; imo pœnitens strictiori modo ad secretum obligatur, quia Confessarius non sponte sicut alii, sed ex officio consilia præbet. (*n.* 647.)

291. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ad sigillum teneatur Theologus ab ipso pœnitente consultus in ordine ad suam confessionem faciendam?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si consulatur circa confessionem *alteri* faciendam; quia tunc manifestatio peccati neque fit in actu confessionis, neque ad obtinendam a consiliario absolutionem; proinde tenebitur tantum ad secretum naturale. Ita probabilius, contra aliquos, qui affirmant, cum revelatio redderet confessionem odiosam; sed *consultatio*, non *confessio*, odiosa evaderet.

2° *Affirm.*, si consulatur circa confessionem *ipsimet* faciendam; quia tunc manifestatio esset quædam inchoata confessio, ut postea eam citius expediat. (*n.* 649.)

Quær 2° *An teneatur ad sigillum, qui legit chartam, in qua pœnitens scripsit confessionem?*

Resp. Regulariter loquendo, *negat.;* quia scriptura illa non est confessio, sed tantum præparatio ad confessionem. Nec obstat dicere ejus manifestationem posse confessionem odiosam reddere; nam odiosam redderet, non confessionem, sed scriptionem peccatorum. Ita communissima et probabilior sententia, contra paucos.

Dictum est: *regulariter;* quia excipiendi sunt nonnulli casus, videlicet: 1° si quis confessionem scriptam legeret in actu confessionis, maxime jam porrectam Confessario pro confessione faciendâ; quia tunc ad confessionem pertinet; imo etiam, si eam invenisset relictam a Confessario in confessionali post confessionem peractam; quia videtur esse ipsa confessio manens. 2° Si quis legeret epistolam, in qua petitur a Prælato facultas absolvendi a casu reservato; quia pertinet ad confessionem. Cæterum, præcisis his casibus, aderit obligatio secreti naturalis. (*n.* 650.)

3. *Materia sigilli.*

292. — Generale principium est: Sigillum sacramentale ea omnia comprehendit, quorum revelatio sacramentalem confessionem fidelibus odiosam redderet. Ratio est, quia materia præcepti ex ejusdem fine definienda est. Constat insuper ex Decreto S. C. Inquis. edito auctoritate Innoc. XI 18 Nov. 1682, quo proscripta fuit propositio admittens aliquando usum scientiæ ex confessione acquisitæ, cum gravamine pœnitentis, modo fiat sine ulla directa aut indirecta revelatione. (*n.* 657.)

Comprehendit itaque 1° *peccata omnia*, mortalia et venialia, tum pœnitentis tum complicis, manifestata animo se accusandi; imo peccata etiam publica, quatenus ex confessione nota sunt; 2° *objecta* et *circumstantiæ peccatorum*, non solum ea, quæ necessaria sunt, sed ea etiam, quæ pœnitens putat conducere ad melius declarandum suum peccatum; v. g. si filius confiteatur se odisse patrem, quia hic adulteravit, adulterium patris est objectum peccati, quod cadit sub sigillo; 3° *pœnitentia imposita;* nisi esset levissima, quæ pro levissimis culpis imponi solet; 4° *tentationes;* quia relationem habent cum peccato, quatenus pœnitens vel dubitat se eis consensisse, vel consilium Confessarii exoptat ne iis succumbat. (*n.* 640. 641.)

Hæc omnia materia sunt sigilli *relative ad personam*, ita ut debeant secreta servari, ne detegatur persona: alioquin ipsa peccata per se referri possunt, modo fiat cum prudentiâ ne quoquo pacto possit pœnitens agnosci.

293. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An cadant sub sigillo defectus naturales pœnitentis?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si ex confessione innotescant, et opprobrio sint pœnitenti, v. g. quod sit rudis, molestus, hebes; quia eorum manifestatio quodammodo redderet Confessionem odiosam.

2° *Negat.*, si ex ultroneâ relatione pœnitentis innotescant, absque ullo ordine ad explicanda peccata, vel si non ægre ferri possint a pœnitente et communiter noti sint, v. g. quod sit surdus, balbutiens; ob rationem oppositam. *Ita communiter.* (*n.* 642. 643. H. A. *n.* 154.)

Quær. 2° *An scrupulositas pœnitentis sit materia sigilli?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, quando ejus manifestatio cederet in gravamen pœnitentis; quod sæpe accidit, cum non pauci ægre ferant se scrupulosos appellari.

2° *Negat.*, quando cederet in laudem pœnitentis, quatenus nempe timoratam conscientiam dumtaxat indicaret, non autem confusam ac nutantem. (*n.* 644.)

Quær. 3° *An cadant sub sigillo peccata commissa in ipsa confessione, v. g. impatientiæ, contumeliæ in Confessarium?*

Resp. Dist. Per se, negat.; quia culpas illas pœnitens non confitetur, ut patet.

2° *Per accidens, affirm.;* quia periculum revelationis sigilli involvunt; probabile enim indicium præbent quod Confessarius pœnitentem vel noluerit absolvere, vel propter graviorem culpam acrius reprehenderit. (*n.* 643. 659. *in fine.*)

Quær 4° *An virtutes et dona supernaturalia cadant sub sigillo?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si manifestantur in confessione, ut status animæ Confessario innotescat; quia tunc nullam cum confessione connexionem habent.

2° *Affirm.*, si dicantur ad explicandum aliquod peccatum, v. g. ingratitudinem erga Deum post tot tantaque ejus beneficia; quia tunc indirecte pertinent ad confessionem. (*n.* 641.)

Quær. 5° *An possit Confessarius ex licentiâ pœnitentis monere complicem?*

Resp, Affirm.; quia jus secreti acquiritur illi soli, qui illud committit; ergo peccatum complicis non est materia sigilli, nisi ex voluntate pœnitentis, qui illud confessus est. (*n.* 641.)

4. *Modi sigillum violandi.*

294. — Secretum confessionis ita servandum est, ut neque *directe* neque *indirecte*, verbis, factis, aut alio modo manifestentur ea, quæ in confessione sigillo munita fuerunt. Constat ex *Cap.* 12. *de pœnit. et remiss.* (H. A. *n.* 157.)

Porro sigillum violatur 1° *directe*, cum de pœnitente aliquid ad sigillum pertinens expresse manifestatur, v. g. Titius tale peccatum commisit; 2° *indirecte*, cum incaute loquendo vel agendo præbetur mala suspicio de aliquo pœnitente.

Quapropter Confessarius in hac materiâ tam gravi et periculosâ debet esse valde cautus, ne pœnitentes ex confessione aliquod injustum gravamen subeant. Nihilominus non tenetur cavere omnes leves conjecturas, quas facile malitiosi faciunt, sed probabiles tantum. (*n.* 661.)

295. — **Resolutiones.** I. Sigillum indirecte violat Sacerdos, 1° si dicat vel innuat se non absolvisse talem pœnitentem, vel ei absolutionem distulisse, aut nondum expletam esse ejus confessionem, nisi nosceretur esse confessionem generalem aut a longo tempore resumptam, ita ut pœnitens hoc non ægre ferat.

2° Si de notorio fure dicat eum *sua furta* cum magna contritione confessum esse. Secus vero, si dicat eum peccata sua confessum esse, non exprimendo *quænam* peccata confessus sit.

3° Si unum pœnitentem præ cæteris, quos eodem tempore audivit, nimium laudet, aut dicat eum sola venialia commisisse; quia alii inde facile in suspicionem culpæ mortalis adducuntur. Excipe tamen, si specialis aliqua ratio adesset id dicendi, absque offensione cæterorum pœnitentium et absque periculo malæ suspicionis. (H. A. *n.* 156.)

4° Si de peccatis pœnitentis loquatur cum alio Confessario, cui pœnitens eadem peccata confessus est.

5° Si altâ voce, ita ut a circumstantibus intelligi possit, pœnitentem arguat, de peccatorum circumstantiis interroget, etc.

6° Si, auditis paucorum confessionibus, dicat se tale peccatum audivisse; singuli enim ex illâ revelatione aliquam suspicionem contra se patiuntur.

7° Si peccata ex confessione cognita ita narret, ut audientes possint con-

jicere vel suspicari quinam ea commiserint.

8° Si narrando alicujus personæ peccata, quæ extra confessionem novit, addat aliquam circumstantiam ex solâ confessione cognitam, vel utatur scientiâ confessionis ad rem magis determinandam aut confirmandam.

9° Si extra confessionem cum pœnitente, sine ejus veniâ, loquatur de auditis in confessione. Item, si post confessionem pœnitentem torvis oculis aspiciat, non alloquatur sicut prius solebat, vel verbis durioribus, gestibus, aut totâ agendi ratione ostendat se recordari ejus peccatorum eumque minoris quam antea aestimare. (*n.* 657. Gury. *n.* 665. 666.)

10° Si Confessarius innueret pœnitentem tale peccatum *non* esse confessum; quia facile potest cedere in gravamen pœnitentis, cum nonnunquam inde suspicari possit pœnitentem peccatum reticuisse.

296. — II. Regula generalis est, communiter recepta, licitum esse uti notitiâ confessionis, ubi nulla pœnitentis revelatio intervenit, nec ullum pœnitenti gravamen infertur. Ita S. Alph. *n.* 657. *v. Communiter.* Hinc sigillum non violat: 1° Si referat peccata audita in confessione, non nominando personam pœnitentis, dummodo absit periculum ut in pœnitentis suspicionem veniri possit. Caveant tamen Confessarii ne proclives sint ad loquendum, etiam sub istis cautionibus, de auditis in Confessione, nam frequentia hujusmodi colloquia periculo non carent transeundi a permissis ad non permissa, et præbendi suspicionem audientibus: imo coram laicis prorsus ab illis abstineant, quia facile scandalum sumunt, putantes violari sigillum. (*n.* 638.)

2° Si dicat Titium sibi confessum esse; dummodo ille clam non venerit, ita ut ex hâc circumstantiâ conjectanda sit mala conscientia. Neque sigillum violat, si in genere dicat Titium materiam levem confessum esse, nullam culpam nominando; quisquis enim confitetur, palam declarat se *aliquod* peccatum habere, a quo nemo immunis est. (*n.* 638.)

3° Si laudet conscientiam pœnitentis, dummodo ob adjuncta suspicionem non præbeat malæ conscientiæ aliorum, qui eodem tempore sibi confessi sunt, cum fieri possit ut de alio forte interrogatus idem asserere nequiret. (H. A. *n.* 156.)

4° Si statim post absolutionem, antequam pœnitens discedat, loquatur cum illo de auditis in Confessione; quia, licet Sacramentum sit completum, tamen judicium adhuc moraliter perseverat. (*n.* 652.)

5° Si intra Confessionem loquatur cum pœnitente de culpis in aliâ Confessione auditis; quia pœnitens non habet jus sigilli in actu Confessionis; contra vero Confessarius jus habet exquirendi omnia, quorum notitia ad meliorem pœnitentis directionem coadjuvare valeat. (*n.* 653.)

6° Si utatur scientiâ Confessionis ad orandum pro pœnitente, vel benignius cum eo agendum; ad caute consulendos doctiores; ad se dirigendum experientiâ Confessionum edoctus circa modum interrogandi, instruendi, etc.; ad diligentius invigilandum in subditos, etc.; semper tamen cum debitâ cautione, ut absit revelationis aut gravaminis periculum. (*n.* 657.)

297. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Confessarius frangat sigillum, si dicat in aliquo loco talia crimina perpetrari, quæ ipse audivit in confessione?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si agatur de parvo oppido, quod v. g. non constat tribus millibus hominum circiter; quia, cum hæc revelatio cedat in infamiam totius loci, vertit etiam in gravamen pœnitentium, qui ejus incolæ sunt.

2° *Negat.*, si agatur de oppido magno aut civitate, et crimina publica sint; tunc enim locum non diffamat, et in singulas personas nullum redundat detrimentum. *Ita communiter.*

Hinc fas est Concionatoribus *generatim* invehere in vitia occulte grassantia, quæ in Confessionibus audierunt, modo non manifestent se ea audisse in Confessionibus, neque descendant ad circumstantias particulares. Verumtamen, ut *nominatim* dicere possint v. g.: *Hic grassatur ebriositas*, opus esset ut oppidum constaret saltem tribus millibus incolarum circiter; minus autem, si tantum in genere dicerent: *Hic committuntur multa peccata gravia*, quin nominentur. Ut vero nominare possent aliquod peccatum infamans, quod tamen publicum esset, necesse foret ut oppidum valde frequens sit, v. g. sex aut septem millium animarum. Denique, si Concionator haberet peccatorum notitiam extra confessionem, potest majori cum libertate loqui; semper tamen cautione utendum est, ne suspicionem revelationis ingerat illis, qui ei confessi sunt. (*n.* 654. H. A. *n.* 158.)

Quær. 2° *An sigillum frangat Confessarius, si referat peccatum grave alicujus Religiosi, quin personam manifestet?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si nominet Conventum; quia tunc singuli illius Conventûs Religiosi detrimentum patiuntur, ac proinde etiam pœnitens. A fortiori violaret sigillum, si diceret in Conventu illo gravia peccata committi.

2° *Affirm.* quoque, si nominet Ordinem; quia cederet in dedecus Ordinis, et consequenter ipsius pœnitentis, qui pars illius est. Excipit tamen S. Alph. cum Concina et Candido, si Ordo notorie relaxatus esset; quia omnes norunt in ejusmodi Ordine aliquos malos Religiosos esse. (*n.* 654. Vind. Alph. *part.* 5. *qu.* 24.)

Hinc colligitur, Confessarium alicujus Monasterii Monialium sigillum lædere, si concionando ibidem nominaret aliquam culpam particularem alicujus Monialis aut illius Monasterii, quam ex solâ Confessione novit. Secus autem, si loqueretur in communi de defectibus, qui communiter in omnibus Monasteriis solent vel possunt perpetrari; alias, qui audit Confessiones in Monasteriis, nunquam ibi concionari posset, quod foret contra universalem praxim. (*n.* 654. H. A. *n.* 157.)

Quær. 3° *Quid agere debeat Confessarius, si in actu confessionis deprehendit pœnitentem esse surdum, utpote qui interrogationibus non recte respondet, et ob adstantes non potest vocem elevare?*

Resp. Dist. 1° Si sub initio confessionis id advertat, libere potest pœnitenti injungere ut redeat tempore et loco opportuno, ubi Confessarius libere loqui possit, quin alii audiant; vel potest pœnitentem secum ducere in locum audiendis surdis destinatum.

2° Si in progressu confessionis advertat, non licet altâ voce injungere pœnitenti ut redeat, neque adducere eum in alium locum, ne aliis ingerat suspicionem illum materiam gravem confessum esse. Ideo peccata meliori modo quo possit intelligat, et, omissis interrogationibus, pœnitentem absolvat; *absolute* quidem, si eum probabiliter censeat dispositum; *sub conditione* vero, si de dispositione dubitet; insuper pœnitentiam levem imponat, cum alii eam audituri sint, ne eum graviter peccasse existiment. (*n.* 644. *Prax. Conf.* *n.* 104. H. A. *n.* 155.)

Quær. 4° *An Confessarius tradens pœnitenti schedulam in testimonium confessionis, declarare possit eum fuisse absolutum?*

Resp. Negat.; quia, si pœnitentem non absolverit, mentiretur; si vero absolverit, indirecte violaret sigillum declarando de aliis eos fuisse absolutos, de aliis vero idem non declarando. Propterea de omnibus testari tantum debet se eorum confessionem audivisse tali die. (*n.* 639.)

Quær. 5° *An violet sigillum Confessarius, qui pœnitenti indisposito schedulam confessionis denegat?*

Resp. Affirm., si pœnitens confessionem sacramentalem peregit, in sequentibus casibus: 1° quando pœnitens extra confessionem eam petit; 2° quando solet omnibus dari, vel a Superioribus pœnitentis exigitur, v. g. tempore paschali. Ratio est, quia tunc negando indirecte proderet negationem absolutionis. (*n.* 639.)

Dixi: *si pœnitens confessionem sacramentalem peregit;* quia, si confessionem simularet ut schedulam captet requisitam, e. g. ad pœnam magistri evadendam, ad Matrimonium celebrandum, schedula ei neganda foret; quia, cum homo revera confessus non sit, sigillum non exsistit, et dando schedulam Confessarius falsum assereret. (Gury. *n.* 661.)

Quær. 6° *An Sacerdos, qui ex confessione novit sibi parari insidias, possit sub aliquo prætextu fugere, aut alio modo sibi cavere?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si ex tali cautione minime manifestetur aliis peccatum accusatum, nec ullum gravamen pœnitenti afferatur, quod Confessionem redderet odiosam.

2° *Negat.*, si alii complices inde conjicere possent complicem illi confessum esse hoc peccatum; atqui, cum socii sciunt crimen et confessionem pœniten-

tis, ex fuga Confessarii facile id colligent; proinde fuga illa revelaret peccatum. (*n.* 659. H. A. *n.* 161.)

In praxi, advertit Lugo, vel ex licentiâ pœnitentis, vel aliis modis obviari periculo facile poterit absque fractione sigilli.

QUÆR. 7° *Si Confessarius ex Confessione noverit aliquem esse malæ conscientiæ, an possit ideo se excusare ab eo audiendo, quando ille redit ad confitendum?*

Resp. Negat., nisi jam prius ex alio motivo statuisset non excipere Confessionem; quia talis effugies aut excusatio redderet Confessionem odiosam tam pœnitenti, quam aliis, qui adverterent ejusmodi Confessariorum agendi rationem. (*n.* 659. H. A. *n.* 160.)

QUÆR. 8° *An liceat uti notitiâ Confessionis ad gubernationem externam, si nullo modo appareat quod quis ex illâ notitiâ se dirigat?*

Resp. Negat., si cedat in gravamen pœnitentium, quippe qui, si nossent id licere, certo a Confessione retraherentur. Constat præterea ex Decreto Clementis VIII 26 Maji 1594. et Decreto S. C. Inquis. edito auctoritate Innoc. XI 18 Nov. 1682., quibus opposita sententia diserte proscripta est.

Hinc 1° nunquam licet ex notitiâ Confessionis removere indignum ab Officio, ei negare suffragium ad electionem Officii, negare ei Sacramenta, præteritâ benevolentiæ communicatione eum privare, torvo oculo aspicere, a famulo auferre claves, claves arcæ abscondere, etc. Si vero Confessarius etiam ex aliâ viâ, quam confessionis, sciret aliquem indignum, potest illâ scientiâ aliâ viâ acquisitâ uti, dummodo vere moveret eum ad agendum, etiamsi nullam ex Confessione notitiam habuisset indignitatis pœnitentis. (*n.* 656—658.)

2° Licet Concionatori ex notitia confessionum talem materiam non insuetam in concione tractandam eligere, vel auditores a tali occasione non insolita fortius avertere; id enim pœnitentes nullatenus gravabit.

QUÆR. 9° *Quid agendum sit Confessario, qui in confessione puellæ brevi morituræ audit eam esse gravidam, idque omnino occultum esse?*

Resp. Si jam præterlapsus est mensis a conceptione, 1° debet puellam inducere ut extra Confessionem prægnationem suam alicui revelet, puta matri, medico (modo bonus Catholicus sit,) aut alii, ut post mortem suam fœtus secreto extrahi et baptizari possit. Ratio patet, quia puella tenetur Baptismum prolis propriæ famæ anteponere.

2° Si puella rem revelare non audeat, Confessarius ei persuadeat ut eam sibi extra Confessionem declaret, post mortem parentibus et medico sub secreto communicandam. Sed hoc in casu prudentiâ opus est, ne alii credant ipsum sigillum frangere. Hunc in finem posset puellæ suggerere ut, si possit, rem scribat in chartâ, aut ipsemet pro eâ rem scribere; puella deinde chartam clausam tradat tertiæ personæ post mortem statim aperiendam.

3° Si puella assentiri nolit, caveat Confessarius ne eam moneat de gravi obligatione, si forte invincibiliter eam ignoret, aut putet fœtum sibi supervivere non posse; secus enim, dum fœtûs animam salvare cupit, utriusque animam perdendi periculum incurret. Unde absolutio negari nequit, nisi puella certo indisposita esset, quod non facile eveniet.

4° Si denique Confessarius ex solâ confessione statum puellæ cognoscat, et hujus licentiâ ad revelandum careat, sigillum perpetuo servare debet, quidquid eveniat. (Theol. Mechlin. *n.* 117. *qu.* 3.)

APPENDIX.

DE PRAXI SERVANDA CUM OCCASIONARIIS ET RECIDIVIS.

298. — Quum materia hæc tanti sit momenti pro Confessariis, eam Tractatui de Pœnitentia necessario subjungendam esse duxi. Et sane nulla est materia in Theologia morali, quæ magis conducit ad salutem animarum, quam hujus Appendicis materia; habitus enim vitiosi et occasiones proximæ retia sunt, quibus antiquus seductor innumeras animas illaqueat sibique divinctas tenet. Id nostro ævo quam maxime videmus, quo occasiones corruptionis ex una parte et numero creverunt et periculo, homines ex altera parte easdem non fugiunt; quid mirum deinde, si tot animæ pereant? Quo vero tristius est hoc spectaculum, eo efficacius debet Sacerdotum zelum accendere, ut fœtidissimæ impietatis et luxuriæ eluviei, quantum in Domino possunt, aggeres opponant. Sed hunc in finem necesse est, ut non zelo tantum, sed eximia quoque prudentia polleant, qua noverint pœnitentes regere ne aberrent, et corrigere ac reducere aberrantes; qua sciant more periti medici remedia aptare ægrotis, ut nec nimis vehementia nec nimis mollia sint. Hanc autem cœlestem prudentiam et postulare debemus a Deo, et discere a peritissimis ducibus. Inter hosce, nemine inficiante, eminet S. Alphonsus de Ligorio, quem divina Providentia nostris hisce temporibus suscitavit, ut inter implexas Theologorum tum laxiores tum rigidiores sententias tutam sterneret viam, per quam Christifidelium animarum Moderatores inoffenso pede incedere possent, [1] et quem idcirco Ecclesia ut Ducem ac Doctorem tutissimum proposuit. Et re quidem vera, in tota doctrina morali S. Doctoris spiritus Divini Redemptoris elucet; quod assertum de materia, quam tractamus, paucis argumentis dilucidare juvabit.

I. Quantum ad præcavenda peccata, et consequenter ad fugam occasionum proximarum, S. Alphonsus [2] hanc palmarem regulam statuit sæpiusque inculcat: »Ubi opiniones benigniores liberant pœnitentem a peccato formali, »Confessarius debet, quantum Christiana »prudentia concedit, iis uti, dummodo »gravi fundamento nitantur. Ubi vero »opiniones benignæ adducunt pœnitentem in periculum peccati formalis, ut »accidit in hac materia occasionis proximæ, expedit ut utatur sententiis »rigidioribus; sic enim magis consulet »suorum pœnitentium saluti." Hæc regula tota fundata est in horrore peccati, qui et ipse emanavit ab amore Dei animarumque zelo, quo S. Doctor æstuabat, et quo ardenter cupiebat offensam Dei animarumque interitum impedire. Congruit omnino cum hac Domini nostri sententia: [1] »Si manus tua »vel pes tuus scandalizat te, abscinde »eum, et projice abs te; bonum tibi »est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. »Et si oculus tuus scandalizat te, erue »eum, et projice abs te; bonum tibi est »cum uno oculo in vitam intrare, quam »duos oculos habentem mitti in gehennam ignis." Merito igitur, conformiter huic divino oraculo, concludit S. Doctor: »In his omnibus, præsertim ubi turpium »lapsuum periculum imminet, advertat »sedulus Confessarius quod nunquam »crudelius se geret cum pœnitente, »quam benignius agendo, et quo majorem severitatem adhibebit, (quantum »nempe Christiana prudentia concedit, »ut supra dixit,) eo melius illius saluti »consulet. D. Thomas a Villanova vocat »Confessarios *impie pios*, qui, ne confitentem contristent, illum in sua nequitia manere permittunt." Eamdem conclusionem tuetur Ven. P. Segneri, [2] qui alloquens Confessarium dubitantem utrum occasio aliqua necessaria sit necne, hanc ei tradit regulam: »In dubio semper »elige partem rigorosam, quia hæc, ut

[1] Breve Pii IX *Qui Ecclesiæ.* 7 Jul. 1871.
[2] Lib. 6. n. 456.

[1] Matth. XVIII. 8. 9. V. 29. 30.
[2] Instruct. Confess. *cap.* 5.

»vidimus, cedit in majorem pœnitentis »favorem; considerando scilicet in uno »Holofernis capite amputato universam »victoriæ gloriam consistere; uno, in»quam, ictu infinita rescindi scelera." Postmodum, agendo de occasione *in esse*, hortatur Confessarium ne fidat horum occasionariorum promissis de deserenda occasione: »Moneo, ne fidem »attribuas ipsis, et ne citra casus extra»ordinarios, (qui ab universali regula »sunt excepti,) errorem hunc muneri »tuo probrosissimum admittas, absolu»tionem nempe conferendo priusquam »occasio sit sublata, quando tolli potest. »Prius sagitta extrahenda est, ac tum »medendum vulneri. Obsides antea dandi »sunt, priusquam pax firmiter stabiliatur. »Ejiciantur primo abominationes e tem»plo, et tunc de sacrificiis Domino offe»rendis cogitandum." Consonat omnino S. Leonardus a Portu Mauritio, [1] qui hanc P. Segneri doctrinam totidem verbis suam facit.

II. Quod deinde attinet ad meros recidivos, prudentem tradit absolvendi facilitatem, quæ divinam misericordiam refert, quin peccandi præbeat licentiam. Divinam refert misericordiam, quatenus docet recidivos rite dispositos ordinarie absolutionis gratia donandos esse; [2] hoc modo enim obsequitur Redemptori docenti septuagies septies peccata remittenda esse pœnitenti, imitatur patrem amplexantem filium prodigum, necnon Salvatorem ignosentem Mariæ Magdalenæ et mulieri adulteræ. Non præbet peccandi licentiam, quatenus exigit vera pœnitentiæ signa et fundatam spem emendationis, [3] memor præcepti Domini: [4] »Nolite dare sanctum canibus, »neque mittatis margaritas vestras ante »porcos, ne forte conculcent eas pedi»bus suis, et conversi dirumpant vos;" necnon sententiæ S. Ambrosii [5]: »Faci»litas veniæ incentivum tribuit delin»quendi," et Bellarmini [6]: »Non esset »tanta facilitas peccandi, si non esset »tanta facilitas absolvendi." Ut autem appareat quantopere S. Alphonsus patris benignitatem cum medici prudentia copulare mediamque viam tenere studuerit, lubet hic aliqua ex ejus scriptis loca proferre, quæ id clare demonstrant. In libro 6. n. 464. hæc scripsit: »Certum »est, quod in hac materia (impertiendæ »vel differendæ absolutionis recidivis) »tam errent, qui æquo sunt faciliores, »quam qui æquo rigidiores sunt in ab»solvendo; utrumque extremum perni»ciosum; multi enim Confessarii ob »nimiam facilitatem absolvendi causa »sunt quod plures animæ in perditio»nem abeant; sed alii ob nimiam rigi»ditatem non minoris sunt detrimenti. »Unde haud scio, utrum Confessario »minori scrupulo debeat esse indisposi»tos absolvere, quam dispositos dimit»tere.... Sed, quod dolendum est, ma»xima pars Confessariorum undique, »nullo prorsus signo extraordinario »exhibito, indiscriminatim, sine ulla »admonitione, nulloque præstito remedio, »hujusmodi relapsis semper absolutionem »impertiuntur, et hoc est unde ruina »tot animarum emanat." Utrumque ergo extremum sollicite cavendum est: rigor enim peccatores a Sacramentis avertit et in desperationem agit; laxitas eis horrorem peccati adimit, et causa est quod multis annis, imo ad mortem usque, insordescant consuetudini, alii se polluendi, alii blasphemandi, alii se inebriandi, etc. (*Prax. Confess. n.* 71. 77.) In H. A. tr. 16. n. 105. asseverando strictam Confessarii obligationem pro viribus disponendi pœnitentes indispositos, hæc subjungit: »Satius est, dicebat »S. Franciscus Xaverius, paucas confes»siones audire rite factas, quam multas »temere properatas et sine fructu. Quot »istorum ad me venerunt indispositi, et »ego, divino auxilio opitulante, dispo»nere curavi, et dispositos tuto et mea »maxima consolatione absolutos di»misi!"

In hac Appendice lector non inveniet controversiam; praxim dumtaxat spectavi; quare animum totum intendi ad regulas, quas S. Alphonsus tradit, dilucide ac concise exponendas et probandas. Præ oculis etiam habui nostrorum temporum et locorum adjuncta, pluraque adjeci ex aliis probatis Theologis deprompta. Materiam in tres partes dividimus, quarum 1ª aget de occasionariis in genere, 2ª de recidivis, 3ª de occasionibus particularibus.

[1] Discors. mist. n. 17. 21. *in fine.*
[2] n. 463.
[3] n. 459.
[4] Matth. VII. 6.
[5] Sermo 8 in Ps. 118. *Edit. Migne. Tom.* 15. *col.* 1305. *n.* 26.
[6] Apud Bened. XIV. Constit. *Apostolica.* 26 Jun. 1749. *n.* 22.

PARS PRIMA.

DE OCCASIONARIIS IN GENERE.

Trademus 1° notionem occasionis, 2° obligationem eam vitandi, 3° officium Confessarii erga occasionarios.

CAPUT I.

NOTIO OCCASIONIS.

299. — Occasio peccati est persona vel res externa, quæ constituit hominem in periculo peccandi. Constituitur ergo duobus: objecto externo et illecebroso, et propensione internâ ad peccandum.

Ad rectam intelligentiam probe distinguenda sunt *periculum* et *occasio.* Periculum est impulsio ad peccandum; quæ si a personâ vel re externâ proveniat, ea persona vel res *occasio* dicitur; si ab intrinseco tantum oriatur, puta a dæmone, a complexione, a vitioso habitu, v. g. dum quis ex propria fragilitate est in periculo se polluendi, vel ex pravo habitu est in periculo blasphemandi, simplex *periculum* vocatur. Nonnulli tamen id, quod ab intrinseco solum impellit ad peccatum, *occasionem internam* vocant; communiter vero solam personam vel rem externam occasionem appellant. In omni ergo occasione est periculum, sed non omne periculum ab occasione externa oritur.

300. — **Divisio periculi.** Periculum 1° dividitur in *proximum*, etiam *probabile* sive *grave* dictum, in quo quis probabiliter lapsurus est in peccatum; non vero in tentationes dumtaxat aut motus sine consensu, etsi hic aliquando, sed raro, fuisset subsecutus: et *remotum* seu *leve*, in quo quis probabiliter non lapsurus est, sive *secundum se* tale sit, quia non multum impellit ad peccatum, sive *respectu alicujus*, quem parum movet, sive demum *ope præsidiorum* tale effectum sit, quia homo se contra impulsum munivit; in hoc postremo casu periculum dicitur *materialiter proximum*, sed *formaliter remotum.* Hàc ratione 2° duplex distinguitur periculum proximum, *formale* nempe, quod vim suam inducendi ad peccatum retinet: et *materiale*, cujus vis efficacibus præsidiis enervata est. (*n.* 452.)

301. — **Divisio occasionis.** Occasio est, sicut periculum, proxima vel remota. *Proxima* est, quæ inducit probabile periculum peccandi; *remota* vero, quæ leve periculum tantum inducit.

Occasio *proxima* multiplex est: 1° *absoluta*, seu *per se*, in qua homines *communiter* ut plurimum peccant, v. g. lupanar, pravi libri, cubatio cum personâ alterius sexûs in eodem lecto: *relativa* seu *per accidens*, quæ talis est respectu *alicujus*, vel quia in illa frequenter lapsus est, vel quia, attentâ ejus fragilitate, prudenter timetur ipsius lapsus, v. g. choreæ, cauponæ, commoratio cum puellâ venustâ. Quare, sicut occasio *per se proxima* potest valde pio et cauto esse *remota*, ita contra *per se remota* poterit debili et in vitium, præsertim turpe, proclivi esse *proxima.*

2° *Continua*, seu *in esse*, quæ continue præsens est, quin quæratur, v. g. concubina vel ancilla, quacum quis habitat et peccare solet, vel pravus liber, quem domi retinet: *interrupta*, quæ absens est, et per intervalla quæritur, v. g. lupanar, caupona, pravum consortium, amasius vel amasia.

3° *Voluntaria*, quæ facile seu sine gravi detrimento dimitti potest: *necessaria*, sive *physice* sive *moraliter*, quæ removeri vel absolute non potest, vel non sine peccato, aut gravi scandalo, aut magno detrimento famæ vel fortunæ, necnon quæ vitari nequit, quin quis in simile vel pejus periculum se conjiciat. Physice necessaria erit v. g. detentio cum concubinâ in eodem carcere, in eâdem navi in medio maris; moraliter v. g. maritus respectu uxoris; filius vel filia-familias, qui domi habens occasionem, non potest domum relinquere; officium medici; militia. (*n.* 452. 455.)

302. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quibus indiciis dignosci possit periculi probabilitas, quæ occasionem aliquam facit proximam?*

Resp. 1° *A priori* dignoscitur tum ex objecti illecebra, tum ex fragilitate personæ, ex passione, ex vehementi tentatione, ex habitu vitioso, aliisque circumstantiis, quando nempe, his attentis, prudenter judicatur adesse proximum

periculum lapsus. Hinc v. g. ancilla vivide sollicitata ab hero, si sit fragilis et parum devota, erit in occasione proxima, licet nondum peccaverit; secus vero, si esset pietati dedita et cauta, et opportuna adhiberet remedia ad tentationes heri repellendas ac passioni obviandum.

2° *A posteriori* dignoscitur per experientiam, ex frequentia lapsuum. Ad occasionem proximam constituendam non requiritur ut quis *fere semper* aut *frequentius* in ea cadat, sed sufficit quod *frequenter* labatur; frequens enim lapsus in præterito probabilem reddit lapsum in futuro. (*n.* 452. Cardenas. *part.* 1. *tr.* 1. *disp.* 18. *n.* 13. Billuart. *De Pœnit. diss.* 6. *art.* 10. § 5. Berardi. *De occas. n.* 13.)

Frequentia autem lapsuum vel *relativa* est vel *absoluta*. *Relativa* computatur juxta numerum vicium, quibus quis occasioni fuit expositus, et aderit e. g. si quis in duodecim visitationibus soleat peccare quinquies vel sexies; item, si solum ter aut quater in anno fœminam inviseret, et cum eâ ut plurimum peccaret, imo si semel tantum in anno visitaret, et nihilominus semper peccaret. (*n.* 452.) *Absoluta* vero erit, cum numerus lapsuum in se consideratus notabilis est, ut si duæ personæ, quæ singulis Dominicis conveniunt, decies vel duodecies per annum labuntur.

Alterutra frequentia sufficit ad constituendam occasionem proximam. (*Prax. Conf. n.* 70. S. Leon. a Port. Maur. *Discors. mist. n.* 18. 20. Konings. *n.* 1430.)

Quær. 2° *Quibus indiciis cognosci possit, occasionem ex proxima remotam evasisse?*

Resp. Præcipue ex sequentibus: 1° Si ex sufficienti experientia pateat frequentiam lapsuum cessasse.

2° Si qua causa supervenerit, quæ evidenter destruat gravitatem periculi, v. g. matrimonium, discordia permanens. Hæc colliguntur ex S. Alph. n. 452. (Palaus. *tr.* 2. *disp.* 2. *punct.* 9. § 3. *n.* 16. Sanch. *Decal. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 2. Salmant. *tr.* 6. *cap.* 5. *n.* 63.)

CAPUT II.

OBLIGATIO VITANDI OCCASIONES PECCATI.

303. — **Principia.** I. Obligatio non peccandi mortaliter, affert obligationem gravem vitandi ejus periculum proximum. Rationes sunt: 1° qui sub gravi tenetur consequi finem, sub gravi quoque tenetur adhibere media, cum sine hisce ille impossibilis sit; atqui fuga periculi proximi est medium moraliter necessarium ad peccatum vitandum, et est etiam medium moraliter possibile; ergo. 2° Sicut lege amoris sui tenetur homo non exponere se sponte periculo mortis corporis, ita a fortiori ex lege charitatis tenetur se non exponere periculo mortis animæ, et ex lege charitatis Dei non exponere se periculo offendendi Deum. Propterea in re morali ejusdem generis malitia est, se constituere in periculo proximo committendi aliquod peccatum, atque illud committere. Inde sequitur, hominem toties mortaliter peccare, quoties sine ulla necessitate periculo proximo se exponit, etiam tum, cum in eo non cadit.

Exponere se periculo remoto peccandi mortaliter, non est peccatum, si adsit aliqua causa, vel aliqua cautela adhibeatur: secus veniale erit. Ratio est, quia tale periculum facile superari potest. (*Lib.* 5. *n.* 63. *et* 6. Lugo. *De Pœnit. disp.* 14. *n.* 157. Sanch. *Decal. lib.* 1. *cap.* 8. *n.* 4.)

II. Ex morali necessitate licet se exponere periculo proximo peccati mortalis, dummodo homo aptis mediis contra periculum se muniat. Ratio est, quia tunc potius dicitur invitus periculum subire, quam illud amare, et ideo, si se roboret per actus internos, puta per intensum propositum, orationem, etc., providebit Deus ne in illo cadat; quo pacto periculum redditur remotum. Unde patet hominem *semper* teneri vitare periculum *formale*, sive per fugam, sive per præsidia. (*Lib.* 5. *n.* 63.)

III. Obligatio vitandi pericula peccandi affert eamdem obligationem vitandi occasiones proximas. Ratio, quia proximum peccandi periculum continent. Constat insuper ex prop. 62. et 63. damnatis ab Innoc. XI.; quarum prior est: »Proxima occasio peccandi non est »fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit," et altera: »Licitum est quærere directe »occasionem proximam peccandi pro »bono spirituali vel temporali nostro »vel proximi."

Dico: *proximas;* quia non exsistit hæc obligatio vitandi occasiones *remotas*, sicut dictum est supra de periculis remotis; tum quia non inducunt proximum periculum, tum quia plerumque tales occasiones moraliter vitari nequeunt, alioquin deberemus de mundo exire, ut ait Apostolus I Cor. V. 10.; in quovis enim hominum statu occurrunt.

Porro, quemadmodum occasio constituitur duobus, objecto nempe externo et propensione internà, sic duo sunt modi vitandi occasionem: 1° *physice* seu *materialiter*, quando locum habet physica separatio, v. g. si concubinus ejicit e domo concubinam; 2° *moraliter* seu *formaliter*, quando sine physica separatione destruitur periculum per alia media. Primus modus adhiberi debet cum occasione *voluntaria*; quia ille, qui *vult* manere in periculo proximo labendi, non habet propositum efficax non peccandi. Secundus modus sufficit cum occasione *necessaria;* quia ille, qui ex *necessitate* manet in periculo, potest sperare divinum auxilium ad resistendum.

304. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An aliquando sufficiat vitare occasionem proximam voluntariam formaliter sine separatione?*

Resp. Si sermo est de vera occasione proxima, quam nempe associat vel frequens lapsus, vel passio vivida, vel habitus vitiosus, vel animosa sollicitatio, victoriam sperare non licet sine separatione. Gravis enim tentatio sine Dei auxilio superari nequit; Deus autem temerarios non adjuvat, et experientia plus nimio id demonstrat. Hoc cumprimis valet in materia luxuriæ, de qua ait S. Isidorus apud S. Thomam:[1] »Magis per carnis luxuriam humanum ge»nus subditur diabolo, quam per aliquod »aliud; quia scilicet difficilius est vincere »vehementiam hujus passionis." Unde, quanto major est hæc difficultas, tanto minus fortitudinis habet homo, ut per actus internos evadat periculum formale, atque adeo ad evadendum illud necesse est occasionem externam vitare. (*n.* 454. 458. S. Leon. *Disc. mist. n.* 17.)

Quær. 2° *Quænam remedia adhibere debeat homo constitutus in occasione necessaria?*

Resp. Exponentur infra n. 308.

Quær. 3° *An homo, qui in occasione necessaria, non obstantibus remediis, semper eodem modo relabitur, teneatur deserere occasionem cum quocumque incommodo vel damno?*

Resp. Expendetur infra n. 308.

[1] 2. 2. qu. 154. a. 3. ad 1.

CAPUT III.

OFFICIUM CONFESSARII ERGA OCCASIONARIOS.

ARTICULUS I.

ERGA ILLOS, QUI VERSANTUR IN OCCASIONE PROXIMA VOLUNTARIA.

305. — Præmittendæ sunt propositiones hac in re damnatæ; nempe prop. 61. damn. ab Innoc. XI: »Potest aliquando »absolvi, qui in proxima occasione pec»candi versatur, quam potest et non »vult omittere: quinimo directe et ex »proposito quærit aut ei se ingerit," et prop. 41. damn. ab Alex. VII: »Non »est obligandus concubinarius ad ejicien»dam concubinam, si hæc nimis utilis »esset ad oblectamentum concubinarii, »vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis »ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio »magno concubinarium afficerent, et »alia famula nimis difficile inveniretur."

306. — **Regulæ.** I. Occasionarii habentes occasionem *interruptam*, possunt bis terve absolvi, antequam occasionem deseruerint, si sincere promittant se eam derelicturos esse. Ratio est, quia, cum non sint actu in occasione, facilius credi potest propositum efficax non amplius adeundi eam; ad quod Confessarius eos excitare debet. (*n.* 452. 454. *Prax. Conf. n.* 66. Viva. *in prop.* 41. *damn. ab Alex. VII. n.* 16. Mazzot. *tr.* 6. *disp.* 2. *qu.* 4. *cap.* 3. § 2.)

II. Si postea emendatio non appareat, differri debet absolutio, usquedum de facto occasionem deseruerint; nisi signum extraordinarium dispositionis ostendant. Ratio est, quia, cum ab illâ occa-

sione abesse facile possint, post repetitas inconstantias præsumenda est infirmitas propositi. Ratio exceptionis est, quia tale signum firmam voluntatem denotat.

Dictum est: *si emendatio non appareat;* quia si pœnitens aliquam emendationem ostendat, etsi non prorsus se abstinuerit ab occasione adeunda, et timendum sit ne absolutionis dilatio animæ pœnitentis magis noceat quam prosit, absolvi poterit; quia emendatio satis indicat sincerum propositum, et spem ingerit brevi secuturæ plenæ emendationis. (*n.* 454. *Prax. Conf. n.* 66.)

Signa porro extraordinaria quæ sint, dicetur infra n. 314. Hæc cumprimis apparere solent tempore Missionis in iis, qui diligenter concionibus interfuerunt et hoc tempore a peccato abstinuerunt; quare absolvi possunt, etiamsi promissionem vitandæ occasionis sæpius hactenus infregerint.

III. Occasionarii habentes occasionem *in esse*, ordinarie loquendo, ne prima quidem vice absolvi possunt, priusquam occasionem dimiserint, quantumvis promittant se eam dimissuros esse. Ratio est proximum periculum infringendi propositum, eo quod ablatio ejusmodi occasionis, propter magnam animi adhæsionem, exigat arduam suiipsius victoriam, ita ut pœnitens objecti præsentiâ fascinatus et emollitus facile redeat ad vomitum. Quare pœnitens, qui *hoc advertens* vellet huic periculo temere se exponere, esset indispositus, et Confessarius, qui tali periculo pœnitentem exponeret, peccaret tam contra officium judicis, absolvendo indispositum, quam contra officium medici, non applicando remedium necessarium. (*n.* 454. *Prax. Conf. n.* 66.)

Dictum est: *ordinarie loquendo;* quia dantur exceptiones, dummodo pœnitens firme promittat se occasionem quam primum sublaturum esse. Excipitur nempe 1° Si pœnitens compunctionem et propositi firmitatem modo extraordinario ostendat; quia tunc prudenter sperari potest propositi exsecutio. (*n.* 454. *Prax. Conf. n.* 67.)

2° Si occasio talis sit, quæ dimitti possit quin pœnitens magnam vim sibi inferre debeat, v. g. pravi libri; colligitur ex ratione, qua S. Alph. n. 454. et 464. probat regulam; ea ratio nimirum respicit personam turpiter deamatam. (Berardi. *n.* 44.)

3° Si gravis causa cogat ut statim absolutio concedatur; quia ex gravi causa et cum debitis cautelis licet se et alterum exponere periculo, quod tunc remotum redditur; proinde, cum pœnitens est in quadam necessitate recipiendi absolutionem antequam occasionem tollat, censetur ac si esset in occasione necessaria, adeoque habet jus ut statim absolvatur. (*n.* 454. *Prax. Conf. n.* 67.)

Ejusmodi graves causæ quatuor recensentur, nempe

a) *Periculum mortis*, si nimirum pœnitens sit in periculo mortis, et occasio statim expelli nequeat, sive quia non adest tempus, sive quia gravis infamia vel grave scandalum ex tali dimissione suboritura sunt, prout sæpe contingit. (*n.* 455. *Prax. Conf. n.* 68.)

b) *Difficultas redeundi*, scilicet si ad eumdem Confessarium redire nequeat, vel nonnisi post longum tempus, et magnum incommodum illi sit repetere confessionem apud alium. Ratio est magnum onus aut repetendi confessionem apud alium, aut diu manendi in statu peccati. (*n.* 454. *Prax. Conf. n.* 67.) Idem valet, si pœnitens confiteatur in loco a proprio domicilio valde dissito, ita ut magnum onus esset redeundi. (Berardi. *n.* 45. *III.*)

c) *Periculum infamiæ*, si nempe necessitatem habeat eâdem vel posterâ die Matrimonium ineundi aut Communionem recipiendi, quatenus absque gravi infamia abstinere nequeat. (*Lib.* 3. *n.* 436.) Similiter, si confiteatur tempore Missionis, et intra idem tempus occasionem dimittere absque infamia minime possit, quod plerumque evenit. In hoc casu amotio occasionis ad aliquas hebdomadas post Missionem reponenda est, exigendo tamen statim, si fieri possit, aliquam cautionem, v. g. renuntiationem conductionis, et remedia præscribenda sunt ad præcavendum relapsum. (S. Leon. a Port. Maur. *Disc. mist. n.* 22.)

d) *Periculum damni spiritualis*, si videlicet prudens timor adsit ne pœnitens ob dilationem absolutionis, cum necdum inconstans fuerit, a Confessione alienetur et in peccatis tabescat; quia tunc dilatio periculum infringendi propositum potius augeret. (Berardi. *n.* 49. 50.)

In memoratis casibus Confessarius pœnitentes admonere deberet, ne confidant se in posterum obtenturos esse absolutionem, nisi promissis steterint.

IV. Occasionarii *in esse*, si *recidivi* sint, absolvi nequeunt, nisi signum extraordinarium dispositionis ostendant. Ratio est tum suspectum propositum illius, qui fefellit ejusmodi promissa, tum majus periculum inconstantiæ futuræ. (*n.* 454.)

Recidivi *in occasionem* sunt, qui promissioni de removenda occasione, jam antea factæ, infideles extiterunt. (*n.* 454.)

V. Hisce occasionariis recidivis, licet signo extraordinario dispositionem ostendant, Confessarius ex officio medici differre debet absolutionem, si commode possit, usquedum occasionem dimiserint. Ratio est, quia post irrita promissa dilatio absolutionis evasit remedium magis necessarium magisque efficax. (*n.* 456. 463. 464. *Prax. Conf. n.* 69.)

Dictum est: *si commode possit;* quia, si qua causa gravis prudenti Confessario suadeat melius aut necessarium esse ut absolutio concedatur, ea concedenda erit. Causæ ejusmodi sunt v. g. periculum mortis, impotentia redeundi, necessitas Matrimonium vel Eucharistiam suscipiendi, tempus Missionis, prout in regula III explicatæ sunt. (Berardi *n.* 53. 54.)

ARTICULUS II.

ERGA ILLOS, QUI VERSANTUR IN OCCASIONE PROXIMA NECESSARIA.

307. — **Regulæ.** I. Qui versantur in occasione necessaria, absolvi possunt, quin occasionem deserant, modo mediis præscriptis uti velint. Ratio est, quia ex una parte nemo tenetur ad id quod vel physice vel moraliter impossibile est, et aliunde occasio peccandi non est *in se* peccatum, nec in necessitatem peccandi hominem conjicit; ex altera parte spes est fore ut pœnitens fideliter exsequendo remedia præscripta periculum superet, et hoc modo occasionem proximam convertat in remotam. (*n.* 455.)

II. Ejusmodi occasionariis, si *recidivi* sint, differenda est absolutio, donec emendatio appareat; nisi signum extraordinarium dispositionis exhibeant. Ratio est, tum quia præbent suspicionem infirmi propositi, ut infra exponetur n. 313, tum ut apprehendant gravitatem peccati et ad emendationem compellantur.

Recidivi hic designantur illi, qui jam moniti a Confessario media præscripta neglexerunt, et eodem modo relapsi sunt. (*n.* 456.)

308. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quænam remedia Confessarius assignare debeat pœnitenti constituto in occasione necessaria?*

Resp. Oportet 1° *diminuere vim occasionis.* Non raro pauca verba forti animo dicta, seria comminatio aut exprobratio, hiatus oris ad clamandum, referre rem alicui qui potest remedium apponere, sufficiunt ut perfidus insidiator animo dejiciatur et ab omni molestia cesset. Deinde debet vitare ne solus cum sola versetur, fugere omnem familiaritatem, et, quantum fieri potest, etiam aspectum complicis, de eo non loqui, non cogitare, et similia.

2° *Diminuere vim passionis*, nullum præbendo ei fomentum per otium, libertatem sensuum, pravas cogititationes, pravas lectiones, intemperantiam, etc.; item, illam subjiciendo per laborem, jejunia et alias macerationes, si possibile sit.

3° *Augere vires spirituales*, oratione, frequentatione Sacramentorum, et meditatione æternarum veritatum. Quoad *orationem*, quolibet mane et vespere, præcipue vero adveniente tentatione, Deum et B. Virginem deprecetur; quotidie, præsertim mane, ante imaginem Crucifixi renovet propositum non amplius peccandi, etc.; precibus, si possit, eleemosynas conjungat. Quoad *frequentationem Sacramentorum*, vix est aliud efficax remedium præter frequentissimam Confessionem cum uno eodemque Confessario docto et pio, speciatim redeat ad Confessarium statim post lapsum. Demum quoad *meditationem veritatum æternarum*, quotidie serio recogitet de morte, de judicio divino, et de æternis cruciatibus; in quem finem optime deserviet opus S. Alphonsi: *Præparatio ad mortem;* demum, si fieri possit, exercitia spiritualia obeat. (*n.* 455. *Prax. Conf. n.* 68. Berardi. *n.* 79—83.)

Sedulo porro notandum, pœnitentem *teneri* remedia, quæ in ejus potestate sunt, adhibere: secus enim occasio quidem necessaria, sed periculum voluntarium esset, quemadmodum in periculo naufragii tabulam quisque arripiet, cum

navis deest qua evadat. Confessarii itaque partes sunt pœnitentem de hâc obligatione admonere, illique remedia, quæ conveniunt, assignare; dico: *quæ conveniunt;* non enim adhibenda sunt omnia simul, sed modo ista modo illa, usquedum, adjuvante gratiâ Dei, optatus effectus obtineatur. (*Lib.* 5. *n.* 63. Segneri. *Instruct. Conf. cap.* 5. Cardenas. *part.* 4. *diss.* 40. *n.* 65—67. Berardi. *loc. cit.*)

QUÆR. 2° *An pœnitens, qui, non obstantibus remediis, semper eodem modo relabitur, cogendus sit ut cum quocumque incommodo vel damno occasionem deserat?*

Resp. Dist. 1° Casu, quo remedia præscripta neglexerit, dimittendus est sine absolutione, ut remedia exsequatur; nisi forte extraordinaria signa doloris exhibeat. Ratio, quia tunc dimissio medium sufficiens, at simul necessarium est. (*n.* 456.)

2° Casu, quo remedia præscripta adhibuerit, nonnulli negant, modo serio proponat emendationem. At sententia verior et communis affirmat, nempe in casu extremo, quando post multa experimenta *nulla emendatio* nec *probabilis spes emendationis* apparet. Ratio est, quia tunc periculum peccati manet formale, et a peccato sejungi non potest; consequenter remotio occasionis fit unicum medium salutis, adeoque urget sententia Christi apud Matth. XVIII. 9.: »Si oculus tuus scandalizat te, erue »eum, et projice abs te: bonum tibi »est cum uno oculo in vitam intrare, »quam duos oculos habentem mitti in »gehennam ignis;" et XVI. 26.: »Quid »prodest homini, si mundum universum »lucretur, animæ vero suæ detrimentum »patiatur? Aut quam dabit homo com»mutationem pro anima sua?"

Excipe casum, quo pœnitens signa doloris ostenderet tam extraordinaria, ut prudens emendationis spes concipi posset. (*n.* 457. *Prax. Confess. n.* 69. H. A. *tr. ult. n.* 7. *Confess. dirett. cap.* 15. *n.* 11.)

Scholium.

309. — Omnes conveniunt, inquit S. Alph., semper expedire, *quando commode fieri potest*, absolutionem differre occasionariis, donec occasionem deseruerint, vel, si necessaria sit, per aliquod tempus media impleverint. Imo, censet S. Doctor Confessarium ad id teneri; quia tamquam medicus tenetur eligere remedia aptiora; nullum autem absolutionis dilatione aptius est ad stimulandum pœnitentem ut remedia exsequatur. (*n.* 456. *Prax. Conf. n.* 69.)

Porro non expediret dilatio 1° tempore Missionis; 2° si prudens timor subesset, ne pœnitens aut non, aut non nisi post longum tempus reversurus esset. (Berardi. *n.* 107—114.)

PARS SECUNDA.

DE RECIDIVIS.

Expendemus 1° notionem recidivi, 2° officium Confessarii erga habituatos et recidivos.

CAPUT I.

NOTIO RECIDIVI.

310. — Habitus seu consuetudo peccati est facilitas committendi aliquod peccatum, actibus repetitis comparata. *Habituatus* seu *consuetudinarius* in acceptione theologica vocatur, qui contraxit habitum alicujus peccati, quem nondum confessus est. *Recidivus* dicitur, qui post Confessionem in eumdem habitum peccati relabitur.

Cum recidivo ergo in *habitum peccati* confundendus non est recidivus in *peccatum* absque habitu. Sermo nobis hic est de solo recidivo consuetudinario. Neque confundendus est recidivus *ex occasione* cum recidivo *in occasionem* peccati, de quo in Parte I locuti sumus: prior designat relapsum in habitum peccati, non ex fragilitate intrinsecâ, sed ex occasione extrinsecâ, quam frequentat aut domi retinet; posterior est, qui Confessario fidem de removendâ occasione fefellit, et occasionem denuo adiit vel non expulit, sive habitum peccandi simul habeat vel eo careat.

311. — **Notanda.** 1° Quot actus ad pravum habitum constituendum sufficiant, pendet a difficultate vel facilitate, qua homines diversa peccata committere consueverunt; unde, quo facilius aliquod peccatum committi soleat, eo plures actus intra certum tempus requiruntur. Porro, facilius committuntur peccata cordis et oris, quam operis; facilius opera non consummata, quam consummata; inter opera consummata facilius admittuntur ea, quæ solitarie, quam ea, quæ cum alio patrantur. De cætero, certus numerus prudenti arbitrio æstimandus est.

Hinc *a*) in peccatis *operis* quinque lapsus in mense sufficere possunt, modo inter ipsos aliquod intervallum intercedat, e. g. si quis singulis septimanis peccatum committat: in peccatis vero luxuriæ consummatæ, quæ complicem habent, ut in fornicatione, sodomia, bestialitate, multo minor numerus sufficere potest, v. g. semel in mense per annum. (*Prax. Conf. n.* 70.) — *b*) In peccatis *oris* vel *cordis* multo major numerus requiritur, v. g. bis terve in hebdomade.

2° Distinguendi sunt recidivi *a*) *incontinentes*, seu *habituati in peccato* tantum, qui peccant solum ex impetu passionis seu ex fragillitate, ita ut habitualiter ipsorum voluntas sit peccato contraria, quod ideo, transacto passionis impetu, abhorrent; contingere solet in blasphemiis, imprecationibus, et sæpe etiam in pollutione; *b*) *intemperati*, seu *habituati in voluntate peccandi*, qui peccant ex habituali affectu ad peccatum, seu ex propria electione, et ideo etiam sine prævio impulsu passionis vehementis; accidere solet in odio, furto, turpi amore, utpote quæ voluntatem devinciunt. Ita Berardi. *n.* 54. ex S. Thoma. 2. 2. *qu.* 156. *a.* 3.

CAPUT II.

OFFICIUM CONFESSARII ERGA HABITUATOS ET RECIDIVOS.

312. — Habitus, sicut occasio, sæpe in præsenti *suspicionem indispositionis*, et in futurum *periculum relapsûs* ingerit; quapropter Confessarius qua judex et qua medicus cautus esse debet in impertienda absolutione. In hâc materiâ S. Alphonsus mediam tenet viam inter laxismum et rigorismum. Laxistæ docent recidivos censendos esse dispositos, adeoque absolvendos esse, toties quoties ore affirmant se dolere et proponere emendationem. Ratio eorum est, quia Confessarius debet semper credere pœnitenti. Damnata est hæc doctrina ab Innoc. XI in prop. 60.: »Pœnitenti »habenti consuetudinem peccandi contra »legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi »emendationis spes nulla appareat, nec »est neganda nec differenda absolutio, »dummodo ore proferat se dolere et »proponere emendationem." Porro, nulla est spes emendationis in recidivo, de quo in sententiâ laxistarum, nisi »quod »ore proferat se dolere et proponere »emendationem," quin det signum sufficiens quo colligatur eum loqui ex animo; quod reprobatur in propositione damnata. Unde simul infertur, non posse Confessarium semper credere testimonio pœnitentis. (*n.* 459. Carden. *part.* 4. *diss.* 39. *n.* 50—64.)

Rigoristæ tradunt recidivos nunquam censendos esse dispositos, nisi diuturnâ experientiâ emendationem probaverint. Falsa est et hæc doctrina; quia consuetudinis eradicatio non est dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita, sed effectus quem producere debet, ut docet Trid. *sess.* 14. *cap.* 8.; sola dispositio necessaria est conversio cordis, quæ in instanti fieri potest. (*n.* 459.)

313. — **Regulæ.** I. Habituatus absolvi potest, etiamsi nulla emendatio præcesserit, modo eam serio proponat. Ratio est, quia spontanea confessio est signum contritionis, nisi obstet positiva præsumptio in contrarium; sola autem multitudo peccatorum non dat præsumptionem pœnitenti nunc deesse dolorem et firmum sese emendandi propositum. (*n.* 459.)

Verumtamen, si habitus esset valde *radicatus*, potest Confessarius, si pœnitenti profuturum judicet, ad breve tempus absolutionem differre, tum ut exploret quomodo pœnitens remedia exsequatur, tum ut hic de suo vitio majorem horrorem concipiat. (*Prax. Conf. n.* 70.)

II. Recidivi, qui jam moniti a Confessario, redeunt cum eodem pravo habitu, nullo adhibito conatu, nec ullo impleto medio ex iis quæ Confessarius præscripsit, absolvi non possunt, si sola signa ordinaria dispositionis afferant. Ita S. Alph. cum communi, contra Sancium, Faure, Ballerini, et alios remissiores theologos, qui nunquam requirunt

signa extraordinaria. Ratio est, quia talis neglectus emendationis prudentem movet suspicionem infirmi propositi; qui enim firmiter proponit rem sibi moraliter possibilem, non tam facile sui propositi obliviscitur, sed saltem per aliquod tempus perseverat, media adhibet, et difficilius aut rarius cadit. Hoc porro prudens Confessarii dubium adimere nequit sola pœnitentis affirmatio se dolere et proponere emendationem. Istiusmodi ergo recidivis, utpote *dubie* dispositis, regulariter concedi nequit absolutio.

Inde colligitur, in recidivis, de quibus loquimur, requiri signum aliquod peculiare dispositionis, ut absolvi possint; recta quippe ratio dictat certiora dispositionis argumenta ab iis postulanda esse, qui motivum præbent dubitandi de suâ dispositione, quam ab aliis, qui prudens dubium non ingerunt; secus merito timendum est ne Confessarius absolvat pœnitentes, qui ore quidem dolorem et propositum asserunt, sed firma sese emendandi voluntate intus carent.

DD. communiter censent ejusmodi recidivos cum solis signis ordinariis dispositionis ter quaterve absolvi posse; sed S. Alph., cum S. Carolo Borrom., S. Franc. Sales. et aliis, eorum opinioni non acquiescit; quia ratio adducta exsistit post primam Confessionem, sicut post plures. Atvero post plures Confessiones, si pœnitens plerumque statim reciderit, post duos nempe vel tres dies a Confessione factâ, quin ullo modo tentationi obstiterit, *moraliter certus* videtur doloris ac propositi defectus; in hoc conveniunt DD. (*n.* 459. 505. *Prax. Conf. n.* 20. *in fine.* Vindic. Alph. *part.* 6. *cap.* 1.)

Id porro animadvertere oportet, defectum veri propositi magis ex neglectu remediorum, quam ex multiplici relapsu dignosci; quia facilius est adhibere remedia, quam abstinere a peccato, propter vehementem in illud propensionem ex consuetudine. Sequitur ex regulâ traditâ. (Billuart. *diss.* 6. *art.* 10. § 6. *Dico* 3°. Segneri. *Instruct. pœnit. cap.* 8.)

III. Recidivos, qui non satis dispositi ad Confessionem accedunt, tenetur Confessarius, quantum valet, paterna ac fervida exhortatione disponere. Ita contra Rigoristas, qui tales illico dimittunt. Ratio est, quia ex officio medici debet morbo pœnitentis promptam apponere medelam, exemplo boni Samaritani oleum et vinum statim adhibentis. Idem tradit Leo XII in Constit. *Charitate Christi.* 25 Dec. 1825.

Hunc in finem debet pœnitenti exponere deformitatem peccati, valorem divinæ gratiæ, periculum damnationis, et similia. (*n.* 608.) »Quod si (Confessarius) »præstare prætermittat, inquit laudatus »Pontifex, profecto non magis ipse di»cendus est paratus ad audiendum, »quam cæteri ad confitendum, acce»dere."

Hæc autem exhortatio rite facta, *persæpe*, saltem si pœnitens non valde peccato adhæreat, optatum consequetur effectum. Ita Leo XII in cit. Constit., loquens de tempore Jubilæi, contra illos remissiores theologos, qui exhortationi quasi infallibilem attribuunt efficaciam.

IV. Si, non obstante exhortatione, recidivus non rite dispositus remaneat, differenda illi est absolutio usquedum appareat prudens signum emendationis. Ratio est, quia id exposcit Confessarii officium, tum judicis, ne Sacramentum nullitati exponat, tum medici, ut pœnitentem ad emendationem provocet. (*n.* 459. Vindic. *loc. cit.* § 2.)

Dilatio absolutionis semper humanissimis verbis imponenda est; bonus enim medicus amaram medicinam edulcare conatur. (*Prax. Conf. n.* 5. Leo XII. *Constit. cit.*)

Nihilominus, si gravis urgeat causa, excipiuntur nonnulli casus, in quibus recidivus *dubie* dispositus, qui nempe nonnisi signa ordinaria dispositionis ostendit, *sub conditione* absolvi poterit. Ratio est, quia, quando ex dilatione absolutionis multo majus timetur malum, quam speratur bonum, bonum pœnitentis postulat ut Sacramentum periculo nullitatis exponatur. (*n.* 28. 431.)

Casus isti fere sunt sequentes: 1° In *periculo mortis*, ne pœnitens certæ damnationi exponatur.

2° Ob *imperfectum usum rationis*, si sit semifatuus, vel puer nondum perfecte rationis compos, et recidivus in peccata dubie mortalia; quia ex una parte indigent absolutione, ne forte in peccato mortali remaneant, ex altera vero parte dilatio absolutionis in illis efficaciam non habebit.

3° Ob *periculum alienationis a Confessione*, si juste timeatur ne sine absolutione dimissus ad Confessionem amplius rediturus non sit et in peccatis tabescat. Hic lugendus casus nostra ætate, ob labentem fidem, multis in locis sæpius occurrit.

4° Ob *necessitatem* eadem vel postera die Matrimonium aut Eucharistiam suscipiendi, ad evitandam gravem infamiam; et, quamvis dubie disposito communicare non liceat, prudentia tamen plerumque suadebit eum hac de re non monere.

5° Ob *difficultatem redeundi*, si non posset ad Confessionem redire, nisi post longum tempus; quia diuturna dilatio fructum non afferet et pœnitentem diu relinquet in peccato. Sed hoc non valet pro recidivo in omissionem restitutionis, reconciliationis, occasionis removendæ, etc. (*n.* 432.)

V. Recidivi, qui præbent signum extraordinarium dispositionis, ex officio judicis toties quoties absolvi possunt. Ita S. Alph. contra Rigoristas. Ratio est, quia ejusmodi signa tollunt suspicionem indispositionis, quam præbet neglectus emendationis. (*n.* 459.)

Circa hanc regulam notanda sunt: 1° Recidivus prima vice rediens facilius absolvi poterit, quam secunda aut tertia vice; signa enim extraordinaria eo facilius obtinentur a Confessario, quo promptius falcem ad radicem mittit, et eo minora exiguntur signa, quo minus multiplicata sunt indispositionis indicia, quandoquidem, juxta tritum, peccata »assueta vilescunt;" quo diuturnior ergo relapsus, eo minor peccati horror. (Vindic. Alph. *Tom.* 2. *pag.* 378.)

2° Facilius absolvi possunt recidivi *incontinentes* quam *intemperati;* quia in illis Confessarius persæpe inveniet vel inducere poterit signum aliquod extraordinarium, in hisce vero paucies. Unde facilius absolvi possunt recidivi in blasphemias, quam in alia peccata odii, furti, aut libidinis, quibus habitus fortius inhæret, ob majorem passionem quæ in illis invenitur. (*Prax. Conf. n.* 75.)

VI. Recidivo disposito potest et debet aliquando Confessarius ex officio medici absolutionem differre, si pro ejus emendatione utile vel necessarium esse censeat. Ratio, quia inter duas medicinas medicus eligere debet illam, in qua major spes salutis reponenda est. Atqui apud omnes in confesso est et experientiâ constat, brevem dilationem aliquando multum conferre ad emendationem consuetudinarii, cum et horrorem peccati adaugeat et studium vincendi consuetudinem exstimulet. Tunc ergo majus bonum est ad breve tempus carere gratiâ, quam statim eam accipere cum præsenti periculo illam paulo post iterum amittendi. (*n.* 459. Vindic. *part.* 6. *cap.* 2. § 1.)

Utrum expediat sæpe uti hoc remedio, pandetur infra qu. 3.

314.— **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quænam sint signa extraordinaria sive peculiaria?*

Resp. S. Alph. novem enumerat, quæ ad duo capita revocari possunt, nempe aliquod emendationis studium, et specialis manifestatio doloris.

I. *Aliquod emendationis studium*, puta 1° Adhibitio mediorum, v. g. si pœnitens diligenter occasionem vitaverit, media a Confessario præscripta exsecutioni mandaverit, preces, eleemosynas, etc. adhibuerit ad vitium exstirpandum. 2° Perseverantia per aliquod tempus, v. g. absolute loquendo, per tres fere hebdomadas, vel, relative ad tentationes, per unam alteramve hebdomadam, cum antea solebat pluries in hebdomada prolabi. [1] Ea continentia contingere potest post Confessionem, quod melius signum est, vel etiam antequam ad Confessionem accedit, ut se ad eam disponat. 3° Difficilior aut rarior lapsus; *difficilior*, id est, post notabilem resistentiam: *rarior*, nempe in iisdem occasionibus et tentationibus.

II. *Aliqua specialis manifestatio doloris*, v. g. 1° Lacrymæ et suspiria, saltem ut plurimum, sed præsertim cordialia verba. 2° Spontanea confessio, facta, non ex usu, sed ex impulsu interno gratiæ, ut divina amicita recipiatur, maxime si accedit longum iter, jactura lucri notabilis, grave incommodum, magnus conflictus internus vel externus. 3° Specialis metus incussus ex aliquo extraordinario eventu, puta ob concionem auditam, mortem amici, imminens flagellum. 4° Confessio peccatorum prius celatorum. 5° Significatio novæ cognitionis sui peccati aut periculi damnationis. 6° Postulatio mediorum emendationis,

[1] Vindic. *tom.* 2. *pag.* 279. [1]

et similia. Ex ejusmodi signis recte colligitur pœnitentem non ore tantum, sed ex animo asserere dolorem et propositum; atque adeo præbent Confessario qua judici certitudinem de dispositione præsenti, et qua medico spem emendationis pro futuro. (*n.* 460. 505. *Prax. Conf. n.* 74.)

Notanda circa hæc sunt: 1º Confundi non debet *signum* extraordinarium dispositionis cum *dispositione* extraordinariâ: prius quidem exigitur quatenus solum *verum* signum est, at posterior non postulatur. (*n.* 459. *in fine. Prax. Conf. n.* 75.)

2º Studium emendationis nonnunquam stare potest cum modica emendatione, ob *speciales* emendationis difficultates, quæ provenire possunt a) ex habitu valde radicato, quippe qui magnos conatus exigit; b) ex tentationibus assiduis et vehementibus, quia hominem irretiunt; c) ex indole valde levi et volubili, quæ adolescentium maxime propria est, et qua fit ut pari facilitate ad bonum ac ad malum transeant; d) ex facilitate, qua aliqua peccata committuntur, puta peccata cordis et oris. (Berardi. *n.* 67.)

3º Spontaneitas confessionis in iis præsertim regionibus præsumenda est, in quibus fides elanguit; ibi enim respectus humanus ad suscipienda Sacramenta non impellit, sicut in aliis, in quibus viget religio, sed potius ab iisdem retrahit. Cæterum in hujusmodi etiam regionibus nont desunt, qui ex sola consuetudine, vel ex aliis quoque motivis, ad sacrum tribunal accedunt. (Vindic. *Tom.* 2. *pag.* 402. *n.* 4. et *pag.* 444. [4])

4º Tempore Missionis, quæ prospere cedit, recidivi ut plurimum solent esse rite dispositi, si concionibus diligenter intervenerint et hoc tempore a peccato abstinuerint. (S. Leon. *Disc. mist. n.* 10. Berardi. *n.* 81.)

Quær. 2º *Quomodo ergo procedere debeat Confessarius, ut rectum de recidivo formet judicium?*

Resp. Inquirendo 1º utrum a Confessario jam admonitus fuerit, et quænam remedia ei assignata fuerint. 2º An et quomodo istis remediis usus sit. 3º An toties quoties antea, et in quibus adjunctis, relapsus sit, nempe an paulo post Confessionem, an in gravi tentatione, an post magnam resistentiam, etc. 4º Quandonam ultima vice peccaverit. Deinde inspiciat quales sint actuales pœnitentis dispositiones. Ejusmodi enim interrogatio, sicut in seria corporalium, ita etiam in spiritualium morborum medela fundamentalis est. Consonat Concil. Later. IV. *cap.* 21. in *Cap. Omnis utriusque sexus. de pœnit.*, cujus verba referre juvat: »Sacerdos »sit discretus et cautus, ut more periti »Medici infundat vinum et oleum vul»neribus sauciati: diligenter inquirens et »*peccatoris* circumstantias et *peccati*, »quibus prudenter intelligat quale ei »debeat consilium præbere, et cujus»modi medicamentum adhibere, diversis »experimentis utendo ad sanandum æ»grotum."

Quær. 3º *An expediat sæpe uti remedio dilationis absolutionis erga recidivum satis dispositum, sine ejus consensu?*

Resp. 1º Certum est nullo modo expedire, quando dilatio a) magis obfutura quam profitura censetur; b) pœnitenti allatura esset aliquam infamiæ notam aut periculum.

2º Extra hos casus committitur prudentiæ Confessarii. S. Alph. sic distinguit: a) recidivis *ex fragilitate intrinseca*, ut accidit in peccatis pollutionis, delectationis morosæ, odii, blasphemiæ, et similium, raro expedit; quia major fructus sperandus est ex gratia Sacramenti, quam ex dilatione absolutionis; præsertim recidivis in peccatum pollutionis non est frequenti Confessione efficacius remedium, imo, sine ea sperari vix potest emendatio, cum hoc Sacramentum sit maximum frænum: verum semper proderit opportuna dilationis comminatio. Dictum est: RARO *expedit;* nam aliquando prodest vel etiam necessaria est ad terrorem incutiendum, v. g. si remedia a longo tempore fuerint frustra adhibita, si vitii principiis, maxime in adolescente, obstandum sit, etc. b) Recidivis *ob occasionem, ordinarie* expedit dilatio; tum quia occasio est fortius incentivum ad peccandum, fortiori autem illecebræ fortior opponenda est coercitio; tum quia remotio occasionis magis quam exstirpatio habitûs pendet a voluntate, quod autem magis pendet a voluntate, rigidius est exigendum. (*n.* 463. 464. *Prax. Conf. n.* 76. 77.) Idem dicendum de pœnitente obligato ad restitutionem, reconciliationem, denuntiationem, gravis scandali reparationem. (*Prax. Conf. n.* 184. 185. *Lib.* 6. *n.* 693.)

Quær. 4º *Quando differtur absolutio, per quantum tempus differenda sit?*

Resp. S. Alph. hanc tradit regulam: 1º recidivis *ex fragilitate intrinseca* regulariter sufficit dilatio octo vel decem dierum; ad summum differri potest per duas vel tres hebdomadas; 2º recidivis *ex occasione* ordinarie non sufficiet dilatio decem vel quindecim dierum; semper tamen sufficiet experientia mensis. (*n.* 463.) Sed ad mensem protrahenda non est, si intra illum occasionem adire non possit pœnitens, cum tanta dilatio fine suo frustaretur; idem dicendum est, si spirituales vires pœnitentis excederet.

Quær. 5º *Cur occasionarius in occasione interrupta possit juxta S. Alph. bis terve absolvi, non impleta promissione de deserenda occasione, recidivus contra non possit?*

Resp. Ratio est, quia supponitur occasionarium non esse simul *habituatum* in peccato; quapropter occasionarius, seu recidivus *in occasionem*, qua talis bis terve absolvi potest, non relictâ occasione; secus vero, si toties ex occasione reciderit, ut simul sit recidivus *in habitum peccati* absque emendatione.

Quær. 6º *An absolvi possit, qui semper relabitur in occasione, in qua una alterave vice tantum per annum versatur?*

Resp. Absolvi aliquoties poterit, sub promissione non amplius adeundi istam occasionem; quia non potest experimenti causa remitti, nisi accederet paulo ante tempus, quo occasionem adire solet. Si postea eodem modo relabatur, differenda erit absolutio, donec signa doloris extraordinaria dederit. (Gury. *Cas. consc. Tom.* 2. *n.* 688.)

Quær. 7º *Quænam remedia Confessarius assignare debeat recidivis in pollutionem?*

Resp. Aptissima erunt: 1º Excitare in infirmo ardens desiderium recuperandi sanitatem, ejusque animum erigere ad luctam; alioquin remedia fructu carebunt. Hunc in finem, ut emendationis desiderium excitet, ostendat pœnitenti damnationis periculum, nisi se corrigat, quia, quanto magis accumulantur peccata, tanto redditur difficilior consecutio salutis, et quanto intensior evadit habitus, tanto voluntas fit debilior. Ut animum addat, inserat pœnitenti sensum dignitatis suæ, qua homo et christianus est, quamque vili suo habitu deprimit, imo tandem nec sentit amplius; inspiret ei fiduciam in Deum, in B. M. V., ac spem victoriæ, si remedia fideliter et constanter adhibiturus sit, etiamsi eveniat ut ex fragilitate relabatur. (Segneri. *Instruct. Conf. cap.* 12.)

2º Procul ab omni occasione periculosa abscedere, fugere otium et solitudinem, vitare inhonestas conversationes, non legere libros romanticos, non frequentare choreas et theatra, quippe quæ impura phantasmata suggerunt animumque emolliunt. (*Prax. Conf. n.* 16.)

3º Frequens oratio, præcipue recitare singulis diebus ter Salutationem Angelicam in honorem puritatis Beatissimæ Virginis, mane et vespere, addendo semper coram ejus imagine propositum non peccandi, et supplicationem ut sibi perseverentiam impetret. Plurimum quoque conducet crebra meditatio veritatum æternarum, juxta divinum effatum: »Memorare novissima tua, et in æternum »non peccabis." Ideo scripsit S. Alph.: »Oratio mentalis insinuanda est non »tantum timoratis, sed etiam peccatori»bus, qui sæpe ob defectum conside»rationis redeunt ad vomitum." (*Prax. Conf. n.* 16. 124. S. Leonard. *Discors. mist. n.* 29. *sub* 2º.)

4º Insurgente tentatione, statim mentem alio avertere, et, si tentatio persistat, orare invocando pluries et confidenter SS. Nomina Jesu et Mariæ; juvat etiam cogitatio de Passione Christi, de igne æterno, de morte, de præsentia Dei, de remorsu conscientiæ post peccatum, etc.; item fervens actus amoris erga Deum cum proposito mortem subeundi potius quam peccandi. (*Lib.* 5. *n.* 8.)

5º Frequentatio Sacramentorum, quæ mirum in modum æstum libidinis reprimit, imo sine ea vix aliud suppetit efficax remedium; speciatim autem curandum est, ut pœnitens redeat ad Confessionem statim post lapsum, necnon ut sibi eligat Confessarium stabilem, doctum et pium. (*Lib.* 6. *n.* 464.)

6º Matrimonium, si fieri possit, juxta monitum Apostoli I Cor. VII. 2.: »Prop»ter fornicationem unusquisque suam »uxorem habeat, et unaquæque suum »virum.... 9. Si non se continent, »nubant; melius est enim nubere quam »uri." Imo incontinentes, qui nollent

adhibere alia media opportuna, ad matrimonium tenerentur. (*Lib.* 3. *n.* 209. *Lib.* 6. *n.* 75.)

Hisce addo aliqua remedia naturalia, quæ supernaturalia coadjuvare possunt; sunt nempe 1° temperantia in cibo et potu, vespere præsertim; vespere non uti vino nec alimentis calidis; 2° temperantia in somno; non cubare supinus nec molli lecto; cubare brachiis super pectus decussatis; mane mature surgere.

Ut autem Confessarius remedia infirmitati accommodata seligat, cognoscere debet tum corporalem pœnitentis complexionem, tum lapsuum circumstantias, quo nimirum tempore, quo loco, quo rerum concursu plerumque collabi soleat; hisce enim cognitis, potest, ut aiunt, vulnus digito tangere. Proderit quoque prudenter explorare tempus, ex quo pœnitens se cœpit his tradere immunditiis. (*Prax. Conf. n.* 6. Segneri. *loc. cit.*)

Confessarius porro non omittat prædicta media, pro rerum opportunitate personarumque conditione, insinuare pœnitentibus, ne eorum Confessariorum sequatur exemplum, qui medici officium negligunt, et vulneratum semivivum relinquunt. (*Prax. Conf. n.* 6.)

QUÆR. 8° *Quomodo Confessarius tractare debeat recidivum, qui ob difficultatem, quam experitur, vincendi pravum illum habitum, pusilli est animi?*

Resp. Præ omnibus causam pusillanimitatis dispiciat. Deinde 1° si proveniat ex habitûs intensione, ejusmodi pœnitentem, qui, non obstante sua bona voluntate, parum profecit, caveat Confessarius ne terreat, sed contra, si tantillum se emendaverit, laudet eum, illique plenæ emendationis spem faciat ope divinæ gratiæ, quæ eo faciliora reddet omnia, quo sæpius ipse meliusque vicerit. Tali pœnitenti necessaria sunt erectus animus, spes victoriæ, et perseverantia. Si millies quis cadat, millies resurgat et pugnam innovet; perseveranti cedet victoria.

2° Si accedat animi mollities, animandus et stimulandus est: e. g. persuadeat illi Confessarius cum divino auxilio omnia possibilia esse *volenti;* sic S. Aug. [1] in sua lucta carnis et spiritûs semetipsum animabat: »Cum diceret mihi con»suetudo violenta: Putasne sine istis »poteris vivere?... Et (continentia) irri»debat me irrisione exhortatoria, quasi »diceret: Tu non poteris, quod isti et »istæ? An vero isti et istæ in semetipsis »possunt, ac non in Domino Deo suo?" Impellat ipsum ut non tantum in tentationibus, sed in cunctis suis negotiis strenue ac viriliter agere assuescat; avertat eum ab iis omnibus, quæ animum emolliunt; tandem, si effræno habitu teneatur, exponat illi infelices sequelas, quas sæpe habet vitiosus ille habitus, cujus excessus corpus conficiunt, intellectum retundunt, ac mortem maturant.

3° Si ex indiligentia oriatur, pœnitens terrendus est, at cum paterna charitate, proponendo illi Dei judicia, mortem, pœnas peccati, diaboli insidias et invidiam, gratiarum abusum temporisque ad operandam salutem concessi, et similia. (Reuter. *Neo-Confess. n.* 181.)

QUÆR. 9° *An absolutio negari possit recidivo, qui recusat confiteri pluries in anno?*

Resp. Negat. per se, si aliunde videatur sufficienter dispositus; quia nullum præceptum est confitendi pluries in anno, et sunt alia media, quæ injungi possunt ad consuetudinem vincendam. *Per accidens* tamen affirmandum est, si, aliis mediis frustra adhibitis, unicum medium fore judicetur.

QUÆR. 10° *An absolvi possit Clericus ordinandus, habituatus in occulto vitio turpi, qui statim post absolutionem, sine prævio experimento continentiæ, vult Sacrum Ordinem suscipere, nempe vel Subdiaconatum vel Diaconatum vel Presbyteratum?*

Resp. 1° *Regulariter loquendo,* absolvi nequit, etiamsi alioquin dispositus esset ad absolutionem. Iste namque tenetur antea per notabile tempus, saltem plurium mensium, pravum habitum emendasse. Ratio est, quia ejusmodi Ordinandus, quamdiu non habet *probatam* castitatis virtutem, ministerio altaris indignus est: etenim Sacri Ordinis dignitas est status perfectionis, tum propter sanctitatem et dignitatem officiorum eidem adnexorum, tum propter bonum exemplum, quod fidelibus exhibere debet; consequenter ad Sacros Ordines digne suscipiendos minime sufficit status gratiæ, sed requiritur sanctitas *positiva* et *habitualis,* atque adeo

[1] Confess. lib. 8. cap. 11.

præcellens; quæ quidem sanctitas est *dispositio necessaria*, correspondens gratiæ sacramentali Ordinis, ita ut ejusdem defectus obicem ponat gratiæ Sacramenti. Idipsum S. Alph. fuse probat ex S. Scriptura, ex Ecclesiæ canonibus, et ex communi sensu SS. Patrum et Doctorum.

Propterea, si Ordinandus sincere promittat se Sacrum Ordinem modo susceptum non esse, poterit absolvi; præstaret tamen, si nihil obstet, ut post peractam Ordinationem absolvatur, ne infringat suum propositum. Sin autem in proposito persistat ad Sacram Ordinationem convolandi, eo ipso sese utroque Sacramento indignum reddit.

2° *Aliquando* contingere potest, licet raro, ut Deus donet pœnitenti tam extraordinariam compunctionis gratiam, ut eum plane immutet, liberetque ab antiqua fragilitate, atque adeo constans resispiscentia merito sperari liceat: eo casu pœnitens absolvi *potest*, et, prætermisso alio experimento, ad Sacros Ordines accedere; quia tunc compunctionis vehementia temporis probationem compensat. Interim tamen Confessarius studeat pœnitentem, quantumvis ita compunctum, inducere ad aliquam temporis moram interponendam, antequam ad Sacrum Ordinem ascendat, quo valeat melius a pravo habitu se purgare, et de illius pœnitentiæ efficaciâ et firmitate certius judicari. Quinimo, si pœnitens non acquiescat, consultius est ut Confessarius, tamquam *medicus*, ad majorem ejus profectum, differat absolutionem, ut et ipse Ordinis susceptionem differat; dummodo tamen ex hac dilatione Ordinationis non sit subiturus notam, vel proximum infamiæ periculum, quo casu pœnitens, qui ita extraordinarie dispositus est, jus habet ut statim absolvatur.

Quod dictum est de vitio luxuriæ, dicendum est de quocumque alio, puta ebrietatis, etc.

Ex præmissis concluditur, Confessarium, qui in hujusmodi Clericis absolvendis magnam adhibet cautelam, causam tueri tum Ecclesiæ, tum fidelium, tum ipsius Ordinandi; quandoquidem experientia plus nimium docet, Clericorum, qui vix e vitiorum cœno emersi ad altaris ministerium ascendere præsumunt, malum exitum frequenter deplorari, non sine maximo Ecclesiæ detrimento, et populorum ruina. (*n.* 63—77. H. A. *tr. ult. n.* 16. 17.) [1]

PARS TERTIA.

DE OCCASIONIBUS PARTICULARIBUS.

Inter malas occasiones aliæ sunt, in quibus et fides et mores, aliæ, in quibus soli mores periclitantur. Prioris generis sunt theatra, pravi libri, prava consortia, pravæ scholæ, inhonestæ cauponæ: posterioris generis sunt concubinatus, choreæ, procationes, honestæ cauponæ, famulatus, pericula domestica.

Ordo tractandorum erit: 1° de concubinatu, 2° de choreis, 3° de theatris, 4° de pravis libris, 5° de pravis consortiis, 6° de pravis scholis, 7° de procationibus, 8° de cauponis, 9° de famulatu, 10° de nonnullis periculis domesticis.

CAPUT I.

DE CONCUBINATU.

315. — Concubinatus est frequentatus concubitus cum eadem fœmina, quam quis instar uxoris in propria vel aliena domo retinet. Communiter exercetur inter solutos, potest tamen in omni specie luxuriæ inveniri.

Concubinatus, præter publicum scandalum quod ut plurimum præbet, concubinarios constituit in proximo damnationis periculo, cum difficillime possint vere pœnitere de peccato et se laqueis complicis solvere. Propterea Trid. *sess.* 24. *cap.* 8. *ref. matrim.* concubinarios, maxime conjugatos, graviter ab Ordinariis puniendos decernit.

Agemus 1° de remediis concubinatus, 2° de absolutione concubinorum.

ARTICULUS I.

REMEDIA CONCUBINATUS.

Confessarius saluti concubinarii consulere potest 1° interdum ope matrimo-

[1] S. Doctoris nostri Dissertationem super hoc puncto commendavit Benedictus XIV in celebri suo opere *De Synodo. lib.* 11. *cap.* 2. *n.* 17.

nii; 2° interdum ope separationis; 3° interdum aliis mediis. De singulis agemus.

316. — **Regulæ.** I. Quando matrimonium moraliter possibile est, et ex eo infelices exitus non timentur, valde expedit, imo nonnunquam unicum remedium est, ut concubinarii conjugium inter se contrahant. Ratio est, quia matrimonium tutissimo modo occasionem peccati abscindit.

Circa hoc remedium advertendum est: 1° Tum præcipue urgebit, cum concubina ab amasio in hujus domo sustentatur, et alio modo sustentationem sibi comparare nequit; item, cum concubinarii magno amore invicem æstuant; speciatim vero, cum concubinatus inveteratus est; et maxime, si civiliter jam essent conjuncti, filiosque secum retinerent; denique, cum alteruter in periculo mortis versatur. E converso, minus urgebit, cum concubina in diversâ domo sustentatur, et concubinus, non ex amore, sed ex voluptatis cupidine eam frequentat; tunc quippe facilior erit separatio. (Berardi. *n.* 117.)

2° Quandocumque possibile est, ante matrimonii celebrationem, si confestim non ineatur, complices separandi sunt, ut peccati occasio interea removeatur; quod si fieri nequeat, ad opportuna remedia recurrendum est, ut saltem periculum arceatur. Cfr. n. 308.

3° Caveant Confessarii et Parochi, ne facile ad matrimonium *secretum* seu *conscientiæ* confugiant, extra casum vel morbi certe lethalis, vel quo concubinarii publice reputantur conjuges; secus enim aderit periculum divortii, et, quando *occultus* est concubinatus, periculum vel scandali, si proles gignatur, vel perpetui onanismi, ne scandalum oriatur. Neque satis præcavetur scandalum mittendo proles susceptas ad Brephotrophium; nam periculum vulgationis nihilominus adest. (Berardi. *n.* 119.) [1]

4° Quid facto opus est, si celebrationi matrimonii aliquod canonicum impedimentum obstet, et non suppetat tempus recurrendi Romam? *Resp.* Si impedimentum tale sit, a quo Ecclesia dispensare potest et solet; si insuper *occultum* sit occultumque servandum, atque in mora adsit gravis mali periculum, tunc 1° si ad Episcopum recurri possit, id faciendum est; quia in eo casu Episcopus dispensare potest, ut DD. tradunt communiter. 2° Si nec aditus ad Episcopum pateat, potest Parochus vel Confessarius uti epikeia, et declarare legem impedimenti, utpote noxiam, non obligare. Verumtamen postea, si tempus suppetat, saltem ad cautelam, quantocius recurrendum est ad S. Pœnitentiariam.

Grave malum, de quo supra, sunt sequentia: 1° magnum scandalum; 2° magna infamia; 3° si dilatio causa esset quod matrimonium non amplius contrahatur, et idcirco vel concubina derelinquatur gravida, vel proles non legitimetur, vel concubinarii in perpetuo concubinatu mansuri sint; 4° si matrimonium urgeret ad consulendum saluti æternæ concubinæ vel concubini moribundi. (*n.* 613. 1122. Berardi. *n.* 135. 136.)

Nonnulli censent præfatam doctrinam procedere, etiamsi impedimentum sit *publicum*, in casu nempe urgentissimo; sed hæc opinio rejicienda est juxta Declar. S. C. C. 13 Mart. 1660. et 19 Jan. 1661. S. Pœnit. 10 Aug. 1872. [1]

II. Si matrimonium vel moraliter impossibile sit, vel infelix fore timeatur, saluti concubinarii providere oportet ope separationis, ubi nempe hæc fieri potest. Tunc enim separatio est medium necessarium ad removendam occasionem.

Quocirca notandum: 1° Si concubinarii in eadem domo habitent, omnem zelum adhibeat Confessarius ut separatio statim vel certe quantocius locum habeat. Quod si statim fieri nequeat, et agatur de *hero*, qui cum famula in concubinatu vivit, ut lapsus interim evitet, adhibeat remedia n. 308. qu. 1. indicata. Si agatur de concubina, quæ *famulæ* titulo apud concubinum commoratur, ut lapsus interim evitet, illa aperte denuntiet hero se nolle amplius talem vitam ducere, eique quovis modo resistat; si herus noctu ad illam divertat, januam cubiculi ita claudat et firmet, ut herus illam aperire nequeat; de cætero adhibeat remedia n. 308. qu. 1. indicata. Si famula deinde propter ejusmodi remedia adhibita ab hero ejiciatur, et non haberet quo divertat nec quo sustentetur, curet Confessarius ut in aliquo hospitio fundato pro puellis periclitantibus collocetur.

[1] De matrimonio conscientiæ Cfr. Bened. XIV Constit. *Satis vobis.* 17 Nov. 1741. — Soglia. *Instit. jur. eccl. Vol. II.* § 170. — Feye. *De impedim. n.* 343—345. — V. D. Burgt. *De matrim. n.* 412.

[1] Revue théol. 1883. *pag.* 524. — Planchard. *Dispenses. matrim. n.* 94.

2° Si concubinarii habitent in domibus diversis, separatio facilior est, maxime ex parte concubini. *Concubinus* non amplius ingrediatur domum concubinæ, nec ullum cum ea commercium habeat. *Concubina*, præter media supra indicata, adhibere potest sequentia: 1° non aperire januam concubino advenienti; 2° cum alia fœmina honesta semper cohabitare, ita ut nunquam sola inveniatur; 3° mutare domicilium. (Berardi. *n.* 141.)

III. Quando gravissimæ et ineluctabiles causæ tum matrimonium tum separationem impediunt, ad ea opportuna media confugiendum est, quæ formale periculum removeant. Hoc enim in casu occasio necessaria exsistit. Hujusmodi media num. præc. et n. 308. indicavimus.

317. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Ad quid teneatur concubinus vel concubina, si graviter ægrotet vel in articulo mortis versetur?*

Resp. Si matrimonium inter eos impossibile sit, 1° in *publico* concubinatu *concubinus* debet, si possibile sit, ejicere concubinam, et, quatenus opus sit, aliam honestam fœminam conducere, quæ necessaria ministret: *concubina* debet, si infirmitas et conditio sinant, conari ut in publico valetudinario, si adsit, recipiatur; 2° in *occulto* concubinatu separationi periculum infamiæ plerumque obstabit. Porro, quando separatio fieri nequit, Confessarius niti debet ut periculum, quantum fieri potest, amoveatur; quem in finem, præter media n. 308. indicata, sequentia proderunt: 1° complex ejusque effigies a cubiculo amoveatur; si hæc etiam remotio possibilis non sit, pars infirma per se vel per Confessarium complici de scandalo ei dato veniam petat, eumque ut animæ suæ per veram pœnitentiam consulat obsecretur. (Berardi. *n.* 144.)

Quær. 2° *An qui publice existimaretur concubinarius, et non esset, teneatur ad separationem?*

Resp. Dist. 1° Si neque malo opere neque minus recto ansam rumori dederit, non tenetur, sed sufficit quod divulget hujusmodi opinionem falsam esse; tunc enim scandalum calumniose excitatum vel cessabit vel pharisaicum evadet.

2° Si opere sive malo sive minus recto ansam opinioni dederit, tenetur ad separationem, si absque gravi damno possit; quia jure naturæ quilibet tenetur scandalum tollere; id autem, cum causam scandalo dederit, absque separatione difficulter præstare poterit. (*n.* 452. Salmant. *tr.* 26. *cap.* 2. *n.* 35.) Si separatio absque gravi detrimento fieri nequeat, ad eam non tenetur; cum charitas, vi cujus scandalum tollere deberet, non obiget cum tanto incommodo; sufficit ergo quod exemplari vita veritatisque divulgatione scandalum tollere nitatur. (*Lib.* 2. *n.* 52.)

ARTICULUS II.

ABSOLUTIO CONCUBINORUM.

Agendi modus Confessarii diversus erit, prout 1° concubinatus publicus vel occultus est; 2° occasio voluntaria vel necessaria.

Trademus regulas 1° erga concubinarios publicos; 2° erga occultos.

§ I. *In concubinatu publico.*

318. — **Regulæ.** I. Si occasio *voluntaria* sit, complices absolvendi non sunt priusquam reapse se separaverint, etiamsi dent signa magni doloris. Rationibus n. 306. III. adductis accedit, tum quod scandalum pareret videre ad Eucharistiam accedere concubinum, qui adhuc domi concubinam retinet, vel ejus domum frequentat, aut concubinam, quæ adhuc cum concubino cohabitat, aut eum domi recipit; tum quod publicus peccator non debet absolvi, nisi publice pœniteat et scandalo satisfaciat. Ergo, priusquam absolvatur, concubinus concubinam dimittere debet, aut, si hæc extra domum degat, per aliquod tempus notabile ad eam non accedere; concubina autem debet a domo concubini discedere, aut, si non cohabitet, per aliquod notabile tempus commercium cum eo abrumpere. (*Lib.* 3. *n.* 436. Segneri. *Instruct. Conf. cap.* 5.)

II. Si occasio *necessaria* sit, differenda est absolutio, donec pœnitens per notabile tempus se continuerit, et publico scandalo satisfecerit. Consequitur ex rationibus supra allatis. (*Lib.* 3. *n.* 436.)

Quocirca notandum: 1° Necessitas occasionis non facile credenda est; affectus enim, quo miseri isti sordidis suis adhærent voluptatibus, efficit, ut separationi vel speciosos prætextus opponant vel difficultates exaggerent; probe ergo expendat Confessarius quanti valeant objecta obstacula, ut veram monetam ab adulterina discernat. (Segneri. *Instruct. Conf. cap.* 5. *et* 6.)

2° Occasio dicenda esset necessaria, si pœnitens eam relinquendo magnum damnum revera subiret, puta si propterea a proprio statu decideret. (*Lib.* 3. *n.* 437. 441. *Lib.* 2. *n.* 31.)

3° Publico scandalo satisfaciet concubinus vel concubina, divulgando occasionis necessitatem, si nota non sit, conversionis signa publice ostendendo per ecclesiæ et Sacramentorum frequentationem, et similia, ac demum, si fieri possit, connubium cum complice ineundo.

4° A tradita Regula excipiendus est casus rarissimus, quo turpe commercium jamdiu cessavit, quamvis fama concubinatus adhuc subsistat, scandalum vero statim tolli nequit, sed pœnitens paratus est ad illud quamprimum et meliori modo possibili tollendum; tunc absolvi potest, antequam scandalum reparatum fuerit, si promittat se non esse ad Communionem accessurum, saltem in loco ubi cognitus est. (Segneri. *cit. cap.* 5. Berardi. *n.* 151.)

319. — **Quæstio.** *Quomodo absolvi possit publicus concubinarius in casu mortalis infirmitatis vel articuli mortis?*

Resp. 1° Si jam sit sensibus destitutus debet absolvi sub conditione, atque etiam S. Oleo inungi; non enim dici potest quod in manifesto peccato mortali moriatur, nisi ante sensuum destitutionem Sacramenta expresse recusasset.

2° Si sensibus utatur, attamen in extremis versetur, ita ut neque matrimonium contrahendi neque separationem efficiendi tempus suppetat, concubinarius ad pœnitentiam reductus absolvi debet, et reliquis Sacramentis muniri. Curandum tamen, quantum possibile erit, ut complex non se præsentet, atque ut moribundus scandalum reparet, sive per seipsum sive per Sacerdotem coram testibus veniam petendo. (Rit. Rom. *tit.* 4. *cap.* 4. *n.* 1.)

3° Si infirmitas moram patiatur, ita ut ægroto tempus modusque suppetat tollendi tum scandalum, tum occasionem relapsûs, non externi solum, sed et interni, sive ope matrimonii sive ope separationis, non est absolvendus priusquam scandalum repararit occasionemque removerit. Si neutrum fieri posset, oportet ut hanc impossibilitatem coram testibus quamprimum divulgandam declaret, simulque promittat se, si forte convaluerit, separationem effecturum ac nullum amplius cum complice commercium habiturum; præterea non omittat Confessarius media n. 317 indicata. (Berardi. *n.* 148.)

§ II. *In concubinatu occulto.*

320. — **Regulæ.** I. Si occasio *voluntaria* sit, complices regulariter absolvendi non sunt, priusquam reapse se separaverint, etiamsi dent signa magni doloris. Ratio est, quia experientia nimis constat, quod, obtenta absolutione, difficulter occasionem postea auferant et facillime redeant ad vomitum.

Dico: *regulariter;* quia excipitur 1° aliquis casus rarus, quo ex una parte pœnitens doleret profusis lacrymis, vel confiteretur territus forti concione aut morte amici aut evasione a magno mortis periculo; et ex altera parte occasio brevi dimitti non posset, vel urgeret necessitas communicandi ad vitandam magnam infamiam, vel quid simile, juxta dicta n. 306. III. 2° Si non cohabitarent, juxta dicta n. 306. I. 3° Si prudens timor adsit ne pœnitens ob dilationem absolutionis, cum necdum inconstans fuit, a Confessione alienetur et in peccatis tabescat; quia tunc dilatio periculum infringendi propositum potius augeret. (*Lib.* 3. *n.* 436. Segneri. *Instruct. Conf. cap.* 5.)

II. Si occasio *necessaria* sit, absolvi poterit pœnitens, modo rite dispositus sit, secundum tradita n. 307.; verumtamen omnino expediret absolutionis dilatio donec experimento probetur continentia pœnitentis, nisi hic vel redire non posset, vel a Communione abstinere nequiret sine positiva infamia. (*Lib.* 3. *n.* 437. 441.)

Ad hæc notandum est, quod si pœnitens occasionem esse necessariam contendat ne scandalum aut infamia oriatur, communiter loquendo negandum est suppositum; quia 1° si populus familiaritatem nondum adverterit, dimissio concubinæ non majorem notam pariet, quam si famulam domo emitteret; 2° in diuturno concubinatu moraliter impossibile est rem aliis non innotescere; unde separatio infamiam scandalumque impediet. (*Lib.* 3. *n.* 435. Segneri. *loc. cit.*)

321. — **Quæstio.** *Quomodo absolvi possit occultus concubinarius in casu mortalis infirmitatis vel articuli mortis?*

Resp. Eodem modo, quo dictum est supra n. 319.; sed, quia scandalum abest, testes adhibendi non sunt.

CAPUT II.

DE CHOREIS.

Agemus 1° de periculis chorearum; 2° de officio Confessarii et Parochi circa eas.

ARTICULUS I.

PERICULA CHOREARUM.

322. — **Principia.** I. Choreæ inter personas diversi sexus, secundum se, seclusis pravis circumstantiis, non sunt illicitæ. Ratio est, quia ex se sunt actus, non libidinis, sed lætitiæ. (*Lib.* 3. *n.* 429.)

II. Ex triplici potissimum circumstantia possunt evadere graviter illicitæ, videlicet 1° ex *pravo fine*, puta libidini indulgendi; 2° ex *periculo* peccandi; 3° ex *scandalo*. Quibus adde gravem parentum prohibitionem, legem ecclesiasticam eas vetantem. Ratio patet, malæ enim circumstantiæ actum indifferentem vitiant. (*Lib.* 3. *n.* 429. Berardi. *n.* 155.)

Porro 1° prava intentio adest in illis, qui eo fine choreas adeunt, ut, cum puellis saltando, venereas delectationes sibi procurent, vel ut cum illis tactus malitiosos vel turpes sermones habeant. Id accidere potest speciatim in choreis larvatis (gallice *bals masqués*): non enim desunt, qui ideo faciem tegunt, ut, pudoris fræno non amplius retenti, incogniti ea loquantur ac faciant, quæ cogniti loqui aut facere non auderent. (Berardi. *n.* 156.)

2° Peccata quorum periculum choreæ inducere possunt, sunt a) malitiosæ manuum constrictiones, affectu nempe impudico; simplex manuum apprehensio, quam chorea exigit, peccatum non continet aut certe veniale non excedit. (*Lib.* 3. *n.* 429.) b) Amplexus pressi, de quibus Jacobi, auctor operum theatralium, scripsit: »Nunquam permittere »deberemus ut uxores filiæque nostræ »virorum brachiis lascive compressæ, »pectore earum contra illorum pectus »verso, circumducantur." Lascivis ejusmodi amplexibus occasionem præbent choreæ, quæ valde sunt in usu et dicuntur *Waltz*, *Polka*, *Mazurka*, *Scottisch*, etc. c) Tactus obscœni, qui contingere præcipue possunt extra actum saltandi, sive ante sive post; sive in intervallis, quando juvenes identidem a saltando quiescunt; sive demum in via, quando juvenes puellas domum deducunt, tunc et fornicationes evenire possunt. d) Amatorii et turpes sermones. e) Aspectus malitiosi, puta in obscœna chorea dicta *angelica*, in qua nudi saltant: etiam locum habere possunt, quando fœminæ pectore nimis denudato interveniunt; vel quando ipsæ fœminæ in juvenes turpiter commotos oculos figerent. f) Delectationes morosæ et desideria turpia, quæ non solum in actu choreæ, sed etiam postea contingere possunt. (Berardi. *n.* 158—162.) Advertat tamen Confessarius, peccata externa in honorabili societate rarius evenire solere; deinde, malitiam in viris sæpius quam in fœminis reperiri.

3° Scandalum, quod choreis intervenire quit, potest directum et indirectum esse. Directum contingit v. g. quando juvenes sermonibus, amplexibus, tactibus, etc., puellas directe ad turpia sollicitant. Indirectum evenit v. g. quando vel saltandi modus indecens est, vel fœminæ pectore denudatæ, ubi mos non est, choreis assistunt.

III. Si periculum, quod choreæ adducunt, proximum sit, et nulla gravis causa adsit illud adeundi, choreæ sub mortali vitandæ sunt: si vero periculum remotum sit, vel si gravis causa excuset, tunc vel leve vel nullum peccatum aderit. Ratio petitur ex obligatione vitandi occasiones peccati formalis. — Attendendæ igitur sunt quantitas periculi et gravitas causæ.

323. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quandonam choreæ propter periculum tamquam occasio proxima peccati mortalis æstimandæ sint?*

Resp. Judicium sumendum est 1° ex experientia; si quis aliis vicibus inter-

fuit choreis, et propter illas frequenter peccavit, et nunc circumstantiæ non sunt ita diversæ, ut præsumi debeat eum hac vice non peccaturum, aperte constat de gravitate periculi.

2º Ex aliis adjunctis; sic proximum periculum adducere possunt a) modus saltandi, v. g. cum presso amplexu, utpote qui facile libidinem excitare et spectantibus scandalum dare potest; b) choreæ larvatæ; quippe quæ pudoris frænos facile laxant; c) nimia chorearum frequentatio; generat enim levitatem, dissipationem, oblectationum aviditatem, et inde facile libidinem; d) tempus nocturnum, dum juvenes deinde puellas domum deducunt per tenebras, per devia, quod non raro ansam præbet peccatis; e) corruptio personarum, quibuscum choreæ aguntur; procaces namque solent variis modis ad libidinem sollicitare eive consentire; f) indecens fœminarum pectoris nudatio; quia viris scandalum dare potest. — Cæterum regulæ determinatæ, quæ omnibus locis et personis conveniant, minime dari possunt, cum magnæ adsint differentiæ inter diversa loca interque diversas personas, præcipue inter civitates et pagos, homines plebeios et honestiori genere natos riteque educatos.

3º Generatim loquendo, multo periculosiores sunt choreæ *publicæ*, quæ in cauponis inter omnigenas personas aguntur, quam quæ in privatis domibus habentur. Speciatim mos *frequenter* agendi choreas publicas, v. g. singulis hebdomadibus vel mensibus, moraliter nequit non esse proxima peccandi occasio et fomes corruptionis; vix enim possibile est ut tam crebro tripudiet levissima juventus utriusque sexus, quin animarum excidium inducat. Secus dicendum, si aliquoties dumtaxat per annum honeste agantur; v. g. tempore encæniorum; qui mos, ubi viget, vix tolli poterit.

Quær. 2º *Quænam censeantur justæ causæ adeundi choreas?*

Resp. 1º Si periculum remotum sit, causa rationabilis ab omni aut certe a gravi culpa excusare potest. Tales causæ solent esse v. g. finis una alterave vice in anno relaxandi animum, facilius inveniendi occasionem matrimonii, non displicendi adamanti, satisfaciendi vicinis ad choreas invitantibus, non se exponendi alicui censuræ vel irrisioni, etc.

2º Si periculum esset proximum, sola causa gravis excusare potest, v. g. gravis offensio mariti, parentum, fratrum. Oportet tamen, ut nullum adsit medium, quo ejusmodi perturbationes familiæ evitari possint, et ut quis debitis cautelis, piis nempe cogitationibus, orationibus, firmo proposito, contra periculum se muniat. (Konings. *n.* 1441. S. Franc. Sales. *Instit. vit. devot. part.* 3. *cap.* 34.)

Quær. 3º *Quandonam liceat cauponibus choreas in ædibus suis admittere?*

Resp. 1º Licet, saltem absque gravi peccato, ubi usu vigent, si absint ea adjuncta, quæ easdem proxime periculosas reddunt; tunc enim scandalum, notabile saltem, non præbent. Quapropter caupones, qui choreas admittunt, semper invigilare debent ne inhonesta in cauponis suis fiant.

2º Non licet, quandocumque grave scandalum darent; ut eveniret, si adjuncta proximum periculum peccatorum adducerent, puta propter saltationum indecentiam, choreas larvatas, nimiam frequentiam, tempus nocturnum, personarum effrænationem, prout supra diximus.

Hæc responsa valent quoque pro musicis, qui choreas ducunt; qui insuper ne inhonesta ludant cavere debent.

Quær. 4º *An liceat parentibus choreas permittere filiis aliisque subditis?*

Resp. Generatim loquendo, debent filios, maxime filias, aliosque subditos a choreis avertere, quantum fieri potest. Attamen, quod strictam easdem vetandi obligationem attinet, attendere debent ad quantitatem periculi et justitiam causæ, secundum supra dicta.

Addendum porro censemus, choreas puerorum utriusque sexûs (gallice *bals d'enfants*) permittendas non esse; spiritum enim mundi teneris animis inserunt et puerili innocentiæ haud parum periculosæ sunt.

ARTICULUS II.

OFFICIUM CONFESSARII ET PAROCHI CIRCA EAS.

324. — Quær. 1º *Quomodo se gerere debeat Confessarius quod choreas?*

Resp. 1º Vitet excessum et defectum zeli contra eas. Excedunt, qui nimio impetu et absque ulla prudentia contra eas invehunt. Deficiunt, qui nulla cura tanguntur ut eas impediant.

2º Perpendat periculum pœnitentis, interrogando an aliis vicibus propter choreas in ipso actu aut postea peccaverit, aut saltem gravibus libidinis motibus subjectus fuerit, anquirendo de circumstantiis modi, temporis, loci, personarum, etc. Quo facto, a) si pœnitens gravem a choreis abstinendi obligationem habeat, regulariter sub denegatione absolutionis eam obligationem ei indicere debet. b) Si pœnitens gravem obligationem non habeat, male se gereret Confessarius, si tanta facilitate choreas permitteret, ut, juxta personarum conditionem, ne consilium quidem daret sive ab eis abstinendi sive non sæpius eas adeundi; quantumvis enim choreæ videantur innocuæ, nihilominus, attentis circumstantiis quibus vulgo vestiuntur, ut plurimum periculosæ sunt, ratione tum jacturæ devotionis et verecundiæ, tum periculi se implicandi præcocibus et inconsultis amoribus. Dixi: *juxta personarum conditionem;* personis enim honestioris conditionis, præsertim in matrimonium collocandis, consilium abstinendi, nedum fructui, offensioni erit; unde solum consilium temperandi a frequentia conducet. Confessarius ergo, quantum prudenter poterit, pœnitentes vel a choreis avertat, vel, si id nequeat, monitis et mediis opportunis periculum diminuere satagat. Hæc monita sunt v. g. ut pœnitens 1º rectam formet intentionem; 2º modestiam servet in omnibus, maxime in vestitu, gestu et sermone; 3º vitiosis sympathiis nullo modo obsecundet, sive aliorum erga se, sive suiipsius erga alios; 4º post choream sanctas cogitationes, quæ pravis imaginationibus aditum præcludant, mente revolvat. (Berardi. *n.* 167—169. S. Franc. Sales. *Instit. vit. devot. part.* 3. *cap.* 33. Reuter. *Neo-Confess. n.* 112.)

3º Cum parentibus, qui choreas permittunt filiis aliisque subditis; cum cauponibus, qui eas in cauponis suis admittunt, procedendum est juxta dicta n. 323. qu. 3. et 4.

Quær. 2º *Quomodo Parochus se gerere debeat erga choreas?*

Resp. 1º Sicut de Confessario dictum est, vitet excessum et defectum zeli contra eas.

2º Si usus chorearum in Parochia non exsistat, omnibus viribus eas arcere nitatur; quinimo, si spes fructus adsit, denegando absolutionem iis, qui illas introducere tentant.

3º Si contra choreæ nimis frequentes sint, conetur illarum numerum, quantum potest, diminuere.

4º Si aliquoties tantum per annum agantur, nec spes affulgeat illas tollendi, adlaboret ut earum pericula removeat, puta ut honesto modo peragantur, non protrahantur in noctem, juvenes et puellæ separatim aut certe non sine fido comite domum redeant.

Quær. 3º *Sed quænam ad hos fines consequendos aptiora sint media?*

Resp. Magna opus est prudentia; idcirco 1º Parochus persuasum sibi habeat quod scripsit S. Aug.: »Non aspere, non »duriter, non modo imperioso, ista tol»luntur; magis docendo quam jubendo, »magis monendo quam minando;" secus enim animos exacerbabit potius quam emendabit. Simile monitum dat Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 1. *ref.*

2º Non expedit, saltem *ordinarie*, choreas *directe* insectari; quia, ubi sunt in usu et populus eis adhæret, res male cedet.

3º Media *indirecta* semper proderunt; sunt v. g. a) Parochus, omnibus boni pastoris muneribus rite satisfaciens, infundat in fidelibus sibi commissis timorem Dei, odium peccati, curam animæ, benevolentiam et existimationem erga seipsum, memor sententiæ Eccli. I. 27: »Timor Domini expellit peccatum." Hunc in finem b) Sacramentorum frequentationem in juventute promoveat, Congregationem aliquam juvenum et puellarum, si fieri possit, erigat: pietatem præsertim in puellis foveat. c) In confessionali parentibus et puellis persuadeat ut hae choreas non adeant. d) Caupones vel patresfamilias benevolos opportune roget, ne domi suæ choreas admittant, aut saltem earum numerum minuant. e) Circa tempus, quo choreæ in Parochia agitari solent, prædicet de quatuor novissimis, de salute, de spiritu mundi inimico Christi, de scandalo, etc., quinetiam paternam, moderatam et prudentem exhortationem faciat, ut suos parochianos directe a choreis avertat, ut parentes præsertim et superiores filios et subditos, in quantum possunt, impediant; ob oculos ponat pericula pecca-

torum, quibus in choreis se exponunt, et similia.

CAPUT III.

DE THEATRIS.

Tractabimus 1° de periculis theatri; 2° de officio Confessarii et Parochi circa illud.

ARTICULUS I.

PERICULA THEATRI.

325. — **Principia.** I. Spectacula secundum se nequaquam mala sunt. Ratio est, quia ludus honestus et moderatus nihil mali in se continet. (D. Thom. 2. 2. *qu.* 168. *a.* 3.)

II. Spectaculis adesse peccatum mortale evadere potest ex triplici circumstantia, nempe 1° ex *pravo fine* sive libidinem sive impietatem explendi; 2° ex *periculo proximo* perversionis in fide vel moribus; 3° ex *gravi scandalo*, sive mali exempli sive cooperationis.

III. Spectacula exhibere, quæ vel religionem vel bonos mores notabiliter offendunt, nunquam a gravi scandalo excusari potest. Res in promptu est. (*Lib.* 3. *n.* 428.)

326. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quænam pericula in theatro inveniantur?*

Resp. Pleraque spectacula, quæ hodiedum exhibentur, sunt vel 1° *notabiliter turpia*, sive ob res obscœnas, quæ repræsentantur et modis obscœnis aguntur; sive ob fœminas uberibus et brachiis immodice denudatis in spectaculo aut agentes aut præsentes, præsertim si, ut assolet, perspicillis telescopicis contemplantur; sive ob quasi nuditatem et inverecundiam saltatricum in choreis scenicis, quæ intermiscentur; vel 2° præterea *Religioni contraria*, quam traducunt modo ut tyrannicam, sanguinariam; modo ut scientiæ et progressui inimicam; modo ut ridiculam, contemptibilem; modo ut falsam, superstitiosam, impiam; sacros ritus et ipsa Sacramenta ludibrio exponunt; Sacerdotes, Pontifices, Religiosos et Moniales turpibus commerciis deditos exhibent; docent, extollunt aut excusant delicta, v. g. vindictam, suicidium, adulterium, divortium, vitia carnis, etc.

Dixi: *pleraque* spectacula, non *omnia;* quocirca notare juvabit, parva theatra, quæ pro vulgo sunt, pejora esse solere, quam magna, in quibus exculta societas intervenit.

QUÆR. 2° *Quando theatrum censendum sit pro assistentibus occasio proxima peccati mortalis?*

Resp. 1° Tum certissime, cum spectacula *Religioni notabiliter sunt contraria;* quia tunc fidei et religionis jacturam moraliter vitare non poterunt. Exceptio admitti poterit pro persona in fide firmissima et contra falsitates optime præmunita.

2° Quando repræsentationes *nimis turpes* sunt; quia turpia, quæ extra theatrum sine peccato mortali spectari aut audiri nequeunt, ratione theatri leviora esse non possunt. (D. Thom. *in* 4. *dist.* 16. *qu.* 4. *a.* 2. *quæstiunc.* 2. *sol.* 2.)

3° Spectacula *notabiliter* quidem, at non nimis *turpia*, occasio relativa dicenda sunt. Unde iis interesse ob curiositatem tantum aut vanum solatium, secluso periculo consensus in turpem delectationem, excusari potest a mortali, dummodo tamen spectator perspicillis telescopicis non utatur. Attamen dictum periculum raro aberit in adolescentibus, nisi quis esset valde timoratus, et insuper pluries expertus illa spectando nunquam se lethaliter peccasse. (*Lib.* 3. *n.* 427.)

4° Spectacula *non notabiliter turpia* possunt respectu alicujus, qui expertus est suam fragilitatem, occasio proxima esse, eo vel magis quod hodie etiam in istis non raro eveniat, ut per transennam aliquid aut Religioni ejusque Ministris contrarium, aut graviter obscœnum et malitiosum irrepat. (*Lib.* 3. *n.* 427.)

5° Occasio proxima fere erunt *choreæ scenicæ*, quæ inter actus miscentur; utpote in quibus, ob vestitum saltatricum, obscœnos saltandi modos, aut lascivas gesticulationes, maxima apparere solet turpitudo.

6° Theatrum *promiscue adire*, non præhabita notitia de obscœnitatum et impietatum absentia, hodie, ex communiter contingentibus, probabili periculo exponit.

Illud tamen notari debet, plures ex iis, qui theatrum adeunt, ad repræsentationem non attendere, sed ad musicam dumtaxat, vel illam non intelligere; quod sane periculum valde extenuat.

QUÆR. 3° *Quinam grave scandalum præbeant in hac materia?*

Resp. 1° Actores et actrices turpium vel impiarum scenarum, ut dictum est.

2° Cooperatores ad spectacula notabiliter turpia aut Religioni graviter adversa. Cooperatio autem erit vel *positiva*, pecunia scil. vel plausu; vel *negativa*, ea nempe non impediendo, dum aut ex officio adest obligatio ea impediendi, aut saltem alias commode impediri possunt. De hisce confer infra qu. 5. (*Lib.* 3. *n.* 427.)

3° Parentes aliique Superiores, qui filios et subditos a pravis spectaculis adeundis non impediunt, aut eis theatrum adeundi libertatem concedunt, quin prius de scenarum honestate certiores se reddiderint.

4° Illi, qui suo exemplo aliis, maxime adolescentibus, occasionem præbent pravis repræsentationibus assistendi. (*Lib.* 3. *n.* 427.)

5° Clerici aut Religiosi, qui mundanis spectaculis assistere præsumerent. Clericis insuper id sacris canonibus vetitum est. (*Lib.* 3. *n.* 427. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 11. *cap.* 10. *n.* 11.)

QUÆR. 4° *Ob quas causas interdum liceat theatrum adire?*

Resp. 1° Si quis adeundo theatrum leve periculum subeat exiguumque scandalum præbeat, tunc a gravi culpa excusandus est, dummodo congruas cautelas adhibeat.

2° Si grave subeat periculum, aut etiam scandalum præbeat, tunc sola causa gravis excusat, dummodo cautelas adhibeat, scandalumque meliori modo possibili reparet; tunc enim evadit occasio necessaria.

Causa autem satis gravis erit prudens timor notabilis damni, v. g. diuturnæ indignationis parentum aut mariti, qui adire jubent. Causa sufficiens non erit jactura pretii pro ingressu jam soluti, nam per interventum non recuperatur; neque finis philantropicus, cui destinatur lucrum percipiendum, quia sine interventu pretium solvi potest.

Quod si, causa mediisque non obstantibus, fides periclitari videatur, aut assistens sæpe tentationi succumbat, tenetur absolute occasionem vitare. Quamobrem nulla causa excusabit assistentiam spectaculi nimis turpis aut impii; quia periculum formale removeri non poterit.

QUÆR. 5° *An graviter peccent illi, qui nomen dant theatro?*

Resp. Graviter peccant illi, 1° qui dando nomen prava spectacula aliquo pacto impedire possent et non impediunt: quia tunc eorum cooperatio formalis est. Hac seclusâ,

2° Qui nomen dant theatro, in quo scenæ impiæ aut nimis turpes repræsentantur; quia eorum cooperatio, etsi materialis tantum, nullâ justâ causâ, tanto scandalo proportionatâ, excusari potest.

3° Qui sine gravi causâ nomen dant theatro, in quo spectacula notabiliter turpia repræsentantur; quia cooperatio materialis, qualis in hoc casu est, ad grave scandalum sine gravi causâ non licet. (*Lib.* 3. *n.* 427.)

Extra prædictos casus cooperatio graviter mala non erit.

ARTICULUS II.

OFFICIUM CONFESSARII ET PAROCHI CIRCA ILLUD.

327. — 1° Debent generatim omnes, præsertim juvenes utriusque sexus, quantum prudenter possunt, a theatris avertere; quia spectacula, prout ordinarie hodiedum fieri solent, periculi plena sunt, pravas passiones exstimulant, et animum enervant.

2° Confessarius perpendat periculum pœnitentis, tum indagando spectaculorum indolem, necnon scandalum, sive mali exempli sive cooperationis, quod pœnitens forte præbet, tum interrogando an aliis vicibus in theatro aut postea peccaverit, aut saltem gravibus tentationibus sive contra fidem sive contra castitatem obnoxius fuerit. Quo facto, a) si pœnitens gravem obligationem habeat abstinendi, sive ab omnibus sive a certis spectaculis, regulariter sub denegatione absolutionis eam obligationem ei indicere debet; b) si pœnitens gravem obligationem non habeat, exhortando conetur, quantum prudenter poterit, pœnitentem a theatro avertere,

vel, si id nequeat, monitis et mediis opportunis periculum diminuere satagat; speciatim efficiat, ut pœnitens perspicillis telescopicis non utatur et choreis scenicis non assistat.

Simili modo, juxta dicta n. 326. qu. 3., procedere debet cum parentibus aliisque Superioribus.

3° Turpium vel impiarum scenarum actores et actrices ad Sacramenta admitti nequeunt, nisi aut professioni suæ renuntient, aut saltem ab ejusmodi scenis prorsus abstineant; sunt enim peccatores publici, publicum scandalum præbentes.

CAPUT IV.

DE PRAVIS LIBRIS.

Expendemus 1° pericula pravorum librorum, 2° officium Confessarii erga illos.

ARTICULUS I.

PERICULA PRAVORUM LIBRORUM.

328. — Ad recte judicandum in hâc lubricâ materiâ, distinguendi sunt libri: 1° alii *ex professo contra Religionem*, seu impii, qui hæreticorum vel impiorum errores datâ operâ defendunt, Catholicæ Ecclesiæ doctrinam impugnant, illudunt, malitiose traducunt: alii *non ex professo* contra Religionem, qui obiter dumtaxat aliquid Religioni adversum perhibent, vel subinde Ecclesiæ ministros insectantur.

2° Alii *ex professo obscœni*, qui in notabili sui parte obscœna tradunt; cujusmodi sunt multi libri Romantici: alii *subobscœni*, in quibus exiguum dumtaxat obscœnitatis invenitur; ad quam speciem pertinent libri *erotici*, id est, de amoribus agentes, quales sunt multæ comœdiæ, tragœdiæ, dramata, poemata, et aliqui libri romantici moderati.

329. — **Principia.** I. Libri *ex professo impii* quam maxime periculosi et perniciosi sunt. Ratio est, tum quia hæreses et impietates cum tanta asseveratione tantoque argumentorum et auctoritatum apparatu exponere solent, ut facillime fucum faciant; tum quia passionibus placent; tum denique, quia magnum excitant odium contra Religionem, repræsentando illam tamquam tyrannicam, luminum et progressûs inimicam, rusticorum, fœminarum, ignorantium propriam; spiritûs autem emancipati, fortis et illuminati, prorsus indignam. Quare nullus, nisi forte doctus ac pius Theologus, hujusmodi libros legere poterit, quin fidei jacturam faciat; fides autem, ut docet Trid. *sess.* 6. *cap.* 8., »est »humanæ salutis initium, fundamentum »et radix omnis justificationis;" hujus ergo amissio est malum extremum, quod hominem in maximo damnationis periculo constituit. Quocirca probe attendendum est axioma: »Dubius in fide »infidelis est." Hisce rationibus accedit gravis prohibitio Ecclesiæ in Regula 2ª Indicis; imo, si libri hæresim propugnant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ specialiter S. Pontifici reservatæ, ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* (S. Alph. *Append. de prohib. libr. cap.* 1.)

II. Libri irreligiosi, at *non ex professo*, generatim loquendo, periculi quoque pleni sunt. Ratio est, quia sensim sine sensu fidei integritatem lædunt, incautos lectores præjudiciis contra Clerum imbuunt, et ad Liberalismum attrahunt. Nemini ergo absque necessitate permittenda est eorum lectio. Gravitas tamen periculi multum pendet a fine, ætate et religione lectoris, maxime vero a lectionis frequentiâ.

III. Libri *ex professo obscœni* maximum etiam periculum adducunt. Ratio est, quia libidinem vehementer accendunt; hunc enim in finem exquisite elaborati sunt, iterum atque iterum pervolutari possunt, eas insuper obscœnitates proferunt, quas forsan vel ipsi impudentissimi dicere non auderent. Adde, quod tales libri sæpissime referti sunt lascivissimis picturis, quæ oculis subjiciunt ea, quæ lectio menti repræsentat. Jure merito igitur omnibus graviter prohibiti sunt Regula 7ª Indicis. (*Append. cit. n.* 8—11.)

IV. Libri *erotici* occasio relativa sunt. Ratio est, quia in iis multa quidem adsunt valde tenera et affectuosa, sed nihil vel fere nihil invenitur, quod impietatem vel obscœnitatem redoleat; noxia tamen est eorum lectio, quia utilium librorum fastidium ingerit, animum ad profanos amores incendit, sicque obtenebrat, a Deo alienat, et ad vitia inclinat. Unde gravitas periculi ut plurimum pendet a circumstantiis, nempe a fine libidinoso, a lectoris ætate, indole, moribus, maxime vero a lapsuum experientia. — Propterea hi libri omnes periculosi sunt juvenibus, et ordinarie periculum proximum aderit pro iis, qui toti sunt in hujusmodi libris legendis; non vero pro iis, qui interdum aliquem legunt. (*Apend. cit. n.* 9. *Lib.* 3. *n.* 426.)

330. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quid censendum sit de pravis diariis?*

Diaria, quæ *liberalia* hodie vocari solent, sicut libri distinguenda sunt: alia *ex professo impia*, quæ calumniis in Ecclesiam scatere solent, dogmata catholica, S. Pontificis infallibilitatem præcipue, non raro malitiose traducunt aut impie blasphemant, modernos errores in *Syllabo* a Pio IX proscriptos propugnant. Alia *non ex professo* contra Religionem, quæ raro Religionem aggrediuntur, at sæpicule Clerum lacessunt, Ecclesiasticorum facta dedecora vulgando, Cleri actionem in re politica criminando, etc. Deinde, alia quoque *ex professo obscœna*, quæ sæpe obscœnas pagellas continent: alia non tam prava sunt.

His præmissis,

Resp. 1° Si fidei aut moribus *ex professo* adversantur, procul dubio graviter periculosa sunt, imo libris ipsis multo magis periculosa. Ratio prioris est, quia multos, præsertim si continue aut sæpius legantur, corrumpunt, a Religione Catholica avertunt, omnigenisque præjudiciis imbuunt, ut lugenda experientia nimium comprobat. Ratio posterioris est, tum quia libenter, faciliter, et constanter leguntur, ita ut venenum quotidianum evadant, quo animæ lente, sed certe, necantur; tum quia latissime diffunduntur. Propterea in occasione proxima versantur, qui ejusmodi diariis nomen dederunt, vel frequenter ea legunt; cui accedit, quod priores ad tantum scandalum cooperantur: secus autem non adscripti, qui raro dumtaxat, occasione data in caupona, in via ferrea, ejusmodi diarium pervolvunt. Fatendum tamen, præfatam occasionem posse quandoque necessariam esse; atvero absque vera necessitate nulli permittenda est impiorum diariorum lectio.

2° Si *non ex professo* Religioni aut moribus adversa sunt, generatim periculi quoque plena sunt; attamen periculi gravitas relativa erit pro dispositione legentis, frequentia et quantitate pravitatum, quæ in ipsis continentur, modo quo enuntiantur, etc.

QUÆR. 2° *An permitti possit mercatori nomen dare pravo diario propter nuntia mercatoria, quæ in eo inveniuntur, quibusque indiget?*

Resp. Si hæc nuntia in aliquo honesto diario non sat cito neque satis ample inveniri queant, necessitatis gratia tolerari posse videtur, ea lege, ut sola nuntia legantur, et opportunæ abhibeantur cautelæ ne diarium ad aliorum manus perveniat. Hunc in finem mercator occludat diarium; optimum vero est, ut quotidie, cum diarium acceperit, nuntia exscindat et reliquum folium statim destruat.

QUÆR. 3° *An liceat dominis hospitiorum legenda exponere prava diaria, ne hospites ad ipsos confluere desinant?*

Resp. Negat., tum quia expositio illa est actio *ex se* ordinata ad malum, ad lectionem nempe quæ intrinsece mala est; tum quia damnum temporale ac privatum nequit esse causa proportionata ad ruinam spiritualem multorum hospitum.

Sub nomine tamen pravi diarii non comprehenditur diarium, quod interdum aliquid mali seu minus recti de Religione continet, sed generatim eidem non adversatur. Ita Gury. *tom.* 1. *n.* 256. Scavini. *tom.* 2. *n.* 939. Varceno. *tr.* 8. *cap.* 2. *art.* 3. Berardi. *Prax. Conf. n.* 66. et 240. Van Egeren. *Notat. fascic. I. de scand. n.* 36. Sanch. *Decal. lib.* 1. *cap.* 7. *n.* 2. 5—7. 26. P. V. *Casus conscient. part.* 1. *cas.* 5. *n.* 25. Müller. *Theol. Mor. lib.* 2. § 36. *n.* 6., et alii communiter.

ARTICULUS II.

OFFICIUM CONFESSARII ERGA ILLOS.

331. — QUÆR. 1° *Quænam sint Confessarii officia quoad lectionem pravorum scriptorum?*

Resp. Tenetur 1° quando prudens suspicio subest, interrogare pœnitentem, qui hac de re tacet. Ratio est, quia, si pœnitens pessima scripta legat, omissio hujus interrogationis illi perquam noxia

erit, cum relinquat eum in occasione admodum periculosa; idque verum est, etiamsi bona fide taceret, a fortiori, si mala fide, cum tunc et sacrilegium perpetraret. (*n.* 629.)

2° Admonere pœnitentes, qui legunt libros aut diaria ex professo impia vel obscœna; nec mala majora ex admonitione timere debet, ut satis claret ex dictis, cum lectio illa jam producat summum malum. Speciatim monere debet parentes et Superiores Collegiorum, ut hac in re vigilantissimi sint erga filios et alumnos. (*n.* 616.)

3° Negare absolutionem renuentibus abstinere ab ejusmodi lectione. Constat ex prop. 61. damn. ab Innoc. XI: »Po»test aliquando absolvi, qui in proxima »occasione peccandi versatur, quam po»test et non vult omittere, quinimo »directe et ex proposito quærit aut ei »se ingerit." Atqui præfati libri et diaria sunt occasio proxima peccandi contra fidem et mores. Ergo prædicti renuentes nunquam absolvi possunt. Si quando justa adesse videatur causa, procuranda est licentia legendi retinendique libros prohibitos. Benignior tamen praxis non raro sequenda est cum iis, qui legunt libros eroticos, vel *interdum* diarium perversum, quatenus nempe ex hac lectione probabile periculum pœnitenti non immineat, juxta supra dicta.

4° Adigere pœnitentem, qui tales libros retinet, ut eosdem abjiciat, et qui tali diario nomen dedit, ut nomen retrahat; si id se facturum sincere promittat, absolvi potest. Quod si postea promissis non steterit, ordinarie absolvendus non est, priusquam obligationi suæ satisfecerit. Sequitur ex regulis traditis n. 306.

5° Præscribere pœnitenti, qui ex necessitate impia scripta legit, congrua antidota, ne venenum noceat; ut nimirum simul bonos libros vel bona diaria legat, quæ Religionem defendunt; ut pro fide conservanda oret, Sacramenta frequentet, etc.

6° Satagere ut juvenes præcipue avertat, quantum valet, a lectione libellorum Romanticorum; quia ex hujusmodi lectionibus universe magnam animæ ruinam hauriunt. (*Lib.* 3. *n.* 429.)

QUÆR. 2° *Quomodo Confessarius se gerere debeat quoad lectionem librorum, vel diariorum liberalium, quæ prava quidem, at non ex professo impia vel obscœna sunt?*

Resp. Det et 1° pro viribus eorum lectionem impedire, ut patet ex dictis; speciatim a) quando pœnitens obligationis abstinendi conscius est, vel de ea dubitat; b) dum ignarus quidem est obligationis, attamen cum spe fructus, aut saltem sine metu majoris mali, admoneri potest; c) quando Confessarius advertit continuam vel frequentem lectionem illam incipere pœnitenti in fide aut moribus notabile detrimentum inferre; hoc quippe neutiquam permittere potest.

2° Aliquando *tacere* obligationem abstinendi a prædicta lectione, positis nimirum sequentibus conditionibus: a) ut pœnitens invincibiliter ignoret gravem obligationem abstinendi a continua vel frequenti ejusmodi lectione; quæ ignorantia in pluribus oritur ex miris, quibus imbuti sunt, præjudiciis; b) ut ex admonitione fructus non speretur, sed majora potius mala timenda sint, puta alienatio a Sacramentis, a Religione; minus enim malum permitti potest ut majus evitetur, et Confessarius Christi exemplum sequi debet, de quo testatur Matth. XII. 20: »Arundinem quassatam »non confringet, et linum fumigans non »exstinguet; c) ut Confessarius pœnitentem suum monitis ac suasionibus ab ejusmodi lectione abducere, vel certe diffidentiam de pravis libellis ac diariis insinuare atque ad studium Religionis inducere conetur; tamquam medicus enim tenetur pœnitenti antidota ministrare, quibus periculum removeat. (*n.* 610. Godschalk. *De prohib. libr. cap.* 6.)

CAPUT V.

DE PRAVIS CONSORTIIS.

332. — Consortia prava sunt ratione fidei et morum. Unde: 1° Consortia, in quibus sermones contra Religionem ejusque Ministros haberi, et prava diaria legi solent, occasionem proximam amittendæ fidei constituunt, et idcirco sub gravi peccato vitanda sunt. Graviter proinde illicita est adscriptio et frequentatio istiusmodi societatum sive *circulorum*, ut aiunt, *liberalium;* idem dicendum de frequentatione hominum incredulorum aut sectariorum, qui fidem labefactare nituntur.

2° Ea consortia occasionem proximam luxuriæ constituunt, in quibus pravi socii vel ad peccata operis, nempe ad pollutionem, ad sodomiam, ad meretrices adeundas, pertrahunt, vel ejusmodi turpiloquia proferunt, quæ sine proximo periculo proferri aut audiri nequeunt. Perpendat porro Confessarius utrum hæc occasio sit voluntaria an necessaria; certe potest esse necessaria, si hujusmodi socii inveniantur in eodem Collegio, in eadem officina, etc., vel si sint proprii vicini, quatenus (ut ruri sæpe accidit) impossibile moraliter sit eorum occursus omnino vitare; hoc in casu Confessarius pœnitentem admoneat, ut, si possibile sit, turpes sermones abrumpat, aut certe eis non participet. Denique, cumprimis satagat ut adolescentes adhuc innocentes a consuetudine pravorum sociorum removeat, parentumque vigilantiam hac in re excitare non omittat.

CAPUT VI.

DE PRAVIS SCHOLIS.

333. — Schola nostro tempore quasi campus est, in quo de æterna fortuna surgentis ætatis dimicandum est, atque hoc genus belli contra fidem incredibili furore geritur. Rationalistæ enim, Massonici, Liberales, et quotquot ejusdem furfuris increduli, eo constanter unitisque viribus tendunt, ut Religionem ex hominum societate exterminent. Quem scopum ut attingant, nihil non moliuntur ut adolescentium educatio a Religione divellatur, sicque sensus irreligiosi ac perniciocissimi errores juventuti instillentur. Eapropter Gubernia scholas publicas introduxerunt, in quibus pueri et adolescentes sine Religione instituuntur, quas scholas *neutrales* vocant. [1]

Agemus 1° de periculis scholarum publicarum; 2° de officio Confessarii erga parentes et alios.

[1] De scholis omnino legi meretur egregium opusculum R. P. Alph. Jansen, C. SS. R., cui titulus: *De facultate docendi.*

ARTICULUS I.

PERICULA PUBLICARUM SCHOLARUM.

334. — **Principia.** I. Ea juventutis instituendæ ratio, quæ omnem excludit doctrinam Religionis, est ex se periculi plena, ac perquam adversa rei Catholicæ. Rationes sunt, quia 1° mutila est, et præcipua quidem educationis parte, doctrina nempe salutis æternæ, quæ rerum pereuntium doctrinam tum nobilitate tum necessitate præmodum antecellit; ex hoc defectu periculum nascitur, ne ætas flexibilis absque Religione adolescat. 2° Ab Ecclesiæ auctoritate sejuncta est; unde fieri potest, ut magistri scholis præficiantur, et libri adhibeantur, qui errores et vitiorum semina teneris mentibus infundunt. 3° Impossibile est tum morum præcepta tradere absque religione, tum quasdam scientias docere, v. g. historiam, quin præceptor Revelationem et Ecclesiam tangat, eique vel patrocinetur vel adversetur. 4° Ipsimet hujus institutionis auctores confessi sunt unum ejusdem finem esse, ut Religio convellatur. Ita ex Instruct. S. C. Propag. a Pio IX approbata 24 Nov. 1875. [1]

Igitur Pius IX in Syllabo errorum merito damnavit prop. 48: »Catholicis »viris probari potest ea juventutis insti»tuendæ ratio, quæ sit a Catholicâ Fide »et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, »quæque rerum dumtaxat naturalium »scientiam ac terrenæ socialis vitæ »fines tantummodo vel saltem primario »spectet."

II. Non omnes scholæ publicæ, quas *neutrales* vocant, æquale periculum afferunt, sed aliæ *positive*, aliæ *negative* noxiæ esse possunt. Colligitur ex cit. Instruct., et sequitur ex ipsa methodo, quippe quæ perquam versatilis est, malo tamen semper pronior.

Porro 1° *Negative noxiæ* sunt, in quibus nihil fidei moribusve adversum reperitur.

2° *Positive noxiæ* sunt, in quibus fidei integritas vel morum honestas, aut ambæ simul, periculo proximo exponuntur.

Causæ, ob quas scholæ publicæ positive noxiæ sunt, tres potissimum recen-

[1] Cfr. Revue Théol. 1878. *pag.* 18. Konings. *Theol. Mor. Appendix. in fine Vol. I.*

sentur: a) libri, qui paulatim puerorum animis religionem aut pudorem, aut utrumque, adimunt; b) magistri, qui venenum erroris, si non aperte, subdole et sensim sine sensu puerorum animis instillant; c) condiscipuli, qui aut falsam aut nullam colunt religionem, et iis sunt moribus præditi, ea loquendi agendique nefaria licentia, ut adolescentium, licet domi optime institutorum, fides labefactetur, aut certe pudor ac pietas absumatur. Quibus adde, quod in pluribus scholis in eodem scamno pueri juxta puellas sedere jubeantur. (Instruct. cit. — Konings. *De absolut. parent. n.* 7.)

III. Scholæ publicæ, *neutrales* dictæ, nisi sufficiens adsit causa, et periculum perversionis e proximo remotum fiat, tuta conscientia frequentari nequeunt. Id vel ipsa clamat lex naturalis et divina. (Instruct. cit.)

Porro 1° Sufficientia causæ dimetienda est a gravitate periculi, quod in schola reperitur. Sufficiens causa plerumque aderit, quando vel nulla præsto est schola Catholica, sive in loco ipso sive in proxima ejus vicinia, vel ea, quæ suppetit, parum est idonea erudiendis convenienter conditioni suæ adolescentibus, ac parentes facultatem non habent in alia regione prolem Catholice educandi. In dubio de causæ sufficientia consulendus est Episcopus.

2° Ut periculum removeatur, opportuna remedia cautionesque adhibenda sunt. Quare a) inprimis videndum utrumne in schola, de qua adeunda agitur, perversionis periculum sit ejusmodi, quod fieri remotum plane nequeat, velut quoties ibi aut docentur quædam aut aguntur Catholicæ doctrinæ bonisve moribus contraria, quæ citra animæ detrimentum neque audiri possunt neque peragi; enimvero tale periculum, ut per se patet, *omnino* vitandum est, cum quocumque damno temporali, etiam vitæ. b) Debet insuper juventus necessariam Christianam institutionem et educationem, extra scholæ tempus, rite ac diligenter accipere; hunc in finem c) Parochi catechesibus diligenter debent operam dare, eisque explicandis præcipue incumbere fidei veritatibus ac morum, quæ ab incredulis et heterodoxis impetuntur; juventutem insuper qua frequenti usu Sacramentorum, qua pietate in Beatam Virginem communire, et ad Religionem firmiter, tenendam etiam atque etiam excitare. d) Parentes, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilare debent, ac vel ipsi per se, vel, si minus idonei ipsi sint, per alios, de lectionibus auditis eos interrogare, libros iisdem traditos recognoscere, et, si quid noxium ibi deprehenderint, antidota præbere, eosque a familiaritate et consortio condiscipulorum, a quibus fidei vel morum periculum imminere possit, seu quorum corrupti mores fuerint, omnino arcere et prohibere. (Instruct. cit.)

335. — Ad prædicta advertendum superest: 1° Si schola positive noxia sit, in *pueris* periculum difficillime ex proximo remotum reddi potest, cum tenera ætas vix non semper imbuatur principiis et moribus eorum, quorum vel doctrinas constanter audiunt vel consuetudine utuntur. (Konings. *De absol. n.* 19. *Theol. Mor. n.* 438.)

2° Ubi scholæ publicæ *communiter* positive noxiæ sunt, eadem doctrina valet, si de *aliqua* schola particulari ignoretur utrum sit positive noxia necne; quia tunc militat contra eam præsumptio, quæ præsumptio soli cedit veritati, i. e. certitudini quod illa schola ut non positive noxia tolerari possit; in moralibus enim secundum communiter contingentia judicandum est. (Konings. *De absol. n.* 14. *Theol. Mor. n.* 435.)

3° Ob *commune periculum* possunt Episcopi in aliqua regione omnes omnino scholas publicas aut penitus prohibere, aut sub definitis tantum conditionibus tolerare; præceptum enim in vera præsumptione juris fundatum est justum, ac proinde ei parendum. Casus exsisteret v. g. ubi Episcopi præviderent brevi eventurum ut scholæ publicæ evadant *omnes* positive noxiæ; vel ut alumni, etiamsi scholæ *in se* positive noxiæ non essent, spiritu irreligioso imbuantur, eo ipso quod noverint scholas illas contra Religionem erectas esse. (*Lib.* 1. *n.* 100. *in fine.* Konings. *de absol. n.* 9.)

336. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An liceat parentibus filios scholæ publicæ, quam* NEUTRALEM *vocant, committere ad altiores disciplinas addiscendas, quibus in sociali sua conditione indigebunt, si nulla adsit schola Catholica, in qua hæ docentur, vel ea adiri nequeat, nisi expensis, quibus parentes impares sunt?*

Resp. Regulæ traditæ applicandæ sunt etiam scholis majoribus, nempe Collegiis, Gymnasiis, Universitatibus. Ad judicium autem ferendum de spe periculi removendi, spectandæ sunt adolescentis in fide et virtute firmitas aut debilitas, parentum vigilantia aut incuria, loci distantia, hujus et scholæ conditio, causæ gravitas, etc. (Konings. *Theol. n.* 439.)

QUÆR. 2° *An liceat officio magistri fungi in scholis publicis,* NEUTRALIBUS *dictis?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si magistri in schola uti aut pueris prælegere cogantur e libris, qui fidei aut moribus periculosi sunt.

2° *Affirm.*, si nihil, quod pueris nocere possit, admittant, et, ubi coexsistit schola catholica, nihil directe moliantur ad pueros in suas scholas attrahendos; quia exertitium hujus officii nullam damnatæ institutionis methodi approbationem, nec ullam cooperationem ad eam involvit; ex sola enim necessitate omittunt religiosam institutionem. Quinetiam noxium foret, si hoc modo non liceret Catholicis eo officio fungi. Excipe tamen, si et quatenus Episcopus prohibuerit, ut diximus. n. 335. sub 3°.

QUÆR. 3° *An liceat munus inspectoris suscipere?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si scholæ proxime periculosæ sint; quia vi muneris inspectores tunc cooperantur ad malum. Excipe, si spes fundata adsit fore ut influxu suo eas notabiliter minus damnosas reddant; quia tunc malum pro viribus impedirent, quod bonum est.

2° *Affirm.*, si scholæ positive noxiæ non sint; quin et laude digni sunt, si eo fine munus acceptent, ut libri et magistri, qui fidei aut moribus periculosi essent, procul a schola habeantur. (Konings. *Theol. n.* 440. *sub* 4°) Exceptio tradita supra n. 335. sub 3° hic quoque valet.

QUÆR. 4° *An adiri possint scholæ publicæ, dictæ* NORMALES, *in quibus juvenes ad munus magistri in scholis publicis aliquando obeundum, informantur?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si positive noxiæ sint, ut patet.

2° *Affirm.*, si proxime periculosæ non sint, et alumni firme proponant in officio magistri obeundo ab iis abstinere, a quibus magister abstinere debet. Si vero hujus propositi tenaces non fore videantur, enixe et prudenter hortandi sunt, ut alii potius officio aut arti sese dedant. (Konings. *Theol. n.* 440. *sub* 2°.) Excipe iterum casum prohibitionis, de quo n. 335. sub 3°.

ARTICULUS II.

OFFICIUM CONFESSARII ERGA PARENTES ET ALIOS.[1]

337. — Regula generalis hæc est: Parentes, qui in hoc institutionis negotio vel damnatæ adhærent doctrinæ, vel filios proximæ occasioni perversionis in fide et moribus exponunt, vel religiosæ educationis officio graviter desunt, si contumaces sint, absolvi nequeunt. Hinc sequentes particulares regulas deducimus, ex cit. Instructione S. C. Propag. depromptas.

338. — **Regulæ.** I. Absolutione indigni sunt parentes contumaces, 1° qui filios ideo institui malunt in schola publica, *quia neutralis est;* hac enim ratione adhærent propositioni a Pio IX damnatæ, quam supra retulimus n. 334., et idcirco peccant graviter contra fidem. — 2° Qui *absque necessitate* filios instituendos committunt scholæ publicæ *positive* noxiæ; quia filios proximæ occasioni perversionis exponunt. — 3° Qui filios scholæ publicæ *negative* tantum noxiæ tradunt, quin Catholicæ eorum educationi sufficienter provideant; quia religiosæ educationis officio graviter desunt.

II. Absolutione indigni non sunt parentes, 1° qui *ex necessitate* filios committunt scholæ publicæ *positive* noxiæ, dummodo periculum ex proximo remotum reddi possit et reapse reddatur. Ratio est, quia tunc schola illa est occasio necessaria. Necessitas adesset, quando schola Catholica non suppetit, juxta supra dicta n. 334. pr. III. Hinc consequitur, quod si periculum removeri vel penitus nequeat, vel frustra tentetur, et, hoc non obstante, parentes pertinaciter sinant liberos tales scholas

[1] De officio Parochi confer lib. V. n. 87. sub 5°, et n. 103.

frequentare, nullatenus absolvi possint; tunc enim animarum ruina inevitabilis est; vitari autem quocumque pretio debet. — 2° Qui filios scholæ publicæ *negative* tantum noxiæ tradunt, quamvis eos scholæ alicui Catholicæ committere possent, dummodo pravo non ducantur motivo, et aliter Catholicæ liberorum educationi sufficienter provideant. Ratio est, quia ejusmodi scholæ non sunt occasio proxima perversionis, sed mutilæ exsistunt.

Dictum est 1° *dum eos scholæ alicui Catholicæ committere possent;* impossibilium enim nulla est obligatio.

Dictum est 2° *dummodo aliter Catholicæ filiorum institutioni sufficienter provideant*; quia schola catholica, licet *optimum* et *ordinarium* medium sit ad hunc finem obtinendum, et ideo parentes, qui hoc medium negligunt, magnopere improbandi sint, non est tamen *unicum;* ergo sub negatione absolutionis cogi nequeunt parentes ad hoc præcise medium adhibendum, sed *gravi* obligationi satisfacient, si defectum scholæ per seipsos vel per alios compensent. Utrum vero sufficiens censeri possit illa instructio, quæ semel in hebdomade in Scholis Dominicalibus vel a Sacerdote in Ecclesia traditur, ex adjunctis dijudicandum erit, attentis puerorum ingenio ac diligentia, parentumque zelo. (Kon. *De absol. n.* 15. *Theol. n.* 436.) Exceptio a tradita Regula facienda est, ubi et quatenus Episcopus harum scholarum frequentationem prohibuit, ut diximus n. 335. sub 3°.

339. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quomodo Confessarius procedere debeat cum magistris et inspectoribus publicarum scholarum, et alumnis scholarum normalium?*

Resp. Procedat juxta responsa data supra n. 336.

Quær. 2° *Quid agendum, si alumnus in schola seductorem ad peccatum inveniat?*

Resp. 1° Si magister ipse scandalum præbeat discipulis, vel saltem nullâ tangatur curâ circa discipulorum mores, debet alumnus vel scholam deserere, vel, si schola *catholica* est, rem per seipsum sive per parentes Parocho, vel, si *publica* est, et exinde remedium speretur, alicui, qui providere potest, aperire.

2° Si magister probus sit, sed condiscipulus ad latus sedens seducat, ad magistrum pro remedio recurrendum est. Si extra scholam seductionem inveniat, scholam adeundo vel ab ea redeundo, debet pravos socios evitare; quinetiam parentibus gravis incumbere potest obligatio procurandi, ut pueri aut puellæ sub custodia alicujus probæ personæ scholam adeant et ab illa domum reducantur, ne alias filii pervertantur. Denique, si quis seductor pluribus aliis condiscipulis, inscio magistro, scandalum afferret, res omnino deferenda est magistro; tunc enim ageretur de communi scandalo, quod potest esse adeo damnosum, ut etiam cum gravi incommodo impediri debeat; idque valet non solum pro scholis minoribus, sed etiam et multo magis pro Collegiis, Seminariis, etc., ut advertit S. Alph. in *Regul. pro Semin.* § 1. *n.* 3. (Konings. *Theol. n.* 1460—1462.)

Quær. 3° *An discipulus, qui ipsemet ex sua fragilitate condiscipulum tentat ad suum latus sedentem, et, aliis mediis frustra tentatis, semper eodem modo relabitur, teneatur propriam fragilitatem revelare magistro, ut prædicto condiscipulo locum mutet?*

Resp. Affirm., si 1° casus extremus sit, ita ut nullum aliud remedium supersit; 2° præsumendum sit Superiorem posse et velle illud remedium apponere. Si hoc præsumi nequeat, tenetur quoquomodo recessum a schola a parentibus obtinere, etiam, si necesse sit, suam fragilitatem revelando patri vel matri. Ratio est, quia in hoc casu tenetur cum quocumque incommodo vel damno occasionem deserere. Excipe casum, quo signa doloris ostenderet tam extraordinaria, ut prudens spes emendationis concipi posset. Recole dicta n. 308. qu. 2. — Resolutio data valet etiam pro casibus similibus.

CAPUT VII.

DE PROCATIONIBUS.

340. — Procatio vocari solet conversatio adamantium intuitu aut saltem prætextu futuri matrimonii.

In plerisque regionibus visitationes adamantium intuitu matrimonii moribus populi adeo inoluerunt, ut necessariæ dici debeant; quare Pastorum et Confessariorum officium est opportunis cautionibus periculum ab illis amovere.

341. — **Principia.** I. Procatio, si fiat animo contrahendi matrimonium, non est de se illicita. Nemo enim tenetur ducere personam ignotam, sed per aliquod tempus potest experiri qua indole, quibus moribus quibusque dotibus prædita sit. (*n.* 452. *Prax. Conf. n.* 65.)

II. In praxi vero, inter personas juniores et parum timoratas facile evadit occasio proxima gravium peccatorum, maxime ubi incipit intercedere major familiaritas ac libertas, et appropinquat tempus matrimonii. Constat experientiâ, et ratio est concupiscentiæ depravatio, ob quam sexuum amores facile degenerant in vitium. (*n.* 452. *Prax. Conf. n.* 65. S. Leon. a Portu Maurit. *Disc. mist.* n. 23. 24.)

Porro, ne procatio evadat occasio proxima, aut, si talis jam facta fuerit, ut esse desinat, statuuntur regulæ quæ sequuntur.

342. — **Regulæ.** I. Illis solis procari licet, qui possunt et volunt matrimonium inire intra rationabile tempus. Ratio est, quia secus non esset causa legitima periculo se exponendi.

Dictum est 1° *qui possunt;* ad hoc requiritur a) ætas idonea ad rem familiarem constituendam; secus enim procatio nimium protrahetur; b) immunitas ab impedimento canonico matrimonii, tum dirimente tum prohibente; nisi legitima causa adesset pro dispensatione impetranda; c) libertas; qua carent v. g. milites, nisi legitimam veniam habeant; filii et filiæfamilias, si parentes juste dissentiant, sive propter indignitatem personæ, quacum conversari volunt, sive propter indigentiam auxilii filiorum.

2° *Qui volunt;* seria voluntate carere solet, quantumvis protestetur, juvenis dives respectu puellæ pauperis; procus, qui jam a primis colloquiis puellam ad peccatum sollicitat, aut saltem cautelas necessarias abnuit; item, qui post rationabile tempus propositum matrimonii minime manifestat, nuptiasve sine justa causa jugiter differt, etc.

3° *Intra rationabile tempus;* quod quantum sit, certa regula pro omnibus casibus definiri nequit, sed prudenti arbitrio relinquitur; cui faciendo multum conducunt timoratorum praxis modusque cautus vel incautus conversandi. Generatim loquendo, si intra semestre vel saltem intra annum matrimonium contrahatur, tempus modum non excedit. Idcirco caveat prudens Confessarius, ne procationes cum lapsuum periculo per annos continuentur; et, si jam nimis duraverint, curet ut vel abrumpantur, vel ad tempus interrumpantur, vel quamprimum matrimonio concludantur.

II. Procatio, ut honesto modo peragatur, opportunis cautelis moderanda est. Ratio est, quia sine illis, cum in praxi periculosa sit, ordinarie evadet occasio proxima gravium peccatorum.

Ejusmodi cautelæ sunt: 1° Ut adamantes *sub eodem tecto* non habitent; ob maximum periculum ex nimia consuetudine et familiaritate oriundum.

2° Ut *parentum*, vel eorum, qui ipsis loco parentum sunt, *consensum* quamprimum obtineant; si enim, insciis vel invitis parentibus, sese frequentent, clanculo se invisuri sunt cum magno periculo; imo aliquando, amore obcæcati, ut consensum extorqueant, ad prægnationem recurrent. Excipe casum, quo parentes injuste dissentiant, ita tamen ut visitationes domi suæ non impediant.

3° Ne *solus cum sola*, præsertim clanculo, versentur, in locis a conspectu aliorum remotis, vel tempore nocturno; id quippe, si non fortuito, sed consulto fiat, nonnisi ex fine libidinis aut cum summo libidinis periculo fiet. Hanc cautelam, quæ præcipua est, DD. communiter exigunt. Quocirca recte advertit Ballerini, *ad n.* 413. *Tom. I.:* »Quod »quidem potissime et ad eos pertinet, »qui eorum curam gerunt. Cum paren»tibus itaque, et præsertim cum matri»bus, severissime agendum est, gravisque »obligatio urgenda hujus vigilis custodiæ »et cautelæ; ad quam impellere debet »non modo conscientia, sed etiam timor »ne filiæ semel corruptæ in paterna »domo dehonestatæ consenescant."

4° Ne *visitationes* sint *nimis frequentes* neque *nimis protractæ;* quia familiaritatem et passionem pariunt, et inde probabile periculum. Id potissimum valet, si puella sit matre orbata, ita ut arbitro careat. E converso, immoderatas proci visitationes puella tolerare poterit,

si prudens timor sit ne alioquin prosperas nuptias amittat, dummodo tunc alias cautelas eo rigidius observet. Porro nimia frequentia aut protractio prudenti arbitrio dijudicanda est; cui faciendo multum conducunt praxis timoratorum modusque cautus vel incautus conversandi. Generatim loquendo, semel in hebdomade per unam alteramve horam immodicum non est.

5° Ne, si quando contingat eos solos versari, *ad invicem appropinquent* cum proximo periculo impudicorum tactuum, osculorum, amplexuum.

6° Ut *spiritualibus subsidiis* speciali modo se muniant, præcipue vero frequentatione Sacramentorum. (*Prax. Conf. n.* 65. S. Leonard. *Disc. mist. n.* 23. 24. Roncag. *tr.* 19. *qu.* 5. *cap.* 4. *qu.* 8. Tambur. *Dec. lib.* 5. *cap.* 1. § 4. *n.* 26. Berardi. *n.* 233—238. Konings. *n.* 1453.)

III. Post sponsalia majores cautelæ exiguntur; speciatim, ut nonnisi paucies invicem conversentur, idque nonnisi aliis præsentibus fiat. Ratio est, quia eo tempore ex una parte necessitas visitationum diminuitur, et ex altera parte periculum valde augetur. Posterius patet, cum sponsus respiciat sponsam tamquam suam, magna familiaritas sit quasi inevitabilis, imaginatio copulæ conjugalis brevi secuturæ libidinem commoveat, et timor prægnationis evanescat, siquidem matrimonium certe et proxime secuturum omnia velabit. *Ita communiter.* (*n.* 452. *Prax. Conf. n.* 204. H. A. *Append.* IV. *n.* 6. Bened. XIV. *Instit.* 46. *n.* 17. 21. Sanch. *De Matrimon. lib.* 9. *disp.* 46. *n.* 52. Salm. *tr.* 26. *cap.* 3. *n.* 59. Roncag. *loc. cit.* Spor. *de Matrim. n.* 429.)

Dixi supra: *nonnisi aliis præsentibus;* quâ de causâ, ubi mos exsistit apud rusticos ut ambo vicinam urbem petere debeant ad quædam comparanda, cavendum est ne soli exeant, sed comitem secum ducant.

Porro, ut periculum a sponsis arceatur, cuilibet Parocho et Confessario adlaborandum est, ne sponsalia contrahantur, nisi paulo ante matrimonium, iisque contractis, ne sponsi matrimonium conficere cunctentur. (*Prax. Conf. n.* 52. H. A. *tr.* 7. *n.* 32. Bened. XIV. *Instit.* 46. *n.* 21.)

Cæterum, quod raritatem visitationum attinet in hisce regionibus, si sponsi hactenus in procatione honeste conversati sint, Confessarius rationem habeat praxis timoratorum; hoc enim in casu periculum remotum apparet, et frustra exigeret a sponsis ut a recepto timoratorum more recederent.

IV. Quumprimum ob causam amoris adamantes frequenter labuntur in peccatum mortale, procatio induit rationem occasionis proximæ; idcirco, cum bis terve admoniti se non emendaverint, jam amplius absolvi nequeunt, donec procationem vel abruperint vel emendaverint. Recole dicta n. 306. (*Prax. Conf. n.* 65. S. Leon. *Disc. mist. n.* 24.)

Porro 1° debent procationem *abrumpere*, si absque gravi damno possint præsenti matrimonio renuntiare, alteriusque matrimonii occasionem exspectare; tunc enim occasio voluntaria est.

2° Debent procationem *emendare*, si sine peccato vel sine gravi damno matrimonio illi renuntiare nequeant, v. g. ob sponsalia jam contracta, prolem legitimandam, graves lites evitandas, aliud conveniens matrimonium vix sperandum; tunc quippe occasio necessaria est. Eo ergo in casu Confessarius curabit ut procantes matrimonium cito contrahant, atque interea majores cautelas adhibeant, inprimis ut visitationes diminuant, solitarie nunquam degant; quem in finem prodest, si puella matrem, et in ejus defectu sororem, roget, ut, amasio præsente, nunquam discedat. Hæc cautela valde necessaria est, et felicem exitum habere solet.

343. — Ex dictis infertur, tamquam occasiones proximas gravium peccatorum, *generatim loquendo*, habendas esse procationes, quæ fiunt 1° sine ullo intuitu matrimonii, adeoque oblectamenti aut libidinis causa; 2° sine spe brevi matrimonium ineundi, sive ob juniorem ætatem, sive ob aliud impedimentum; 3° contra justum parentum dissensum; 4° clanculo, in locis remotis; 5° inter adamantes in eadem domo cohabitantes; 6° cum notabili visitationum intemperantia. Adamantes igitur, qui ejusmodi procationem agunt, eamque, juxta dicta, abrumpere vel emendare renuunt, non sunt absolvendi; quamvis enim eveniat, ut, neglectis recto fine ac cautelis, non labantur in principio, in progressu tamen se a peccatis immunes non servabunt. Quodsi asserant se nihil mali egisse, ipsis fidendum non est, sed rite examinandi sunt circa verba, cogitationes, tactus, oscula, amplexus, etc., et tunc sæpe constabit eos peccatis obnoxios esse. (*Prax. Conf. n.* 65.)

344. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quid censendum, si adamantes non possint nisi soli conversari, puta si amasia sit famula, vidua sola habitans?*

Resp. Possunt necessariæ visitationes indulgeri, dummodo clam non conversentur, aliasque cautelas adhibeant; ad impossibile enim nemo tenetur; majori tamen periculo exponuntur, quare eo cautiores eos esse oportet.

Quær. 2° *Quomodo agendum sit cum amasiis, qui, priusquam matrimonium inire possint, mortem patris vel matris exspectare debent?*

Resp. Omnino cogendi sunt ad procationem hoc tempore abrumpendam; quia, quamvis necdum peccaverint, nonnisi valde incerta et remota matrimonii spes adest, quæ sufficiens causa non est se proximo periculo exponendi ex diuturna procatione orituro. Secus tamen resolvendum, si mors illa brevi eventura esset.

Quær. 3° *Quid agendum cum rusticis procantibus, qui intendunt matrimonium, sed procationem diutius protrahere coguntur, eo quod villam cito obtinere nequiverint?*

Resp. Dist. 1° Si procatio honesto modo peragatur, cogi non possunt ut a visitationibus prorsus abstineant, ne amor mutuus refrigescat, non sine periculo optatum matrimonium amittendi, et quia spem habent villam propediem obtinendi. Debent tamen se invisere rarius, idque nonnisi aliis præsentibus, imo potius in media familia; quo enim procatio diutius protrahitur, eo evadit periculosior, et non raro unus lapsus sufficit ad mutuam verecundiam tollendam, unde innumera peccata deinde sequentur. Confessarius interea pro viribus urgeat matrimonium.

2° Si procatio honesto modo non fiat, cogendi sunt ad ejusdem abruptionem; quia jam proxima occasio est. Quod si fieri absque gravi damno nequeat, absolvendi non sunt quoadusque se emendaverint, omnesque cautiones observent; præsertim promittere debent sese raro invisuros esse. Si, his non obstantibus, semper recidant, separatio unicum remanet remedium, saltem donec matrimonium contracturi sunt.

Quær. 4° *An liceant adamantibus et sponsis amplexus et oscula honesta, in signum amoris?*

Resp. Affirmant communiter DD., si fiant honesto modo juxta morem patriæ, sicut solutis permittuntur; sunt enim connaturalia amoris signa. Porro in more fere est apud honestas familias, ut bis, nempe dum amasius aut sponsus venit et dum abit, se invicem osculentur. Non licent vero oscula pressa sæpiusque repetita, neque diuturnæ manuum constrictiones; hæc quippe neque a personis bene moratis licita creduntur, neque a Theologis permittuntur. (*n.* 854.)

CAPUT VIII.

DE CAUPONIS.

345. — Cauponæ aliæ honestæ, aliæ inhonestæ sunt: inhonestæ, propter peccandi occasiones, quas sponte offerunt, puta prava diaria, irreligiosos ac turpes sermones, secreta cubicula ad libidinem, scorta, inhonesta oblectamenta.

Principia. I. Inhonestas cauponas frequentare non licet; imo, quando graviter periculosæ sunt, graviter illicitum est. Ratio est, quia sunt occasiones peccati per se.

II. Frequentatio cauponæ honestæ, animum relaxandi causa, si moderatio servetur in tempore, in potu, in ludo, in colloquiis, a culpa immunis est. Ratio patet, quia tunc nonnisi remota exsistit occasio.

III. Frequentatio cauponarum multis, artificibus et operariis præsertim, evadit occasio proxima gravium peccatorum, puta ebrietatum, et eorum, quæ inde sequuntur, ut sævitiarum contra uxores, ruinæ familiæ, scandali filiorum, blasphemiarum, rixarum, turpiloquiorum, libidinum, etc. Id satis superque docet experientia.

Quomodo Confessarius tractare debeat popinones, tradent sequentes regulæ.

346. — **Regulæ.** I. Bibuli, qui sua sponte cauponas frequentant, et intensum perpotandi habitum contraxerunt, absolvendi non sunt, nisi cauponæ omnino renuntient. Ratio est, quia, teste

experientia, sine hoc remedio nunquam se emendabunt. Hunc in finem necesse est ut et socios relinquant, imo ut in impossibilitate obsecundandi illorum invitationibus se constituant: quod fieri potest tradendo statim uxori pecuniam meritam. (*n.* 452. Berardi. *n.* 226.)

II. Bibuli, si ex necessitate cauponas frequentant, tractandi sunt sicut constituti in occasione necessaria. Recole dicta n. 307. et 308.

Necessitas provenire potest ex propria arte, v. g. aurigæ, proxenetæ, mercatoris, etc. Inter remedia autem recensendum est, ut sibi certam potûs mensuram præstituant, quam non excedent, ac sæpe propositum renovent eam non transgrediendi.

Denique, loquendo de bibulis, quorum habitus necdum inveteratus est, indaget Confessarius mali causam, utrum sit v. g. sociorum seductio, potûs qualitas, longa in caupona mora, ludus, etc.; quandoque enim deprehendet malum provenisse ex peculiari quodam adjuncto, quod si evitetur, periculum cessabit.

CAPUT IX.

DE FAMULATU.

347. — Famulatus hodie, in civitatibus præcipue, sæpe sæpius puellis admodum periculosus est, ob tentationes, quibus frequenter subjiciuntur, modo a parte famuli, modo a parte filiifamilias, modo a parte ipsius heri. Quare puellis, quæ necessitate non adiguntur, famulatus consulendus haud est, nisi certiores se reddiderint periculum in tali domo abesse.

Porro quoad puellas, quæ famulatum exercent, et frequenter ad peccatum sollicitantur, sequentes tenendæ sunt regulæ.

348. — **Regulæ.** I. Famula tentationibus viri obnoxia, si ob suam fragilitatem proximo consentiendi periculo exponatur, tractanda est ut in occasione proxima constituta, eaque vel voluntaria vel necessaria, prout famulatus cum vel sine gravi difficultate deseri poterit. (*n.* 452. *lib.* 3. *n.* 439.)

II. Ejusmodi famula, si tanta pietate et fortitudine prædita sit, ut tentationes constanter repellat, in occasione proxima non versatur, ac proinde domum deserere non tenetur; oportet tamen ut opportuna adhibeat remedia ad rescindendas ejusmodi sollicitationes. (*n.* 452.) Ejusmodi remedia sunt: 1° famulo, vel filio, vel hero tentanti minetur se rem patri, matri, hero, vel uxori delaturam; 2° si minæ non sufficiant, rem revera vel parenti vel hero deferat, sive per se, sive per aliam idoneam personam, si exinde efficax remedium sperare liceat.

III. Si famula, ob frequentiam lapsuum, plus minusve in concubinatu viveret, sicut concubina tractanda est. Consule dicta n. 316. II. et 320. (*Lib.* 3. *n.* 439.)

349. — **Quæstio.** *An liceat famulatus apud acatholicos?*

Resp. Si absit periculum perversionis tam in fide quam in moribus, et famuli regulariter non impediantur ab observatione præceptorum Ecclesiæ, non est illicitus. Hanc autem libertatem exercitii Religionis in limine contractus stipulari debent. Si nihilominus eveniat eos sæpe impediri a Religionis exercitio, tenentur, cumprimum absque gravi damno possint, famulatum relinquere. (*Prax. Conf.* *n.* 33.)

Idem dicendum de famulatu apud eos Catholicos, qui solo nomine tales sunt, et Religionis praxim prorsus abjecerunt.

Quod denique famulatum attinet apud Judæos, præ cæteris periculosus est puellis Christianis, quum Judæi perquam lascivi sint; cui accedit specialis prohibitio in *Cap.* 12. *de Judæis.*

CAPUT X.

DE NONNULLIS PERICULIS DOMESTICIS.

350. — Quær. 1° *Quomodo se gerere debeat Confessarius cum fœmina, quæ, propter famulum vel alium virum familiarem, in probabili periculo versatur?*

Resp. 1° Si separatio moraliter possibilis sit, exigere debet ut fœmina procuret occasionis expulsionem.

2° Si separatio moraliter fieri nequeat, aliorum mediorum applicationem exigere debet, et præcipue providere ne tentator inveniat eam solam. Facilis erit cura, si fœmina non sit valde ad venerem proclivis, et si non habeat affectum ad tentatorem; secus vero cura erit difficillima. Consule dicta n. 308.

Quær. 2° *An separatio judicanda sit moraliter possibilis, si, ad illam obtinendam, oporteat tentationem patefacere patri vel marito?*

Resp. 1° Filiafamilias tenetur patefacere patri vel matri; cum nullum damnum inde sibi timendum sit.

2° Uxor tenetur patefacere marito, si grave damnum inde timere non debeat, v. g. imprudentias mariti, calumnias tentatoris, scandalum familiæ, rei evulgationem, et similia.

Quær. 3° *Quomodo procedendum sit cum adolescente, qui in proximo periculo versatur propter fratrem in eodem lecto cubantem, a quo turpiter tangitur?*

Resp. 1° Si sperare possit lecti mutationem, tenetur hoc medium adhibere; imo, si ad hunc finem opus sit, secreto admonere parentes de fratris impudicitia.

2° Si lecti mutationem sperare nequeat, ob extremam parentum sive paupertatem sive negligentiam, contingere potest ut vel ipse Confessarius vel Parochus huic scandalo providere valeat et debeat, et, si hæc spes adsit, adigendus est pœnitens ad Confessarium extra Confessionem vel Parochum commonendum. Quodsi nulla suppetat via ad obtinendam lecti mutationem, tractandus est ut constitutus in occasione necessaria.

Idem dicendum de famulo in eodem lecto cubante cum alio.

Conclusio.

351. — Non raro evenit, in civitatibus præsertim, ut Confessarius incidat in casus valde intricatos et ancipites; in his angustiis non omittat confugere ad Deum pro luminis impetratione, ea speciatim mediante, quam Refugium peccatorum vocamus, ne in tanti momenti negotio excedat rigore aut indulgentia, sed animas ad imaginem Dei creatas et a Christo redemptas e tartarei leonis faucibus feliciter eripiat.

TRACTATUS VI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 17.

Hoc Sacramentum, inquit Trid. *sess.* 14., quo Clementissimus Redemptor noster finem vitæ tamquam firmissimo præsidio munivit, non modo Pœnitentiæ, sed et totius christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummativum est, animamque proxime disponit ad introitum gloriæ.

Expendemus 1° notionem et effectus hujus Sacramenti; 2° ejus materiam et formam; 3° ejus ministrum; 4° ejus subjectum.

CAPUT I.

NOTIO ET EFFECTUS EXTREMÆ UNCTIONIS.

352. — Definiri potest: Sacramentum, quo infirmis de vita periclitantibus confertur sanatio animæ, et interdum etiam corporis, per unctionem Olei benedicti et Orationem Sacerdotis.

Extremam Unctionem verum Sacramentum esse definivit Conc. Trid. *sess.* 14. *can.* 1. *de Extr. Unct.* Et, quamvis ex pluribus unctionibus et orationibus constituatur, unum tamen Sacramentum est, cum unam rem significet atque efficiat, nimirum curationem morbi peccati.

Effectus *primarius* hujus Sacramenti est corroboratio infirmi contra tentationes dæmonis in ultimo vitæ tempore. Effectus *secundarii* sunt: 1° peccata, si quæ sint adhuc expianda, remittit. 2° Peccatorum reliquias abstergit. Illæ reliquiæ sunt pœnæ temporales peccatorum, animi languor et debilitas ad actus virtutum, angores conscientiæ, timor mortis, morbi mortisque labores. Propterea allevat et erigit ægroti animum divinæ bonitatis spe, quâ confirmatus fervorem spiritualem concipit, læto animo Domini adventum exspectat, morbique incommoda omnia fert levius. 3° Sanitatem corporis interdum, si saluti animæ expediat, confert. Ita ex Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. et Catech. Rom. *n.* 27. (*n.* 731. H. A. *n.* 1.)

353. — Circa prædicta notanda sunt: 1° Extrema Unctio *primario* est Sacramentum vivorum, cum ad remissionem peccatorum institutum sit Sacramentum Pœnitentiæ: *secundario* tamen est Sacramentum mortuorum; eo enim quod institutum sit ad tollendas reliquias peccatorum, debet prius tollere ipsum peccatum, si in anima reperiatur, ideo *ex consequenti* aufert peccatum, et hoc pacto supplet Sacramentum Pœnitentiæ. (*n.* 731. H. A. *n.* 1.)

2° Non delet hoc Sacramentum *omnes* reliquias peccatorum, sed partem juxta dispositionem suscipientis. (*n.* 731.)

3° Sanationem corporis impediunt illi, qui non recipiunt hoc Sacramentum, nisi cum morbus ita invaluit, ut jam sine miraculo sanari nequeat; quia confert hunc effectum, non per modum miraculi, sed ad modum medicinæ, virtute supernaturali causas naturales adjuvando. (*n.* 714.)

354. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An detur effectus partialis gratiæ in singulis unctionibus?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. *Prima sententia* affirmat; quia quævis unctio cum sua forma significat gratiam independenter ab aliis unctionibus; ergo eam confert, sicut in Sacramento Ordinis in singulis Ordinibus. Ita Elbel, Palud. Scot. Pontius, Croix, Conc. etc.

Secunda sententia communior negat; quia Sacramenta conferunt gratiam in eo momento, quo essentialiter perficiuntur; atqui Extrema Unctio quinque sensuum unctione essentialiter perficitur; ergo in ultimi sensûs unctione confert gratiam. Ita S. Thomas, Suar. Laym. Concina, Valent. Filliuc. Castrop. Bonac. etc. (*n.* 707.)

QUÆR. 2° *An possit dari hoc Sacramentum validum et informe, ita ut, remoto postea obice, infirmus recipiat gratiam?*

Resp. Affirm., si obex removeatur perseverante eodem periculo mortis; quia, cum nequeat hoc Sacramentum illo tempore iterari, supponendum est ex divinâ bonitate quod nolit privare infirmum jam dispositum illius effectibus. *Ita communiter.* Hinc, si infirmus bona fide vel sensibus destitutus Sacramentum recepit in mortali, sufficit attritio; si autem mala fide suscepit, requiritur contritio vel Confessio, ad rite se disponendum. Ita Salmant. (*n.* 707.)

CAPUT II.

MATERIA ET FORMA EXTREMÆ UNCTIONIS.

ARTICULUS I.

MATERIA HUJUS SACRAMENTI.

355. — **Principia.** I. Materia remota est oleum olivarum ab Episcopo benedictum. Constat ex Apostolo Jacobo V. 14., ex decreto Eugenii IV ad Armenos, et Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1.

De necessitate Sacramenti oleum debet esse 1° *olivarum*, ut tradit decretum Eugenii, et patet, quia hoc solum proprie *oleum* est, oleum namque dicitur ab olea. (*n.* 709.)

2° *Ab Episcopo benedictum*, ut Paulus V die 13 Januar. 1655 et Gregorius XVI die 14 Sept. 1842 declararunt.[1] Attamen, ex commissione S. Pontificis benedictio olei fieri potest a simplici Sacerdote, ut constat ex Decreto Clementis VIII *Sanctissimus Dominus.* 31 Aug. 1595, et Constit. Bened. XIV *Etsi pastoralis.* 26 Maji 1742. § IV. (*n.* 709. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 8. *cap.* 1. *n.* 4.)

II. Materia proxima est unctio infirmi. Constat ex Apostolo, ex Decreto Eugenii IV, et Trid. *loc. cit.* (*n.* 710.)

Circa partes corporis ungendas, unctionem quinque sensuum universalis Ecclesia retinet, inquit Catech. Rom. *de Extrem. Unct. n.* 20. *et* 21., nimirum unctionem oculorum, aurium, narium, oris, et manuum; cui Ecclesia Latina addit unctionem pedum et renum; unctio tamen renum omittitur in fœminis, propter decentiam, et etiam in viris, quando infirmus commode moveri nequit; imo in pluribus locis semper omittitur. Sed, sive in mulieribus sive in viris, alia corporis pars pro renibus ungi non debet. Ita Rituale Rom. *tit.* 5. *n.* 15.

III. Ex præcepto Ecclesiæ, Oleum infirmorum quotannis Feria V in Cœna Domini ab Episcopo benedici debet, et Parochis distribui, vetere combusto; vetus non potest licite adhiberi, postquam novum receptum est. Constat ex Rituali Rom. *n.* 3. et Declarat. S. R. C. 7 Sept. 1601.[1]

Quodsi oleum benedictum infra annum ita deficiat, ut sufficere non videatur, neque aliud benedictum haberi queat, modicum oleum non benedictum in minori quantitate addere benedicto licet. Ita Rituale Rom. *n.* 3. Hæc admixtio pluries iterari potest, quamvis, omnibus admixtionibus consideratis, major sit quantitas olei non benedicti, dummodo in unaquaque admixtione minor sit. Ita Pius VI die 1 April. 1794. et S. C. C. 25 Sept. 1862. (*n.* 708.)

Præfatum præceptum quotannis renovandi sacrum oleum probabilius obligat sub gravi; quia materia satis gravis apparet, et est universalis Ecclesiæ consuetudo. Præterea constat de gravitate præcepti pro renovatione Chrismatis, ex *Cap.* 18. *dist.* 3. *de consecr.*; inde a pari concluditur pro renovatione olei infirmorum. Si tamen novum haberi non possit, vetus est adhibendum; non enim obligat ea lex in præjudicium animarum. (*n.* 705.)

356. — Circa prædicta advertendum

[1] Acta S. Sed. *vol. I. pag.* 41.

[1] Feria V in Cœna Domini triplex oleum ab Episcopo benedicitur, videlicet 1° oleum *infirmorum*, quod inservit ud ungendos infirmos, et campanas exterius in earum consecratione; 2° oleum *catechumenorum*, quo unguntur catechumeni in pectore et inter scapulas ante Baptismum, manus neosacerdotum, infunditur in aqua baptismali, etc.; 3° *Chrisma*, quod adhibetur in Sacramento Confirmationis, in cæremoniis Baptismi post collatum Sacramentum, in benedictione aquæ baptismalis, in consecratione calicis et patenæ, altaris, campanæ interius, etc. Oleum *infirmorum* notatur in vasculo litteris O. I. vel solâ litterâ I.; oleum *catechumenorum* litteris O. C. vel litterâ O.; *chrisma* litteris CH. vel litterâ C.

superest: 1° Ad singulum sensum pollex oleo est intingendus, et unaquæque unctio in modum crucis facienda est. Quantum ad unctionem organorum, quæ gemina sunt, utrumque ungendum est sub una forma.

3° Unctio *oculorum* fit, clausis oculis, super ambas palpebras; *aurium* in imis auriculis; *narium* super utramque narem; *oris*, compressis labiis, unica unctione, qua utrumque labium ungitur; quod si commode fieri nequeat, sufficit unum labium ungere; *manuum* in mediis palmis, exceptis Presbyteris, quorum manus exterius unguntur; *pedum* in superiori parte vel in plantis, juxta consuetudinem, ut declaravit S. R. C. 27 Aug. 1836. ad 1.; *renum* denique ad latera.

3° Quomodo ungendus sit moribundus, si prudenter timeatur eum e vita decessurum, antequam omnium sensuum unctiones perficiantur, tradetur infra ad qu. 2.

257. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An de necessitate Sacramenti oleum debeat esse benedictum in ordine ad Extremam Unctionem?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. *Prima sententia* negat; quia Chrisma vel oleum catechumenorum vere est oleum ab Episcopo benedictum. Ita Suarez, Laym. Henriq. Gonet, etc.

Secunda sententia probabilior affirmat; ex eo namque quod requiratur olei benedictio, sequitur requiri benedictionem accommodatam ejus usui, qua nempe oleum deputatur in materiam unctionis infirmorum. Ita Bellarm. Valent. Barbosa, Castrop. Sylvius, Bonac. Salmant. etc.

Hinc in praxi sequenda est hæc secunda sententia, nisi in casu necessitatis, quo deesset oleum infirmorum; tunc poterit adhiberi Chrisma vel oleum catechumenorum sub conditione: *Si valeat;* et, si postea haberi possit oleum infirmorum, repetenda est unctio sub conditione: *Si nondum es Sacremento refectus.* (*n.* 709. *dub.* 2.)

Quær. 2° *An unctio quinque sensuum sit de necessitate Sacramenti?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis negat, et dicit sufficere unam unctionem in quacumquæ corporis parte; quia ex D. Jacobo solum constat infirmum ungendum esse, absque determinatione partium. Ita Merbes. Natal. Alex. Tournel. Sylvius, Becan. etc.

Secunda sententia communis et probabilior affirmat; probatur tum ex constanti Ecclesiæ praxi, tum ex hujus Sacramenti natura, quod rationem habet medelæ spiritualis; etenim in corporali infirmitate medicina aptari solet iis partibus, a quibus morbus originem trahit; atqui in infirmitate spirituali origo peccatorum nostrorum sunt quinque sensus, omnis enim cognitio nostra est a sensibus, et nihil est volitum quin præcognitum; hisce ergo medela applicanda est. Ita S. Thom. S. Bonav. Soto, Suar. Castrop. Bellarm. Laym. Bonac. Filliuc. Valent. Coninc. Salmant. etc.

Hæc secunda sententia in praxi sequenda est, casu necessitatis excepto.

Certum porro est, non esse de necessitate Sacramenti: 1° Unctionem *pedum* et *renum*; quia in harum partium unctione non una est praxis Ecclesiarum; et recepta uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo servanda est. 2° Unctionem *utriusque* organi sensuum; quæ tamen grave præceptum est; unde in casu necessitatis, si tempus non suppetat, aut adsit periculum infectionis, aut infirmus verti nequeat ad alterum latus, sufficit alterutrum organum ungere. 3° *Ordinem* assignatum in ungendis partibus; præcepti tamen ordinis inversionem DD. communiter censent esse peccatum grave, ob communem Ecclesiæ consuetudinem; admittit tamen parvitatem materiæ, qualis esset e. g. inversio ordinis in uno sensu tantum.

Ex prædictis colligitur pro praxi: Si infirmus in extremis sit et periculum immineat ne moriatur priusquam omnes unctiones perficiantur, Sacerdos celeriter ungat quinque sensuum organa sub hac unica forma: *Per istam sanctam Unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, nempe visum, auditum, odoratum, gustum, et tactum,* ungendo sine crucis signo quemlibet sensum, scilicet unum oculum, unam aurem, etc., loca inuncta abstergendo dumtaxat post omnes unctiones. Si infirmus supervivat, ad cautelam repetuntur sub conditione unctiones in singulis sensibus cum forma singulo sensui, qui ungitur, correspondente. Quinimo in casu, quo moribundus jam exspirat, fieri potest sub conditione unica unctio in aliquo sensu, consultius in capite, cum forma supra tradita; et, si adhuc respiret, Sacerdos prosequatur sensuum unctionem, ut supra dictum est. Si infirmus, antequam absolutæ sint unctiones, immoriatur, Sacerdos sistere debet; si vero dubium sit an vivat, prosequi debet sub conditione: *Si vivis.* Ita Rituale Rom. *n.* 10—12. (*n.* 710.)

Quær. 3° *Quid faciendum, si infirmus careat oculis, auribus, naribus, aut manibus?*

Resp. Ungendæ sunt partes propiores illis, ut præscribit Rit. Rom. *n.* 18.; sic enim reputatur moraliter unctus in ea parte, in qua sensus vigere solet. Et quamvis infirmus non peccaverit in ea parte, qua inungitur, imo aliquando nec peccare potuerit, ut in oculis cæci nati et in auribus surdi nati, nihilominus non erit omittenda unctio; tum quia non requiritur quod infirmus per illum sensum, in quo ungitur, peccaverit, sed sufficit quod aliquo sensu peccare potuerit; tum quia peccare potuit per potentias internas illis sensibus respondentes. *Ita communiter.* (*n.* 732.)

Quær. 4° *An ad valorem Sacramenti sufficiat una gutta olei pro omnibus unctionibus?*

Resp. Nonnulli negant; quia ungere proprie est oleum per partes diffundere. Ita Suar. Filliuc. Regin. Trullench. etc.

Communius vero et probabilius affirmatur; modo omnes sensus ungantur; quia tunc vere ungit, cum oleum plus quam alii liquores diffundatur.

In praxi, quum prima sententia non sit improbabilis, saltem extrinsece, ea sequenda est; proinde ad singulos sensus extremum digiti intingendum est in oleo. (*n.* 709. *dub.* 4.)

Quær. 5° *An tempore contagii liceat sacras unctiones peragere ope penicilli aut virgulæ?*

Resp. Affirm.; constat ex Declar. S. R. C. 9 Maji 1857. ad 2. et Bened. XIV. *De Syn. lib.* 13. *cap.* 19. (*n.* 710.)

ARTICULUS II.

FORMA HUJUS SACRAMENTI.

358. — Forma Extremæ Unctionis est oratio Sacerdotis, hisce verbis concepta: »Per istam sanctam unctionem »et suam piissimam misericordiam in»dulgeat tibi Dominus, quidquid per »visum deliquisti." Et similiter in aliis membris. Constat ex Decreto Eugenii IV, ex Conc. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. et Rit. Rom.

Quocirca notandum: 1° Forma integre repetenda est ad singulas partes ungendas, exprimendo membrum quod inungitur. Caveat autem Sacerdos, inquit Rit. Rom., *n.* 17., cum ungit partes, quæ geminæ sunt, ne formam absolvat antequam ambas perunxerit; hoc tamen non est de necessitate Sacramenti, cum ad hujus valorem unius organi unctio sufficiat.

2° Ad essentiam formæ sufficiunt verba: »Per istam unctionem indulgeat »tibi Dominus quidquid deliquisti," cum expressione sensuum, nempe per visum, per auditum, etc. (*n.* 711.)

3° In fine formæ infirmus ipse cum adstantibus respondere potest: »Amen." Qua de re laudabile est infirmum instruere. (*Præx. Conf. n.* 274.)

359. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ad valorem Sacramenti requiratur expressio singulorum sensuum, scil. per visum, per auditum, etc.?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia ita forma adæquate et explicite correspondet materiæ. Ita Aversa, Castrop. Leand. etc.

2ª Sententia negat; tum quia in formis Ecclesiæ Orientalis sensus non exprimuntur, quæ ratio valde urget; tum quia effectus Sacramenti satis significatur per alia verba et per ipsam sensûs unctionem, quemadmodum de essentia Confirmationis est quod unctio fiat in fronte, et tamen id non declaratur in forma. Ita Dicast. Reginald. Bonac. etc. (Salmant. *tr.* 7. *cap.* 2. *n.* 32. Billuart. *art.* 3. *pet.* 1.)

Hæc secunda sententia mihi probatur; in praxi tamen non recedendum est ab usu Ecclesiæ.

Quær. 2° *An valeat Sacramentum, si quinque sensus ungantur sub una forma, illos omnes distincte exprimente?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia, cum sint distinctæ materiæ partiales, debent singulis respondere formæ partiales. Ita Gonet.

2ª Sententia affirmat; quia forma illa quoad sensum æquivalet aliis quinque partialibus; atqui lex Sacramentorum

est, formam sensu æquivalentem sufficere, et magis esse sensum attendendum, quam multitudinem verborum. Ita Suarez, Billuart.

Prima sententia minus probabilis, altera probabilior videtur. In praxi, extra casum necessitatis, pars tutior sequenda est. (Suar. *disp.* 40. *sect.* 3. *n.* 17. *disp.* 41. *sect.* 3. *n.* 7. 8. Billuart. *art.* 2. *in fine.*)

CAPUT III.

MINISTER EXTREMÆ UNCTIONIS.

Expendemus 1° quis sit minister legitimus, 2° quæ sint ministri obligationes.

ARTICULUS I.

MINISTER LEGITIMUS.

360. — **Principia.** I. Solus Sacerdos est legitimus minister ad valorem hujus Sacramenti. Est de fide, ex S. Jacobo, ex Decreto ad Armenos, et Trid. *sess.* 14. *can.* 4.

II. Ex jure Ecclesiæ Parochus est legitimus minister ad licitam Sacramenti administrationem. Constat ex *Clement.* 1. *de privilegiis.* Ratio est, quia pascere fideles cibo spirituali Sacramentorum spectat ad jurisdictionem proprii Pastoris.

Quare graviter peccat quisquis alius Sacerdos extra casum necessitatis sine Parochi licentia hoc Sacramentum administrat; quia alienam jurisdictionem sibi usurpat; imo Religiosi (*stricte dicti* nempe) insuper incurrunt ipso facto excommunicationem S. Pontifici simpliciter reservatam, ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* — Casus porro necessitatis occurrit, quando infirmus est in articulo mortis, et Parochus (ejusve Vicarius) Sacramentum administrare vel non potest vel non vult; tunc enim actus charitatis, non jurisdictionis usurpatio, exercetur. (*n.* 722. 723.)

361. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An quivis Sacerdos possit hoc Sacramentum ministrare ex consensu Parochi rationabiliter præsumpto?*

Resp. Nonnulli negant. Sed probabiliter et communius affirmatur; quia ejusmodi consensum sufficere jure et usu receptum est. (*n.* 722.)

Quær. 2° *An Pastor excommunicatus vel suspensus possit licite hoc Sacramentum ministrare?*

Resp. Affirmant aliqui. Sed alii probabilius negant, si *vitandus* sit; ex eo enim quod Ecclesia prohibeat hujus Sacramenti ministrationem tempore interdicti, jure colligitur eam etiam non permittere excommunicato vel suspenso denuntiato. Probabiliter tamen excipitur suspensus *a jurisdictione*, si alius Sacerdos desit; quia hæc suspensio non privat actu *Ordinis.* (*n.* 723. Suar. *disp.* 44. *sect.* 2. *n.* 5. 6.)

Quær. 3° *Quibusnam possint Regulares Extremam Unctionem ministrare?*

Resp. Iisdem, quibus possunt Viaticum ministrare; de quo consule dicta n. 83. qu. 3. (*n.* 722. H. A. *n.* 6.)

Quær. 4° *An possit hoc Sacramentum a pluribus Presbyteris ministrari?*

Resp. 1° Sufficere *unum* Sacerdotem de fide est, ex Decreto ad Armenos et Trid. *sess.* 14. *can.* 4., idemque statuit Bened. XIV. Constit. *Etsi pastoralis.* 26 Maji 1742. § V. Neque obstant verba S. Jacobi: »Inducat Presbyteros;" nam significant aliquem Presbyterorum, ut sæpius dici solet.

2° Potest conferri a pluribus Sacerdotibus eidem infirmo, ut mos est in Ecclesia Græca, dummodo singuli diversum sensum ungant, et ungendo formam huic sensui convenientem pronuntient. Attamen usus est in Ecclesia Latina, ut unus tantum Sacerdos integrum Sacramentum perficiat, cui mori omnes sub mortali culpa se conformare tenentur. (*n.* 724. Bened. XIV. Constit. cit. et *De Syn. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 5.)

ARTICULUS II.

OBLIGATIONES MINISTRI.

362. — **Principia.** I. Parochus ratione Officii tenetur sub gravi oves suas periculose ægrotantes Extrema Unctione munire. Ratio est, quia, licet hoc Sacramentum non sit necessarium ad salutem, est tamen firmissimum præsidium in fine vitæ, quo privare infirmos est grave damnum illis inferre, maxime si Parochus ab ipsis rogatus fuerit.

Gravis igitur culpæ reus esset Parochus, si ex notabili ejus incuria exponatur infirmus periculo decedendi e vita absque Extrema Unctione. (*n.* 729.)

II. Cæteri Sacerdotes non tenentur sub gravi hoc Sacramentum ministrare, nisi gravis urgeat necessitas ex parte infirmi, ac Parochus deficiat, illique possint sine gravi incommodo. Ratio est, quia ex sola lege charitatis tenentur, quæ sub gravi jubet tantum subvenire proximo graviter indigenti, cum id fieri potest sine gravi incommodo.

Gravis necessitas adesset, si alioquin infirmus sine Sacramentis moriturus esset, eo quod aliud nullum suscipere possit; tunc enim accidere potest, ut salus æterna infirmi ab illa administratione pendeat. Extra hunc casum, deficiente Parocho, sub veniali obligantur; charitas siquidem vetat ne Sacerdotes sine legitima causa privent infirmum tam salutari remedio. (*n.* 729.)

III. Regulariter loquendo, tenetur quoque Minister hujus Sacramenti in ejus administratione servare ritum ab Ecclesia præscriptum. Sequitur ex dictis de Sacramentis in genere n. 16.

Dixi: *regulariter;* quia, instante morte cum periculo Sacramenti, possunt, imo debent, ritus accidentales omitti. Verumtamen, si Minister ob instantem articulum mortis prætermiserit orationes prævias ad sacras unctiones, et postea adhuc superstes sit infirmus, debet orationes omissas recitare. Ita Rit. Rom. *n.* 10. (*n.* 726. 727.)

363. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Parochus teneatur ministrare hoc Sacramentum cum periculo vitæ, e. g. ob contagium?*

Resp. Regulariter non tenetur; quia hoc Sacramentum non est necessarium ad salutem, saltem si infirmus Sacramentum Pœnitentiæ receperit.

Dixi: *regulariter;* quia casus excipitur, quo infirmus esset in probabili periculo damnationis, si absque hoc Sacramento moriatur; quod evenit, si infirmus probabiliter est in peccato mortali et a multo tempore non confessus, hic et nunc autem confiteri nequit. Ratio est, quia ordo charitatis postulat in pari periculo exponere vitam temporalem ad salvandam vitam æternam proximi. (*n.* 729. H. A. *n.* 6.)

Adhæc monendum, quod, si adsit modus vitandi periculum contagii, exponendo e. g. infirmum in loco puro ac patenti, ungendo illum ope penicilli, et in partibus essentialibus tantum, sumendo insuper antidota præservativa, non sunt excusandi Parochi ab officio administrandi hoc Sacramentum. (Salmant. *tr.* 7. *cap.* 5. *n.* 8.)

Quær. 2° *Quonam tempore teneatur Parochus Extremam Unctionem administrare?*

Resp. Tenetur, quantum penes ipsum est, eam ministrare, cum urget periculum proximæ mortis, et infirmis adhuc integra mens et ratio viget; ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint. Ita Rit. Rom. *n.* 1. et DD. communiter.

Quocirca graviter peccant Parochi, qui differunt Sacramentum ad ultimum vitæ tempus, cum infirmus jam privatur usu sensuum et rationis; tum quia timendum est ne moribundus absque hoc firmissimo animæ præsidio decedat; tum quia privatur pluribus hujus Sacramenti effectibus, videlicet corroboratione animæ, remissione mortalium, si forte in mortali esset, ac fortasse etiam sanatione corporis; quæ omnia, saltem simul congesta, videntur grave damnum infirmis afferre. Ita Catech. Rom. *de Extr. Unct.* *n.* 18. et DD. communiter. (*n.* 714.)

Probe ergo distinguere oportet quando Extrema Unctio dari *debeat*, et quando dari *possit.* Adest obligatio, ut diximus, cum urget periculum proximæ mortis: valide et licite dari potest, cumprimum prudenter judicatur infirmum laborare periculo mortis, etsi necdum proximæ, ut infra probabimus n. 366. qu. 2. (*n.* 714. *Advert.* 2°.)

Quær. 3° *Quanta sit obligatio rituum in administratione hujus Sacramenti?*

Resp. 1° Extra casum necessitatis, sub gravi obligant a) vestes sacræ, nempe superpelliceum et stola; omittere solum superpelliceum, veniale videtur, et, casu urgente, nullum peccatum; b) Orationes, quæ Sacramenti administrationem præcedunt; c) numerus unctionum, juxta morem, earumque ordo.

2° Sub veniali obligant a) minister, qui Sacerdoti inserviat; b) cereus accensus in cubiculo infirmi, qui Sacerdoti ungenti lumen præbeat; c) adhibitio pollicis et signum crucis inter ungen-

dum; d) ordo Sacramentorum, ut nempe, si tempus et infirmi conditio permittant, ante Extremam Unctionem Pœnitentiæ et Eucharistiæ Sacramenta infirmis præbeantur; de præmissione tamen Viatici, utrum obliget sub peccato, certo non constat.

3º Recitatio Psalmorum pœnitentialium ac Litaniarum ab adstantibus non est de præcepto, et communiter omitti solet. (*n.* 726—728. 710. 716. H. A. *n.* 13. *et* 9.)

CAPUT IV.

SUBJECTUM EXTREMÆ UNCTIONIS.

Expendemus 1º quis sit subjectum capax hujus Sacramenti; 2º quæ dispositio in eo requiratur; 3º quoties iterari possit; 4º utrum detur præceptum illud suscipiendi.

ARTICULUS I.

SUBJECTUM CAPAX.

364. — **Principia.** I. Soli infirmi iique periculose decumbentes, capaces sunt hujus Sacramenti. Constat ex textu S. Jacobi, maxime ex textu græco, in quo pro *infirmum* legitur *deficientem*, quod verbum tam graviter laborantem denotat, ut mortis periculum imminere videatur, ut loquitur Rituale Rom. *tit.* 5. *cap.* 1. *n.* 5.; deinde ex Decreto Eugenii IV et Trid. *sess.* 14. *cap.* 3.; demum ex fine Sacramenti, primarius enim finis est allevatio et confortatio infirmi, secundarius vero restitutio sanitatis; uterque autem supponit lethalem infirmitatem, nam secus ægrotans non indiget ut *speciali Sacramento* confortetur aut sanetur. (*n.* 712. 713.)

II. Pueri ante usum rationis et perpetuo amentes hujus Sacramenti incapaces sunt. Ita Rit. Rom. *tit.* 5. *cap.* 1. *n.* 5. *et* 9.; ratio, quia institutum est contra reliquias peccatorum; prædicti autem nunquam peccaverunt; ergo, sicut incapaces sunt Sacramenti Pœnitentiæ, ita et ejus complementi. (*n.* 732. 718.)

365. — **Resolutiones.** 1º Non est conferendum hoc Sacramentum eis, qui cum sano corpore sunt in periculo mortis, ut capite mox plectendis, prælium aut periculosam navigationem ingressuris, mulieri partui proximæ, periculosam operationem chirurgicam subituris, nisi jam valetudo periculose affecta sit. Ita Rit. Rom. *n.* 9.

2º Perinde est utrum infirmitas proveniat ab humorum inordinatione, an vero ex naturali debilitate, ut contingit in senibus, aut ex vulnere vel veneno accepto. Unde ungendi sunt senes decrepiti, qui præ senio deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate; senectus enim occidua cum virium decremento morbus est. Ita Rit. Rom. *n.* 5. (*n.* 712. H. A. *n.* 7.)

3º Potest, imo debet ministrari pueris, qui jam rationis usum habent, esto nondum sint capaces Communionis; quicumque enim capaces sunt Sacramenti Pœnitentiæ, capaces pariter erunt Sacramenti Extremæ Unctionis, utpote consummativi illius; cui accedit quod pueri indigeant, ut cæteri fideles, effectibus hujus Sacramenti. Ita Rit. Rom. *n.* 5. *et* 9. (*n.* 717. 720. H. A. *n.* 10.)

4º Extrema Unctio *absolute* conferri debet, si homo capax est illam valide recipiendi; *sub conditione* tum solum, cum dubium est num valide recipere possit, nam in eodem periculo iterari nequit, et, remoto obice, reviviscit. (Lehmk. *n.* 577.)

366. — **Quæstiones.** Quær. 1º *An mulier pariens cum vitæ discrimine capax sit Extremæ Unctionis?*

Resp. Dist. 1º *Negat.*, si sit in communi periculo ex communibus tantum doloribus, etiamsi prima vice pariat, vel alias fuerit in periculo mortis; quia tunc non laborat infirmitate.

2º *Affirm.*, si infirmitas superveniat afferens periculum mortis, puta acerbissimi dolores, ex quibus medici judicio appareat probabile periculum mortis; tunc enim revera periculose infirmatur. (*n.* 713. *dub.* 3.)

Quær. 2º *An hoc Sacramentum valide et licite conferri possit ægroto in solo putato periculo mortis?*

Resp. Affirm., sufficit nempe quod infirmus probabiliter judicetur esse in periculo mortis, etsi necdum proximæ. Constat ex Decreto Eugenii, ex Rit. Rom. *n.* 5. et Constit. Bened. XIV *Ex quo primum.* 1 Mart. 1756. *n.* 46., et communi DD. sententia. (*n.* 714. H. A. *n.* 7.)

Ad quæsitum: »Aliquando, Missionariis Christianos sibi commissos visitantibus, occurrit ægrotus, hecticâ febri »vel simili morbo laborans, qui juxta »experientiam vivet adhuc plures menses, sed intra annum morietur. Quæritur, an in tali casu Missionarius ipsi »administrare possit Viaticum et Extremam Unctionem, eo quod, quando »verior aderit casus ea recipiendi, non »poterit præsens haberi Missionarius, ob »magnam distantiam et alias circumstantias id impedientes?" S. C. de Prop. Fid. 20 Febr. 1801. respondit: »Affirmative." (Collectanea S. Sedis. *n.* 361.)

Quær. 3º *An inungi possint pueri, de quorum usu rationis dubitatur?*

Resp. Controvertitur; sed probabilior sententia tradit eos ungendos esse sub conditione; quia, quamvis hoc Sacramentum non sit necessarium ad salutem, sufficiens tamen causa est illud ministrandi sub conditione, ne pueri priventur fructu tam salutari hujus Sacramenti, si forte capaces sint. Ita Lugo, Renzi, Escob. Dicast. Leand. Diana, Sancius. (*n.* 719.)

Idem dicendum de amentibus, de quibus dubitatur an unquam rationis usum habuerint. (*n.* 732.)

Quær. 4º *An possit dari Extrema Unctio infirmo adulto statim post Baptismum?*

Resp. Affirm.; quia, quamvis nullum peccatum remaneat abstergendum, potest tamen particeps fieri cæterorum effectuum hujus Sacramenti. *Ita communiter.* (*n.* 721.)

ARTICULUS II.

DISPOSITIO REQUISITA.

367. — Dispositio necessaria ad fructum hujus Sacramenti percipiendum, per se loquendo, est status gratiæ. Ratio est, quia Extrema Unctio primario est Sacramentum vivorum, complementum Pœnitentiæ, et curatio spiritualis, ideoque supponit vitam animæ.

Dictum est: *per se loquendo*; quia *per accidens*, cum nempe status gratiæ hic et nunc inculpabiliter deficit, sufficit sola attritio; quia Extrema Unctio secundario est Sacramentum mortuorum. (*n.* 716. H. A. *n.* 9.)

Hinc: 1º In eo, qui rationis est compos et conscius peccati mortalis, requiritur peccatorum confessio; tum quia confitendi obligatio in mortis periculo urget ex divino præcepto, tum quia Extrema Unctio est Sacramenti Pœnitentiæ complementum. Quodsi nulla præmitti posset confessio (qui casus tamen moraliter impossibilis est), requiritur contritio perfecta, saltem existimata. Attritio, ut dictum est, nonnisi per accidens sufficit. (*n.* 716. H. A. *n.* 9.)

2º Impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis, Extrema Unctio penitus denegetur. Ita Rit. Rom. *tit.* 5. *cap.* 1. *n.* 8. Impœnitentes certe sunt illi infirmi, qui ad sensuum destitutionem usque Sacramenta respuerunt, volentes mori sine illis. Non tamen deneganda est iis, qui in ipso actu peccati sensibus destituuntur; nam, si forte internum actum attritionis miser peccator elicuerit, longe tutius, imo *certo* ejus salus procurabitur per Unctionem, per absolutionem valde dubie. (*n.* 732. H. A. *n.* 11. Lehmk. *n.* 575. 577.) Excommunicati, si impœnitentia non obstet, absolvendi sunt a censura, priusquam inungi possint, quemadmodum pro Confessione faciendum jubet Rit. Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 23.

3º Conferendum est hoc Sacramentum amentibus illis, qui aliquando usum rationis habuerunt, quamvis actu non habeant: item infirmis, qui in phrænesi exsistunt vel delirant, vel ebrii sunt, etiamsi reluctare videantur; dummodo a) ante defectum usûs rationis non fuerint in peccato notorio; alias enim essent indispositi; b) absit probabile periculum irreverentiæ erga Sacramentum; quod periculum tamen removeri poterit infirmum ligando aut efficiendo ut ab aliis teneatur. Ratio est, quia, licet ad recipiendum hoc Sacramentum necessaria sit voluntas seu petitio recipientis, satis est quod infirmus antea dederit signa contritionis, vel Sacramentum petierit, aut verisimiliter petiisset, quod de quolibet Catholico præsumendum est, nisi certo constet de opposito. Ita Rit. Rom. *n.* 6. 7. (*n.* 712. 732. H. A. *n.* 11.)

ARTICULUS III.

ITERATIO HUJUS SACRAMENTI.

368. — **Principia.** I. Extrema Unctio iterari potest, quoties homo in *diversa* infirmitate in periculum mortis incidit. Constat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 3.; ratio est, tum quia hoc Sacramentum non habet effectum perpetuum, sicut ea quæ characterem imprimunt; tum quia medicina toties iterari debet, quoties infirmitas iteratur. (*n.* 715.)

II. Iterari quoque potest in *eadem* infirmitate diuturna, quoties periculum mortis iteratur. Constat ex Rit. Rom. *n.* 14.; ratio est, quia hoc Sacramentum confert auxilium, non pro infirmitate qua tali, sed pro periculo mortis; quoties ergo hoc periculum iteratur, est sufficiens causa iterandi Unctionem.

Casus evenit, si infirmus unctus fuit in periculo mortis, postea vero remittit morbi vis, ita ut probabiliter censeatur periculum evasisse, et in hoc statu aliquamdiu permanet, postmodum vero in idem periculum recidit. Inde consequitur, necessarium esse statum ægritudinis per aliquam notabilem moram, qualis non sunt pauci dies, interrumpi, ita ut secundum communem æstimationem diversus censeatur. (*n.* 715. H. A. *n* 8.)

III. Durante eodem mortis periculo, non licet Extremam Unctionem iterare. Constat ex Trid *loc. cit.* et Rit. Rom.; ratio est, quia de se est sufficiens medicina pro eo tempore. (*n.* 715.)

In dubio de interruptione periculi, expedit ut Parochi ad Sacramenti iterationem propendeant, eo quod hæc iteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, et per eam novum spirituale subsidium et levamen infirmo obveniat. (*n.* 715. H. A. *n.* 8.)

ARTICULUS IV.

OBLIGATIO SUSCIPIENDI HOC SACRAMENTUM.

369. — Communis est sententia DD. contra paucos, nullum esse præceptum stricte et per se obligans de suscipiendo hoc Sacramento. Ratio est, quia tale præceptum non sequitur ex institutione hujus Sacramenti, nec invenitur a Christo vel ab Ecclesia traditum; ergo asserendum non est. Non ex institutione, quia non est medium necessarium ad salutem, sed utile tantum; non a Christo, quia S. Jacobus nullum verbum apposuit vim præcepti habens; non denique ab Ecclesia, quia nullibi exstat; præterea tempore interdicti Ecclesia denegat Extremam Unctionem, ut patet ex *Cap.* 11. *de pœnit. et remiss.*, quod satis innuit eam non esse necessariam.

Dictum est: *per se;* quia *per accidens*, ratione scil. gravis scandali aut formalis contemptûs, omnes conveniunt posse in omissione hujus Sacramenti peccatum mortale intervenire. Grave scandalum daret infirmus, e. g. si rogatus an velit Extremam Unctionem recipere, sine causa absolute recusaret; inde enim alii crederent ipsum eam contemnere. Formalem contemptum committeret, si ideo eam nollet, quia parvi pendit.

Hæc speculative loquendo dicta sunt; in praxi namque, stantibus ex una parte infirmi debilitate in tali statu, ex altera parte vehementioribus dæmonis insidiis, ingenti periculo tentationibus succumbendi se exponere videtur, qui negligit se munire hoc Sacramento, quod Christus eo fine instituit ut robur conferat ad resistendum diabolo in ultimo agone. (*n.* 733.)

Hinc, qui spiritualem ægroti curam habere debent, nimirum, non Parochus tantum, verum etiam domestici, maxime parentes, filii, conjuges, graviter peccare possunt, si non provident ut ægrotus tempestive adjuvetur hoc Sacramento. (Lehmk. *n.* 579.)

TRACTATUS VII.

DE ORDINE.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 17.

370. — Post ea Sacramenta, quæ ad bonum singularium personarum instituta sunt, jam accedimus ad illa duo, quæ ad bonum commune Ecclesiæ ordinata sunt, nimirum ad Sacramenta Ordinis et Matrimonii: prius ad bonum regimen Ecclesiæ, ut filii Dei generentur per gratiam; alterum ad filiorum secundum naturam procreationem, qui postmodum per fidem et Baptismum ab Ecclesia recipiantur. Sic ergo Ecclesia per suos Ministros dat filios Deo, Matrimonium dat filios Ecclesiæ.

In hoc tractatu acturi sumus 1° de natura et numero Ordinum; 2° de eorumdem materia et forma; 3° de ministro conferente Ordines: 4° de subjecto eos recipiente; 5° de pœnis male ordinantium et male ordinatorum. De impedimentis Ordinum, quæ irregularitates vocantur, tractabitur in libro VII.

CAPUT I.

NOTIO ET NUMERUS ORDINUM.

371. — Quum Ordinum collationi ex institutione Ecclesiæ præmitti debeat *Tonsuræ* collatio, ideo, priusquam de Ordine tractemus, agendum nobis est de Tonsura. Prima Tonsura definitur: Ritus sacer, consistens in tonsione capillorum in vertice capitis et vestis clericalis traditione, sub certis verbis, qua laicus transfertur ad statum clericalem.

Effectus ejus sunt, quod tonsuratus 1° redditur capax jurisdictionis et Beneficiorum Ecclesiæ, ac 2° particeps fit privilegiorum Clericorum.

Hæc privilegia omnibus Clericis communia sunt: 1° privilegium *fori*, vi cujus eximuntur a foro seu jurisdictione sæcularium judicum; 2° privilegium *canonis*, vi cujus excommunicatione plectuntur quicumque eos percutiunt vel injuriose tractant.

De Tonsura porro quæritur utrum Ordo dicendus sit? Affirmant multi Canonistæ. Sed Theologi, duce S. Thoma, communiter negant eam esse Ordinem proprie dictum, ac contendunt esse dumtaxat dispositionem ad Ordines, sicut Novitiatus præparatio est ad Professionem. Ratio est, tum quia Trid. *sess.* 23. *cap.* 2. *de Sacram. Ord.* et *cap.* 6. 10. 17. *ref.* non solum Tonsuram non numerat inter Ordines, sed eam ab hisce diserte distinguit; tum quia per omnem Ordinem confertur potestas aliqua in ordine ad altaris ministerium, Tonsura autem nullam confert. (*n.* 734.)

Hisce præmissis, de Ordine exponemus 1° definitionem Ordinis in communi, 2° numerum Ordinum, 3° singulorum definitionem, 4° quinam habeant rationem Sacramenti, 5° unitatem et effectus hujus Sacramenti.

372. — I. **Definitio ordinis in communi.** Ordo seu Ordinatio est Sacramentum, quo traditur spiritualis potestas in ordine ad Eucharistiam. Dicitur: *in ordine ad Eucharistiam;* quia omnes Ordines inferiores ordinantur ad Sacerdotium, atque omnes Ordines una cum Sacerdotio ordinantur ad Sacrificium Missæ; quandoquidem Sacerdotum præcipuum et essentiale munus est Sacrificium offerre, adeo ut sine Sacrificio Sacerdotium non concipiatur. Ita Trid. *sess.* 23. *cap.* 1.

Ordinem porro seu sacram Ordinationem, generaliter loquendo, Sacramentum esse, quamvis probabilius non singuli Ordines Sacramentum sint, definivit Conc. Trid. *sess.* 23. *can.* 3. (*n.* 735.)

Differunt *Ordinatio* et *Ordo;* prior est sacra cæremonia, qua spiritualis potestas traditur, posterior est ipsa potestas tradita; prior est Sacramentum, posterior est Sacramenti effectus.

Ordo porro constituit Ministros Ecclesiæ, qui duplicem potestatem habent, unam *Ordinis*, quæ per consecrationem confertur, ad Sacramentorum dispensationem; alteram *Jurisdictionis*, quæ ex injunctione hominis confertur, ad spirituale regimen. Ita S. Thom 2. 2. *qu.* 39. *a.* 3. (*n.* 735.)

373. — II. **Numerus Ordinum.** Septem sunt Ordines, videlicet Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus, et Presbyteratus. Quatuor priores *Minores* seu *non Sacri* appellantur, tres posteriores *Majores* seu *Sacri* vocantur. Sacri dicuntur, quia propius accedunt ad Consecrationem Corporis Christi, votumque castitatis sibi adnexum habent; olim tamen ante sæculum XI Subdiaconatus inter Ordines Minores computabatur. — Sacerdotium quoque duplex est, nempe *minus*, et *majus* seu Episcopatus, qui plenitudo Sacerdotii est.

374. — III. **Singulorum Ordinum definitio.** 1° *Ostiariatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas aperiendi et claudendi ecclesiam, populum convocandi ad Sacrificium, dignos admittendi indignosque excludendi.

2° *Lectoratus* est Ordo, quo confertur specialis potestas legendi sacram Scripturam in Ecclesia, et catechizandi populum.

3° *Exorcistatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas Exorcismis Ecclesiæ expellendi dæmones.

4° *Acolythatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas ministrandi sacris Ministris in Missa solemni, necnon Sacerdoti in Missa privata.

5° *Subdiaconatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas ministrandi Diacono in Missa solemni, et solemniter cantandi Epistolam.

6° *Diaconatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas immediate ministrandi Sacerdoti in Missa solemni, solemniter cantandi Evangelium, necnon ex legitima commissione solemniter baptizandi, dispensandi Eucharistiam, ac prædicandi.

7° *Presbyteratus* est Ordo, quo confertur specialis potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, remittendi peccata, et ungendi infirmos.

8° *Episcopatus* est Ordo, quo confertur specialis potestas confirmandi fideles, et ordinandi Ministros Altaris. (*n.* 735.)

375. — IV. **Ratio Sacramendi.** 1° De fide est Presbyteratum esse Sacramentum; quia de eo saltem verificari debet definitio Conc. Trid. *sess.* 23. *can.* 3., scil. sacram Ordinationem esse Sacramentum a Christo institutum.

2° Certum est, non solum Sacerdotium, verum etiam Episcopatum et Diaconatum esse Sacramenta. Etenim ex Trid. *can.* 4. de fide est eam Ordinationem conferre Spiritum Sanctum, atque adeo esse Sacramentum, in qua Episcopus dicit: »Accipe Spiritum Sanctum;" atqui Episcopus profert ea verba in Ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, et Diaconorum; ergo tres illi Ordines sunt Sacramenta.

De cæteris Ordinibus celebris est quæstio inter Doctores, quæ sequitur.

Quær. 1° *An Subdiaconatus et Ordines Minores sint Sacramenta?*

Resp. Duplex datur sententia probabilis. *Prima sententia* affirmat, ex Decreto Eugenii IV ad Armenos, quod statuit Ordinem Sacramentum esse, et illico materiam ac formam assignat, non solum tribus Ordinibus Majoribus, verum etiam quatuor Minoribus; unde colligitur ex mente Eugenii omnes Sacramenta esse. Ita communior sententia cum D. Thoma.

Secunda sententia probabilior negat; 1° quia pro iis desunt materia et forma Sacramenti Ordinis; deficit quidem materia, cum desit impositio manuum, quæ est sola materia hujus Sacramenti, juxta probabiliorem sententiam, quam infra probabimus; deest etiam forma, nam nulla adest forma exprimens productionem gratiæ, sed tantum fit mentio potestatis, quæ traditur. 2° In horum Ordinum collatione Episcopus non dicit: »Accipe Spiritum Sanctum;" atqui Trid. *can.* 4. Ordinationes, per quas datur Spiritus Sanctus, ad eas restringere videtur, in quibus Episcopus ea verba profert; ergo prædicti Ordines non sunt Sacramenta. 3° Ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 3. *can.* 3. *et* 4. inter se collatis; Concilium enim ibi loquitur de solis Ordinationibus, in quibus manuum impositio adhibetur. Ita Tournely, Cabassut. Habert, Hugo Victor. Gratian. Magist. sent. Morinus, Drouin, Boucat, Vuittasse, Goar. Juenin. etc. (*n.* 737.)

In praxi, ob probabilitatem primæ sententiæ suadendus est status gratiæ in suscipientibus hos Ordines; quamvis ob probabilitatem secundæ sententiæ stricte non requiratur.

Quær. 2° *An Episcopatus sit Ordo, atque adeo Sacramentum, a Sacerdotio distinctus?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia 1° neque ab Eugenio IV, neque a Trid. inter Ordines recensetur; 2° non est nisi extensio ac completio Sacerdotii. Ita S. Thom. S. Bonav. Filliuc. Regin. Vasq. Coninc. Laym. Bonac. Castrop. etc.

2ª Sententia communior affirmat; quia 1° Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. *et can.* 6. Episcopatum inter Ordines recenset; 2° in eo confertur distincta potestas in ordine ad Sacrificium Missæ, potestas nempe ordinandi Altaris Ministros. — Non obstat a) ratio prima sententiæ oppositæ; nam sub nomine Presbyteratûs etiam Episcopatus continetur; b) Episcopatum non posse valide conferri non habenti Ordinem Sacerdotalem; quia Episcopatus, cum conferat Sacerdotii fœcunditatem, ipsum Sacerdotium supponit; sed hæc fœcunditas est plane distincta potestas. Ita Canonistæ communiter, et non pauci Theologi, ut Bellarm. Habert, Valent. Avers. Tourn. Berti, Estius, Sylvius, etc. (*n.* 738.)

376. — V. **Unitas et effectus hujus Sacramenti.** Quamvis plures Ordines habeant rationem Sacramenti; unum tamen Sacramentum sunt; tota enim plenitudo hujus Sacramenti est in uno Ordine, scil. Sacerdotio, sed in aliis est quædam participatio Ordinis. Ita S. Thomas. 4 *Sent. dist.* 24. *qu.* 2. *a.* 1. *qu.* 1. *ad* 2.

Effectus ejus sunt: 1° gratia sanctificans; 2° gratia sacramentalis, seu auxilia ad recte exercendum ministerium proprium Ordinis suscepti; 3° impressio characteris. (*n.* 735.)

CAPUT II.

ORDINUM MATERIA ET FORMA.

Indagabimus 1° quænam sit hujus Sacramenti materia et forma in communi; 2° materiam et formam singulorum Ordinum.

ARTICULUS I.

SACRAMENTI MATERIA ET FORMA IN COMMUNI.

377. — Tres sunt in scholis sententiæ: 1ª quidem probabilior, cui adhæremus, materiam in solâ manuum impositione, formam vero in oratione collocat; 2ª, quæ non satis probabilis videtur, materiam in solâ instrumentorum traditione, formam in verbis eam porrectionem comitantibus constituit; 3ª probabilis materiam et formam in utraque simul reponit. (*Exam. Ordin. n.* 28.) Primæ sententiæ argumenta mox exponemus; secundæ sententiæ fundamentum est Decretum Eugenii IV ad Armenos; tertia sententia utriusque argumentis utitur. Sint itaque:

378. — **Propositiones.** I. Materia proxima Sacramenti Ordinis est sola manuum impositio. Probatur 1° ex S. Scripturâ, quæ per manuum impositionem, eamque solam, Ordinem ab Apostolis collatum fuisse diserte testatur, nempe in Act. VI. 6.; XIII. 3.; I Tim. IV. 14.; V. 22.; II Tim. I. 6. — 2° Ex Conciliis, quæ hanc solam materiam assignant, puta Nicaen. I. *can.* 9., Antioch. I. *can.* 10. *et* 17. Carthag. IV. *can.* 2. 3. *et* 4., Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. *de Extr. Unct.* — 3° Ex SS. Patribus, qui idem testantur, e. g. S. Hieron. *in Isaiam. cap.* 58.; S. Leo *Epist.* 1. *alias* 87.; S. Epiphan. *Hæres.* 75.; S. Ambros. *De dignit. sacerd. cap.* 5.; S. August. *Serm. de gestis cum Emerito.* item *De Trinit. lib.* 15. *cap.* 26.; S. Dion. Areop. *De eccles. hier. cap.* 5. — 4° Ex perpetuâ praxi totius Ecclesiæ; manuum enim impositionem omnibus sæculis adhibuit Ecclesia tam Latina quam Græca; eam solam exhibent omnes antiqui libri rituales; traditio vero instrumentorum circa sæculum VIII aut IX introducta est in solâ Ecclesiâ Latinâ. — 5° Nostram sententiam tenent non pauci Theologi: S. Bonav. Scotus, Cajet. Juenin. Nat. Alex. Morinus, Concin. Petrocor. Contens. Becan. Durand. Tournel. Witasse, Menard. Martene, etc. [1] (*n.* 748. 749.)

[1] Cfr. Martene. *De antiq. rit. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 9. *et* 11. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 8. *cap.* 10. Patrolog. *edit. Migne. tom.* 78. *col.* 492.

II. Forma hujus Sacramenti est oratio. Hanc enim solam memorant omnia documenta supra allegata. (*Exam. Ordin. n.* 28. H. A. *n.* 16. *In Trident. sess.* 23. *n.* 17. *et* 18.)

Non obstat huic sententiæ Trid. *sess.* 23. *can.* 4.; quia Concilium tantum definit contra hæreticos, in S. Ordinatione dari Spiritum Sanctum, et *propterea* non frustra Episcopos dicere: »Accipe Spiritum Sanctum;" minime vero definit Eum *hisce verbis* dari; canon insuper in hoc ultimo sensu acceptus nimis probaret, de fide namque foret tertiam impositionem manuum in Presbyteratu essentialem esse.

379.—*Notanda.* 1° Expositæ doctrinæ non obstat Decretum Eugenii IV, quod solam traditionem instrumentorum ut materiam, et verba comitantia ut formam assignat; quia in doctrina Sacramentorum promiscue exponit necessaria ad valorem et necessaria ex præcepto, et partes non essentiales Sacramentorum; unde dicimus Eugenium non intendisse tradere materiam et formam essentialem Sacramenti Ordinis. Hoc assertum probatur, quia a) in Concilio Florentino ad communionem admisit Episcopos, Sacerdotes et Diaconos Græcos, solâ manuum impositione ordinatos. b) Neutiquam probatur Christum non determinasse in specie infimâ materiam et formam quorumdam Sacramentorum, sed Ecclesiæ permisisse eas determinare; imo oppositum videtur evinci ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 2., ubi declarat a Christo relictam esse Ecclesiæ potestatem mutandi, quæ Sacramentorum dispensationem respiciunt, *salvâ illorum substantiâ;* mutatio vero materiæ et formæ, non ad dispensationem, sed ad substantiam pertinet. c) Datâ etiam hâc Ecclesiæ potestate, gratis omnino fingitur Ecclesiam eâ usam fuisse; contra, prorsus incredibile est, Ecclesiam, quæ tam religiose veneratur Apostolicas traditiones, easdem quoad materiam et formam Ordinationis voluisse mutare, novasque antiquis subrogare. d) In Decreto Eugenii nulla fit mentio tertiæ impositionis manuum, quam nihilominus ad Ordinationis Presbyteri essentiam pertinere tertiæ sententiæ patroni affirmant; atque idcirco fateri coguntur non fuisse mentem Pontificis definire, quæ Ordinationis substantiam perficiunt. Inde concludendum, Eugenium tradidisse materiam et formam accidentalem Ecclesiæ Latinæ, quam optavit ab Armenis superaddi manuum impositioni, jamdiu ab illis adhibitæ, ut Ecclesiæ Latinæ moribus se prorsus accomodarent, ac rituum uniformitate firmius eidem adhærerent. (*n.* 12. *et* 749. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 8. *et* 10.)

2° Quum, præmissis non obstantibus, probabilis dicenda sit opinio, quæ tam porrectionem instrumentorum, quam manuum impositionem, esse Sacramenti adæquatam materiam docet, formam vero verba utrique actioni respondentia, ea opinio in praxi omnino sequenda est, tanto magis quod agatur de Sacramento, cujus valor summi momenti est.

380. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quænam impositio manuum essentialis æstimari debeat?*

Præmittendum. In Diaconatu primò fit manûs impositio super caput singulorum ordinandorum, cui dein subsequitur manûs extensio versus omnes ordinandos. In Presbyteratu triplex distingui potest manuum impositio: prima, quæ fit ponendo manus super caput singulorum ordinandorum; secunda, cum dein manus extenduntur versus omnes ordinandos; tertia, in fine Missæ, in quâ dicitur: »Accipe Spiritum Sanctum" etc. In Episcopatu una tantum fit manuum impositio; de quâ proinde nulla est quæstio.

Hisce præmissis,

Resp. Nostræ sententiæ patroni assignant primam impositionem pro Diaconatu, secundam pro Presbyteratu; quia forma eam comitatur. Presbyteratûs materia essentialis non est prima manuum impositio, quia cum formâ non conjungitur; neque tertia, quia ante sæculum VIII non erat in usu, sed postea introducta est in solâ Ecclesiâ Latinâ. (*n.* 748. 749. Martene. *De antiq. rit. tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *art.* 9. *n.* 11. 12.) — Martene, Witasse, Patuzzi, et Bened. XIV [1] advertunt primam et secundam manuum impositionem non esse duas vere distinctas impositiones,

[1] Martene. *loc. cit.* Witasse. *de Ord. part.* 2. *qu.* 2. *art.* 2. Patuzzi. *de Ord. diss.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 4.

sed eamdem moraliter continuatam, idque manifestum esse affirmat Bened. XIV. Nihilominus, cum secunda impositio melius uniat materiam cum formâ, præsertim in ordinandorum multitudine, hanc potius essentialem esse tradunt DD.

In praxi nihilominus, cum res controversa sit, pars tutior sequenda est, et ideo omnes manuum impositiones omnino servandæ sunt.

QUÆR. 2° *Quænam oratio censenda sit forma essentialis?*

Resp. Nostræ sententiæ patroni plures, idque S. Alph. probabilius habet, pro Diaconatu et Episcopatu assignant verba: »Accipe Spiritum Sanctum"; pro Presbyteratu orationem: »Oremus, »fratres charissimi," etc.; quia manuum impositionem comitantur. Ita Morinus, Tournely. *De Ord. qu.* 6. *art.* 2. Contenson. *lib.* 11. *part.* 4. *diss.* 3. *cap.* 1. *spec.* 2. et moderni plerique. (*n.* 748. 749. 738.)

Alii generaliter statuunt, formam præcipue esse prolixam illam orationem, quæ ad modum præfationis cantatur; tum quia in antiquis libris ritualibus, e. g. in Sacramentario S. Gregorii Magni, in Ordine Romano VIII et IX [1], *Consecratio* vocatur; tum quia verba: »Accipe Spiritum Sanctum" in antiquis Pontificalibus non comparent, neque oratio sunt. Ita Martene, *loc. cit. n.* 2. 3. 18. *art.* 10. *n.* 14.; Witasse. *De Ord. part.* 2. *qu.* 2. *art.* 2. Collet. *de Ord. part.* 1. *cap.* 5. *concl.* 2. Juenin. *diss.* 9. *qu.* 3. *cap.* 2. Natal. Alex. *lib.* 2. *de Sacr. Ord. cap.* 1. *art.* 7. § 2. Scholliner. *de Ord. cap.* 3. § 3. Bouvier. *de Ord. cap.* 3. *art.* 5. § 1. De Augustinis. *de Ord. art.* 7. Lehmkuhl. *tom.* 2. *n.* 590.

QUÆR. 3° *An, attentâ probabili sententiâ eorum, qui ad valorem Ordinationis requirunt instrumentorum porrectionem, requiratur horum contactus physicus ex parte suscipientis?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia negat; quia ad potestates et dominia rerum concedenda, sufficit quod minister aut dominus ea tradat, et alter præsens signo externo acceptet sine rei traditæ contactu. Ita Laym. Navar. Cajet. Dian. Albert. M. Vasq. etc.

[1] Patrolog. *edit. Migne. tom.* 78. *pag.* 999.

2ª Sententia communior affirmat; quia in Pontificali Rom. præscribitur, et est praxis Ecclesiæ. Ita S. Thom. Sanch. Bonac. Castrop. Valent. Salmant. Viva, Elbel, etc.

In praxi pars tutior omnino sequenda est. Sufficit porro materiam una manu vel manu velatâ tangere. (*n.* 742. 743.)

Præfatam controversiam minime diremit Declar. S. R. C. 3 Dec. 1661; quia non resolvit dubium *juris*, controversiam nempe de necessitate contactûs, sed dubium *facti*, et quidem *negativum* tantum, »*scrupulum* nimirum fratris »Ephrem se non tetigisse tactu physico »calicem in suâ Ordinatione ad Presby»teratum"; quo in casu DD. idem tradunt. (*n.* 757. Salmant. *tr.* 8. *cap.* 2. *n.* 29.) Constat præterea ex Declar. S. C. C. 28 Maji 1796. [1], quâ iteranda jubetur Ordinatio ob defectum tactûs calicis.

ARTICULUS II.

MATERIA ET FORMA SINGULORUM ORDINUM.

381. — Minorum Ordinum ac Subdiaconatûs materia remota sunt instrumenta cuique propria; materia proxima est horum traditio; forma sunt verba adjuncta Episcopi. Hinc

Ostiariatûs materia est traditio clavium ecclesiæ. Quamvis una clavis esse possit materia sufficiens, servanda tamen est Rubrica, quæ præcipit claves esse tradendas. Sufficit quoque quod ordinandi duo vel quatuor simul tangant claves, dummodo manu dextrâ tangant claves dum Episcopus profert formam. Ita S. R. C. 11 Mart. 1820. dub. 7.

Lectoratûs materia est traditio libri Lectionum.

Exorcistatûs materia est traditio libri Exorcismorum. Nomine hujus libri venit Rituale, in quo exorcismi reperiuntur, vel ejus loco Pontificale seu Missale.

Acolythatûs materia duplex est, nempe primo traditio candelabri cum cereo exstincto, deinde urceoli vacui. DD. communius et verius utramque essentialem censent, cum perpetuo fuerit in usu.

Subdiaconatûs materia est traditio calicis vacui cum patenâ vacuâ superpositâ, et, secundum aliquos, etiam tra-

[1] Zamboni. *v. Sacram. Ordin.* § 5. *n.* 3.

ditio libri Epistolarum. — De hac posteriori itaque quæritur utrum essentialis sit? Alii affirmant; tum quia et traditio libri Evangeliorum est essentialis Diaconatui, ergo a pari traditio libri Epistolarum essentialis est Subdiaconatui; tum quia etiam speciale munus est Subdiaconi solemniter Epistolas cantare. — Communius vero et probabilius negant alii cum S. Thomâ; quia per decem sæcula incognitus erat ille ritus, cujus nullam mentionem faciunt, non solum antiqui libri Pontificales, sed neque Decretum Eugenii IV. Nihilominus prima sententia, utpote non improbabilis, in praxi sequenda est. (*n.* 745. 746. Martene. *loc. cit. art.* 8. *n.* 15.)

In Ordinatione Subdiaconorum possunt duo vel tres simul tangere manu dextrâ calicem cum patenâ, et super illos potest Episcopus proferre formam in plurali. Ita S. R. C. 11 Mart. 1820. dub. 7.

382. — De *Diaconatûs* materiâ triplex datur sententia: 1ª docet solam manûs impositionem esse de essentia; 2ª solam traditionem libri Evangeliorum; 3ª utramque conjungit.

De *Presbyteratûs* materiâ etiam triplex est sententia: 1ª docet solam secundam manuum impositionem essentialem esse; 2ª solam traditionem calicis cum vino, et patenæ cum hostia; 3ª tum traditionem horum instrumentorum, tum tertiam manuum impositionem in fine Missæ: instrumentorum porrectione confertur potestas consecrandi, manuum impositione potestas remittendi peccata.

In Ordinatione Presbyterorum cuilibet tradendus est calix cum vino et aquâ, et patena cum hostiâ, et cuilibet forma repetenda est in singulari: »Accipe po»testatem" etc. Ita S. R. C. 11 Mart. 1820. dub. 7.

De *Episcopatûs* materiâ duplex est sententia: 1ª solam manuum impositionem essentialem esse contendit; 2ª tum manuum impositionem, tum impositionem libri Evangeliorum super cervicem et scapulas Episcopi consecrandi.

Forma trium horum Ordinum sunt verba cuilibet materiæ correspondentia.

383. — **Quæstiones.** QUÆR. 1º *An calix et patena, quæ traduntur in Ordinatione Subdiaconi et Presbyteri, debeant esse consecrata, ad valorem Ordinationis?*

Resp. Nonnulli negant. Sed affirmandum est, saltem pro Subdiaconatu; quia calix et patena non consecrata non sunt vasa ad Sacrificium Missæ deputata, ergo nec eorum traditio ad Sacrificium referri potest. (*n.* 747.)

QUÆR. 2º *An, juxta sententiam exigentem traditionem instrumentorum ut essentialem in Ordinatione Presbyteri, ad valorem requiratur ut una cum calice et patenâ tradatur* UTRAQUE *species panis et vini?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia negat; quia potestas ad utramque speciem consecrandam est indivisibilis; unde, qui potest unam consecrare, potest et alteram. Ita Bonac. Sanch. Filliuc. Dicast. Henriq. etc.

2ª Sententia probabilior affirmat; ob eamdem rationem, quia potestas sacrificandi est indivisibilis; ideo non potest tradi nisi ad integrum Sacrificium offerendum; quapropter, si potestas ad utramque speciem consecrandam non detur, ad nullam datur. Ita Villalob. Ledesm. Avers. Holzm. Spor. Salmant. etc. (*n.* 750.)

QUÆR. 3º *An sufficiat tangere hostiam, quin tangatur patena?*

Resp. Communiter et probabilissime affirmatur; quia pane et vino, cum sint materia Sacrificii, principaliter significatur potestas sacrificandi. In praxi tamen, cum Pontificale patenæ tactum requirat, pars tutior servanda est. (*n.* 751.)

QUÆR. 4º *An sufficiat calicis et patenæ contactus, sine hostiæ contactu?*

Resp. Nonnulli negant. Sed communis et moraliter certa sententia affirmat; 1º quia Pontificale Rom. tantum jubet cuppam calicis et patenam simul tangere; unde, si necessarius quoque esset tactus hostiæ, non omnia necessaria exprimeret, quod credibile non est; 2º quia non opus est tangere vinum in calice contentum, ergo neque hostiam patenæ impositam. Consultum tamen est ut ordinandus tam calicem quam patenam et hostiam quo melius contingat; hoc pacto ab omni scrupulo se eximet. (*n.* 752.)

QUÆR. 5º *An sufficiat solum calicem tangere, absque patenæ contactu?*

Resp. Adest duplex probabilis sententia. 1ª Sententia negat; quia in Pontificali utriusque contactus præscribitur. Ita Roncag. Croix, Dicast. Mazzot.

2ª Sententia probabilior affirmat; quia calix et patena superposita moraliter faciunt unum. Ita Palaus, Escob. Dian. Tamb. Coninc. Vasq. Valent. etc.

In praxi prima sententia tenenda est. (*n.* 753.)

QUÆR. 6º *Quomodo supplendi sint defectus commissi in Ordinatione?*

Resp. Dist. 1º Si defectus sit circa *essentialia*, vel sit dubium an sit de substantiâ, tota Ordinatio iteranda est. Ita S. C. C. apud Bened. XIV. *De Syn. lib.* 8. *cap.* 10. *n.* 1. *et* 13. Excipe tamen, si in Ordinatione Presbyteri omissa fuerit tertia manuum impositio; hæc nempe sola supplenda est ab Episcopo induto de more, ut in Ordinatione, et Sacrum faciente in suo privato Oratorio, adstante Presbytero sacerdotalibus vestimentis pariter induto. Ita S. R. C. 22 Maji 1841. Ratio hujus exceptionis est, quia tunc certa est Ordinatio quantum ad potestatem sacrificandi; dubia vero remanet sola potestas absolvendi peccata; haec ergo sola supplenda est. Juxta sententiam enim, quæ tertiam impositionem ut essentialem habet, potestas absolvendi diversa est a potestate consecrandi, licet illa in hâc fundetur; ac diverso tempore conferri potest, quemadmodum Christus ipse has potestates seorsim et diverso tempore contulit; potestatem enim consecrandi contulit in ultimâ cœnâ, potestatem autem remittendi peccata post resurrectionem.

Præfata doctrina sequenda est, non modo in Ordinatione Diaconatûs, Presbyteratûs et Episcopatûs, ut patet ex *Cap.* 3. *de Sacram. non iterand.*, et Declar. S. R. C. 16 Jun. 1837; verum etiam in inferioribus Ordinibus, ut liquet ex Declar. S. C. C. 11 Jan. 1710.; 10 Jan. 1711. [1]

2º Si defectus sit circa *accidentalia*, in re tamen gravi, v. g. si defuerit unctio manuum in Ordinatione Presbyteri, quamprimum suppleri debet, et quidem, si fieri potest, ab eodem Episcopo. Hæc suppletio sub gravi obligat, ita ut ordinatus, si eam negligeret, aut ante eam in Ordine suscepto ministraret, peccaret graviter. Defectus in re levi supplendus non est.

Notandum superest, quod si defectus occultus fuerit, occulte supplendus sit, ad vitandum scandalum et turbationem aliorum. (*n.* 758.)

QUÆR. 7º *Quonam tempore defectus supplendi sint?*

Resp. Dist. Si defectus valorem Sacramenti respiciat, supplendus est tempore a jure statuto, ut constat ex cit. *Cap.* 3. Si vero accidentalis sit, quovis die suppleri potest.

2º Si ob solum dubium Ordinatio sub conditione iteretur, id quovis die et a quovis Episcopo fieri potest; et hoc in casu poterunt eodem die simul conferri Ordines tam Majores quam Minores, adhibitis solis cæremoniis probabiliter necessariis ad valorem. (*n.* 759.)

[1] Zamboni. *v. Sacram. Ord.* § *V.*

CAPUT III.

MINISTER ORDINUM.

Expendemus 1º quis sit minister capax; 2º quænam ex parte ejus requirantur ad licitam Ordinationem.

ARTICULUS I.

MINISTER CAPAX ORDINATIONIS.

384. — **Principia.** I. Minister hujus Sacramenti est Episcopus consecratus. Constat ex Decreto Eugenii IV, ex Trid. *sess.* 23. *can.* 7., et constanti Ecclesiæ traditione. (*n.* 761.)

II. Extraordinarius Minister Tonsuræ et quatuor Minorum Ordinum, ex commissione S. Pontificis, esse potest simplex Sacerdos. Constat ex antiquâ Ecclesiæ praxi. (*n.* 762.)

Prædictam commissionem habent Abbates respectu Regularium subditorum suorum, et Cardinales Presbyteri in ecclesiis sui Tituli. De Abbatibus constat ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *ref.*; de Cardinalibus tradunt DD. (*n.* 763.)

385. — **Quæstiones.** QUÆR. 1º *An possit S. Pontifex dare simplici Sacerdoti facultatem conferendi Ordines Sacros?*

Resp. Dist. 1º De Presbyteratu convenit inter DD. eum non posse.

2º De Subdiaconatu et Diaconatu est controversia. Alii de utroque affirmant, alii negant; alii tandem cum S. Thomâ probabilius distinguunt; affirmant nempe

de Subdiaconatu, negant de Diaconatu; ratio nostra est, quia prior non est Sacramentum, posterior est Sacramentum. (*n.* 762.)

QUÆR. 2° *An ad valorem Consecrationis Episcopi necessarii sint tres Episcopi?*

Resp. Dist. 1° Ex commissione Pontificis, in casu necessitatis valide fieri potest ab uno Episcopo. Constat ex praxi Apostolorum et SS. Pontificum.

2° Absque commissione Pontificis, controvertitur. *Prima sententia* non improbabilis affirmat; quia Damasus Papa ita scripsit in Epist. 4. contra Chorepisc. Ita Bellarm. Vasq. Coninc. Palaus, Tournel. etc.

Secunda sententia probabilior negat; tum quia Can. 1. Apostolorum Consecrationem validam supponit; tum quia in Pontificali Rom. unus tantum Episcoporum dicitur Consecrator, et hic solus, juxta nostram sententiam, formam pronuntiat. Accedit factum historicum: primus Episcopus Jansenianus in Hollandià ab uno Episcopo sacrilege consecratus fuit, et ille alios schismaticos Episcopos ordinavit; porro omnes et singulas Jansenianorum Episcoporum Consecrationes SS. Pontifices sacrilegas quidem, at nunquam invalidas declararunt.

In praxi pars tutior sequenda est. (*n.* 755.)

ARTICULUS II.

REQUISITA AD LICITAM ORDINATIONEM.

386. — Ut Episcopus licite conferre valeat Ordines, plura requiruntur, nimirum 1° ipse sit Episcopus proprius, 2° præmittat scrutinium seu examen, 3° Ordines gradatim conferat, 4° observet interstitia, 5° item tempora statuta, 6° ordinet in debito loco.[1] Deinde Episcopus neminem licite ordinare potest, qui requisitas qualitates non habeat, quas in subsequenti Capite exponemus. Singula recensita paucis explanabimus.

[1] Requisita 1°, 3° et 4° etiam ab ordinandis servanda sunt, ita ut graviter illicitum sit Ordines suscipere ab alieno Episcopo, vel non servatis interstitiis (sine legitimâ facultate), vel per saltum ordinari.

§ I. *Episcopus proprius.*

387. — Sit Episcopus *proprius* Ordinandi, vel saltem a proprio hujus Episcopo licentiam habeat. Potest autem aliquis Episcopus proprius esse quadruplici titulo, nempe 1° ratione *originis*, estque ille, e cujus diœcesi aliquis oriundus est, i. e. non fortuito quidem natus, sed in qua pater ejus domicilium habet. 2° Ratione *domicilii*, in cujus diœcesi ordinandus domicilium fixit. 3° Ratione *beneficii*, in qua Clericus beneficium jam possidet, de se sufficiens ad congruam sustentationem, sine supplemento patrimonii. 4° Ratione *familiaritatis*, si quem trium annorum spatio secum habuerit familiarem et suis sumptibus aluerit; ut tamen familiarem suum ordinare possit, debet statim, saltem intra mensem, Beneficium conferre Ordinato. (*n.* 769—774. 780.)

Proprius ordinandorum Regularium Episcopus est, in cujus diœcesi est domus religiosa, ubi tunc habitant. Quod si Episcopus diœcesanus abfuerit, aut Ordinationes proximo legitimo tempore non sit habiturus, vel etiam si Sedes vacet, Prælatis Regularibus fas est subditos ad quemcumque Episcopum mittere. (*n.* 768.)

Notanda remanent: 1° Si proprius Episcopus ex justâ causâ Ordinationem non habeat, subditos suos jam probatos et examinatos ad alium Episcopum ordinandos dimittere potest, datis litteris, quæ *dimissoriæ* dicuntur; hæ litteræ continere debent tum delegationem conferendi Ordines, tum testimonium de legitimis natalibus, ætate, moribus, aliisque dotibus, necnon de examine super doctrina. (*n.* 787.)[1]

2° Prælati Regulares, scil. Generales aut Provinciales, debent semper subditis suis dimissorias dare, non solum ad alienum Episcopum, sed ad proprium quoque. Si ad alienum, iisdem inseri debet authenticum testimonium Vicarii vel Secretarii Episcopi proprii, de causâ, ob quam hic non ordinat. (*n.* 768. 788. *Not.* 8.) Præfato testimonio non indigent ii Regulares, qui privilegium habent Ordines a quocumque Episcopo suscipiendi.

[1] Litteræ, quæ licentiam ordinandi non continent, sed solum testimonium de requisitis qualitatibus Ordinandi, *testimoniales* vocantur.

3° Qui non ab Episcopo originis, sed ab alio ordinandus est, debet semper illius litteras testimoniales habere, saltem ad testificandum de natalibus ac ætate. (*n.* 789. *in fine.*) Pariter, si proprius subditus alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus ordinari nequit. Ita ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* de suspens.

4° Probabiliter potest Episcopus alienus Sacramentum Confirmationis ministrare ei, qui affert dimissorias sui proprii Episcopi pro Tonsurâ recipiendâ. (*n.* 788. *Not.* 10.)

5° Ex communi et probabiliori sententiâ, non potest Episcopus, ad quem dimissoriæ diriguntur, dispensare cum ordinando alieno super irregularitate aliove impedimento canonico, in quo proprius Episcopus dispensare valet; quia hæc facultas cum facultate ordinandi non est connexa. (*n.* 789.)

388. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quinam possint litteras dimissorias dare?*

Resp. 1° S. Pontifex omnibus fidelibus in toto orbe, ut patet.

2° Episcopi suis subditis, quos ordinare possent, juxta Regulam juris 68. in 6: »Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum."

3° Prælati Regulares exempti Religiosis professis sibi subditis; quia sunt Ordinarii eorum. Attamen nonnisi ad Episcopum diœcesanum eas dare possunt, duobus casibus exceptis, prout supra expositum est. (*n.* 787. *Not.* 1—4. *n.* 788. *Not.* 8.)

QUÆR. 2° *An Vicarius Capitularis, Sede vacante, dimissorias dare possit?*

Resp. Dist. 1° Post annum vacationis potest eas dare subditis diœcesanis omnibus.

2° Intra annum eas concedere prohibetur, sub pœna interdicti, nisi arctatis Beneficio recepto vel recipiendo, quod Ordinem intra annum suscipiendum exigit. Ita Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. *ref.*

Notandum porro, Vicarium non prohiberi litteras *testimoniales* concedere. (*n.* 788. *Not.* 6.)

QUÆR. 3° *An Vicarius Generalis dimissorias concedere possit?*

Resp. Negat., nisi ex speciali facultate Episcopi, vel nisi Episcopus in remotis agat, i. e. saltem diem itineris a propria diœcesi distet. (*n.* 787. *Not.* 5.)

§ II. *Scrutinium.*

389. — Scrutinium præmittat. Hoc nomine intelligitur examen et inquisitio de Ordinandorum qualitatibus, ne ad Ordines promoveatur indignus aut impedimento canonico laborans. In jure triplex occurrit: 1um faciendum est intra mensem ante Ordinationem, a Parocho, vel alio ab Episcopo constituto; iste inquirat, nominibus et desiderio eorum, qui promoveri volunt, publice in ecclesiâ propositis; 2um instituendum est paucis diebus ante Ordinationem, ab ipso Episcopo ejusve Vicario Generali, adscitis aliis peritis Sacerdotibus; 3um fit in ipso Ordinationis actu, ut habetur in Pontificali Rom., circa eos, qui Diaconi et Presbyteri ordinantur. Ita Trid. *sess.* 23. *cap.* 5. *et* 7. *ref.*

390. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quinam teneantur subire examen?*

Resp. Disp. 1° Primum subire debent Clerici sæculares, qui ad singulos Majores Ordines aspirant. Ad Minores Ordines promovendis sufficit bonum testimonium a Parocho et a magistro scholæ, in quâ educantur. Ita ex Trid. *loc. cit. cap.* 5.

2° Secundum subire debent omnes ordinandi, saltem qui Majoribus initiari volunt, etiam Religiosi. Ita ex Trid. *loc. cit. cap.* 7. *et* 12. Excipiuntur tamen Clerici Societatis Jesu, qui speciali et incommunicabili privilegio exempti sunt. (Schmalzgr. et Pichler. *lib.* 1. *tit.* 12.)

QUÆR. 2° *Quomodo requisita in ordinandis probari debeant?*

Resp. Dist. 1° Natales et ætas per testimonium Parochi ex libro parochiali.

2° Immunitas a censurâ, irregularitate etc., testimonio ipsius ordinandi; quia in dubio defectus et delictum non præsumuntur.

3° Titulus per legitimum instrumentum, per testimonium Prælati Regularis, per notorietatem facti.

4° Mores testimonio Superioris aut Professoris ordinandi.

5° Doctrina denique actuali examine. (Schmalzgr. *loc. cit.*)

De hoc gravis momenti negotio legantur etiam S. Alph. n. 802—804., et dicta lib. V. n. 94.

§ III. *Gradatio.*

391. — Ordines *gradatim* conferendi sunt, non per saltum, i. e. nemo, prætermisso Ordine inferiore, ad superiorem promoveatur. Ita Trid. *cap.* 11. (*n.* 793.)

§ IV. *Interstitia.*

392. — Inter diversos Ordines eisdem personis conferendos servanda sunt statuta temporum *interstitia.* Ratio hujus disciplinæ est, tum ut Clerici in unoquoque Ordine sese exerceant, et paulatim virtutem acquirant Sacerdotio consentaneam; tum etiam ut in Ordine suscepto diutius immorantes probari possint, num digni sint qui ad superiorem Ordinem promoveantur. Porro interstitia inter Minores Ordines prudenti arbitrio Episcopi relicta sunt; unde sufficit aliquod intervallum, et ex quâcumque rationabili causâ in eo dispensare potest; præterea, ubi consuetudo obtinuit, Tonsuram et Minores Ordines unâ eâdemque die conferre potest. Inter Acolythatum et Subdiaconatum intercedere debet spatium unius anni, idemque in singulis Majoribus Ordinibus servandum est. Ita Trid. *cap.* 11. 13. *et* 14. et S. C. C. 31 Maji 1597.

Episcopus potest cum suis subditis in Majorum Ordinum interstitiis dispensare, ita tamen ut pro dispensatione interstitii inter Minores Ordines et Subdiaconatum, necnon inter Diaconatum et Presbyteratum, necessitas aut utilitas Ecclesiæ requiratur; inter Subdiaconatum et Diaconatum quævis rationabilis causa sufficiat. Ita Trid. *loc. cit.* et S. C. C. 3 Maji 1620. (*n.* 795. Giraldi. *Expos. jur. Pont. part.* 2. *sect.* 101.)

393. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quomodo computandus sit annus interstitiorum?*

Resp. Sufficit annus ecclesiasticus, e. g. ab unâ Quadragesimâ ad aliam, a Pentecoste ad Pentecosten, licet Pascha citius adveniat. (Zamboni. *v. Sacram. Ord.* § 9. *not.* 83.)

Quær. 2° *An plures Ordines eidem eâdem die conferri possint?*

Resp. Dist. 1° De Minoribus Ordinibus supra ediximus.

2° Non possunt absque gravi peccato ita conferri duo Majores Ordines, ut constat ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 13. *ref.*, neque, jure communi spectato, Subdiaconatus una cum Minoribus Ordinibus. Constat ex jure can. (*n.* 796. 797.)

Quær. 3° *An consuetudine introduci possit, ut Subdiaconatus eidem eâdem die conferatur una cum Minoribus Ordinibus?*

Resp. Communiter affirmant DD., quos sequitur S. Alph.; alii vero negant. (*n.* 797.) Sententiam negantem secuta est S. C. C. 21 Febr. 1728. (Lucidi. *De Visit. SS. Lim.* § *II. n.* 119. Bened. XIV. *Instit.* 106. *n.* 9—13. — *Quæst. can.* 592.)

§ V. *Statuta tempora.*

394. — Servanda sunt statuta Ordinationum *tempora.* 1° Prima Tonsura quolibet anni tempore, quâvis die et horâ conferri potest. 2° Ordines Minores conferri possunt tum temporibus generalium Ordinationum pro omnibus; tum quovis die Dominico aut Festo de præcepto, etiam abrogato, sed pro paucis tantum, ita ut non videatur generalis Ordinatio. Præterea ex consuetudine, generaliter conferri possunt etiam ferià IV aut VI ante Sabbata generalis Ordinationis. Necesse non est, sed congruit, ut intra Missam conferantur; item, ut Ordinans sit jejunus; debent tamen conferri mane. 3° Ordines Majores non licet conferre, nisi in Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis, et Sabbato Sancto. 4° Episcopi Consecratio fieri potest quovis die Dominico et in Natalitiis Apostolorum. (*n.* 794.)

395. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Regulares habeant privilegium Ordines recipiendi extra tempora, et non servatis interstitiis?*

Resp. Nonnulli negant; quia Gregorius XIII, qui Societati Jesu privilegium concessit recipiendi Sacros Ordines singulis Dominicis, et tribus diebus festivis etiam continuis, statuit hoc privilegium incommunicabile esse. Sed verius et communius affirmatur; quia alii Pontifices simile privilegium aliis Ordinibus concesserunt absque ejusmodi exclusione. (*n.* 797. *dub.* 3. Reiffenst. *lib.* 1. *Decret. tit.* 11. *n.* 40—51. *et* 157. Ferraris. *v. Ordo. art.* 2. *n.* 13. Lucidi. *De Visit. SS. Lim.* § *II. n.* 112.)

Quær. 2° *Quales dies veniant nomine diei festi in prædicto privilegio?*

Resp. Plures censent sufficere quodlibet festum duplex; quia etiam isti dies *festi* in Liturgiâ nuncupantur, et privilegia Regularium large interpretanda sunt. Sed probabilius intelligendi sunt dies festi de præcepto, etiam abrogati; quia hi soli in jure canonico dies *festi* dicuntur; de qua re constat tum ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.*, tum ex pluribus Declarationibus S. C. C. et S. R. C.[1] (*n.* 797. *dub.* 4. Reiffenst. *loc. cit. n.* 52—55. Lucidi. *loc. cit. n.* 124. 125. Soglia. *Jus eccles. vol.* 2. § 52.)

§ VI. *Debitus locus.*

396. — Ordines conferri debent in debito *loco.* 1° Tonsura et Minores Ordines conferri possunt in quovis loco honesto, ut colligitur ex *Can.* 6. *dist.* 75. 2° Ordines Sacri conferri debent publice in Cathedrali Ecclesiâ, præsentibus Ecclesiæ Canonicis. Sin autem in alio Diœcesis loco, præsente Clero loci, dignior, quantum fieri poterit, Ecclesia semper adeatur. Ita Trid. *cap.* 8. Ordinationem tamen paucorum potest Episcopus habere etiam in privato suo sacello, ut declaravit S. C. C. 20 Nov. 1592. apud Lucidi. *loc. cit. n.* 127.

Præterea, non licet Episcopo in aliena Diœcesi Ordines conferre, etiam propriis subditis, sine expressâ licentiâ Ordinarii loci. Ita Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *ref.* Controversia est de primâ Tonsurâ, num sub hâc prohibitione comprehendatur; alii, quibus adhæret S. Alph., negant, quia Tonsura sine Pontificalibus conferri potest: alii vero affirmant, quia, etiamsi sine *insignibus* Pontificalibus fiat, non ideo desinit esse *actus* Pontificalis; Concilium autem prohibet Pontificalia *exercere.* (*n.* 798. Schmalzgr. *lib.* 1. *tit.* 11. *n.* 18.)

CAPUT IV.

SUBJECTUM ORDINUM.

Agemus 1° de qualitatibus Ordinandorum; 2° de servandis in Missâ Ordinationis; 3° de officiis et obligationibus Ordinatorum.

[1] Revue théol. 1883. *pag.* 487. *et* 495.

ARTICULUS I.

QUALITATES ORDINANDORUM.

397. — Ut quis *valide* ordinetur, nihil aliud requiritur, nisi ut sit mas et baptizatus; ut patet ex perpetuâ praxi et traditione Ecclesiæ. (*n.* 781. 782.)

Ut autem *licite* ordinetur, plures in ordinando qualitates postulantur, videlicet ut 1° sit vocatus a Deo, 2° immunis a censura et irregularitate, 3° legitimam ætatem adeptus, 4° debitâ scientiâ instructus, 5° titulo sustentationis provisus, 6° confirmatus. Singulas breviter explicabimus.

§ I. *Vocatio divina.*

398. — Divinam vocationem requiri, patet cumprimis ex Apostolo ad Hebr. V. 4: »Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam »Aaron." Præcipua autem vocationis signa sunt: 1° recta intentio, nimirum vacandi Dei servitio et saluti animarum; 2° probitas vitæ, *positiva* nempe, iis virtutibus subnixa, quæ dignum efficiant altaris ministrum; 3° scientia conveniens, de qua infra agemus. Qui sine vocatione in sacrum ministerium se intrudit, non potest a gravi præsumptione excusari, cum magno periculo se exponat et propriam salutem amittendi et populo scandalum præbendi. (*n.* 802—804.)

§ II. *Immunitas a censura et irregularitate.*

399. — Censuræ et irregularitates constituunt impedimenta canonica, quæ Ordinum susceptionem sub gravi culpa vetant. De iis agemus in libro VII.

§ III. *Ætas legitima.*

400. — 1° Pro prima Tonsurâ et Minoribus Ordinibus nulla in jure assignatur ætas, dummodo initiandus sit septennio major, et debitâ scientiâ polleat. 2° Pro Subdiaconatu exigitur annus 22us; pro Diaconatu 23us; pro Sacerdotio 25us; sufficit quod hi anni incœpti sint; pro Episcopatu statuitur annus 30us, sed completus. (*n.* 799.)

Qui dubitat an ætatem requisitam impleverit, non potest Ordines suscipere;

quia præceptum de non suscipiendis Ordinibus ante ætatem legitimam est in possessione. Dispensare porro in ætate potest solus Papa. (n. 800. *Lib.* 1. *n.* 32.)

§ IV. *Debita scientia.*

401. — 1° Pro primâ Tonsurâ exigitur ut initiandi sciant rudimenta fidei, legere insuper et scribere. Ita Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *ref.* 2° Pro Minoribus Ordinibus, ut insuper saltem latinam linguam intelligant. Trid. *cap.* 11. 3° Pro Subdiaconatu et Diaconatu, ut litteris, et iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructi sint. Trid. *cap.* 13. 4° Pro Sacerdotio, ut idonei sint ad docendum populum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad Sacramenta administranda. Trid. *cap.* 14. 5° Pro Episcopatu, scientia ejusmodi postulatur ut quis muneri sibi injungendo possit satisfacere; ideoque antea in Universitate studiorum Magister sive Doctor aut Licentiatus in sacra Theologia vel Jure Canonico merito sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quodsi Regularis fuerit, a Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat. Trid. *sess.* 22. *cap.* 2. *ref.* (*n.* 790.)

402.—**Quæstiones.** Quær. 1° *Quænam debeant scire promovendi ad Sacerdotium circa Sacramenta ministranda?*

Resp. Debent 1° scire ea, quæ requiruntur ad rite ministranda Sacramenta Baptismi, Extremæ Unctionis, et Eucharistiæ, præsertim ut est Sacrificium. 2° Circa Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur in eis tanta scientia, quanta necessaria est Confessario approbato; debent tamen aliquam scientiam Theologiæ moralis habere, ut idonei sint in necessitate excipere confessiones moribundorum; unde specialiter scire tenentur quomodo se cum hisce gerere debeant. (*n.* 791.)

Quær. 2° *An in Regularibus eadem requiratur scientia, ac in sæcularibus?*

Resp. Dist. 1° In Regularibus ad vitam contemplativam addictis, quales sunt Carthusiani, Trappistæ, et similes, sufficit quod sciant ea, quæ ad divinum Officium et Missæ Sacrificium spectant. *Ita DD. communiter.*

2° In Regularibus, qui vitam mixtam profitentur, eadem scientia requiritur, quâ egent alii Sacerdotes. (*n.* 791.)

Quær. 3° *An possit Episcopus majorem scientiam exigere, quam Tridentinum requirit?*

Resp. A suis subditis, *affirm.;* quia Concilium eam *necessariam* dumtaxat scientiam assignat, sine quâ *nullus* ordinari potest; neutiquam vero prohibet quominus Episcopi, prout expedire censent, majorem requirant. Idque maxime valet, si Ordinandi ad officium Confessarii aut Parochi destinantur. (*n.* 792.)

§ V. *Titulus sustentationis.*

403. — Hoc nomine venit cautio, quâ provisum sit Ordinando de sufficiente eâque perpetuâ sustentatione. Triplex in jure agnoscitur, scil. beneficii ecclesiastici, patrimonii, et paupertatis religiosæ. Primus solus proprie dictus Ordinationis titulus est; reliqui vicem tituli tenent. Ita ex Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *ref.* Singulos breviter perstringemus.

1° Ut titulo *beneficii* ordinari aliquis possit, requiritur ut beneficium sit a) perpetuum seu inamovibile; b) sufficiens ad honestam sustentationem, c) actu obtentum et pacifice possessum. (*n.* 815. 816.)

Porro, hoc titulo *ordinatus* id beneficium resignare non potest, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admitti potest, nisi constiterit quod aliunde vivere commode possit; et aliter facta resignatio nulla est. Ita Trid. *loc. cit.*

2° *Patrimonii* nomine intelliguntur bona propria Clerici, quomodocumque acquisita. Requiritur ut bona illa sint a) sufficientia ad honestam sustentationem, b) certa, c) immobilia, d) libera, i. e. nullo ære alieno, nullâque hypothecâ gravata, e) frugifera, scil. annuum redditum afferentia, f) firma, quæ alienari non possunt.

Ad titulum patrimonii reducitur titulus *pensionis*, qua intelligitur stipendium sustentationis Clerico ordinando assignatum, eique annuatim præstandum, sive ex beneficiis ecclesiasticis, sive ex bonis laicorum, dummodo hæc assignatio perpetua sit, nempe ad vitam ordinati, sufficiens et absoluta. (*n.* 817.)

Sufficientia porro redditum ex prædictis titulis ad honestam sustentationem, taxâ Synodali vel locorum consuetudine præfinienda est.

Denique insufficientia Beneficii patrimonio suppleri potest, et e converso, ut DD. tradunt communiter, et S. C. C. resolvit. (Catalan. *part.* 3. *qu.* 8. *cap.* 8. *n.* 19. Bened. XIV. *Quæst. can.* 46. Zamboni. *Sacr. Ordin.* § 10. *n.* 1.)

3° Titulo *paupertatis* ordinantur soli Regulares solemniter professi. (*n.* 814.) Unde Novitii, et Religiosi qui tantum vota simplicia professi sunt, titulo beneficii, patrimonii aut pensionis ordinari debent; nisi Institutum speciali privilegio Apostolicæ Sedis auctum sit, quo vota simplicia professi ad titulum sive *paupertatis*, ut Jesuitis ac Passionistis concessum est, sive *mensæ communis*, vel similis, ordinari possint; quod quidem privilegium variis Congregationibus concessum est.

Si quis autem Religiosus titulo paupertatis aut mensæ communis ordinatus ab Ordine Regulari vel Congregatione recedat aut dimittatur, de alio legitimo titulo sibi providere tenetur.

404. — Præter titulum *mensæ communis*, S. Sedes aliquando indulget et alios titulos subsidiarios, cum alius legitimus titulus haud suppetit, nimirum 1° titulum *servitii Ecclesiæ*, quando ea lege ordinantur, ut alicui Ecclesiæ sint mancipati, ex cujus servitio et eleemosynis a piis fidelibus elargiendis sustentari possint, et ab eadem Ecclesia nunquam amoveri vel ipsi recedere queant, nisi aliter eis provisum fuerit. 2° Titulum *Missionis*, pro iis, qui ordinari cupiunt, ut apostolicarum Missionum servitio sese devoveant. Ita Instruct. S. C. Prop. Fid. 17 April. 1871. [1]

Denique hodie, deficientibus beneficiis ecclesiasticis propter rapinas bonorum Ecclesiæ peractas a Guberniis civilibus, S. Sedes non raro dispensat in obligatione tituli, ut ordinari possint aliquot Clerici nullum titulum habentes. (De Angelis. *Prælect. jur. can. lib.* 1. *tit.* 11.

405. — **Quæstio.** *An Clericus possit alienare patrimonium absque licentiâ Episcopi, si habeat aliunde sustentationem?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia Trid. *sess.* 21. *cap.* 2. *ref.* ejusmodi alienationem vetat tantum »*donec* beneficium sufficiens sint adepti, vel »aliunde habeant unde vivere possint;" postmodum ergo possunt. Ita Azor, Castropal. Sanch. Viva, Garcias, etc.

2ª Sententia, cui adhæret S. Alph., negat; quia particula »*donec*" significat tum solum *de licentiâ Episcopi* alienari posse, alias Episcopum licentiam alienandi concedere non posse; et ita respondit S. C. C. 4 Febr. 1652. Ita Croix, Barbos. Vasq. Philib. Leand. Salmant. Escob. etc. (*n.* 824.)

§ VI. *Confirmatio.*

406. — Receptioni primæ Tonsuræ et Ordinum Minorum præmitti debuit susceptio Sacramenti Confirmationis, ex præcepto Trid. *sess.* 23. *cap.* 4. *ref.* DD. communiter censent hoc præceptum non sub gravi obligare. (*n.* 786.) Attamen ex Declar. S. C. C. 27 Sept. 1601. colligenda est obligatio gravis; respondit enim, Clericum, qui post Minores Ordines susceptos confirmatus fuit, esse male promotum, minus legitime acquisivisse beneficium, atque egere novâ provisione, neque posse sine prævia Sedis Apostolicæ dispensatione ad Sacros Ordines ascendere. (De Angelis. *loc. cit.*)

407. — **Scholium.** Ad hæc, singulorum Ordinum Majorum susceptioni, præmittenda sunt *spiritualia exercitia.* Hæc porro in Italia præcepta sunt per decem dies, ex edictis Alexandri VII, Innoc. XI et XII. Quoad promovendos ad Minores Ordines, consuetudo fert ut saltem per aliquot dies ea peragant. Pro reliquo orbe S. Sedes vehementer exoptat ut omnes Episcopi hæc sacra exercitia per decem aut octo dies Ordinandis præscribant; cui voto Episcopi ubique morem gesserunt. (Lucidi. *De Visit.* § II. *n.* 429. 430. De Angelis. *loc. cit.*)

408. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An exercitium Ordinis suscepti requiratur, ut quis ad superiorem Ordinem ascendere possit?*

Resp. Quamvis Trid. *sess.* 23. *cap.* 11. 13. *et* 14. *ref.* illud exercitium inculcet, ejus tamen verba proprie dictum præceptum non exprimunt. (*n.* 801.)

Quær. 2° *An peccet, qui suscipit aliquem Ordinem sine animo ascendendi ad superiores?*

Resp. Negat.; quia nullo jure præscri-

[1] Collect. S. Sedis. *n.* 785.

bitur ascensio ad superiores Ordines; nisi quis acceptaret beneficium requirens Sacerdotium vel Ordinem sacrum. (*n.* 785.)

QUÆR. 3° *An peccet Clericus Minoribus initiatus, qui redit ad sæculum et uxorem ducit?*

Resp. Per se loquendo, non peccat; quia Ecclesia id permittit, ut patet ex admonitione Episcopi ad Subdiaconos ordinandos in Pontificali Rom., ubi legitur: »Hactenus liberi estis, licetque »vobis pro arbitrio ad sæcularia vota »transire."

Dixi: *per se loquendo;* quia, si absque justâ causâ, propter animi inconstantiam, ab incœpto statu recedit, a veniali peccato non excusabitur; imo de eo, qui certus de suâ vocatione ad statum ecclesiasticum, ab eo recedit ut sæculo fruatur, metuendum est ne forte exsistat in malo statu. (*n.* 785. *dub.* 2.)

ARTICULUS II.

SERVANDA IN MISSA ORDINATIONIS.

409. — Quædam hoc loco notabimus, quæ in Pontificali Rom. non exprimuntur.

I. **Ab Episcopo.** 1° Missa Ordinationis necessario celebranda est ab Episcopo ordinante, non tamen ad *valorem* Ordinationis. (*n.* 744.)

2° Diebus a jure statutis Missa celebranda est *de feriâ*, cum oratione pro Ordinandis et reliquis suffragiis, sine commemoratione festi occurrentis. Extra tempora Missa de festo occurrente celebranda est. Ita S. R. C. (De Herdt. *Prax. Pontif. tom.* 3. *n.* 360.)

3° In Ordinatione generali Missa solemnis celebranda est. Ita S. R. C. 6 Sept. 1698. (De Herdt. *loc. cit.*)

4° In Missâ post Communionem Episcopus immediate communicat Presbyteros ordinatos; deinde, dicto *Confiteor* a Diaconis et Subdiaconis ordinatis, dicit *Misereatur* et *Indulgentiam*, *Ecce Agnus Dei* et *Domine non sum dignus* more solito. Ita S. R. C. (De Herdt. *loc. cit. sub* 6°.)

410. — II. **A Diaconis et Subdiaconis.** 1° Si Missa non cantetur, Epistolam et Evangelium non cantant, sed clarâ voce *legunt*, dum Episcopus ea legit. Eo casu, Subdiaconus, postquam Epistolam legit, non osculatur manum Episcopi; Diaconus, dicto *Munda cor*, non petit benedictionem, et Episcopus non osculatur librum, e quo Diaconus legit Evangelium. Ita S. R. C. 12 Nov. 1831; 25 Sept. 1852. (De Herdt. *loc. cit. sub* 4°.)

2° Si Presbyteri ordinati sunt, Diaconi et Subdiaconi debent dicere *Confiteor* post Communionem Presbyterorum. Ita S. R. C. 12 Nov. 1831. (De Herdt. *loc. cit. sub* 6°.)

411. — III. **A Presbyteris.** 1° Ordinati debent una cum Episcopo Missam *legere*, incipiendo ab oblatione *Suscipe, sancte Pater*. Ea, quæ in Missâ cantatâ ab Episcopo cantantur, ipsi eodem tempore *legunt*. Ita S. R. C. 12 Nov. 1831. (De Herdt. *loc. cit. n.* 366.)

2° Ad Consecrationem oportet eos omne studium adhibere ut ultima formæ verba proferant una cum Episcopo, eâ intentione, ut tum solum consecrent, si in hunc modum formam Consecrationis perficiant; sin minus, non consecrent. Si forte, præter intentionem, quispiam ante Episcopum Consecrationis ultima verba pronuntiaverit, nihil fit contra debitam Sacramento reverentiam; si vero deliberate, graviter peccaret. (*Exam. Ord. n.* 123. Bened. XIV. *De Sacrif. Missæ. sect.* 2. *n.* 141. 142.)

412. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Neo-ordinati teneantur in Missâ Ordinationis Communionem recipere?*

Resp. Dist. 1° Ad Minores Ordines promoti non tenentur; tum quia Pontif. Rom. eam non præscribit, tum quia illi Ordines etiam extra Missam conferri possunt.

2° Ad Majores Ordines promoti tenentur; quia Pontif. Rom. eam diserte præscribit. Presbyteri porro tenentur sub mortali, ut Sacrificium compleant, siquidem cum Episcopo concelebrant; Diaconi et Subdiaconi nonnisi sub levi. (*n.* 801.)

QUÆR. 2° *Quanta sit obligatio dicendi preces et Missas, quas Episcopus Ordinatis imponit?*

Resp. Alii eam reputant gravem; sed probabiliter, juxta alios, nonnisi levis est; quia de gravitate præcepti non constat. (*n.* 829. *Exam. Ord. n.* 124.)

QUÆR. 3° *Quale Nocturnum intelligi debeat nomine Nocturni talis diei, quod Diaconis et Subdiaconis imponitur?*

Resp. Intelligitur unicum Nocturnum feriæ, vel primum Dominicæ, ut in Psalterio, quod Episcopus ordinans pro suo arbitrio designare potest; si nihil designaverit, dicendum est Nocturnum illius diei, in quo facta est Ordinatio. Ita S. R. C. 11 Aug. 1860.

QUÆR. 4° *Quomodo Neo-presbyteri legere debeant tres Missas ab Episcopo præscriptas?*

Resp. 1° Debent esse Missæ votivæ, celebrandæ cum primum adveniunt dies non impediti.

2° Non est obligatio eas applicandi ad Episcopi intentionem; cum id non exprimatur, sed Episcopus tantum roget ut pro ipso orent. Possunt proinde pro illis stipendium accipere. (*n.* 829. *Exam. Ord. n.* 124.)

QUÆR. 5° *Ad quid teneantur Sacerdotes vi obedientiæ, quam Episcopo in Ordinatione promiserunt?*

Resp. Tenentur ad obedientiam, quæ juxta Canones debetur Episcopo; præcipue vero a servitio Ecclesiæ, cui addicti fuerint, non discedere sine licentiâ Episcopi. Hæc tamen obedientia non derogat libertati, quam SS. Canones Sacerdotibus, etiam Parochis, attribuunt, statum Religiosum amplectendi, etiam contradicente Episcopo, dummodo Ecclesia ex illorum absentiâ gravem jacturam non patiatur. Ita Bened. XIV Constit. *Ex quo dilectus.* 14 Jan. 1747. Recole dicta lib. V. n. 6. (*n.* 828.)

ARTICULUS III.

OFFICIA ET OBLIGATIONES ORDINATORUM.

413. — I. **Officia.** Officia *Ostiarii* sunt claves ecclesiæ servare, eam aperire et claudere, pulsare campanas, et omnem ecclesiæ suppellectilem custodire.

Officium *Lectoris* est altâ voce legere in ecclesiâ lectiones S. Scripturæ, et catechizare seu fidei rudimenta docere.

Officium *Exorcistæ* est invocatione nominis Dei, manuum impositione et exorcismis ab Ecclesiâ approbatis expellere dæmones.

Officium *Acolythi* est in Missa solemni sacris Ministris inservire, in Missis privatis Sacerdoti ministrare, atque eum in finem ampullas cum vino et aquâ præparare et porrigere, cereos accendere et deferre.

Officium *Subdiaconi* est in Missâ solemni ministrare Diacono, præcipue calicem et patenam, panem et vinum ei tradere, solemniter cantare Epistolam, deferre crucem in Processionibus, corporalia, pallas et purificatoria lavare.

Officium *Diaconi* est in Missâ solemni Sacerdoti ministrare, solemniter cantare Evangelium, ex commissione Episcopi vel Parochi in necessitate solemniter baptizare atque Eucharistiam dispensare, de licentiâ Episcopi prædicare.

Officium *Sacerdotis* est Missæ Sacrificium offerre, ministrare Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, et Extremæ Unctionis, benedicere, et prædicare. (*n.* 805.)

Officium *Episcopi* est confirmare et ordinare, consecrare, Missam offerre, prædicare, et regere concreditam sibi Ecclesiam.

Quoad *exercitium Ordinum*, hæc sunt notanda: 1° Qui caret Ordine Sacerdotii vel Episcopatûs, *invalide* exercet ejusdem Ordinis munera.

2° Qui caret Subdiaconatûs vel Diaconatûs Ordine, *illicite* illius functiones exercet; imo graviter peccat Clericus et ipso facto irregularitatem contrahit, qui actum Sacri Ordinis non suscepti *solemniter* exercet, e. g. si stolâ indutus tamquam Diaconus, vel manipulo tamquam Subdiaconus Missæ solemni ministraret; secus vero, si officium non solemniter exercet, i. e. officium Diaconi sine stolâ, Subdiaconi sine manipulo.

In casu necessitatis, deficiente Subdiacono, potest a Superiore permitti ut substituatur Clericus saltem Tonsurâ insignitus, qui inserviat Missæ solemni, sed paratus absque manipulo. Ita S. R. C. 5 Jul. 1698. dub. 18. — 18 Dec. 1784. — 22 Jul. 1848. dub. 5.

3° Carentes Minoribus Ordinibus *licite* exercent eorumdem officia; attamen Trid. *sess.* 23. *cap.* 17. *ref.* jubet ut, quantum fieri commode potest, nonnisi constituti in dictis Ordinibus ea exerceant; imo, si cælibes præsto non sint, etiam conjugatis, dummodo vitæ probatæ et non bigami sint, hunc in finem Minores Ordines conferantur. (*n.* 754.)

414. — II. **Obligationes.** Clerici varias habent obligationes, quarum aliquæ communes sunt omnibus Clericis, aliquæ vero afficiunt tantum Clericos in Sacris

constitutos. Priores sunt deferre habitum clericalem et tonsuram, eaque servare, quæ de vitâ et honestate Clericorum sancita sunt, de quibus in libro V egimus. Posteriores sunt recitare Horas Canonicas, et castitatem servare: de quibus in libro V tractavimus; restat hic de voto castitatis quædam disserere. Suscipientes nempe Sacrum Ordinem, olim *expresse*, hodie vero solum *tacite*, emittunt votum solemne castitatis, et fiunt inhabiles ad matrimonium, prout definivit Trid. *sess.* 24. *can.* 9. De hoc voto quædam expendendæ sunt quæstiones.

Quæstiones. QUÆR. 1° *Quo jure introductus sit cælibatus Clericorum in Sacris constitutorum?*

Resp. Communis sententia, contra paucos, docet cælibatum jure ecclesiastico adnexum esse Sacris Ordinibus; tum quia nullum exstat præceptum divinum, tum quia Trid. *loc. cit.* id insinuat verbis: »non obstante lege ecclesiasticâ vel voto," nullam mentionem faciens juris divini. (*n.* 807.)

QUÆR. 2° *Quo tempore castitas adnexa fuerit Sacris Ordinibus?*

Resp. Diaconatui et Sacerdotio a tempore Apostolorum; de Subdiaconatu vero incertum est, siquidem antiquitus inter Sacros Ordines non connumerabatur. *Ita communiter.*

QUÆR. 3° *An hæc obligatio proveniat immediate a voto, an vero a præcepto Ecclesiæ?*

Resp. Communis sententia cum D. Thomâ, contra Scotum et Scotistas, docet eam provenire *immediate* a voto, quod ipso facto Ordinationis emittitur; *mediate* vero ex præcepto Ecclesiæ, quatenus Ecclesia jubet hoc votum emitti. Prius constat ex *Cap. un. de voto. in* 6., ubi diserte dicitur votum per susceptionem Sacri Ordinis, sicut per Professionem Religiosam, solemnizari seu reddi solemne. Idem adstruunt Bened. XIV. Constit. *Inter præteritos.* 3 Dec. 1749. *n.* 41., Pius IX. *Syllab. error.* 72. et Constit. *Apostolicæ Sedis. excomm.* 1. *Episc. reserv.*

Cæterum, casu, quo quis ex malitiâ votum positive excluderet in susceptione Ordinis Sacri, nihilominus obligaretur ad continentiam et inhabilis esset ad matrimonium, non quidem vi voti, sed immediate ex præcepto Ecclesiæ. (*n.* 809.)

CAPUT V.

PŒNÆ MALE ORDINANTIUM ET MALE ORDINATORUM.

ARTICULUS I.

PŒNÆ MALE ORDINANTIUM.

415. — I. **Ob defectum tituli.** 1° Qui aliquem ordinat absque titulo Beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipso alimenta, ipso jure incurrit suspensionem per triennium a collatione Ordinum. Ita Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* Requiritur ergo a) ut ordinatus debuisset titulo Beneficii vel patrimonii ordinari; b) ut prædictum pactum, quod simoniam redolet, intervenerit.

2° Qui, excepto casu legitimi privilegii, Ordinem Sacrum confert absque titulo Beneficii vel patrimonii Clerico in aliquâ Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam Religioso nondum professo, suspensionem per annum a collatione Ordinum ipso jure incurrit. Ita Constit. cit.

416. — II. **Ob illicitam Ordinationem alieni subditi.** 1° Qui alienum subditum ordinat, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, etiamsi id faceret sub prætextu Beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis ad congruam Ordinandi sustentationem, suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrit. Ita Constit. cit.

Censuram hanc incurrit a) conferens Ordines etiam Minores; b) ordinans Religiosum exemptum, sine sui Superioris dimissoriis; vel c) familiarem suum, si ei non conferat beneficium per se sufficiens. (Gury-Dumas. *n.* 1041.)

2° Qui alienum subditum ordinat, cujusvis rescripti vel privilegii prætextu, sine proprii Ordinarii testimonio, quo ejus probitas ac mores commendantur, suspensionem per annum a collatione Ordinum incurrit. Ita Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. *ref.*

3° Episcopus Titularis, qui, vigore cujusvis privilegii sibi concessi, aut etiam familiaritatis prætextu, alterius subdito, absque sui proprii Prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis, aliquem Ordinem vel primam Tonsuram confert, ab exercitio Pontificalium per annum ipso jure suspensus est. Ita Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *ref.*

417. — III. **Ob Ordinationem proprii subditi sine debitis litteris testimonialibus.** Ordinans proprium subditum, qui (post septennium) alibi tanto tempore moratus est, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus, suspensionem per annum ab Ordinum administratione ipso jure incurrit. Ita Constit. cit.

Nota. Suspensiones ex Constit. Pii IX sunt S. Pontifici reservatæ; ex Trid. vero nemini reservatæ.

ARTICULUS II.

PŒNÆ MALE ORDINATORUM.

418. — I. **Ob indignitatem Ordinantis.** Qui Ordinem recepit ab excommunicato, vel suspenso, vel interdicto, nominatim denuntiato, aut ab hæretico vel schismatico notorio, 1° si *malâ fide*, i. e. scienter, suspensionem ab Ordine sic suscepto ipso jure incurrit; 2° si *bonâ fide*, i. e. ignoranter, prohibetur Ordinem sic susceptum exercere, donec dispensetur. Ita Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* Præfata dispensatio a proprio Episcopo concedi potest, ex *Cap.* 2. *de ordinatis.*

419. — II. **Ob Ordinationem per saltum.** Qui ordinem per saltum suscepit, ipso jure suspenditur ab exercitio Ordinis sic suscepti. Si non ministraverit, Episcopus ex legitimâ causâ potest cum eo dispensare; si ministraverit, insuper irregularitatem incurrit. Ita ex Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *ref.* Quamvis Concilium *expresse* non decernat suspensionem, ejus tamen verba eam supponunt, ex *Cap. unic. de Clerico per salt. ord.* (*n.* 793. Billuart. *diss.* 3. *art.* 3. Godschalk. *De censur. pag.* 147.)

420. — III. **Ob defectum litterarum testimonialium.** Qui cum licentia Ordines suscipit ab alieno Episcopo, sed sine Ordinarii sui testimonio, quo ejus probitas ac mores commendantur, a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, suspensus est. Ita Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. *ref.*

421. — IV. **Ob Ordinum susceptionem ab Episcopo Titulari, sine dimissoriis.** Qui Ordines suscipit ab Episcopo Titulari, absque sui proprii Prælati expresso consensu aut litteris dimissoriis, ab exsecutione Ordinum sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit, ipso jure suspensus est. Ita Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *ref.*

422. — V. **Ob dimissorias, Sede vacante, illegitime acceptas.** Qui intra annum a die vacationis litteras dimissorias obtinet a Vicario Capitulari, vel alio administratore, quin beneficio recepto sive recipiendo arctatus fuerit, et earum litterarum vigore Ordines suscipit, 1° si Minores, omni privilegio clericali privatur; 2° si Majores, ab exsecutione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, ipso jure suspensus est. Ita Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. *ref.*

Prædicta privilegiorum privatio prærequirit judicis sententiam. (*n.* 788.)

TRACTATUS VIII.

DE MATRIMONIO.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 18.

Ut distincte procedamus in hoc latissimo tractatu, materiam in quinque partes dividimus, videlicet 1° de sponsalibus, utpote quæ viam parant ad matrimonium; 2° de matrimonio *in seipso* spectato; 3° de ejus celebratione, seu de matrimonio *in fieri;* 4° de ejus statu, seu de matrimonio *in facto esse;* 5° de impedimentis, quæ matrimonii contractui nonnunquam obstant.

PARS PRIMA.

DE SPONSALIBUS.

Agemus 1° de natura sponsalium; 2° de eorum effectibus; 3° de eorum accidentalibus; 4° de eorum dissolutione.

Pro praxi multum interest dignoscere num vera et valida inita sint sponsalia, an vero nulla. Si valida, an rescindibilia sint, sive ad nutum sponsorum sive per sententiam judicis. Sponsalia enim graves producunt effectus, ut ex dicendis patebit.

CAPUT I.

NOTIO SPONSALIUM.

423.—Nomen sponsalium 1° nonnunquam accipitur pro matrimonio nondum consummato, et vocantur *sponsalia de præsenti*, nempe matrimonio; in hoc sensu B. Virgo dicitur sponsa S. Joseph; 2° ordinarie et proprie accipitur pro futuri matrimonii promissione, et dicuntur *sponsalia de futuro*. Sponsalia ergo *proprie accepta* definiri solent: Mutua futuri matrimonii promissio inter personas habiles.

Ut promissio futuri matrimonii sufficiat ad vera *sponsalia* constituenda, plures conditiones in se continere debet. *Ex parte promissionis* requiritur ut sit 1° *vera promissio;* nam non sufficit propositum, cum non inducat obligationem; 2° *deliberata et libera*, plena nempe requiritur deliberatio, qualis sufficit ad peccatum mortale; quia sponsalia gravem inducunt obligationem; 3° *mutua*, i. e. non sufficit sola acceptatio promissionis alterius, sed requiritur promissio ab una parte, et repromissio ab altera; quia sponsalia sunt contractus utrinque obligatorius; [1] 4° *sufficienter expressa signo aliquo externo*, puta verbis, scripturâ, nutu; quia fit alteri homini, qui acceptare et repromittere debet, atque adeo prius intelligere.

Ex parte personarum requiritur ut 1° inter eos nullum sit *impedimentum perpetuum* matrimonii, sive dirimens sive impediens; quia nemo obligari potest ad id, quod vel valide vel licite implere nequit; 2° sponsalia fiant inter duas *determinatas* personas; quia inter duas tantum determinatas personas matrimonium contrahi potest. (*n.* 831. 836. 838. 840.)

424. — **Divisio.** Sponsalia sunt 1° *solemnia*, quæ celebrantur coram Parocho et testibus, uti mos est in aliquibus regionibus: *clandestina* seu *privata*, quæ solo contrahentium consensu, vel coram parentibus ineuntur.

2° *Absoluta*, quæ absque ullâ conditione perficiuntur: *conditionata*, quæ sub aliqua adjecta conditione fiunt.

425. — **Resolutiones.** 1° Non exstant sponsalia, si unus *ficte* promisit matrimonium, scil. sine animo contrahendi aut se obligandi, dum alter vere promisit; quia promissio oritur ex hominis voluntate, unde, deficiente animo, promissio non exoritur. Idque valet, etiamsi promissio fuerit juramento firmata; nam juramentum sequitur naturam promissionis. — Nihilominus simulator graviter peccat; quia in re gravi mentitur et alterum decipit; insuper, ratione fraudis et injuriæ illatæ, tenetur damna resarcire, si quæ pars decepta passa fuerit. (*n.* 832. 833.)

2° Si revera adfuerit animus promittendi et se obligandi, sed cum animo non adimplendi promissum, valet et obligat promissio. (*n.* 832.)

3° Sponsalia ex *errore* vel *dolo* contracta, non valent, si error aut dolus versetur circa substantiam. Si versetur tantum circa qualitatem, etiamsi causam dederit contractui, probabilius valent, sed deceptus jus habet dissolvendi illa. Recole dicta lib. III. n. 389. 390. (*n.* 358. H. A. *n.* 2.)

4° Sponsalia ex *metu gravi* injuste incusso contracta, probabilius sunt ipso jure invalida; quia, quamvis contractus metu extorti de se validi sint, circa sponsalia diversa currit ratio; etenim dari non potest obligatio ad actum per se nullum et cui jus resistit, qualis esset matrimonium durante tali metu contrahendum. Dictum est: *metu injuste incusso;* nam si metus sit justus, vel ab intrinseco proveniat, sponsalia valida ac firma sunt; quia tunc nulla exsistit injuria. (*n.* 844. H. A. *n.* 3.)

5° Sponsalia ex *metu levi* contracta, probabilius valent; quia metus levis non extorquet consensum, neque proinde gravem injuriam infert; facile namque repelli potest. Cæterum, si quando causam dederit contractui, ex communiori et probabiliori sententia sponsalia rescindi possunt; probabiliter, in foro conscientiæ, arbitrio metum passi, ob maximam libertatem quam sponsalia requirunt. (*n.* 844. H. A. *n.* 3.)

6° Sponsalia *sub conditione* contracta, valent vel non valent, quemadmodum de contractibus generaliter dictum est lib. III. n. 397—399. et 373.

7° Si quis diceret: »Non ducam aliam quam te," hæc verba per se non sufficiunt ad sponsalia; quia faciunt promissionem conditionatam tantum, vi cujus promissor tum demum promissariam ducere tenetur, si matrimonium inire voluerit, non tamen adstringitur ad nuptias contrahendas. Dixi: *per se;* nam aliter dicendum, si ex circumstantiis colligatur illum vere voluisse sponsalia contrahere.

Sin autem verba sint de præsenti, nempe: »Nullam volo nisi te," tunc vere exprimunt sponsalia. (*n.* 842.)

8° Si *verba* adhibita sint *dubia*, in foro conscientiæ accipienda sunt juxta contrahentium intentionem, si de eâ constet. In foro autem externo standum est sensui, quem verba secundum loci consuetudinem et communem acceptionem habere solent: de quo si non satis constet, pro libertate judicandum est. (*n.* 840.)

426. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An valida et licita sint sponsalia clandestina?*

Resp. Affirm.; quia nullo jure vel irritantur vel prohibentur. Nihilominus, si solo contrahentium consensu, non coram parentibus, contrahantur, dissuadenda sunt; propter mala animarumque pericula, quæ ex iis oriuntur, nimirum: 1° sæpe absque maturâ deliberatione fiunt, quin parentum aliorumve, quos consulere oporteret, consensus vel consilium accesserit; 2° non raro homines dissoluti iis abutuntur ad decipiendas ac seducendas puellas. (Bened. XIV. *Instit.* 46. Syn. prov. Ultraject. *tit.* 4. *cap.* 14.)

QUÆR. 2° *An valeant sponsalia contracta inter eos, qui aliquo tenentur impedimento dirimente, sub conditione: »Si Papa dispensaverit?"*

Resp. Dist. 1° Ante adventum dispensationis non sunt vera sponsalia, nec ex illis oritur impedimentum publicæ honestatis: quia ad vera sponsalia requiritur absoluta obligatio, ut statuitur in *Cap.* 1. *de sponsal. in* 6. et resolvit S. C. C. 26 Jan. 1709. 12 Dec. 1733. 22 Febr. 1862. [1] Nihilominus obligant tum ad petendam dispensationem, si legitima adsit causa et Papa in tali impedimento dispensare soleat; tum ad exspectandum conditionis eventum. Unde infertur, peccare alterutrum, si alia sponsalia absoluta vel matrimonium celebraret cum diversâ personâ, et hæc sponsalia nulla esse, cum esset promissio de re injustâ, quæ non obligat.

2° Conditione impletâ, probabilius valida sunt sine novo consensu; quia tunc promissio conditionalis evadit absoluta. *Ita communius.* (*n.* 843. 859.)

[1] Sicubi parentes nomine filiorum sponsalia contrahant, prout olim fieri consuevit, hæc valida non sunt, nisi filii ea rata habeant. (*n.* 838. 839.)

[1] Cfr. Acta S. Sedis. *Vol. I. pag.* 79. *et* 121.

QUÆR. 3° *An valeant sponsalia, si, postquam inita sunt, detegatur impedimentum matrimonii?*

Resp. Negat.; quia personæ sunt inhabiles. Neque tenentur dispensationem petere aut acceptare, ac deinde sponsalia renovare; nam nemo tenetur a lege se extrahere, et tenax legis nulli facit injuriam. Error proinde circa impedimenta est error substantialis.

QUÆR. 4° *An matrimonium mere civile, sive clandestinum, ubi invalidum est, vim habeat sponsalium?*

Resp. Negat., etiamsi contrahentes intendant celebrare postea coram Parocho et testibus. Ratio est, quia in ejusmodi matrimonio consensus datur per verba de præsenti; atqui sponsalia constituuntur assensu *de futuro*, non *de præsenti*. Constat præterea ex Declar. S. C. C. apud Bened. XIV. *Instit.* 46. *n.* 22. 23. (*n.* 841.)

QUÆR. 5° *An sponsalia a filiisfamilias inita sine parentum consensu valida sint ac licita?*

Resp. Ad 1um, *Affirm.;* quia filii sui juris sunt in eligendo vitæ statu; deinde matrimonia ita contracta sunt valida, ut patet ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.;* unde DD. communiter idem inferunt de sponsalibus. Excipe tamen, si matrimonium contrahi non posset sine dedecore familiæ; tunc enim promissio sponsalitia esset de re graviter illicita, ideoque nulla. *Ita communiter.*

Ad 2um, *Negat.*, nisi parentes injuste contradicant; pietas enim et reverentia parentibus debita postulant ut in re tam gravi filii parentum consilium et consensum exquirant; cui accedit, ex talibus connubiis frequenter oriri scandala et dissensiones familiarum. Recole dicta lib. III. n. 153. (*n.* 849. 851.)

QUÆR. 6° *An licita et valida sint sponsalia, si adsit notabilis disparitas conditionis vel divitiarum inter contrahentes?*

Resp. 1° Disparitas *conditionis*, si tempore contractûs ignorabatur, vel si tanta est, ut ex matrimonio oriretur notabile familiæ dedecus, reddit sponsalia nulla. Notabilis esset disparitas, v. g. si vir nobilis desponsaret filiam artificis mechanici vel agricolæ.

2° Si disparitas sit in *divitiis*, ex communi et veriori sententiâ, ejusmodi sponsalia sunt *per se* venialiter illicita, atque adeo nulla; quia adest vitium prodigalitatis in promissione. Dico: *per se*; quia, cum culpa prodigalitatis nonnisi venialis sit, quævis mediocris justa causa vitium prodigalitatis auferre potest; v. g. 1° si sponsus, fœminam disparem ducens, noverit in eâ aliquam specialem prærogativam, nimirum providentiæ, devotionis, magnæ honestatis, vel etiam pulchritudinis, propter quam putat se cum illa quietam ducturum vitam; cujusmodi causa rarissime deerit: 2° si sponsus vi promissionis copulam extorserit a virgine vel fœminâ honestâ; quia perditio virginitatis aut bonæ famæ prævalet aut certe æquivalet disparitati fortunæ. (*n.* 851. H. A. *n.* 16.)

QUÆR. 7° *Quid porro, si ex matrimonio contrahendo timeantur inimicitiæ parentum?*

Resp. Ex communi sententia, et per se loquendo vera, sponsalia essent graviter illicita, atque adeo nulla; quia charitas jubet ejusmodi scandala vitare.

Dixi: *per se loquendo*; quia, si filius non posset sine gravi incommodo a desiderato matrimonio abstinere, sponsalia evadunt licita et valida, siquidem charitas non obligat cum gravi incommodo. Porro grave incommodum existimant DD., si quis omittere cogatur matrimonium cum puella, quâcum credit quietam se ducturum vitam ob vehementem amorem, quo illam prosequitur; per matrimonium enim quisque perpetuæ obligatur servitûti, maxima secum afferenti onera, quæ nisi ex omnino spontanea voluntate suscipiantur, difficillime perferri poterunt. Cui accedit, quod hujusmodi scandala, quamvis antea jactentur, inito tamen matrimonio facile evanescunt et animi conciliantur. Excipe tamen casum, quo ex tali matrimonio orituræ essent communes perturbationes apud plures familias in oppido parvo, adeo ut posset aliquomodo judicari esse malum commune toti regioni. (*n.* 851. H. A. *n.* 16.)

Prædicta de cordato amore intelligenda sunt. Generatim quippe dissuadenda sunt sponsalia et matrimonia contra voluntatem parentum, cæco amore potius quam sanâ ratione contrahenda. Plerumque enim sponsi, qui, inordinato libidinis æstu ducti, nuptiis cum tali personâ inhiant, infelicem sortiuntur exitum, siquidem, ut lugendâ constat experientiâ, amor ille vesanus, quo primum feruntur, in odium converti solet. Confessarius porro in ejusmodi casibus caute procedat, conetur omnia utrimque prudenter et suaviter componere, ita ut vel pœnitens nuptiis intentis sponte renuntiet, vel parentes in suam partem adducat. (Gury. *Cas. consc. tom.* 1. *n.* 365.)

Filii, qui justæ parentum voluntati obsequi renuunt, vel parentes, qui justo filiorum matrimonio pertinaciter obstant, graviter peccant (*n.* 849.), et idcirco absolutione indigni sunt, nisi forte in bonâ fide versentur, et eos non monere expediat.

CAPUT II.

EFFECTUS SPONSALIUM.

427. — Effectus illi sunt: 1° obligatio contrahendi inter se matrimonium; 2° impedimentum prohibens sponsalia et matrimonium cum aliâ personâ; 3° impedimentum *publicæ honestatis* dirimens matrimonium cum reciprocis consanguineis in primo gradu. De 2° et 3° effectu agetur in Parte V.

Primus et secundus effectus cessant, postquam sponsalia fuerint legitime dissoluta; tertius vero perseverat.

428. — **Principia.** I. Obligatio contrahendi matrimonium juxta promissionem factam est obligatio gravis ex justitiâ. Ratio est, quia, licet promissio simplex, juxta probabilem sententiam, non inducat gravem obligationem, secus est de promissione mutua, quæ perfectum constituit contractum ex utraque parte obligatorium. (*n.* 845.)

II. Si sponsalium impletioni certus terminus mutuo consensu præfixus est, terminus ille, nisi aliter postea inter sponsos convenerit, observandus est. Ratio patet, ipsa nempe promissio facta. (*n.* 845.)

429. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quandonam sponsalia implenda sint, si nullum impletioni constitutum est tempus?*

Resp. Controv. 1ª Sententia dicit obligationem non dari antequam altera pars exigit; quia debiti solutio ante ejus exactionem non urget. Ita Sanch. Navar. Holzm. Escob. etc.

2ª Sententa verior docet, per se loquendo, implenda esse cumprimum commode fieri possit; quia omnes obligationes, in quibus terminus præfixus non est, debent quamprimum adimpleri. Ita Pont. Palaus, Conc. Coninc. Ronc. Salm. etc.

Dictum est: *per se loquendo*, quia in praxi, si altera pars non exigat, cum commode possit, dilationi consentire censetur; et sic præfatæ sententiæ satis conciliantur. (*n.* 845.)

QUÆR. 2° *Quam ducere debeat, qui cum duabus sponsalia contraxit?*

Resp. Si secunda sponsa 1° *conscia* fuerit priorum sponsalium, certo debet primam ducere; quia secunda tunc non fuit decepta. *Ita communiter.*

2° Si *ignara* fuerit, aliqui dicunt eum teneri ducere secundam, si cum hac copulam habuerit. Sed communius et probabilius dicunt in omni casu ducendam esse primam; quia posteriora sponsalia contra priorem fidem inita, sunt invalida, utpote de re illicitâ, et injuria illata posteriori jus suum priori non adimit. Et hoc valet, etiamsi secunda promissio fuerit juramento firmata; quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis.

Plures dicunt primam sponsam debere ex charitate cedere juri suo, si altera ex defloratione grave damnum pateretur; sed alii non improbabiliter hanc obligationem negant; quia secunda debet illud damnum suo crimini imputare. (*n.* 848. H. A. *n.* 9.)

QUÆR. 3° *An fornicatio sponsi aut sponsæ cum aliis induat malitiam injustitiæ?*

Resp. Adest triplex sententia probabilis. 1ª Sententia affirmat; quia ex sponsalibus uterque acquisivit jus ut sibi, non alteri, tradatur corpus consortis, quod jus fornicatione violatur. Ita Castrop. Laym. Holzm. Azor, Molin. Salm. etc.

2ª Sententia distinguit, nempe affirmat gravem injuriam in fornicatione sponsæ, negat in fornicatione sponsi; quia injuria facta a sponsâ gravis est ob periculum prolis concipiendæ et infamiæ resultantis: levis vero injuria facta a sponso. Ita Sanch. Bonac. Filliuc. etc.

3ª Sententia universe negat; quia, cum nondum facta sit traditio corporum, necdum acquisitum est jus in ea,

sed tantum jus ad matrimonium, quod intactum manet. Ita Pont. Covar. Vivald. Trullench. Henriq. Diana, etc., et probabilem censent Sanch. Laym. Lugo, Salm. Elbel, etc. (*n.* 847. H. A. *n.* 18.)

QUÆR. 4° *An sponsalia excusent a peccato mortali oscula et tactus pudicos inter sponsos, facta* VOLUPTATIS CAUSA?

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat, dummodo absit periculum pollutionis vel consensûs in copulam; quia sponsalia sunt quædam inchoatio matrimonii, unde, sicut matrimonium cohonestat copulam, sic sponsalia cohonestant tales actus, qui sunt copulæ initia. Cui accedit, per illos foveri amorem in ordine ad matrimonium contrahendum. Ita Sanch. Less. Avers. Diana, Azor, Salm. etc.

2ª Sententia, longe probabilior et omnino sequenda, negat; quia sponsalia, cum sint solum promissio futuri matrimonii, non traditio corporum, nullum tribuunt jus præsens in corpus alterius in ordine ad usum ejus. Præterea, quibus non licet copula, iisdem nec licent actus ad copulam ordinati. Ita Mazzot. Roncag. Suar. Bonac. Conc. Croix, Viva, etc. (*n.* 854.)

Quandonam liceant prædicti actus, dictum est n. 345. qu. 4.

CAPUT III.

ACCIDENTALIA SPONSALIUM.

430. — Præter consensum, sponsalibus sæpe aliqua accessorie adduntur pro firmitate eorum, ex quibus hic tria consideranda veniunt: 1° adjectio pœnæ a resiliente solvendæ, 2° arrharum constitutio, 3° munera sponsalia.

I. **De pœnâ.** Conventio pœnalis contra resilientem, facta *generaliter*, id est, etiam contra eum, qui juste resiliat, prohibita est atque invalida; quia matrimonii libertatem lædit timore pœnæ appositæ. Ita ex *Cap.* 29. *de sponsal.* Utrum porro hæc conventio sit mortale an veniale peccatum, non convenit inter DD. (*n.* 853.)

QUÆRITUR: *An prædicta prohibitio extendatur ad eam pœnam conventionalem, quæ tantum apponitur contra injuste resilientem?*

Resp. Controv. 1ª Sententia satis probabilis affirmat; quia in cit. Cap. indistincte prohibetur; et etiam tum matrimonii libertatem impediret. Ita Sanch. Bonac. Boss. Concin. Covar. Filliuc. etc.

2ª Sententia probabilior negat; quia nullo jure prohibetur; non *naturali*, quia rationabile est pœnam imponi culpabiliter resilienti, nec est contra rationabilem matrimonii libertatem impedire sponsos quominus injuste resiliant: non *positivo*, quia non datur libertas injuste resiliendi, et in cit. Cap. sermo est de sponsalibus a puellâ septennio minore contractis, quæ invalida aut certe infirma erant. Ita Pont. Suar. Vasq. Molin. Coninc. Laym. Castrop. Salm. etc. (*n.* 853. *qu.* 1.)

In praxi ergo melior est conditio possidentis.

431. — II. **De arrhis.** Arrharum nomine veniunt ea, quæ sponsus dat sponsæ, vel sponsa sponso, in contractorum sponsalium signum, et matrimonii contrahendi pignus. Earum indoles est, ut, si nuptiæ fuerint secutæ, repeti possint; si vero secutum non sit matrimonium, injuste resiliens suas amittat, et, si quas ipse accepit, eas reddere teneatur; nisi tamen aliud consuetudine loci receptum sit. (*n.* 852.)

432. — III. **De muneribus.** Dona inter sponsos facta in signum amoris et intuitu futuri matrimonii, dicuntur a DD. *sponsalitia largitas.* Hæc dona 1° secuto matrimonio, sunt in pleno dominio accipientis; 2° si non sequatur matrimonium, idque ex culpa donatoris, transeunt in dominium donatarii: si ex culpâ donatarii, vel ex neutrius culpâ, restituenda sunt donatori. Excipe tamen ea loca, in quibus consuetudo viget ut sponsi non repetant ea, quæ sibi mutuo donarunt; vel si constet de animo donatoris, quod nempe voluerit pure donare; in hisce casibus accepta non sunt restituenda.

CAPUT IV.

DISSOLUTIO SPONSALIUM.

433. — Causæ justæ dissolvendi sponsalia ad tria fere capita revocari possunt, quæ sunt: 1° mutuus consensus, 2° fractio fidei, 3° mutatio notabilis facta vel patefacta. De singulis acturi sumus, addendo 4° quomodo de justa causa constare debeat, et an resiliens resarcire debeat damnum alteri proveniens.

ARTICULUS I.

MUTUUS CONSENSUS.

434. — Inter puberes sponsalia ex mutuo consensu dissolvuntur; quia, ut habet 1ª Regula Juris: »Omnis res, per »quascunque causas nascitur, per eas»dem dissolvitur." Idemque juris est, etiamsi juramento firmata sint; siquidem juramentum sequitur naturam actûs, cui accedit. (*n.* 855. 856.)

Huc spectat quoque *conditio resolutiva* sponsalibus apposita, quâ impletâ, sponsalia resolvuntur.

ARTICULUS II.

FRACTIO FIDEI.

435. — Fides violata, sive jure sive injuriâ, alteri parti præbet justam resiliendi causam, juxta effatum: »Fran»genti fidem, fides frangatur eidem." Potest porro fides data pluribus modis falli, quorum præcipui sunt 1° matrimonium cum alio initum, 2° impedimenti appositio, 3° crimen commissum, 4° discessus in alium locum, 5° lapsus temporis præfixi.

436. — I. **Matrimonium cum alio vel alia initum:** priora sponsalia dissolvit respectu partis innocentis. Ex parte vero nocentis obligatio eorum probabilius non exstinguitur, sed manet suspensa quousque durat matrimonium, si nempe altera pars exspectet nec juri suo renuntiet; quia jus parti innocenti ex sponsalibus quæsitum per alterius injustitiam penitus auferri non potuit. (*n.* 875.)

437. — II. **Impedimenti appositio.** Si post sponsalia exoriatur impedimentum dirimens, e. g. affinitas, Ordo Sacer, Professio religiosa, matrimonium evadit impossibile; impossibilium vero nulla est obligatio. Si exorta sit affinitas, pars innocens non tenetur admittere dispensationem; sufficitque ad solvenda sponsalia sola fama hujusmodi impedimenti, i. e. opinio apud majorem partem viciniæ.

QUÆR. 1° *An ille, qui impedimentum apposuit, teneatur petere dispensationem, si tale sit, in quo potest et solet dispensari, et pars innocens velit?*

Resp. Ex communi et probabiliori sententia, contra paucos, tenetur regulariter; quia ponendo impedimentum injuste læsit jus alterius; ergo ex justitia tenetur, quoad potest, hoc jus reparare.

Dixi: *regulariter;* quia, si requirerentur magnæ expensæ et longa mora, excusatur. Attamen non excusaretur, si reparandum esset damnum deflorationis aut infamiæ sponsæ. (*n.* 858. H. A. *n.* 15.)

QUÆR. 2° *An sponsalia dissolvantur per ingressum in Novitiatum Religiosi Ordinis?*

Resp. Ex communi et probabiliori sententiâ, contra paucos, non solvuntur ex parte ingredientis; remanenti vero in sæculo datur justa causa resiliendi. Ratio prioris est, quia adhuc impleri possunt casu quo ingressus revertitur ad sæculum; ratio posterioris, quia ingrediens tacite renuntiat sponsalibus. (*n.* 870. H. A. *n.* 22.)

QUÆR. 3° *An votum simplex ingrediendi Religionem, suscipiendi Ordines Sacros, vel castitatis perpetuæ, dirimat sponsalia?*

Resp. 1° *Affirm.* ex parte non voventis; quia vovens censetur sponsalibus renuntiare.

2° *Affirm.* ex parte utriusque, quoad votum ingrediendi Religionem; quia ex Juris dispositione *Cap.* 2. *et* 7. *de convers. conjug.* sponsalibus inest tacita conditio: »Nisi religiosum statum elegero." Quod si vovens ante professionem egrediatur, tenetur stare sponsalibus, casu quo pars altera id exigit.

3° Utrum duo reliqua vota dissolvant sponsalia ex parte voventis, controvertitur, et adest duplex sententia probabilis. *Prima sententia* negat; quia Deus non acceptat votum rei jam alteri per sponsalia promissæ, et ideo in præjudicium alieni juris. Confirmatur, quia post sponsalia licitum non est sponso sine consensu sponsæ in cœlibatu manere, castitatem perpetuam servare; ergo ad hujusmodi se per votum obligare nequit, et tale votum non valet. Ita Navar. Laym. Palaus, Cabass. Ronc. Holzm. Spor. Viva, Sanch. S. Anton. etc.

Secunda sententia affirmat; tum quia

in sponsalium contractu semper subintelligitur conditio: »Nisi perfectiorem statum elegero;" tum quia, quando concurrunt duo vincula inter se insociabilia, fortius prævalere debet; sed vinculum voti fortius est vinculo sponsalium, cum primum sit religionis, secundum fidelitatis. Ita Pont. Suar. Azor, Vasq. Bonac. Soto, etc., cum S. Thoma. (*n.* 873.)

QUÆR. 4° *An* LICEAT *post sponsalia, invitâ consorte, emittere et exsequi vota enumerata?*

Resp. Affirm. quoad votum Religionis; de cæteris controvertitur, juxta dicta in Quæstione præcedenti. Interim non liceret votum emittere animo eludendi alteram partem. (*n.* 873.)

QUÆR. 5° *An parentum dissensus impedimentum sit, ob quod dissolvi possint sponsalia?*

Resp. Dist. Negat., si parentes injuste dissentiant; *affirm.*, si juste contradicant, puta si matrimonium vergeret in dedecus familiæ, vel ex eo magna scandala essent oritura inter propinquos. (*n.* 877. H. A. *n.* 17.)

438. — III. **Crimen.** Ob grave delictum *unius* ex sponsis, sponsalia solvuntur ex parte innocentis. Tale delictum censetur hæresis, apostasia, fornicatio, vel aliud, quod grave damnum vel infamiam parit, vel datam fidem violat. *Ita communiter.*

Quoad *fornicationem alterutrius*, DD. id deducunt ex *Cap.* 25. *de jurejur.*, quod, licet loquatur solum de *sponsâ* fornicante, utrique applicant; quia eadem ratio subsistit, quod scil. contra regulam desponsationis faciat, et suspectam reddat fidem futuram in conjugio. (*n.* 860. *lib.* 1. *n.* 200. *versus finem.*)

QUÆR. 1° *An liceat sponso a sponsalibus resilire ob fornicationem sponsæ* VI EXTORTAM?

Resp. Nonnulli negant; sed communiter et verius affirmatur; quia, licet sponsa non deliquerit nec fidem fregerit, notabiliter tamen mutata et vilior facta est. Colligitur insuper ex *Can.* 33. *caus.* 27. *qu.* 2. (*n.* 861.)

QUÆR. 2° *An, utroque sponso fornicante, utrique liceat resilire?*

Resp. Adsunt tres sententiæ. 1ª Sententia affirmat; quia, ut communis sententia habet, quando in exsecutione sponsalium uterque sponsus culpabilis est, delicta non compensantur, sed recessus utrique permittitur; ergo idem dicendum de fornicatione. Ita Castrop. Schmalzgr. etc.

2ª Sententia dicit neutrum posse resilire; quia, quando utrimque concurrit æquale jus activum et passivum, inducitur mutua compensatio. Ita Viva, Bonac. Palud. Holzm. etc.

3ª Sententia communis et probabilior recessum permittit soli sponso; quia, ubi delicta sunt imparia, non admittitur compensatio; atqui fornicatio sponsæ longe fœdior est eamque viliorem reddit, quam fornicatio sponsi; ergo.... (*n.* 862.)

QUÆR. 3° *An fornicatio commissa* ANTE *sponsalia, sed ignorata, sit sufficiens causa resiliendi, si postea innotescat?*

Resp. Ex communi sententia distinguendum est: 1° Si *sponsa* corrupta fuit, sponsus resilire potest; quia est notabilis mutatio, et ignominiosum est viro fœminam corruptam ducere. 2° Si *sponsus* fornicatus est, sponsa resilire nequit; quia sponsus non fit notabiliter vilior, nec grave dedecus infert sponsæ; excipe tamen, si sponsus prolem ex aliâ habuerit, vel deditus fuerit huic vitio, cum pluribus fornicando. (*n.* 861.) Excipiendum insuper videtur, si virgo honesta abhorreret nubere viro impudico, ita ut, si fornicationem novisset, sponsalia non iniisset. (Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 176.)

439. — IV. **Discessus unius.** Discessus unius ex sponsis, absque alterius licentiâ, huic facultatem præbet resiliendi, si ille discesserit vel animo mutandi domicilium, vel in regionem longinquam, unde difficulter aut nonnisi post longum tempus rediturus est; tunc enim juri suo renuntiasse censetur; et ita habetur ex *Cap.* 5. *de spons.* Si vero discesserit in locum propinquum cum animo redeundi, tunc vel exspectandus est donec redeat, vel per epistolam sive nuntium requirendus ut intra certum tempus redeat ad sponsalia implenda; quod si adhuc, eo tempore transacto, sit in mora ob justum impedimentum, tunc vel exspectandum erit ad prudentis arbitrium, vel, quod securius est, causa ad judicem ecclesiasticum deferenda est, qui, inspectis circumstantiis, vel admonebit sponsum, ut redeat intra certum tempus, vel terminum præfiniet, post quem sponsa libera remaneat: ita ex Declar. S. C. C. 2 Oct. 1723. (*n.* 866.)

440. — V. **Lapsus temporis præfixi.** Si tempus præfixum fuerit ad finiendam obligationem, dissolvuntur sponsalia ex parte illius, per quem non stetit quominus celebraretur matrimonium tempore statuto; non vero ex parte illius, cujus culpâ nuptiæ non sunt celebratæ, quippe qui ex culpa sua commodum referre non debet. Quodsi per utrumque stetit quominus matrimonium tempore condicto celebraretur, ex utraque parte sponsalia solvuntur. (*n.* 867. 868. *dub.* 3.)

QUÆR. 1° *An una pars possit resilire, si altera legitimo impedimento impedita fuerit tempore statuto nuptias inire?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia æquum non est ut jure suo privetur et pœnam subeat, qui culpam non commisit. Ita Pont. Sanch. Bonac. Viva, etc.

2ª Sententia communior et probabilior affirmat; quia ita conventum est inter partes, ideo namque terminus apponitur, ne pars parata diu maneat sine nuptiis; alias frustra tempus præfigeretur. (*n.* 868.)

QUÆR. 2° *Quando censeatur tempus præfixum ad finiendam obligationem?*

Resp. Id colligendum est ex verbis contrahentium. Si verba sint ambigua, recurrendum est ad motiva, ob quæ terminus præfixus fuit: nam, si adjectus fuerit ob magnum incommodum, quod ex dilatione proveniret, censetur adjectus ad finiendam obligationem; secus, si appositus fuerit tantum, ut citius expediatur matrimonium, quod maxime desideratur, ne forte postea quacumque ratione impediatur. (*n.* 867.)

ARTICULUS III.

NOTABILIS MUTATIO.

441. — Notabilis mutatio, sponsalibus superveniens, aut præcedens, sed postea primum cognita, parti non mutatæ justam resiliendi causam præbet. Ratio est, quia promissio non obligat ultra promittentis intentionem; nemo autem præsumitur se obligare voluisse ad casum difficilem, propter quem prævisum quivis homo prudens a matrimonii promissione absterritus fuisset, præsertim in sponsalibus, quæ, cum amplectendi statûs perpetui obligationem inducant, magnam libertatem in contrahentibus exigunt, ita ut etiam juramento iis adjecto ex dispositione juris insit tacita conditio: »Si res in eodem statu permaneat." (*n.* 865. *versus finem.*)

Ejusmodi mutationes ad tria capita reduci possunt: 1° ex parte *corporis*, et hæc duplex est, nempe a) magna deformitas, puta ob gravem mutilationem, ex variolis; b) gravis infirmitas, ut lues venerea, paralysis, epilepsia, morbus contagiosus, graveolentia oris, quæ arte medica superari non potest. Sufficit porro prudens ejusmodi defectûs suspicio.

2° Ex parte *animi*, nempe a) gravis jactura famæ, ex aliquo delicto proveniens; b) si ebrietati, scortationibus, rixis, aliive simili vitio reperiatur deditus; c) morum asperitas, sævitia, intractabilitas, post sponsalia primum cognita; d) graves inimicitiæ, inter eorum parentes vel consanguineos ortæ vel metuendæ; præsertim, si parentes vel consanguinei alterutrius obstinate se opponant matrimonio, ita ut ex eo magna scandala et infelices exitus timeantur. Caute tamen in hac re procedendum est, quia experientia constat, matrimonio celebrato, tempestatem sæpe sedari.

3° Ex parte *bonorum fortunæ:* a) notabilis amissio bonorum; b) multum æs alienum alterutrius detectum; c) defectus dotis ex parte sponsæ, v. g. si ipsa aut ejus parentes vel non possint, vel non velint dare dotem promissam; idemque est, etiamsi dos promissa non fuerit, cum dos sit conditio imbibita sponsalibus. (*n.* 863.)

442. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Si cui post sponsalia superveniant insperatæ divitiæ, puta ex pingui hæreditate, an possit juste resilire?*

Resp. Affirmant aliqui; quia tunc altera pars jam est inæqualis, et sponsalium exsecutio facta est notabiliter durior. Sed communissime negant, regulariter loquendo; tum quia altera pars non est facta deterioris conditionis, tum quia exsecutio sponsalium non fit durior per se, sed ex eo tantum quod impediatur a sponsalibus ditioribus contrahendis, quod ad resiliendum a contractis non sufficit, alias, quoties offerrentur sponsalia ditiora, minus ditia possent dissolvi, quod esset absurdum.

Dictum est: *regulariter loquendo;* quia, si ei offeratur conjugium cum alia,

cujus conditio esset *longe* melior, »non »auderem, inquit S. Alph., eum dam»nare, si vellet hanc eligere; quia »magni lucri amissio magno damno »æquivalet." (*n.* 876. H. A. *n.* 19.)

QUÆR. 2° *An pars laborans occulto defectu, sufficienti ad dissolvenda sponsalia, teneatur illum manifestare ante sponsalia, vel, eis contractis, ante matrimonium?*

Resp. Dist. 1° Si defectus redderet nuptias *damnosas* comparti, tenetur vel desistere a sponsalibus, vel illum manifestare alteri, nisi hic eodem defectu laboraret; quia, sicut peccat contra justitiam qui vendit merces noxias alteri credenti bonas, ita a fortiori qui cum pernicioso defectu vult matrimonium contrahere. Talis defectus esset infamia ex genere vel ex delicto proveniens; morbus venereus, et quilibet alius contagiosus; prægnatio sponsæ ex concubitu cum alio; multum æs alienum.

2° Si defectus redderet nuptias tantum *minus appetibiles*, non tenetur eum manifestare; tum quia sic consuetudine receptum est; tum quia nemo tenetur propalare suum defectum cum propria infamia, si non lædat jus alterius. Talis defectus esset e. g. si sponsa reputabatur virgo, dives, nobilis, et non esset. Inde colligitur, partem defectu laborantem posse etiam dissimulare, si interrogetur, æquivoce respondendo. (*n.* 865.)

QUÆR. 3° *An præter hactenus allatas causas, sponsalia dissolvi possint dispensatione?*

Resp. Affirmant DD., sed nonnisi a summo Pontifice; quia per sponsalia est jus acquisitum tertio, quod nullus præter S. Pontificem auferre potest. Requiritur autem justa et gravis causa; imo, si sponsalia fuerint juramento confirmata, opus est causa gravissima, quæ bonum publicum concernit. (Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 214. Soglia. *Instit. juris eccl. vol.* 2. § 157.)

ARTICULUS IV.

PROBATIO CAUSARUM, ET EFFECTUS DISSOLUTIONIS.

443. — QUÆR. 1° *An ad dissolvenda sponsalia ob causas expositas requiratur auctoritas et sententia judicis ecclesiastici?*

Resp. Negat., per se loquendo, si causa est certa, tam quoad exsistentiam, quam quoad sufficientiam; quia tunc interventus judicis nullo jure præscribitur.

Dixi 1° *si causa est certa;* quia, si causa est dubia, utrovis modo, ad dissolvenda sponsalia firma omnino requiritur auctoritas judicis, qui causam examinet; quia in dubio nemo jure suo acquisito privandus est.

Dixi 2° *per se loquendo*; quia per accidens aliquando requiritur, nimirum ad vitandum scandalum, cum sponsalia publice nota sunt, causa autem dissolutionis occulta est. Verum in hoc casu non requiritur sub culpa *gravi*, nisi *grave* scandalum timeatur. Quod si causa non posset coram judice probari, ejus interventus nullatenus exigitur. Notandum porro, quod casu, quo defectus alterius partis probari potest, sed est occultus, debet pars innocens alteram prius commonere, et minari manifestationem; si tunc ipsa non acquiescat solutioni sponsalium, licite poterit defectum ad judicium deferre. (*n.* 878.)

Probe demum et illud notandum, sponsalia ad forum Ecclesiæ tantum pertinere; sunt enim causa matrimonialis, utpote matrimonii præparatio. Constat insuper ex Trid. *sess.* 24. *can.* 12., ex Bulla Pii VI *Auctorem fidei.* prop. 58. et ex Syllabo Pii IX, prop. 74.

QUÆR. 2° *Quænam causæ probatio requiratur ad solvenda sponsalia?*

Resp. Dist. 1° Si causa sit *impedimentum matrimonii*, sive dirimens sive prohibens, sufficit unius etiam testis depositio jurata, modo sit testis oculatus; et hoc valet, etiamsi testis criminosus sit, nec citatus fuerit, sed tantum productus a parte, et etiamsi deponeret secreto, tacito suo nomine. Sufficit quoque fama publica. Ratio est, quia in hoc casu agitur de peccato vitando, ubi minor probatio sufficit.

2° In causa, quæ solum dat *jus resiliendi*, requiruntur saltem duo testes fide digni, deponentes sub juramento; aut alia plena probatio. Ratio est, quia in hoc casu agitur de præjudicio tertii. Nihilominus in causa fornicationis sponsæ probabiliter sufficit unus testis; quia ex matrimonio cum suspicione hujus delicti infelix exitus timeri potest. Prædicta sunt pro foro externo. In foro autem interno, ex communi sententia semper sufficit unus testis fide dignus, quamvis non juratus, sed minime de mendacio suspectus, et oculatus; sufficit quoque opinio expedite probabilis de sufficientia causæ. (*n.* 878. H. A. *n.* 27.)

QUÆR. 3° *An resiliens a sponsalibus, vel causam resiliendi alteri præbens, teneatur resarcire alteri parti expensas in parandis nuptiis jam factas?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si vel *juste* resiliat, vel *inculpabiliter* causam resiliendi alteri præbeat; quia tunc utitur jure suo, et culpa caret.

2° *Affirm.*, si vel *injuste* resiliat, vel *culpabiliter* præbeat alteri causam resiliendi; quia tunc est causa injusta damni alterius.

PARS SECUNDA.

DE MATRIMONIO IN SE SPECTATO.

Agemus 1° de notione matrimonii; 2° de ejus causa efficiente; 3° de ratione Sacramenti; 4° de ejus proprietatibus; 5° de ejus subjecto.

CAPUT I.

NOTIO MATRIMONII.

444. — Matrimonium, ut est officium naturæ seu contractus, definitur: Conjunctio maritalis viri ac fœminæ, legitime inita, individuam vitæ consuetudinem continens.

Dicitur 1° *conjunctio*, quod verbum acceptum *causaliter*, exprimit contractum mutuo consensu initum, quo matrimonium efficitur; acceptum *formaliter*, exprimit vinculum ex contractu ortum, quo conjuges sunt uniti, et quo matrimonium durat. 2° *Maritalis*, quod verbum indicat speciem conjunctionis, nempe mutuam traditionem corporum in usum conjugii. 3° *Viri et fœminæ*, ut explicetur subjectum matrimonii. 4° *Legitime inita*, ut explicetur debere abesse quodlibet impedimentum dirimens valorem matrimonii. 5° *Individuam vitæ consuetudinem continens*, quæ verba matrimonii unitatem et indissolubilitatem exprimunt.

Ex his sequitur, effectus matrimonii, ut est contractus, esse sequentes: 1° dominium mutuum corporis in ordine ad actum generationis; 2° obligatio mutuæ fidelitatis; 3° vinculum indissolubile. Hos effectus S. Augustinus *bona matrimonii* vocat, de quibus infra.

445. — Matrimonium, ut est Sacramentum, est ipsemet contractus matrimonii a Christo ad dignitatem Sacramenti elevatus. Hoc Sacramentum confert 1° augmentum gratiæ sanctificantis; 2° gratiam sacramentalem ad sancte convivendum; quæ gratia plures habet effectus, nimirum a) concupiscentiam reprimit, ut conjuges castitatem conjugalem servent; b) mutuum amorem fovet et confirmat; c) auxilia præbet, ut conjuges prolem religiose educent, matrimonii onera patienter ferant, omniaque eorum officia rite adimpleant.

446. — **Divisio.** Matrimonium distinguitur: 1° *Legitimum*, quod legitimo consensu contrahitur inter non baptizatos, juxta præscriptum legis naturalis: *ratum*, quod secundum leges divinas et ecclesiasticas sanctiones contrahitur inter baptizatos, sed post contractum nondum intercessit copula carnalis: *consummatum*, quod accedente copulâ carnali perfectum atque completum est; ad hoc autem requiritur, ut ipsa copula perfecta sit, sufficiens ad generationem prolis.

2° *Verum*, quod valide contractum est: *putativum*, quod valide initum existimatur, cum tamen ob latens impedimentum irritum sit.

3° *Ecclesiasticum*, in quo concurrunt ea, quæ a sacris Canonibus ad matrimonii valorem præscripta sunt: sic dictum *civile*, in quo concurrunt ea, quæ a lege civili præcipiuntur.

4° *Ad morganaticam*, quod contrahitur a viro nobili cum fœmina humilioris conditionis, eo pacto ut tam uxor quam liberi inde nascituri solo victu contenti sint, a titulis et bonorum successione exclusi. Matrimonium *conscientiæ* dicitur, quod coram Parocho et duobus testibus contrahitur ea lege, ut evulgari et manifestari non debeat.

447. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *In quo consistat essentia matrimonii?*

Resp. Essentia Matrimonii, prout est

contractus, consistit in mutua traditione corporum, quæ traditio continet jus exigendi et obligationem reddendi debitum; prout est *status*, consistit in vinculo indissolubili. (*n.* 882.)

QUÆR. 2° *Quæ dicantur bona matrimonii?*

Resp. Triplex bonum distinguitur: 1° bonum *prolis*, quod spectat procreationem et educationem liberorum; quamvis enim prolis generatio non sit de substantiâ matrimonii, ex ejus tamen contractu nascitur obligatio exhibendi, si petantur ab altera parte, actus ex se aptos ad generationem prolis, et nihil illicite agendi, quo ejus procreatio impediatur.

2° Bonum *fidei*, quod consistit in mutua fidelitate, quam uterque conjux alteri servare tenetur, tum reddendo debitum conjugale, si petatur, tum alieno se non commiscendo.

3° Bonum *Sacramenti*, quod consistit in matrimonii indissolubilitate, quam omnimodam consecutum est matrimonium consummatum inter fideles, ex elevatione ejusdem ad dignitatem Sacramenti.

QUÆR. 3° *Quinam sint fines Matrimonii?*

Resp. Fines, propter quos Matrimonium a Deo institutum est, sunt tres, nempe 1° procreatio prolis, ejusque educatio, tum quoad corpus, tum quoad animam in cultum Dei; 2° remedium concupiscentiæ, post peccatum originale; 3° mutuum adjutorium et solatium in vitæ societate. Primus est principalis, duo alii sunt secundarii. Constat ex Genes. I. 28. II. 18. I Cor. VII. 2. 9.

Fines vero *contrahentium*, quibus nempe ipsi moventur ad Matrimonium, et talem personam eligunt, præter fines intrinsecos Matrimonii, plures esse possunt extrinseci, e. g. ut tradit Catechism. Rom. *de matrim. n.* 15.: »Hæredis »relinquendi desiderium, divitiæ, forma, »generis splendor, morum similitudo. »Hujusmodi sane rationes damnandæ »non sunt, cum matrimonii sanctitati »non repugnent; neque enim in sacris »Litteris Jacob Patriarcha reprehendi»tur, quod Rachelem, ejus pulchritudine »illectus, Liæ prætulerit."

Retentâ ergo Matrimonii essentiâ, non est obligatio intendendi fines ejus intrinsecos, sed licet illud contrahere ob quemlibet finem honestum. (*n.* 881—883.)

CAPUT II.

CAUSA EFFICIENS MATRIMONII.

448. — Causa efficiens Matrimonii est mutuus consensus ipsorum contrahentium; hic enim est de intrinseca ratione cujusvis contractûs. Ut autem consensus sit validus ad matrimonium efficiendum, debet esse 1° *verus*, non fictus; 2° *voluntarius et liber*, non ex errore substantiali aut gravi metu præstitus; 3° *externus*, i. e. verbis, vel nutibus, vel scripturâ expressus; quia, quatenus contractus est inter homines, debet externe manifestari; quatenus Sacramentum est, debet constare signo sensibili; 4° *legitimus*, i. e. cui nullum obstet impedimentum dirimens; 5° *simultaneus*, saltem *moraliter*, cui satis est quod casu, quo unus consensum jam præstitit, hic interea, donec etiam consentiat alter, revocatus non sit; 6° verbis vel signis *præsentis temporis* expressus; nam quæ futurum tempus significant, sponsalia efficiunt, non matrimonium.

449. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An consensus verbis exprimi debeat?*

Resp. 1° *Negat.* quoad *valorem*, ut patet; quia verba non requiruntur ad valorem contractuum.

2° *Affirm.* probabilius quoad *liceitatem*, in iis, qui loqui possunt; quia Ecclesiæ mos est matrimonium verbis celebrandi. Sed requiruntur tantum sub culpâ veniali, a qua excusat rationabilis causa. (*n.* 887. 888.)

QUÆR. 2° *An sufficiat consensus per procuratorem expressus?*

Resp. Affirm., dummodo 1° procurator speciali mandato ad contrahendum cum certâ personâ instructus sit; 2° mandatum per seipsum impleat, ejusque limites non excedat; non potest alium delegare, nisi habeat expressam mandantis licentiam; 3° mandatum eo tempore, quo nomine mandantis contrahit, revocatum non sit, ne mentaliter quidem; 4° procurator cum comparte matrimonium contrahat coram Parocho et testibus, mandato prius illis exhibito; hoc tamen non ubique ad *valorem* postulatur. (*n.* 885.)

In hujusmodi nuptiis Parochus interrogare debet procuratorem: »Vis in »uxorem accipere Luciam N. nomine »N. N.?", deinde sponsam: »Vis in ma»ritum tuum accipere Franciscum N., »mediante præsente suo procuratore?" (*n.* 886.)

Cæterum Parochus non debet, inconsulto Episcopo, matrimonium per procuratorem permittere; cum ex praxi Ecclesiæ vix inter alios quam inter Principes sic matrimonia contrahantur.

QUÆR. 3° *An etiam per epistolam possit matrimonium contrahi?*

Resp. Affirm., sicut alius contractus, modo tamen traditio et acceptatio utriusque contrahentis fiat coram eodem Parocho et iisdem testibus, quod tamen non ubique ad *valorem* postulatur.

In hoc casu sponsus ad sponsam scribit se illi semetipsum tradere in maritum eamque accipere in uxorem; sponsa idem rescribit ad sponsum; uterque postea alterius litteras legit coram Parocho et testibus. Sufficit quoque unius epistola, e. g. sponsus scribit ut supra, sponsa coram Parocho et testibus eam epistolam legit, suumque exprimit consensum dicendo se illi semetipsam tradere in uxorem eumque accipere in maritum. (*n.* 886.)

QUÆR. 4° *Quantum delinquat, et ad quid obligetur, qui ficte contrahit matrimonium?*

Resp. 1° Graviter peccat, peccato injustitiæ in contractu, et sacrilegii in Sacramento.

2° Regulariter tenetur, deposita fictione, verum præstare consensum, ut injuriam alteri parti illatam reparet. Dico: *regulariter;* quia, si ad contrahendum coactus fuerit, aut, dum contrahebat, manifesta dederit fictionis indicia, aut compars separationi consentiat, aut ex nuptiis infelices exitus prævideantur, non teneretur. (*n.* 887. 1113.)

Advertendum porro, in foro externo, cui compars se conformare potest, fidem non præstari asserenti se ficte contraxisse, etiamsi juramento id confirmaret, nisi indubiis indiciis fictionem probet. (*n.* 908.)

QUÆR. 5° *An valeat Matrimonium initum cum consensu conditionato?*

Resp. Dist. 1° Si conditio apposita sit *de præterito* vel *de præsenti*, e. g.: »Duco te, dummodo sis virgo, nobilis," non suspendit matrimonii valorem, sed hoc statim valet vel non valet, prout exsistat vel non exsistat conditio. Suspenditur tamen licitus matrimonii usus, donec exploratum fuerit conditionem reapse exstitisse.

2° Si conditio sit *de futuro* subdistinguendum est: a) Si *contraria sit substantiæ matrimonii*, nempe contra triplex bonum ejus, nullum est matrimonium; nam sine substantiâ nihil potest subsistere. Porro contra bonum *prolis* esset conditio de procurandâ sterilitate aut impotentiâ, de impediendâ prolis conceptione,[1] de procurando abortu vel prolis natæ peremptione. Contra bonum *fidei* esset conditio se prostituendi aliis pro quæstu, conditio excludens jus exigendi et obligationem reddendi debitum, e. g. conditio servandi aut vovendi perpetuam castitatem. Contra bonum *Sacramenti* esset conditio de matrimonii vinculo ob adulterium vel aliam causam dissolvendo. Ita ex *Cap.* 7. *de condit. appos.* et Declar S. C. S. Off. 11 Mart. 1868. ad dub. 3.[2]

b) Si *non repugnet substantiæ* matrimonii, et *honesta* sit, matrimonium suspenditur usque ad illius eventum. Si *turpis* sit, ex Juris Canonici dispositione *cap.* 7. *de condit. appos.* pro non adjectâ habetur, et matrimonium præsumitur pure initum; nihilominus, cum præsumptio cedat veritati, si constet conditionem serio adjectam et consensum nonnisi sub ejus eventu præstitum esse, non valebit matrimonium. Ejusmodi turpis conditio esset e. g. »Contraho tecum, »si intra tres menses tantam dotem fu»rata fueris." (*n.* 890. 891. Salmant. *tr.* 9. *cap.* 7. *n.* 85—107.)

Interim recte monent DD. matrimonia conditionalia sine urgentissima causa a Parochis nunquam admitti debere; tum quia minus decent dignitatem Sacramenti, tum quia variis incommodis et

[1] Idem valet de conditione apposita *aliquot* filios procreandi, de cætero abutendi matrimonio; vel generationem impediendi, donec ad meliorem fortunam pervenerint; quia, si revera *conditio* est, qua mutua *jura* restringunt, est contra substantiam matrimonii, quod postulat traditionem juris matrimonialis *perpetui*. (Lehmk. *n.* 689. *sub* 5.)

[2] Collect. S. Sedis. *n.* 917.

difficultatibus obnoxia sunt, quæ deinde occurrere possunt contra illorum valorem. (*n.* 892. *in fine.*)

QUÆR. 6° *An, impleta conditione, requiratur novus consensus?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis affirmat; quia matrimonium est Sacramentum; Sacramenta autem non possunt pendere a futura conditione, sed statim aut valida aut nulla sunt. Ita Suar. Concin. Pont. Valent. Covar. Soto, etc.

2ª Sententia probabilior negat; quia hoc Sacramentum habet rationem contractûs, omnes autem contractus sub conditione initi, impletà conditione, sine novo consensu perficiuntur. Ita Sanch. Laym. Bonac. Castrop. Navar. Roncag. Salm. etc.

In praxi consultum est renovare consensum. (*n.* 895. H. A. *n.* 34.)

CAPUT III.

RATIO SACRAMENTI.

Agemus 1° de materia, forma, et ministro hujus Sacramenti, 2° de potestate Ecclesiæ in hoc Sacramentum.

ARTICULUS I.

MATERIA, FORMA, ET MINISTER HUJUS SACRAMENTI.

450. — **Principia.** I. Omne matrimonium inter Christianos contractum est Sacramentum. Ratio est, quia Decretum Eugenii IV et Conc. Trid. *sess.* 24. *can.* 1. dum definiunt matrimonia Christianorum Sacramentum esse, loquuntur universaliter et indefinite, sine distinctione vel exceptione; ergo comprehendunt omnia matrimonia, quæ a Christianis valide ineuntur. Unde consequitur, in Matrimonio baptizatorum non posse rationem contractûs a ratione Sacramenti separari. Constat præterea ex Decreto Pii IX *Ad Apostolicæ Sedis.* 22 Aug. 1851., ex ejusdem Syllabo prop. 66. et 73. et ex Constit. Leonis XIII *Arcanum.* 10 Febr. 1880.

II. Minister hujus Sacramenti non est Sacerdos Matrimonio assistens, sed ipsi contrahentes. Ratio est, quia ante Conc. Trid. matrimonium clandestinum absque Sacerdote erat validum, et etiamnum, ubi Conc. Trid. decretum non obligat, est validum, tam in ratione Sacramenti quam in ratione contractûs, ut patet ex principio 1°; ergo Minister hujus Sacramenti non est Sacerdos, sed ipsi contrahentes sibi mutuo Sacramentum administrant. Insuper Decretum Eugenii IV statuit causam efficientem Sacramenti Matrimonii esse mutuum consensum contrahentium; illi ergo sunt Ministri. (*n.* 897.)

III. Materia *remota* Matrimonii, circa quam Sacramentum versatur, sunt corpora contrahentium: materia *proxima*, ex qua Sacramentum constituitur, est mutua corporum traditio, seu mutua potestas in corpora: *forma* est mutua corporum acceptatio, seu mutuus consensus, verbis vel signis expressus. Ratio, quia eadem est materia et forma Matrimonii, prout Sacramentum est, ac prout contractus est; hic namque a Christo Domino non est mutatus, sed tantum elevatus ad dignitatem Sacramenti; atqui in omni contractu res, de qua contrahitur, est materia remota, translatio dominii in rem est materia proxima, mutua acceptatio est forma contractum perficiens. (*n.* 880. 897. 898.)

451. — **Resolutiones.** 1° Matrimonia per procuratorem celebrata, cum sint legitimi contractus, vera etiam sunt Sacramenta.

2° Conjugia malitiose contracta coram Parocho reluctante et benedictionem denegante, sunt quidem graviter illicita, sed valida et vera Sacramenta; et hoc procedit, etiamsi Parochus affectet se non intelligere, oculos et aures claudendo, ut pluries declaravit S. C. C.

3° Matrimonia celebrata cum impedimento dirimente, quando postea, sublato impedimento per dispensationem, convalidantur, tunc evadunt Sacramenta.

4° Si Parochus in statu peccati mortalis assistat matrimonio, non peccat graviter; quia non ministrat Sacramentum. (*n.* 899.)

452. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quid sentiendum sit de matrimoniis hæreticorum, qui non credunt Matrimonium esse Sacramentum?*

Resp. Non obstante eorum errore, vere sunt Sacramenta; cum enim matrimonium inter Christianos non possit fieri sine Sacramento, eo ipso quod volunt contrahere matrimonium validum, volunt implicite perficere Sacramentum. (Lugo. *De Pœnit. disp.* 14. *n.* 42. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 1. *n.* 303. 304.)

QUÆR. 2° *An Sacramentum sit Matrimonium, quod fidelis cum infideli ex Apostolica dispensatione contrahit?*

Resp. Aliqui affirmant Sacramentum esse ex parte conjugis fidelis; quia omnia ad Sacramentum requisita adsunt, nempe materia, forma, et minister. Verum communiter negatur; quia, sicut unus in utroque conjuge est contractus, ita unum quoque ab utroque contrahentium receptum Sacramentum; igitur vel in utroque esse Sacramentum debet, vel in neutro, sicut in utroque vel in neutro est contractus; non potest autem esse Sacramentum ex parte infidelis, uti claret; ergo neque ex parte fidelis Sacramentum erit. (Schmalzgr. *loc. cit.* *n.* 306–308.)

QUÆR. 3° *An Matrimonium infidelium, si convertuntur ad fidem et baptizantur, transeat in Sacramentum?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia solus *contractus* nuptialis est Sacramentum; sed contractus iste transiit; ergo tempore Baptismi deest materia et forma. Ita Vasq. Coninc. Pont. Castrop. Perez, Diin. etc.

2ª Sententia communior affirmat; sed hujus patroni aliqui censent ita transire ipsa Baptismi susceptione; alii novum consensum requirunt. Ratio est, quia mutuus consensus, quo efficitur Sacramentum, perseverat vel renovatur, quod sufficit. Ita Sanch. Bellarm. Laym. Bonac. Guttier. Rebell. Henriq. Filliuc etc. (Schmalzgr. *loc. cit.* *n.* 309—311. Catalani. *part.* 3. *qu.* 11. *cap.* 2. *n.* 8.)

ARTICULUS II.

POTESTAS ECCLESIÆ IN HOC SACRAMENTUM.

453. — **Principia.** I. Causæ matrimoniales spectant ad forum dumtaxat Ecclesiæ; res vero temporales seu effectus civiles matrimonii spectant ad forum civile. Prius constat ex Trid. *sess.* 24. *can.* 12., ex Syllabo Pii IX prop. 74. et ex Constit. Leonis XIII *Arcanum.* 10 Febr. 1880.; ratio est, quia Sacramenta, utpote res spirituales, pertinent ad forum Ecclesiæ; atqui matrimonium inter Christianos est Sacramentum; ergo... Posterius ex se liquet.

Porro, nomine *causarum matrimonialium* veniunt: sponsalium valor, obligatio et dissolutio; matrimonii valor, licita et valida ejusdem celebratio, jura et obligationes conjugum, divortium seu dissolutio vinculi aut cohabitationis, matrimonii impedimenta eorumque relaxatio, legitimitas prolis, et aliæ hujusmodi.

Nomine *causarum temporalium* seu *effectuum civilium* matrimonii veniunt: dos uxoris, donatio nuptialis, temporalium bonorum regimen, successio hæreditaria, et id genus aliæ.

II. Potest Ecclesia constituere impedimenta matrimonium dirimentia: idque non potest civilis potestas. Prius constat ex Trid. *sess.* 24. *can.* 3. *et* 4., et ex perpetua Ecclesiæ praxi; ratio vero est, quia potest Ecclesia, quando id ad Reipublicæ Christianæ bonum et rectam fidelium gubernationem expedire videbitur, in omnibus contractibus suæ potestati subjectis certam formam et solemnitates constituere, et ad eos celebrandos personas habilitare vel inhabilitare, sicut idem potest potestas civilis respectu contractuum mere civilium; atqui Sacramentum Matrimonii supponit contractum, in quo fundatur; ergo potest Ecclesia impedire quominus contractus exsistat. Sic faciendo non mutat materiam et formam Sacramenti, sed efficit tantum ut materia et forma non adsint; quemadmodum, si quis corrumpat panem et vinum, non mutat materiam Eucharistiæ. Ratio posterioris est, quia Sacramenta Ecclesiæ, quale etiam est Matrimonium, civilibus legibus non subduntur.

454. — **Quæstio.** *An matrimonia infidelium subsint potestati civili?*

Resp. Multi antiquiores affirmarunt; quia hæc matrimonia, ut aiunt, sunt contractus mere civiles. Sed errant; non enim sunt contractus mere civiles. Probatur ex Constit. Leonis XIII *Arcanum.*; etenim, ut arguit Pontifex, cum matrimonium habeat Deum auctorem, fuerit que vel a principio quædam Incarnationis Verbi Dei seu unionis Christi cum Ecclesia adumbratio, idcirco inest in eo sacrum et religiosum quiddam, non adventitium, sed ingenitum, non ab hominibus acceptum, sed naturâ insitum. Idipsum confirmant monumenta

antiquitatis, quæ testantur matrimonium apud omnes gentes fuisse semper habitum ut rem sacram; quare nuptiæ apud illas non sine cæremoniis religionum, auctoritate pontificum, ministerio sacerdotum fieri sæpe consueverunt. Igitur, cum matrimonium sit suâ naturâ sacrum, consentaneum est ut regatur, non principum auctoritate, sed divina auctoritate Ecclesiæ, quæ rerum sacrarum sola habet ministerium.

CAPUT IV.

MATRIMONII PROPRIETATES.

Explicatâ essentiâ Matrimonii, explanandæ sunt ejus proprietates. Præter sanctitatem, duæ numerantur, unitas scilicet et indissolubilitas.

ARTICULUS I.

UNITAS MATRIMONII.

455. — Matrimonii unitas consistit in conjunctione unius viri cum unâ uxore. Huic unitati opponitur *polyandria*, seu pluralitas virorum, et *polygamia*, seu pluralitas uxorum. Non adversatur unitati Matrimonii pluralitas uxorum aut virorum *successiva*, si quis nempe post dissolutionem unius Matrimonii ineat aliud.

Principia. I. Unitas Matrimonii jure naturali exigitur. Patet ex ejus institutione in Genes. II.; rationes autem sunt: 1° quia unitatem exigunt ipsi fines matrimonii, ut ex dicendis patebit; 2° quia significat conjunctionem unius Christi cum unâ Ecclesiâ.

II. Polyandria jure naturali ita prohibita est, ut nunquam permissa fuerit, neque ullius gentis usu recepta. Rationes sunt: 1° quia repugnat fini conjugii primario, nempe generationi et bonæ educationi prolis: *generationi* quidem, quia mulier pluribus se commiscendo nunquam vel raro concipit, ut patet in meretricibus: *educationi* autem, quia ex commixtione cum pluribus viris proles incerti est patris, unde nullus eam tamquam suam tenetur agnoscere et curam educationis suscipere, quod tamen præcipuum officium patris est. 2° Repugnat plura capita esse in eâdem familia. 3° Tollit significationem matrimonii.

III. Etiam polygamia prohibita est jure naturali: at minus stricte, ita ut ex divina concessione populo Israëlitico olim permissa fuerit. Ratio est, quia adversatur finibus secundariis matrimonii; nam 1° non satis consulit concupiscentiæ uxoris, cum vir in plures uxores distractus minus possit singulis reddere debitum; 2° pacificam cohabitationem disrumpit, ob uxorum zelotypiam, præsertim si una præ aliis a viro diligeretur. Deinde non repræsentat unionem Christi cum Ecclesiâ, unius Sponsi cum unâ Sponsa. Divina concessio facta populo Judaico patet exemplo Patriarcharum, qui erant viri sanctissimi, et a Scriptura non reprehenditur, ut liquet ex Deuter. XXI. 15—17.; motivum hujus concessionis fuit, ut gens a Deo electa citius multiplicaretur.

Dixi: OLIM *permissa fuit*, post diluvium nempe; Christus vero matrimonium ad primævam Dei institutionem revocavit, apud Matth. XIX, ita ut jam non solum Christianis, sed et aliis gentibus omnibus polygamia prohibita sit.

ARTICULUS II.

INDISSOLUBILITAS MATRIMONII.

456. — **Principia.** I. Matrimonium quodcumque, sive legitimum sive ratum sive consummatum, vivente utroque conjuge, est ipso jure naturali quoad vinculum indissolubile. Rationes sunt: 1° quia tum recta liberorum educatio, tum mutuus amor inter parentes et liberos perpetuam parentum conjunctionem exigunt; 2° quia consummatum significat indissolubilem unionem Christi cum Ecclesiâ per carnem assumptam. Constat insuper ex prop. 67. damn. a Pio IX in Syllabo errorum: »Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, »in variis casibus divortium proprie »dictum auctoritate civili sanciri potest."

II. Ex solâ Dei permissione vinculum matrimonii dissolvi potest. Ratio est, quia quod Deus conjunxit, homo non separet; e converso Deus est Auctor naturæ et Supremus omnium Dominus.

Porro 1° in lege Mosaica Judæis divinâ dispensatione permissum fuit repudium uxorum suarum ob legitimam causam, ut habetur in Deuter. XXIV. 1. Sed hanc permissionem Christus Dominus sustulit, apud Matth. XIX. 7—9.

2° Matrimonium consummatum Christianorum est jure naturali et divino-positivo omnino indissolubile. Constat ex Trid. *sess.* 24. *can.* 5. *et* 7., et ex Scriptura in Matth. XIX. 6. Rom. VII. 2. et 3. I Cor. VII. 10. et 11.

3° Reliqua matrimonia non habent omnimodam indissolubilitatem, sed possunt aliquando ex Christi concessione dissolvi. De hac dissolutione agemus in Parte IV.

CAPUT V.

SUBJECTUM MATRIMONII.

457. — **Principia.** I. Subjectum capax matrimonii ille est, qui nullo impedimento dirimente ligatur. Unde inter infideles, quum non subjaceant legibus Ecclesiæ, sufficit immunitas ab impedimentis juris naturalis et divini. Inter baptizatos vero requiritur immunitas ab omni impedimento tum juris naturalis et divini, tum Ecclesiæ.

II. Matrimonium inter Christianos, cum sit Sacramentum vivorum, in suscipientibus requirit statum gratiæ, ideoque et immunitatem ab omni impedimento prohibente.

Quocirca notandum est: 1° Si Matrimonium invalide contractum fuerit, status gratiæ requiritur, quando convalidatur.

2° Sacramentum Matrimonii sacrilege susceptum, remoto obice, reviviscit et gratiam confert.

3° Nullum exstat Ecclesiæ præceptum Matrimonio præmittendi Confessionem sacramentalem; etenim Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.* et Rit. Rom. *hortantur* dumtaxat sponsos ad Confessionem et Communionem.

III. Sponsi tenentur quoque Christianæ Religionis rudimenta callere, ea scil. quæ ad salutem necessaria sunt. Ratio est, non solum quia quivis fideles sub gravi ea scire tenentur, verum etiam quia conjuges ea deinde filios suos docere debent. Ita Rit. Rom. *tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 1. Bened. XIV Constit. *Etsi minime.* 7 Febr. 1742. *De Syn. lib.* 8. *cap.* 14. *n.* 5. 6.

Propterea Parochi tenentur, priusquam matrimonium proclamant, sponsos, quatenus opus est, de iis examinare et instruere. Nihilominus, si qui sint adeo hebetis ingenii et exilis memoriæ, ut post omnem adhibitam diligentiam illa rudimenta memoriâ retinere et recitare non valeant, non debent perpetuo arceri a matrimonio; sed curabit Parochus, ut qui eo memoriæ defectu laborant, frequenter audiant, quæ semel crasse didicerunt, ne ab eorum mente penitus elabantur. (Bened. XIV. *De Syn. loc. cit.*)

458. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Parochus exigere possit, ut sponsi confessionem Matrimonio præmittant?*

Resp. Negat., nisi lex diœcesana aut consuetudo eam præscribat. Patet ex supradictis. Nihilominus, etiamsi lex diœcesana exstet, si qui sponsi eam implere nollent, et ex denegatâ assistentiâ Parochi majus malum timeretur, puta sic dictum matrimonium mere civile vel concubinatus, Parochus matrimonio assistere debet; tunc enim lex ex epikeiâ ipsum non obligat, et majus malum impedire tenetur.

QUÆR. 2° *An liceat matrimonium inire cum publico peccatore?*

Resp. Negat., per se loquendo; quia non licet Sacramenta ministrare publico peccatori. Excusat tamen gravis causa, si nempe sine gravi incommodo nequeat a matrimonio recedere; quia cooperatio ad alterius sacrilegium tantum materialis est, et ideo ex gravi causa licita. Sed hujusmodi nuptiæ illicitæ esse possunt ob periculum perversionis pro altero sponso et pro liberis, atque ob grave scandalum; nisi utrumque aptis mediis tollatur.

In praxi fideles communiter ignorant se Sacramentum *administrare*, et illi, qui se ejusmodi matrimoniis implicant, cooperationem ad sacrilegium non advertunt.

PARS TERTIA.

DE MATRIMONII CELEBRATIONE.

Postquam Matrimonium in seipso consideravimus, gressum facimus ad ejus celebrationem. Porro, antequam matri-

monium in facie Ecclesiæ contrahatur, præcedere debent denuntiationes seu publicationes ipsius matrimonii contrahendi; deinde matrimonium ritu præscripto celebratur; postea solemniter benedicitur. Hæc tria modo expendemus.

CAPUT I.

MATRIMONII DENUNTIATIONES.

459. — Denuntiationum nomine intelliguntur publicæ proclamationes nominum sponsorum, inter quos Matrimonium est contrahendum, eum in finem, ut si quis aliquod impedimentum canonicum noverit inter sponsos, illud manifestet Parocho. De iis examinandum est 1° quanta sit earum obligatio; 2° quomodo fieri debeant; 3° quæ sit obligatio revelandi impedimenta; 4° quæ dispensatio hac lege solvat.

ARTICULUS I.

OBLIGATIO DENUNTIATIONUM.

460. — **Principia.** I. Denuntiationes ex præcepto Ecclesiæ regulariter præmitti debent Matrimonio. Constat ex Concil. Later. IV et Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.*

Dictum est: *regulariter* PRÆMITTI *debent;* quia, si quando ob probabilem suspicionem matrimonium malitiose impediri posse, de licentiâ Episcopi omissæ fuerint *ante* matrimonium, postea ante illius consummationem faciendæ sunt, nisi Ordinarius expedire judicaverit illas omittere. Ita Trid. *loc. cit.*

Deinde, si intra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, repetendæ sunt proclamationes, nisi aliter Episcopo videatur. Ita Rit. Rom. *tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 11.

II. Præfatum præceptum sub gravi obligat. Constat tum ex gravibus verbis, quibus utuntur Concilia, tum ex gravitate materiæ et finis; finis enim est, ut illicita et invalida matrimonia cum infaustis eorum sequelis arceantur. Unde peccant lethaliter tam Parochus assistens matrimonio, quam ipsi contrahentes, si denuntiationes culpabiliter omittantur.

461. — **Notanda.** 1° Antequam Matrimonium denuntiet, tenetur Parochus privatim examinare sponsos, sed seorsim et caute, circa impedimenta forte exstantia, puta de libero consensu, de sponsalibus cum alio, de consensu parentum, et sic porro. Constat ex Conc. Lateran. IV et Constit. Bened. XIV *Nimiam licentiam.* 18 Maji 1743. *n.* 10.

2° Pro extraneis, priusquam proclamationes fiant, duo requiruntur, scil. a) authenticum testimonium de eorum statu libero ab omni impedimento canonico, cumprimis ab impedimento ligaminis, datum ab Ordinariis locorum, in quibus exteri *post pubertatem* moram traxerunt. Ordinarii illi tenentur hâc de re diligens examen instituere juxta normam Instructionis S. C. Inquis. 21 Aug. 1670. b) Licentia Ordinarii diœcesis, in qua matrimonium contrahere volunt; hic etiam tenetur instituere diligens examen de eorum statu libero. — Præfatum tamen testimonium proprii exterorum Ordinarii non requiritur in periculo mortis, ubi tempus non suppetit; verumtamen, si ægrotus reconvalescat, examen de statu libero institui debet, priusquam conjugibus matrimonium consummare liceat. Constat de prædictis ex Decreto S. C. Inquis. et ejusdem Declaratione, ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 7. *ref. matr.* et Rituali Rom. *n.* 6. (*n.* 991. 1089. 1090. Analecta Jur. Pont. *ser. I. col.* 817.)

3° Matrimonia minorennium et militum denuntianda non sunt, nisi illi habeant licentiam lege civili requisitam; ut evitetur conflictus cum potestate civili.

462. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An omissio denuntiationum etiam tum peccatum mortale sit, cum Parochus jam per investigationem certus factus est nullum subesse impedimentum?*

Resp. Affirm.; tum quia lex non desinit obligare, etiamsi ejus finis in casu particulari cesset; tum quia finis præcepti non adæquate cessat; nam si, neglectis denuntiationibus, contingat ut postea innotescat impedimentum, filii reputabuntur illegitimi, dum alias legitimi habiti fuissent; præterea in Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *ref. matr.* contrahentibus sine denuntiationibus adimitur spes obtinendi dispensationem impedimenti. *Ita communissime.* (*n.* 990.)

QUÆR. 2° *An in prædicto casu omittere unam tantum denuntiationem absque legitimâ causâ sit grave peccatum?*

Resp. Graves DD. probabiliter negant; quia tunc reputatur materia levis; esset tamen peccatum veniale. (*n.* 990.)

QUÆR. 3° *An in casu, quo denuntiationes faciendæ sunt post contractum matrimonium, grave peccatum sit illud consummare ante expletas denuntiationes?*

Resp. Affirm., non primâ vice solum, verum toties quoties conjuges copulam habent; quia se exponunt proximo periculo fornicationis, cum non præmissa sit sufficiens diligentia, quam Ecclesia præcipit in indagandis matrimonii impedimentis. *Ita communiter.*

Si tamen *certi* essent nullum subesse impedimentum, videntur primâ vice tantum mortaliter peccare; quia tunc, violato jam præcepto per consummationem, illud amplius non urget. (*n.* 990.)

ARTICULUS II.

MODUS DENUNTIANDI.

463. — Juxta Conc. Trid. *loc. cit.* debent tres denuntiationes fieri a proprio contrahentium Parocho, in Ecclesia, inter Missarum solemnia, tribus continuis diebus festivis. Formula exhibetur a Rituali Rom. *n.* 13.

Dicitur 1° *a proprio contrahentium Parocho;* unde a) si sponsi sint ex diversis Parochiis, in utrâque Parochiâ denuntiationes fieri debent, ut diserte statuit Rit. Rom. *n.* 8.

b) Si sponsi in uno loco habent domicilium verum, in alio quasi-domicilium, in utroque proclamationes faciendæ sunt; quia duo sunt eorum proprii Parochi.

c) Si alter vel uterque sponsus domicilium alio transtulit, denuntiationes fieri debent in illo etiam loco, unde recenter profecti sunt. Secus, si jam satis diu, scil. per sex menses, inde profecti sunt; in hoc casu sufficit quod fiant in Parochiâ, in quâ tempore denuntiationum ita habitant, ut ratione domicilii vel quasi-domicilii parochiani illius sint. (*n.* 991. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 3. *n.* 15—19. V. d. Burgt. *De Matrim. n.* 384.)

d) Matrimonia vagorum, qui nullibi domicilium habent, proclamanda sunt tum in Parochiâ, in qua actu commorantur et matrimonium contracturi sunt, tum in Parochiâ, ubi nati sunt vel diutius permanserunt. Idem valet pro matrimoniis militum et famulorum, qui in loco, ubi degunt, domicilium non habent. (V. d. Burgt. *loc. cit.*)

e) In dubio ubinam sponsi denuntiari debeant, recurrere debet Parochus ad Ordinarium. (Schmalzgr. *loc. cit. n.* 19.)

f) Quandocunque matrimonium in duabus Parochiis denuntiandum est, neuter Parochus nuptiis assistere potest, nisi accepta alterius Parochi attestatione quod tres denuntiationes in suâ Parochiâ rite factæ fuerint, nullumque inde impedimentum detectum fuerit.

g) Non tenetur Parochus denuntiationes ipsemet facere, sed potest vices suas alteri committere, ex Regulâ Juris 72. in 6: »Qui facit per alium, perinde »est ac si faciat per seipsum." (Schmalzgr. *loc. cit. n.* 12.)

Dicitur 2° *in Ecclesiâ, inter Missarum solemnia;* id est, in Ecclesiâ parochiali, et intra Missam solemnem, ob majorem concursum populi, qui ibidem fieri consuevit, ut adeo facilius speretur impedimenti, si quod subesset, manifestatio.

Dicitur 3° *tribus continuis diebus festivis;* dies *festivi* intelliguntur dies Dominici aliique dies festi de præcepto; dies festivi *continui* dicuntur, inter quos non interponitur alius dies festivus. Requiruntur dies *festi*, tum ob frequentiam populi, tum ob tempus necessarium ad detegenda impedimenta; debent esse *continui*, ne matrimonium nimium differatur. Propterea, et sic praxis fert, tres dies festi non debent esse ita continui, ut sibi immediate succedant, absque duorum triumve dierum ferialium interpolatione; si tamen ita fieret, probabiliter non violaretur præceptum, cum Concilium id non prohibeat. (*n.* 992.)

464. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An denuntiationes fieri possint diebus festis suppressis?*

Resp. Distinguendum videtur: 1° *Affirm.*, si ita suppressi fuerint, ut solemnia officia peragi debeant ut antea, et populus frequens ad ecclesias accedat. 2° *Negat.*, si vel solemnia officia non peragantur, vel cessaverit populi frequentia in ecclesiis. Colligitur ex Declar.

S. C. C. 17 Jun. 1780. 19 April. 1823. 7 April. 1862. (Feye. *De imped. n.* 241—245.)

QUÆR. 2° *An denuntiationes possint absque peccato fieri die non festivo, extra Missarum solemnia et extra Ecclesiam, casu quo populus conflueret v. g. ad concionem audiendam, ad processionem instituendam?*

Resp. Ex cit. Declar. S. C. C. negandum videtur. (Feye. *n.* 246. 247.) Probabile tamen est id non esse peccatum grave, et, si adesset justa causa, nullum peccatum; quia jam salvatur finis a Concilio intentus, Concilium namque solum spectare videtur frequentiam populi, ut nuptiæ celebrandæ ad multorum notitiam perveniant, quo facilius impedimenta detegantur. (*n.* 991. 992. Feye. *n.* 262.)

QUÆR. 3° *An sit peccatum grave non continuis diebus festis denuntiationes facere?*

Resp. Negat., si unus alterve tantum dies festus non immediate succedens prætereatur; quia videtur esse levis materia. Secus tamen foret, si plures dies festi intercederent; tunc enim periculum esset ne populus obliviscatur denuntiationum præcedentium, et matrimonium nimium differretur. (*n.* 992.)

ARTICULUS III.

OBLIGATIO REVELANDI IMPEDIMENTA.

Expendemus 1° obligationem fidelium, 2° officium Parochi et Ordinarii.

§ I. *Obligatio fidelium.*

465. — Quisquis novit impedimentum, sive dirimens sive prohibens, regulariter loquendo tenetur sub peccato mortali illud quamprimum revelare Parocho. Ratio est, non solum præceptum Ecclesiæ, sed etiam lex divina positiva et naturalis, quæ postulat ut vitetur tum irreverentia Sacramenti, tum damnum spirituale sponsorum, ac filiorum, qui illegitimi essent.

Dixi: *regulariter loquendo;* nam aliquæ sunt exceptiones, nimirum 1° si matrimonium illicitum vel invalidum aliter impedire possit, puta admonendo sponsos ut vel a nuptiis desistant vel pro dispensatione sollicitent. Imo hæc admonitio semper præmittenda est, quando impedimentum oritur ex peccato occulto, dummodo monitio profutura speretur et tempus non urgeat; quia charitas postulat ut peccatum proximi vitetur cum quam minimo illius damno. (*n.* 994.) — 2° Si ex revelatione grave damnum sibi aut aliis, vel grave scandalum aliorum, prudenter timeret; quia neque lex ecclesiastica neque præceptum correptionis fraternæ obligat cum gravi incommodo. (*n.* 995.) — 3° Si norit sponsos impetrasse dispensationem occultam pro foro conscientiæ, dummodo impedimentum sit occultum. (*n.* 994.)

466. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An ad manifestationem impedimenti obligetur, qui illud sub secreto novit?*

Resp. Affirm., etiamsi secretum juramento firmatum esset; ubi enim secretum vergit in damnum publicum aut in præjudicium tertii, non obligat; hoc autem evenit in casu nostro, siquidem tendit in præjudicium matrimonii, in irreverentiam Sacramenti, et in damnum spirituale sponsorum. Excipe tamen, si cui *vi officii sui* secretum commissum fuerit ad remedium aut consilium petendum, puta medico, advocato; quia jus positivum non potest juri naturæ derogare, quod postulat ut ejusmodi secretum fidissime servetur. (*n.* 994. *lib.* 4. *n.* 248. *Not. I.*)

QUÆR. 2° *An ille teneatur ad manifestationem impedimenti, qui solus id novit?*

Resp. Nonnulli negant; quia uni testi non creditur. Sed sententia communissima et verior affirmat; quia regula allegata solum procedit quando agitur de crimine aliquo puniendo, vel de jure alteri jam quæsito auferendo, aut de matrimonio dissolvendo; atvero, quando agitur de vitando peccato, et matrimonio cum impedimento non contrahendo, unius testis depositio in foro externo admittitur. (*n.* 995.)

QUÆR. 3° *An ille etiam teneatur impedimentum denuntiare, qui illud novit ex solo auditu?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.* si audivit a personâ fide dignâ, et hæc non denuntiet; quia talis persona fidem facit, et idcirco a Prælato vel Parocho citari potest ejusque testimonium accipi. 2° *Negat.* vero, si persona, à quâ audivit, non est fide digna, vel si audivit, sed non recordatur a quo audierit. (*n.* 994.)

QUÆR. 4° *An, si Ordinarius, vel Parochus ab eo delegatus, petat a sponsis num laborent impedimento aliquo, ipsi hoc debeant manifestare, quamvis occultum sit?*

Resp. Tenentur vel impedimentum manifestare vel abstinere a Matrimonio; quia, quandocumque animæ periculum vertitur, prout in casu nostro ne impediti contrahant, judex legitime interrogat, etiamsi infamia non præcesserit. Excipe tamen, si dispensationem impetrassent pro foro conscientiæ; tunc non tenentur fateri, nisi adesset fama publica de illo impedimento vel accederent alia indicia. (n. 1000.)

§ II. *Officium Parochi et Ordinarii.*

467. — Si, dum fiunt denuntiationes, impedimentum aliquod ad Parochum delatum fuerit, vel ipsemet detexerit, debet Matrimonii celebrationem sponsis interdicere. Interea debet ulterius inquirere rei veritatem. Si certitudinem impedimenti inde acquirat, satagere debet ut sponsi vel Matrimonio renuntient, vel dispensationem petant. Si vero dubium remaneat, debet accuratam causæ relationem deferre Ordinario, ut illam examinet, hujusque sententiam exspectare. Ita ex *Cap.* 3. *de cland. desp.* et Constit. Bened. XIV *Nimiam licentiam.* 18 Maji 1743. *n.* 10.

Si contra, absolutis denuntiationibus, nullum oppositum fuerit impedimentum, Parochus procedere debet ad Matrimonii celebrationem in facie Ecclesiæ.

468. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Parochus vel Ordinarius, si ipse solus noverit impedimentum, teneatur impedire Matrimonium, etiamsi publice petatur?*

Resp. 1° De Parocho, *affirm.;* quia, si quilibet tenetur impedimentum revelare, etiamsi solus illud sciat, a fortiori Parochus, cui incumbit ex officio impedimenta investigare et saluti spirituali ovium suarum consulere. Neque obstat, peccatori occulto publice petenti Sacramentum non esse negandum; nam hæc regula procedit, quando agitur dumtaxat de *illicita* Sacramenti susceptione, quæ cedit tantum in damnum suscipientis; secus vero, si agatur de *invalida* susceptione; utpote quæ non solum cedit in damnum suscipientium, sed etiam filiorum, et est origo multorum malorum inde sequentium. (*n.* 1002.)

2° De Ordinario, *affirm.* quoque; quia, quando agitur de peccato impediendo, potest quis esse simul judex et testis; secus, proferendo sententiam de matrimonio contrahendo, cooperaretur ad ineundum matrimonium nullum, quod intrinsece malum esset. (*n.* 999. 1002.)

QUÆR. 2° *Quomodo se gerere debeat Parochus vel alius Confessarius, qui impedimentum ab altero sponsorum intellexit in ipsa confessione sacramentali?*

Resp. Generatim loquendo, debet pœnitentem monere ut vel a contractu matrimonii desistat vel dispensationem petat. Si dispensationem impetrare velit, et impedimentum *publicum* sit, Parochus pœnitentem monere debet ut extra Confessionis tribunal sibi impedimentum manifestet; alius Confessarius pœnitentem hunc in finem remittere debet ad Parochum: sin autem impedimentum *occultum* sit, quilibet Confessarius dispensationem impetrare potest pro foro conscientiæ.

Dixi: *generatim loquendo;* aliquando enim aliter procedere debet, quemadmodum n. 273. exposuimus, quem locum recolat lector. (Feye. *n.* 274.)

QUÆR. 3° *An unus testis de impedimento sufficiat ut Episcopus prohibeat Matrimonii celebrationem?*

Resp. Ex communissima et veriori sententia, contra paucos, sufficit, dummodo testis ille 1° deponat ex certa scientia, non ex auditu; præterquam si impedimentum sit consanguinitatis vel affinitatis, quo in casu sufficit quod deponat se illud audivisse a duobus fide dignis; 2° deponat cum juramento; quia in iis, quæ sunt in præjudicium tertii, non nisi jurato creditur testi; 3° non sit persona vilis; nisi factum sit ita occultum, ut aliter probari nequeat. Ratio hujus sententiæ est, quia agitur de peccato et animæ periculo vitando, ubi minor probatio sufficit. (*n.* 997.)

QUÆR. 4° *An fama publica impedimenti satis sit ad vetandum Matrimonium?*

Resp. Affirm.; ob rationem in præcedenti responso datam. Excipe tamen, si fama infirmetur juramento consanguineorum, vel ipsorum sponsorum. (*n.* 999.)

ARTICULUS IV.

DISPENSATIO A DENUNTIATIONIBUS.

469. — **Principia.** I. Ex justa causa potest Ordinarius dispensare a denuntiationibus. Ratio est, quia hujus prudentiæ et judicio Conc. Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.* id remittit. — Nomine Ordinarii venit, non tantum Episcopus, sed etiam Vicarius Capitularis, sede vacante, et probabilius Vicarius Generalis quoque.

Quodsi sponsi ex diversis diœcesibus sint, requiritur vel utriusque Ordinarii dispensatio, vel dispensatio illius, in cujus diœcesi matrimonium celebratur, et alterius attestatio de statu libero sui subditi, ut declaravit S. C. C. 20 April. 1606. Usus fert ut petatur dispensatio ab utroque Ordinario. (*n.* 1003. 1006. 1007.)

Dixi: *ex justa causa;* hæc ad valorem dispensationis spectat; Concilium enim dispensationem non relinquit cuicumque Episcopi arbitrio, sed *prudenti* tantum, quod idem est ac legitimam causam requirere, inquit Bened. XIV in Constit. *Satis vobis.* 17 Nov. 1741. *n.* 5.

Inter causas legitimas aliæ sunt, ob quas Ordinarius dispensare *tenetur*, puta si agatur de gravi damno vitando, vel de notabili bono obtinendo: aliæ sunt, ob quas dispensare *potest*, sed non tenetur.

Causæ, ob quas Episcopus *tenetur* dispensare, sunt: 1° probabilis timor, ne, si denuntiationes fiant, matrimonium malitiose impediatur; *malitiose*, id est absque justa impediendi causa. 2° Evitatio scandali vel infamiæ, ut si concubini, qui communiter reputantur conjuges, matrimonium contrahere volunt. 3° Probabilis timor ne pars altera voluntatem mutet, et a sponsalibus injuste resiliat, vel puellam defloratam deserat. 4° Si instet tempus Adventûs vel Quadragesimæ, et ex dilatione nuptiarum immineret periculum fornicationis inter sponsos, vel dissolutionis sponsalium. 5° Si urgeat repentinus discessus, v. g. militis desponsati, et, nisi statim copuletur, in continuo periculo incontinentiæ futurus est. 6° Partus instans, priusquam factæ fuerint denuntiationes. 7° Quævis alia causa, quæ prudentis judicio urgens videtur. (*n* 1005. H. A. *n.* 58.)

Causæ, ob quas Episcopus *potest* dispensare, sunt: 1° nuptiæ contrahendæ inter magnates; quia ignotæ esse non solent, et non fiunt absque magnâ deliberatione. 2° Si sponsi sint valde senes, aut valde dispares in ætate, conditione, divitiis, ita ut pudori et ludibrio hominum exponerentur. 3° Si moraliter constet nullum subesse impedimentum. (*n.* 1006.)

In his ergo et similibus casibus Ordinarius dispensare potest ut denuntiationes vel omnino omittantur, vel una tantum fiat, vel post contractum matrimonium differantur. Caveant tamen Episcopi ne *facile* dispensent, ut monet Bened. XIV in Constit. *Satis vobis.* 17 Nov. 1741. *n.* 5.

Advertendum denique, dispensationem a denuntiationibus non remittere, sed potius augere obligationem diligenter inquirendi aliunde de impedimentis; nisi communiter constaret non adesse. (*n.* 1006.)

II. Regulariter loquendo, sola Ordinarii dispensatio excusat a lege denuntiationum. Constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.* et cit. Constit. Bened. XIV *Satis vobis.*

Dixi: *regulariter loquendo;* quia 1° si periculum est in mora, et adiri nequit Episcopus, potest Parochus sine dispensatione Ordinarii denuntiationes omittere, et sponsos conjungere matrimonio; quod enim non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Casus hujusmodi sunt e. g. si miles desponsatus subito avocaretur, et, nisi statim copuletur, in continuo periculo incontinentiæ futurus est; si concubinus in articulo mortis constitutus, ad legitimandam prolem vel ut in bono statu decedat, velit contrahere matrimonium cum concubina. 2° Denuntiationes etiam omitti possunt, si matrimonium semel solemniter celebratum, postea ob repertum latens impedimentum, renovato consensu ratificandum est; si ob civilem vel religiosam perturbationem denuntiationes fieri nequeant; si in casu matrimonii mixti prohibeantur, etc. (*n.* 1003. 1007.)

470. — **Quæstio.** *Quænam Confessario observanda sint, quando matrimonium aliquod secreto vel celebrandum vel revalidandum est?*

Resp. Quandocumque matrimonium celebratum non fuit in facie Ecclesiæ, Confessarius debet petere veniam *secreto* celebrandi vel convalidandi nuptias. Sed, quum in hoc casu de celebrato secreto matrimonio scriptum documentum, in quo exprimuntur contrahentium nomina, confici et Ordinario tradi debeat, ideo necessaria est licentia oratorum, ut eorum nomina manifestentur Ordinario. Consule dicenda n. 472.

2° Si agatur de convalidando matrimonio, quod in facie Ecclesiæ celebratum fuit, attamen invalide ob impedimentum etiamnum occultum, necessaria est sola dispensatio ab impedimento, quâ obtentâ, eo ipso matrimonium secreto inter solos conjuges convalidari potest. (V. d. Burgt. *De Matrim. n.* 402.)

CAPUT II.

RITUS CELEBRATIONIS MATRIMONII.

Agemus 1° de celebratione matrimonii ordinarii, 2° matrimonii conscientiæ; quibus addemus, 3° formalitatem hodierni sic dicti matrimonii civilis.

ARTICULUS I.

CELEBRATIO MATRIMONII ORDINARII.

471. — Ex præscripto Ecclesiæ Matrimonium celebari debet 1° coram proprio Parocho et duobus vel tribus testibus; 2° publice seu in facie Ecclesiæ, id est in conspectu fidelium; 3° cum observatione cæremoniarum Ritualis Romani, vel quæ in diœcesi præscriptæ sunt. Ita Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *reform. matrim.* et Constit. Bened. XIV *Satis vobis.* 17 Nov. 1741. Singula perstringemus.

1° Matrimonia *clandestina*, id est sine Parocho et testibus contracta, semper fuerunt ab Ecclesia graviter prohibita, et ideo ubique mortaliter illicita sunt, ut expresse docet Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matrim.* Insuper idem Concilium hujusmodi matrimonia irrita esse decrevit in omnibus Parochiis, in quibus Decretum Trid. promulgatum est.

Proprius autem Parochus est vel Parochus utriusque sponsi, si ejusdem Parochiæ sint, vel alterutrius, si diversam Parochiam incolant; ex more conjungi solent coram Parocho sponsæ. De Parochi aut Ordinarii licentia, alius Sacerdos Matrimonio assistere potest. De hac præsentia Parochi et testium uberius agemus in parte V, ubi de impedimento clandestinitatis.

Id unum hoc loco subjungimus, pœnam nempe, quam statuit Trid. *loc. cit.* his verbis: »Si quis Parochus vel alius »Sacerdos, sive Regularis sive sæcularis »sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel im»memorabili consuetudine licere conten»dat, alterius Parochiæ sponsos sine »illorum Parochi licentia matrimonio »conjungere aut benedicere ausus fuerit, »ipso jure tamdiu suspensus maneat, »quamdiu ob Ordinario ejus Parochi, qui »matrimonio interesse debebat, seu a quo »benedictio suscipienda erat, absolvatur."

2° Celebratio *publica* Matrimonii non requiritur ad valorem, sed ad liceitatem tantum. Obligat porro sub gravi peccato, propter mala et peccata ex occultis matrimoniis facile consequentia, videlicet occulta polygamia, prolis mala educatio ejusque damna temporalia, matrimonia filiorumfamilias parentibus juste dissentientibus inita, ut tradit Bened. XIV in cit. Constit. *n.* 2—4. Secreto celebrare nuptias coram Parocho et testibus solum licet ex licentia Episcopi, nonnisi ob gravem causam concedenda. De matrimoniis occultis, quæ matrimonia *conscientiæ* vocantur, in sequenti Articulo plura disseremus.

3° Observatio *cæremoniarum* inculcatur a Conc. Trid. *loc. cit.*, eæque describuntur in Rituali Romano. Cæremonias præscriptas obligare sub peccato, colligitur ex Trid. *sess.* 7. *can.* 13. *de Sacram. in gen.* Quocirca dissentiunt DD. utrum omissio verborum: »Ego vos »conjungo," etc., vel aliorum juxta receptum uniuscujusque provinciæ ritum, constituat materiam gravem; alii negant; alii affirmant, et hoc S. Alphonso magis placet. (*n.* 899.) Ex legitima causa cæremoniæ aliquando omitti possunt.

Ad ritum Matrimonii pertinet quoque *locus*, in quo celebratur. Matrimonium in Ecclesia celebrari non jubetur, sed, ut tradit Rituale Rom. *n.* 16., maxime decet. Inde usus viget, et in multis diœcesibus Episcopi præscripserunt, ut matrimonia celebrentur in Ecclesia; excipienda sunt matrimonia mixta, id est, inter Catholicum et hæreticum, et ea, quæ in articulo mortis ineuntur.

Denique celebratum Matrimonium Parochus describere debet in *libro matrimoniorum*, expressis conjugum et testium nominibus, dieque et loco contracti conjugii; quem librum diligenter apud se custodire debet. Ita Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.* Formulas exhibet Rituale Rom. *tit.* 10. *cap.* 5.

ARTICULUS II.

CELEBRATIO MATRIMONII CONSCIENTIÆ.

472. — QUÆR. 1° *Quo pacto possit Episcopus licentiam concedere contrahendi Matrimonium occultum?*

Resp. Ut licite concedat, requiritur 1° gravis, urgens et urgentissima causa; e. g. quando concubinarii, qui legitimi conjuges reputantur, legitimum matrimonium contrahere volunt; item, quando matrimonium alicui necessarium esset ut a statu damnationis avocetur, sed, ob defectum alicujus conditionis quæ lege civili exigitur, coram Magistratu civiliter, ut ajunt, contrahi nequit. 2° Diligens inquisitio de personarum qualitatibus, an sint sui vel alieni juris, an filiifamilias, quorum nuptiis parentes juste dissentiunt. 3° Indubia documenta statûs liberi. Ita Bened. XIV Constit. *Satis vobis.* 17 Nov. 1741. *n.* 6. 7.

QUÆR. 2° *Quæ conditiones imponendæ sint ipsis contrahentibus?*

Resp. Promittere debent sequentia: 1° Se curaturos esse ut soboles procreanda quamprimum ad ecclesiam deferatur ut Baptismum recipiat. 2° Se prolem suscipiendam ut legitimam agnituros esse, et propterea ejusdem nativitatem post Baptismum denuntiaturos esse Episcopo, cum notâ loci, temporis, et Ministri collati Sacramenti, ac sincera indicatione nominum suorum; idque peragere tenentur intra mensem a prolis nativitate computandum, sive per seipsos, sive per epistolam, sive per fide dignam personam. Quod si facere neglexerint, amittent jus secreti. 3° Se passuros esse ut filii procreandi fruantur bonis ad eos ex testamento vel ab intestato deferendis. Ita Constit. cit. *n.* 9. 11. 12. 13.

QUÆR. 3° *Quis Sacerdos huic Matrimonio assistere, et quid observare debeat?*

Resp. 1° Assistere debet alterutrius contrahentis Parochus, aut, si gravi de causa alius Sacerdos loco ejus deputandus sit, ab Episcopo talis eligatur, qui probitate, doctrina, et obeundi muneris peritia commendetur.

2° Parochus aut Sacerdos deputatus, priusquam matrimonio intersit, nuptuirientes monere tenetur de eorum obligationibus erga sobolem procreandam, tam quoad Baptismum hujusque denuntiationem, quam quoad religiosam educationem et bonorum temporalium fruitionem, comminando eis matrimonii evulgationem, si prædicta implere neglexerint.

3° Celebrato matrimonio, scriptum celebrati coram se matrimonii documentum Episcopo sine mora exhibere debet, cum nominibus contrahentium, testium, loci et temporis. Ita Constit. cit. *n.* 8. 9. 10.

QUÆR. 4° *Quomodo et hæc Matrimonia, et prolis inde natæ Baptismus, inscribenda sint?*

Resp. In singulis Cancellariis Episcopalibus duo peculiares libri caute servandi sunt, quorum in altero matrimonia secreta describantur; in altero nomina baptizatorum, qui ex illis matrimoniis procreantur, ac utriusque parentis, referantur. Hosce libros clausos ac sigillis obsignatos nunquam patiatur Episcopus aperiri, nisi vel alia secreta matrimonia aut Baptismata describenda sint, vel alia necessitas id exigat: re absoluta, denuo claudendi et obsignandi sunt. Attestationes tum celebrati matrimonii tum collati Baptismi in dictis libris fideliter transcribendæ sunt, ipsæque attestationes in secretiori loco caute servandæ. Ita Constit. *n.* 10. 11.

QUÆR. 5° *Quæ sit obligatio secreti custodiendi respectu horum Matrimoniorum?*

Resp. Tam contrahentes ipsi, quam testes, Episcopus et Parochus seu alius Sacerdos qui Matrimonio interfuit, secreti lege obstringuntur; tum quia secretum commissum est; tum quia in cit. Constit. indictum est. Hæc porro obligatio gravis est, ut patet; quia agitur de re gravi. In nonnullis tamen casibus Matrimonium evulgari potest aut etiam debet; nimirum 1° si soboles fuerit baptizata, reticitis vel falso expressis parentum nominibus in Parochia, et parentes prolem susceptam Episcopo intra mensem non denuntiaverint. 2° Si alteruter ex conjugibus, vivente altero, aliud matrimonium attentaret aut attentaturus esset. 3° Si conjuges ita cohabitarent aut adeo familiariter versarentur, ut scandalum ortum esset, atque ab Episcopo moniti non studerent ita caute se gerere, ut mali consortii suspicio adimatur. 4° Si filii ex secreto servato gravem jacturam facturi essent; idcirco, mortuis conjugibus, matrimonium evulgandum est, ut constet filios ex legitimis nuptiis procreatos, eisque integra esse jura omnia, quæ legitimis filiis conveniunt; huc præcipue respexit Pontifex, dum adeo sollicite jussit ut duo libri servarentur, in quibus et matrimonia conscientiæ et proles inde suscepta fideliter describerentur. (Soglia. *Instit. jur. eccl. tom.* 2. § 170.) In multis regionibus Matrimonii evulgationi obstat periculum conflictûs cum potestate civili.

ARTICULUS III.

FORMALITAS HODIERNI SIC DICTI MATRIMONII CIVILIS.

473. — Matrimonium civile hodie illud dicitur, quod juxta leges civiles coram Magistratu civili contrahitur, eoque ipso validum a Gubernio civili habetur. Palam est ejusmodi leges de re non suâ, verum soli Ecclesiæ concreditâ, disponere, illique præcipue errori inniti, quo matrimonium instar civilis contractus habetur, de cujus vinculo ex solis civilibus legibus judicatur.

Quum Matrimonium Christianorum sit Sacramentum, illud coram Ecclesia celebrari debet, et non licet illud coram civili Magistratu contrahere. Quinimo, ubi viget clandestinitatis impedimentum, matrimonium coram civili Magistratu contractum prorsus invalidum est, ut adeo contrahentium convictus nihil aliud sit quam vilis et exitialis concubinatus.

Hac doctrina præmissa: QUÆRITUR. 1° *num ergo non liceat actum civilem lege præscriptum implere?*

Resp. Licet, dummodo non præstetur ipse consensus matrimonialis, sed sponsi meram formalitatem externam exsequantur, eo fine, ut ipsi et proles nascitura civiles effectus consequantur. Hinc, ubi fieri potest, prius coram Ecclesia celebrandum est ipsum Matrimonium, deinde adeundus civilis Magistratus; sic enim agnoscitur jus soli Ecclesiæ competens, periculum avertitur ne forte coram Magistratu consensus ipse præstetur, et gravissima præveniuntur incommoda, quæ ex non secuto forsitan coram Ecclesia matrimonio oriri possent. Ubi vero lex jubet prius coram Magistratu comparere, quantocius debent sponsi deinde coram Ecclesia contrahere, et interim non cohabitare. Ita Bened. XIV Constit. *Redditæ sunt.* 17 Sept. 1746. Instruct. S. Pœnit. 15 Jan. 1866. [1]

Qui, spreta lege Ecclesiæ, matrimonium mere civile inire, vel in eo, ubi invalidum est, persistere præsumunt, tamquam veri concubinarii absolutione indigni sunt, usquedum resipiscant et Ecclesiæ præscriptionibus parere parati sint. Ita cit. Instruct. S. Pœn.

QUÆR. 2° *An liceat Magistratui civili excipere sic dictum matrimonium civile Christianorum, de cujus nullitate palam constat?*

Resp. Tolerari potest, dummodo intendat exercere cæremoniam mere civilem, sicut fidelibus licet coram Magistratu cæremoniam civilem implere. Ratio est, quia præstat actionem ex se non illicitam, quâ nonnulli improbi abutuntur; proinde cooperatio ad concubinatum materialis est. Colligitur ex Instruct. S. Pœnit. ad Episcopos Italiæ, 29 Mart. 1885. [2]

Excipe tamen casum, quo Syndicus (gallice *le Maire*) illicite divortium civile a vinculo pronuntiavit inter conjuges valido matrimonio junctos, (ut in Galliâ evenit); tunc enim non potest idem Syndicus conjugem ad alias nuptias transire attentantem civiliter cum alio jungere, dum vivit altera pars. Ita rescripsit S. C. Inquis. 27 Maji 1886, approbante et confirmante Leone XIII. [3]

CAPUT III.

BENEDICTIO NUPTIARUM.

474. — Celebrato Matrimonio, ejus solemnis benedictio suscipienda est. Hoc nomine intelligitur ea benedictio, quam

[1] Acta S. Sedis. *Vol.* 1. *pag.* 508.
[2] Apud Marc. *Instit. mor. n.* 2126.
[3] Revue théol. 1886. *pag.* 379.

exhibet Missale Romanum in *Missa pro sponso et sponsa*. De ea sequentes sunt solvendæ quæstiones.

QUÆR. 1° *An obliget benedictio nuptialis?*

Resp. Affirm., a Parocho impertienda et a conjugibus suscipienda est, non ad valorem quidem conjugii, sed ex præcepto Ecclesiæ, quod inde a remotissima antiquitate viguit, ut colligitur ex *Cap.* 30. *et* 51. *qu.* 5. et ex Decreto generali S. C. Inquis. 31 Aug. 1881.[1] Omissio tamen ejus, secluso contemptu, culpam venialem non excedit; quia non censetur res gravis, neque Ecclesia utitur verbis gravem obligationem significantibus. *Ita communiter.* (*n.* 984. *in fine. n.* 988. H. A. *n.* 53.)

Juxta cit. Decretum S. C. Inquis. benedictio nuptialis impertienda est omnibus illis conjugibus Catholicis, qui eam in contrahendo matrimonio quâcumque ex causa non obtinuerint; etiamsi eam petant postquam diu jam in matrimonio vixerint. Insuper hortandi sunt iidem conjuges, ut benedictionem primo quoque tempore petant. Significandum vero illis est, maxime si neophyti sint vel ante conversionem ab hæresi valide contraxerint, benedictionem illam ad ritum et solemnitatem, non vero ad valorem pertinere conjugii.

QUÆR. 2° *An omnes nuptiæ benedicendæ sint?*

Resp. Negat., sed distinguendum: 1° Primæ nuptiæ ex parte utriusque conjugis semper benedicendæ sunt. 2° Secundæ nuptiæ, sive ex unius sive ex utriusque conjugis parte, non sunt benedicendæ; casu excepto, quo vel conjuges in primis nuptiis benedictionem non acceperint, vel alicubi ea vigeat consuetudo ut, si sint primæ nuptiæ ex parte mulieris, quamvis non ex parte viri, eae benedicantur, tunc quippe hæc consuetudo servanda est. 3° Matrimonia mixta benedicere vetitum est. Ita ex Rit. Rom. *n.* 15. et Rescripto Pii VI 13 Jul. 1782 ad Card. de Franckenberg. (n. 988. V. d. Burgt. *De Matrim. n.* 308. 418.)

QUÆR. 3° *Quis nuptiis benedicere debeat?*

Resp. Proprius sponsorum Parochus, et nulli alii id licet, nisi de licentia Ordinarii vel Parochi, sub pœna suspensionis ipso jure incurrendæ, prout n. 471. retulimus. Potest igitur matrimonium coram Parocho celebratum, deinde cum hujus licentiâ alius Sacerdos benedicere. Ita ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.* et Rit. Rom. *n.* 14. (*n.* 988.)

QUÆR. 4° *Quomodò benedictio nuptialis impertienda sit?*

Resp. Dari debet *intra Missam*, modo in Missâ pro sponso et sponsâ præscripto. Nunquam licet eam dare extra Missam. Ita Rit. Rom. *tit.* 7. *cap.* 2. *n.* 4., S. R. C. 23 Jan. 1853. 14 Aug. 1858. et cit. Decretum S. C. Inquis.

Quamvis Rubrica Missalis supponat conjuges intra hanc Missam S. Communionem recipere, non est tamen præceptum; curent nihilominus Parochi et animarum Rectores adhortari eos ad Communionem in hac Missa suscipiendam. Ita S. R. C. 21 Mart. 1874.

Deinde, in eâdem Missâ plura possunt Matrimonia simul benedici.

QUÆR. 5° *An benedictio nuptialis quovis anni tempore dari possit?*

Resp. Prohibetur tantum tempore *clauso*, id est ab Adventu usque ad Epiphaniam, et a feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis, quo Ecclesia vetat nuptiarum solemnitates, inter quas recensetur benedictio. Ita Rit. Rom. Hæc prohibitio ex communi sententia obligat sub gravi, et ita quidem, ut Episcopus in ea dispensare non valeat. Quapropter, si quando matrimonium tempore clauso contrahatur, ejus benedictio elapso eo tempore fieri debet. Ita S. R. C. 23 Jun. 1853. 14 Aug. 1858. (De Herdt. *Praxis Rit. Rom. cap.* 8. § 3.)

QUÆR. 6° *An liceat consummare matrimonium ante ejus benedictionem?*

Resp. Affirm., Conc. Trid. *loc. cit.* et Rituale Rom. *hortantur* tantum ut conjuges, ante benedictionem Sacerdotalem in templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent neque matrimonium consumment. Continentia ergo est consilium, non præceptum. (*n.* 984.)

---

[1] Acta S. Sed. *Vol.* 14. *pag.* 513. Revue théol. 1882. *pag.* 248.

PARS QUARTA.

DE STATU MATRIMONII.

475. — De Matrimonio celebrato expendere debemus quosnam producat effectus mutuasque obligationes conjugum. Agemus primo de effectibus Matrimonii in genere, deinde de obligationibus statûs conjugalis in specie. In quarto Decalogi præcepto eas obligationes explanavimus; de duabus restat nobis hoc loco tractandum, nimirum: 1° de usu Matrimonii, seu de debito conjugali, 2° de cohabitatione conjugali. Cohabitationi opponitur divortium seu separatio conjugum, quæ aliquando fieri potest; quare disserere insuper debemus 3° de divortio. Ordo ergo tractandorum hic erit: 1° de effectibus Matrimonii in genere; 2° de debito conjugali; 3° de obligatione cohabitandi; 4° de divortio.

CAPUT I.

EFFECTUS MATRIMONII IN GENERE.

476. — Effectus aliqui communes sunt utrique conjugi; alii marito, alii uxori proprii.

I. Effectus utrique conjugi communes, præter gratiam Sacramenti, sunt: 1° *Vinculum conjugale*, vi cujus obligantur ad individuam vitæ societatem, de quo infra disseremus.

2° *Fides conjugalis*, quæ tria a conjugibus exigit, nempe a) ut, conjuge vivente, quantovis tempore absit, alter cum aliâ personâ matrimonium non contrahat, nec ullo modo, sive in affectu sive in effectu, carnaliter commisceatur; b) ut sibi mutuo debitum reddant; c) ut ambo cohabitent, amoremque et amicitiam mutuam sibi exhibeant.

3° *Bonum prolis*, quod etiam tria continet, quæ sunt a) legitimitas prolis; nam proles ex matrimonio suscepta, legitima efficitur, et capax successionis in bona parentum; b) ejusdem sustentatio quoad victum, amictum et habitationem, quæ parentes liberis suis suppeditare tenentur, donec filii aliunde sustentationem sufficientem habeant, aut per exercitium artis, sive liberalis sive mechanicæ, aut per famulatum honestum illam acquirere possint; c) recta educatio in probis moribus, vera Religione, pietate, necnon in conditione sociali.

4° *Aliqua bonorum communio*, si non ad proprietatem, saltem ad usum, ita ut vir uxorem sustentare debeat, uxor ex bonis suis ad sustentationem conferre.

477. — II. Effectus marito proprii sunt: 1° *Potestas maritalis*, quæ uxorem viro tamquam capiti subjicit, ut constat ex Genes. III. 16. Ephes. V. 23. 24. I Cor. XI. Idcirco marito competit uxorem regere, et, si immorigera sit, castigare, moderate tamen, quia non ancilla, sed socia est; item bona uxoris administrare, eorumque fructus percipere, prout legibus cautum est.

2° *Potestas patria* in liberos, vi cujus personas illorum regere, et bona eorum administrare, horumque fructus percipere potest, in quantum legibus sancitum est. Solvitur patria potestas per majorennitatem vel matrimonium liberorum.

478. — III. Effectus uxori proprii sunt: 1° *subjectio erga maritum*, utpote caput ejus; ideo debet obedientiam et obsequium viro præstare.

2° *Jus ad sustentationem et protectionem*, quas maritus ipsi et familiæ præstare debet; propterea bonorum uxoris, aut saltem dotis ejus, fructus percipit. Excipe tamen, a) si uxor sine culpâ viri et absque causâ necessariâ a marito discedat; tunc vir eam alere non tenetur, quia uxor debet esse in obsequio viri, ac proinde, qui non facit quod debet, non recipit quod oportet. Dixi: *sine culpâ viri et absque causâ necessariâ;* nam si ob viri sævitiam aliamve culpam, aut ob morbum contagiosum coacta fuerit recedere, ali a viro debet. Excipe b) si maritus sit inops, et uxor dives; nam eo casu uxor virum sustentare debet.

3° Mariti dignitatem participat. (Schmalzgr. *lib.* 4. *n.* 312. *et seqq.*)

CAPUT II.

USUS MATRIMONII.

479. — Usus matrimonii consistit in copula carnali inter conjuges. Vocatur

quoque *actus conjugalis* vel *debitum conjugale;* debitum nuncupatur ab Apostolo, quia est primarium officium, quod conjuges sibi mutuo debent,

Magni profecto refert circa usum matrimonii conjugum conscientias recte dirigere, ut ex una parte castitatem conjugalem fideliter custodiendo honorabile servent connubium in omnibus et torum immaculatum, ut loquitur Apostolus [1]; ex altera simul parte matrimonium ipsis sit in remedium concupiscentiæ, non in laqueum. Propter carnis enim concupiscentiam intimumque conjugum convictum, operæ pretium est ut in iis, quæ ad usum matrimonii spectant, Confessarius sanâ imbutus sit doctrinâ, quæ nec nimiâ indulgentiâ habenas relaxet infrænatæ libidini, nec conscientias nimio rigore illaqueet. Quapropter illius S. Doctoris doctrinæ inhærebo, qui Sedis Apostolicæ judicio salutare hoc medium tenuit. Quædam tamen ad decisiones hodiernæ scientiæ medicæ adaptavi, novasque quæstiones adjeci. Decisiones scientiæ medicæ potissimum hausi ex opusculo Cl. Capellmann Med. Doct., cui titulus: *Medicina Pastoralis.*

Proderit porro verba præmittere, quibus S. Doctor hanc materiam pertractandam aggreditur: »Piget me de hac »materia, quæ tantam præ se fert fœ»ditatem, ut castas mentes ipso solo »nomine perturbet, longiorem habere »sermonem; sed utinam non esset hæc »materia tam frequens in confessionibus »excipiendis, ut non oporteret omnino »Confessarium plena tractatione, sed »sufficeret compendio instructum esse! »Ignoscat mihi propterea castus lector, »si fuse de ea hic loquar, et ad casus »particulares, qui deformiorem exhibent »turpitudinem, descendam. Quod si cui »mirum videatur, Auctores cæteroqui »prudentes ac pios de hac re fusius »pertractasse, et minutas etiam variorum »casuum circumstantias descripsisse, au»diat clarissimum virum Ludovicum Bail, »qui ab hac censura doctissimi Thomæ »Sanchez egregium opus de matrimonio »vindicat his verbis: Licet quædam de »materia fœdorum actuum tangat, tur»pior est infernus; et si fœdus est sermo, »fœdius est in peccato putrescere, ut »ait Petrus Blesensis. Ille auctor aliquas »spurcitias movet, sed ad ægrotantium »curationem. Si angeli essent homines, »talibus non indigerent." (*n.* 900.)

Expendemus 1° honestatem actus conjugalis, 2° ejus obligationem, 3° ejus accessoria, 4° officium Parochi et Confessarii erga conjuges in hac materia.

[1] Hebr. XIII. 4.

ARTICULUS I.

HONESTAS ACTUS CONJUGALIS.

§ I. *Ejus honestas in genere.*

480. — **Principia.** I. Actus conjugalis *in se* licitus est ac honestus. Ratio, quia est medium a Deo ordinatum ad legitimam propagationem generis humani, sicut cibus et potus ad conservationem individui. Unde et Deus protoparentibus nostris præcepit eum in Genesi I. 28: »Crescite et multiplicamini."

II. Debet tamen fieri cum debitis circumstantiis, nec aliquo impedimento esse prohibitus. Actus enim humanus moralitatem suam desumit, non ab objecto tantum, sed etiam a circumstantiis, potestque aliunde vetari.

Porro 1° debitæ circumstantiæ sunt, ut nonnisi fine, tempore, loco, ac modo debito exerceatur; alioquin culpa non vacaret.

2° Impedimenta actum conjugalem prohibentia sunt cognita nullitas matrimonii, votum castitatis, affinitas, et impotentia corporis.

De singulis seorsum agemus.

§ II. *Debitæ ejus circumstantiæ.*

I. *Debitus finis.*

481. — **Principia.** I. Actus conjugalis licite exercetur ob fines matrimonii. Usum enim cujuslibet rei honestant fines, quos Deus illi præstituit.

Licet ergo 1° propter generationem prolis; quippe quæ est finis primarius matrimonii; 2° ob satisfactionem debiti petiti; quia est actus justitiæ ex finibus matrimonii emanans; 3° ad vitandam incontinentiam, sive in comparte, sive in semetipso; quia post lapsum protoparentum matrimonium est a Deo ordinatum etiam in concupiscentiæ remedium; imo in comparte est actus debitus charitatis. Hi sunt fines primarii.

Præterea licite exercetur ob quemcumque finem honestum, v. g. ad fovendum amorem conjugalem, ad corporis sanitatem; quia nihil vetat quominus ad finem honestum adhibeatur medium in se licitum et ad illum finem utile. (*n.* 927. 882. 883.)

II. Illicitum est exercere actum conjugalem ob *solam* voluptatem. Ratio, quia est quædam perversio ordinis delectationem intendere ut finem, quam natura intendit ut medium. Propterea damnata est ab Innoc. XI. prop. 9.: »Opus conjugii ob solam voluptatem »exercitum omni penitus caret culpa ac »defectu veniali." Venialis tantum culpa est; quia inordinatus usus rei licitæ per se nonnisi levis est culpa.

Dictum est: *ob* SOLAM *voluptatem*, i. e. ad nullum alium finem honestum ne virtualiter quidem relatum; quia, si tantum *secundarie* et *moderate* intenditur cum alio fine principali et honesto, omni culpa caret: cum tunc intendatur solum tamquam medium a natura institutum. (*n.* 912.)

Contra vero, si voluptas limites matrimonii excedat, nempe si conjuges copulam exerceant cum *affectu adulterino* ad aliam personam, quam præsentem sibi imaginantur vel exoptant, ad magis se excitandum, peccatum mortale est. (*n.* 913.)

482. — **Resolutiones.** 1° Conjuges, qui copulæ voluptatem assumunt *in remedium concupiscentiæ*, seu ad vitandam incontinentiam, potius agunt ex amore virtutis, quam ex amore voluptatis: quippe qui servare continentiam et peccatum vitare intendunt. Qui vero voluptatem *propter seipsam* appetunt, ducuntur amore, non virtutis, sed voluptatis: quod honestum non est. (Vind. Alph. *part.* 7. *qu.* 8. *art.* 2. *II. n.* 2.)

2° Non est illicitum conjugibus in usu matrimonii, ob paupertatem vel aliam causam non malam, affectu interno *optare* ut non sequatur proles, ne hæc nimium multiplicetur, dummodo generationem positive non impediant. (*n.* 927.)

3° Licitus est actus conjugalis, quamvis ob sterilitatem non sit spes generandi prolem; quia, præter generationem, alii fines honesti intendi possunt, et quod generatio non sequatur per accidens evenit.

4° In praxi, quoad usum matrimonii propter solam delectationem, plerique conjuges in bona fide esse solent, et ex monitione plerumque fructum sperare non licet; unde Confessarius eos e bona fide eruere non debet. (Berardi. *Prax. Conf. n.* 334. *qu.* 12.)

II. *Debitum tempus.*

483. — Dubium hic movetur 1° de diebus festis, jejunii, et Communionis; 2° de tempore menstruorum, prægnationis, purificationis post partum, lactationis, et infirmitatis.

Principia. I. *Per se* nullo tempore sub gravi peccato interdicitur actus conjugalis. Ratio est, quia in nullo tempore in se spectato apparet gravis inordinatio, nec hodie ullo jure prohibetur. Aliquando sub levi culpa vetatur, ob levem aliquam inordinationem.

II. *Per accidens* potest evadere graviter illicitus, si subesset proximum periculum abortus, vel gravis nocumenti valetudinis: leviter illicitus, si leve foret periculum vel nocumentum. Ratio est, quia tunc charitas et justitia vetant quominus conjuges jure suo utantur.

III. A veniali culpa justa coeundi causa excusat. Ratio est, quia hujusmodi causa præponderat aut saltem æquipollet levi periculo, nocumento, indecentiæ, et simili vetito. Ita communis DD. sententia.

484. — Hinc: I. Licitus est actus conjugalis *tempore sacro*, i. e., diebus festis vel jejunii; quia nullo jure vetatur. Idem dicendum de diebus Communionis. Pium tamen consilium est præfatis diebus abstinere a *petendo* debito, ut conjuges, juxta monitum Apostoli I Cor. VII. 5., expeditius vacent orationi. Accedere autem ad Communionem post debitum petitum cum peccato veniali, puta voluptatis causa, veniale est, propter indecentiam; excusat tamen rationabilis causa. (*n.* 922. 273.)

485. — II. Tempore *fluxus menstrui*, concubitus est venialis culpa, ut tenet communissima et probabilior sententia; tum quia involvit quamdam indecentiam; tum quia nocere potest partibus genitalibus fœminæ, et inde, si concipiat, postea periculum aliquod abortus adducere; tum quia quædam intemperantia est non exspectare tempus aptum brevi adfuturum.

Tempore *extraordinarii fluxus sanguinis*, qui ex morbo provenit, et diuturnus vel perpetuus est, copula tum evadere potest illicita, cum experientia constaret fluxum post copulam augeri; id si accidat, copula ordinarie aliquantum nocebit, raro tamen graviter. Si leviter tantum noxia erit, copula licita dicenda erit, eo quod secus vir perpetuo abstinere deberet, quod et grave incommodum et ordinarie grave incontinentiæ periculum ei allaturum est, quæ duo contra leve nocumentum uxoris certe prævalent. (*n.* 925. Capellm. *Medic. past. pag.* 148. *Edit. lat.*)

486. — III. Tempore *prægnationis*, copula, secluso abortus periculo, communius licita censetur; quia nullo jure prohibetur, onusque gravissimum foret, si tanto tempore tenerentur conjuges se continere. Nihilominus S. Alphonso magis arridet sententia aliorum, qui censent concubitum cum prægnante, *per se loquendo*, non carere culpa veniali; quia semen fine suo frustratur; *per accidens* tamen cohonestari, accedente honesta causa, v. g. periculo incontinentiæ, vel alia: quæ cum vix unquam absit, in praxi hæc sententia cum priore fere coïncidit. (*n.* 924.)

Periculum abortus, de quo supra, tanto minus erit, quanto longius copula a die conceptionis distat. Unde exsistere dumtaxat potest intra primos prægnationis menses, et hoc tempore tum solum, cum copula aut sæpius aut impetuosius peragitur; quare conjugibus moderatio quoad numerum et modum commendanda est. Cæterum ob periculum abortus copula minimè vetari potest; tum quia de incipiente prægnatione nemo quidquam scit, saltem nihil certi, tum quia abortus multo sæpius ex morbosa dispositione, quam ex causa directa proveniunt. (Capellm. *pag.* 152.)

487. — IV. Tempore *purgationis*, ex communiori et probabiliori sententia, concubitus est illicitus; tum propter indecentiam, tum propter periculum nocumenti pro uxore. Si leve nocumentum timeatur, culpa venialis erit; si grave, culpa mortalis. Nova conceptio timenda non est.

Porro, ex sententia S. Alphonsi *n.* 926., qui medicum valde peritum consuluit, grave nocumentum prudenter timeri potest intra biduum post partum, vel, ut peritus medicus mihi asseruit, etiam diutius, perstante fluxu puerperii, aut magna mulieris debilitate, aut ægritudine. Capellmann absolute docet intra duas hebdomadas post partum copulam graviter illicitam fore; tum propter grave nocumentum, quod hoc tempore uxori immineret, tum propter acerbos dolores, quos uxor in partu pertulit, tum propter debilitationem, quæ inde secuta est; sed alii medici, quos consului, hoc tam generaliter dictum negant.

Post sex fere hebdomades uterus restituitur et menstruatio recurrit, sicque organismus indicat omnia ad novam generationem parata esse. (Capellm. *pag.* 149.)

488. — V. Tempore *lactationis*, copulam licere communissime affirmant; quia, quamvis lac plerumque, incipiente nova graviditate, mox diluatur ac diminuatur, imo brevi desinat, aliâ viâ poterit proles lactari, ne tamdiu conjuges cogantur abstinere cum tanta difficultate; cui accedit fœminam tempore lactationis vulgo non concipere. (n. 911. Capellm. *pag.* 151.)

489. — VI. Tempore *morbi*, illicitus est actus conjugalis, quando prudenter inde timeri potest notabile nocumentum sanitatis. Idcirco distinguendum est inter morbos contagiosos et non contagiosos.

1° In morbo *contagioso* unius conjugum, si sit morbus *venereus* seu *syphilis*, graviter illicita est copula, propter horrendas sequelas tam pro comparte sanâ quam pro prole, quæ ambæ infici solent, et proles persæpe brevi moritur. Hunc morbum pars infecta comparti manifestare non tenetur, ob infamiam, dummodo debitum nec petat nec reddat. In aliis morbis pariter prohibita est copula, si brevi mortem inferre apti sint; licita vero est ex justâ causâ, si chronici sive diuturniores sint, quia periculum incontinentiæ, quod tamdiu vix abesse potest, prævalere videtur; tenetur porro pars infecta morbum manifestare comparti.

Monendum hoc loco est, phtisim non tam morbum *contagiosum*, quam *hæreditarium* esse; proli autem melius fore infirmam esse, quam penitus non esse. Contra, fluxus seminis, qui in viris *gonorrhœa* vocatur, plerumque species quædam syphilis est, et idcirco contagiosus, ut medicus mihi asseruit. *Leucorrhœa* seu *fluor albus*, quo fœminæ prægnantes sæpe laborant, copulam non vetat, cum maleficus non sit.

2° In morbo *non contagioso*, concubitus valde noxius est in morbo multum debilitante, cum febri et summo dolore conjuncto. In levi morbo concubitus noxius non est; excipiuntur tamen genitalium ægrotationes, quæ in muliere per copulam ingravescere possunt et difficulter postea sanari.

Postremo subjungo: post balneum, venæ sectionem, prandium vel cœnam, concubitus notabiliter periculosus esse non solet. (*n.* 909. 910. 950. Capellm. *pag.* 155. 158.)

III. *Debitus locus.*

490. — Locus debet esse secretus; id enim et verecundia et charitas postulant. In loco publico seu coram aliis actus conjugalis grave scandalum est et gravis indecentia. (*n.* 920.)

Quocirca monendi sunt conjuges, ne sinant pueros rationis compotes secum decumbere in lecto aut in cubiculo. (*Prax. Conf. n.* 211.) Quod si paupertas conjuges ad id cogat, caveant saltem ne pueri quidquam deprehendant; in lecto porro pueros ad latus patris, et puellas ad latus matris retineant.

IV. *Debitus modus.*

1. *In genere.*

491. — Debitus seu *naturalis* coëundi modus duplex distingui solet, nempe 1° quoad *situm*, in eo consistens quod in situ corporum mulier sit succuba, vir incubus; hic modus ipsâ corporum facturâ homini assignatur, aptiorque est effusioni virilis seminis ejusque receptioni in vase fœmineo. 2° Quoad *vas*, in eo consistens quod concubitus fiat perficiaturque in vase naturali mulieris; hic modus necessarius est ad generationem.

Hinc duplex quoque indebitus seu *innaturalis* modus est; alius nempe, quo vel non utuntur vel abutuntur debito *vase*, ac proinde impeditur conceptio prolis: alius vero, quo non servatur debitus *situs*, sed non impeditur generatio; hic modus contingit quando coïtus fit vel sedendo, vel stando, vel jacendo a latere, vel a tergo more pecudum, vel muliere incubâ et viro succubo, attamen in vase naturali. (H. A. *n.* 39.)

Modus ergo ex omni parte debitus postulat ut conjuges coëant et situ et in vase naturali. Reatum modi innaturalis quoad utrumque seorsim expendemus.

2. *Modus innaturalis quoad situm.*

492. — **Principia.** I. Situs innaturalis per se non excedit culpam venialem. Ita communis sententia, contra aliquos existimantes eum esse peccatum mortale. Ratio est, quia hæc deformitas contra naturæ institutum versatur dumtaxat circa accidentalem circumstantiam; non enim impedit generationem, cum matrix virile semen non recipiat passive per descensum, sed active illud attrahat; periculum porro effusionis seminis extra vas raro adest, adeo ut Confessarius de eâ interrogare non teneatur.

II. Mutatio sitûs ex justâ causâ culpâ vacat. Consequitur ex dictis; justa namque causa accidentalem actûs deformitatem facile compensat.

Causæ justæ sunt, si fiat v. g. ob periculum abortus tempore prægnationis, ob viri pinguedinem aut curvitatem, ob mulieris defatigationem, ob frigiditatem si innaturali situ magis excitentur, ob fœtidum halitum, ad vitandum scandalum aliorum, etc.

Quæstio movetur, num mortale sit mutare situm, si propterea aliqua pars seminis perdatur? Communius negant DD.; quia, si semen infundatur in vas, partialis ejus post infusionem perditio, quæ in aliquibus sitibus accidere potest, casu evenit, neque conceptionem impedit; constat enim ad generationem exiguum seminis satis esse. E converso, si experientia constaret ob mutatum naturalem situm fœminam nihil seminis retinere, tunc mortale esset; sed hoc perraro accidit. (*n.* 917. H. A. *n.* 39. Capellm. *pag.* 147.)

3. *Modus innaturalis quoad vas.*

493. — Contingit vel utendo vase indebito, vel abutendo vase debito contra naturam, ita ut generatio impediatur. Prior modus est *sodomia imperfecta*, posterior *onanismus*.

Sodomia definitur copula exercita in vase præpostero uxoris, sive vir intra vas semen effundat sive non. Onanismus est incœptæ copulæ abruptio, ut semen extra vas effundatur et sic generatio impediatur; accidit nempe, quando vir penetrat quidem vas naturale, sed cumprimum seminis effusionem proximam esse sentit, se retrahit; etiam mulier eam committere potest, si ab incœptâ copulâ ante viri seminationem se subtrahat.

Sunt et alii onanismum committendi modi, quos hominum malitia hodie excogitavit, ope nimirum alicujus instrumenti præservativi. Primus modus consistit in usu tenuis cujusdam indumenti, quo vir induit virilia, et sic copulam exercet; ex quo fit ut semen non intra vas mulieris, sed intra hoc indumentum remaneat. Dictum instrumentum vocatur gallice *capotte anglaise*, anglice *condom*, *preservative*. Secundus modus consistit in usu *pessarii occlusivi*, quo nomine intelligitur parvum instrumentum, quod in vaginâ mulieris introducitur prope os uteri et quo introitus seminis virilis in uterum præcluditur. [1] Tertius modus consistit in usu *spongiæ*, quæ eodem modo adhibetur ac pessarium: cui accedit usus siphonis, qui *irrigator* vocatur, et quo post copulam et spongiæ extractionem residuum in vagina semen eluitur. Quinimo eo usque progressa est impudentia, ut fœdus erectum sit ad propagandum onanismum; titulum habet: »Novum fœdus Malthusianum." Eum in finem hæc societas populares tractatus divulgat. [2]

Nostris temporibus onanismus multis in locis late grassatur, non modo in divitum et nobilium familiis, in quibus, ne hæreditas ultra votum dividatur, duorum triumve liberorum numerus præstituitur, verum etiam apud cives mediæ conditionis, et apud plebeios, qui vel rei familiaris angustias metuunt, vel paucam prolem opibus augere ac fortunato matrimonio jungere cupiunt.

494.—**Principia.** I. Sodomia inter conjuges est peccatum mortale. Ratio, quia adversatur tum fini naturali seminis et copulæ, nempe prolis generationi, tum fidei conjugali, cui cedere conjuges nequeunt, nam neuter habet jus in corpus alterius contra naturam. (*n.* 915.)

Huc referuntur duo alii agendi modi, qui ex communi et veriori sententia, contra paucos, etiam graviter peccaminosi sunt, videlicet 1° *inchoare* copulam in vase præpostero, animo *consummandi* in vase naturali; est enim sodomia *inchoata;* 2° perfricare virilia circa vas præposterum uxoris; id namque moraliter fieri nequit sine *affectu* sodomiæ. (*n.* 916.)

II. Etiam onanismus inter conjuges est peccatum mortiferum. Ratio est, tum quia et matrimonium et concubitum directe fraudat fine suo, scilicet prolis generatione, et idcirco in perniciem vergit generis humani; tum quia adversatur fidei conjugali, ut supra dictum est. Constat præterea ex S. Script.; in Gen. XXXVIII. 9. 10. legitur de Onan, Jacobi ex Juda nepote, a quo hoc peccatum nomen mutuavit, quod, defuncto fratre suo Her, viduam ejus Thamar ducere coactus sit, juxta legem leviratûs, ut suscitaret semen fratri suo, sed »introiens ad uxorem fratris sui, semen »fundebat in terram, ne liberi fratris »nomine nascerentur. Et idcirco percus»sit eum Dominus, quod rem detesta»bilem faceret." Item ex prop. 49. damn. ab Innoc. XI, ut declaravit S. C. Inquis. 21 Maji 1851, quæ propositio hæc est: »Mollities jure naturæ prohibita non est." Onanismus autem est vera mollities seu pollutio. Ergo.

Conjuges onanismum exercentes libidinem in matrimonio explere volunt, quin onera sustineant; de illis valet quod dixit Angelus Raphaël Tobiæ VI. 17: »Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum »a se et a suâ mente excludunt, et suæ »libidini ita vacent, sicut equus et mu»lus, quibus non est intellectus, habet »potestatem dæmonium super eos."

Adhæc, recensita flagitia, quibus naturæ leges in usu matrimonii conculcantur, præter peccatum quod continent, fœminæ dignitatem turpiter deprimunt, efficiendo eam vile pollutionis instrumentum, quale meretrices sunt. (Capellm. *Facult. Steril. n. II.*)

495. — **Resolutiones.** 1° Onanismus nullâ causâ cohonestari potest, sive paupertatis ne proles alenda multiplicetur, sive infirmitatis vitandæ, sive periculi mortis in partu arcendi. Potest tamen ob ejusmodi causam cum bona fide committi; quâ exsistente, prudentis Confessarii est judicare utrum monitio expediat necne.

2° Non modo vir onanismum exercens, verum etiam uxor ei formaliter cooperans vel consentiens mortaliter peccat, et ambo absolutione indigni sunt, nisi de peccato sincere doleant et emendationem promittant. Formaliter cooperatur uxor, si querimoniis de partûs doloribus vel periculis, de prole numerosiore, etc., marito ad onanismum impulsum præbeat, hunc effectum nimirum prævidens vel etiam intendens.

3° Onanismus cum fortuitâ et necessariâ copulæ abruptione confundi non debet; conjuges enim possunt copulam interrumpere v. g. ad evitandum scandalum, aliquâ personâ ex improviso superveniente; tunc quippe copulam abrumpunt, non jam ut semen extra effundant, sed ex alio motivo; unde illa seminis effusio præter intentionem eveniens pollutioni involuntariæ æquiparatur. (*n.* 918.)

496. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An liceat uxori debitum reddere viro, quem novit onanismum commissurum esse?*

Resp. 1° Præmitto, uxorem debere a) viri peccato non consentire; dico: *peccato;* nihil enim prohibet quominus consentiat delectationi carnali ex copula consurgenti; b) admonere maritum ut actum perficiat, si possit monere sine timore magni dissidii, vel indignationis, aut adulterii illius, aut similis gravis incommodi; viri enim peccatum ex charitate impedire debet. Ejusmodi autem admonitiones, non *assiduæ* aut *intempestivæ*, sed *opportunæ* esse debent, dum nempe spes fructûs affulget. Ita ex Responsis S. Pœnit. 13 Nov. 1816. 1 Febr. 1823. et Theologorum consensu.

2° Hisce positis, posse uxorem debitum reddere, si ex ejus denegatione grave incommodum sibi timere possit, constat ex Decisionibus S. Pœnit. 13 Nov. 1816. 23 April. 1822. 1 Febr. 1823. 8 Junii 1842.

3° Utrum teneatur negare debitum, si possit sine gravi incommodo, controvertitur. *Prima sententia* probabilis affirmat; quia materialiter cooperatur ad peccatum viri, quam cooperationem sola gravis causa excusat. Ita Roncagl. Elbel. *Secunda sententia* probabilior negat; imo S. Alph. censet eam teneri reddere; quia nullatenus cooperatur seminationi extra vas, quippe quæ ex solâ viri malitiâ procedit, sed cooperatur tantum copulæ, quæ per se utrique licita est, et ad quam vir jus habet. Ita Sanch. Pont. Tamb. Spor. (*n.* 947. 944. H. A. *n.* 47.)

In praxi periculum gravis incommodi cum negatione debiti ut plurimum conjunctum erit.

Quær. 2° *An possit uxor etiam petere debitum a viro onanista?*

Resp. Non potest, nisi adsit gravis causa; quia tenetur ex charitate viri peccatum impedire. Justa autem causa erit periculum incontinentiæ, diuturna privatio juris petendi, cum perpetuo scrupulo num justa adsit causa petendi; quare non tenetur abstinere nisi unâ alterâve vice. (*n.* 947. H. A. *n.* 47.)

Quær. 3° *Quænam remedia adhiberi possint contra onanismum?*

Resp. 1° Uxor adhibeat blanditias, amoris significationes, preces adhortationesque, ut maritum inducat ad actum perficiendum vel ab eo prorsus abstinendum. Experientia docuit plurimos viros hisce mediis ad meliorem frugem se recepisse.

2° Onanistæ recidivo Confessarius absolutionem differat, donec emendationem vel signa extraordinaria contritionis ostendat.

3° Denique discreto modo suaderi potest onanistæ, ut se contineat tribus quatuorve diebus ante, et per plenam quindenam post menstruationem; cum hoc tempore copula facillime fœcunda sit; reliquo vero fœcundatio improbabilis erit; hoc ergo tempore uxorem debito modo cognoscat. Sic agendo vir nihil agit contra naturam, sed actus assimilatur copulæ tempore sterilitatis. S. Pœnitentiaria de hac praxi interrogata respondit 16 Jun. 1880: »Conjuges »prædicto modo matrimonio utentes in»quietandos non esse, posseque Confes»sarium sententiam, de qua agitur, illis »conjugibus, caute tamen, insinuare, »quos aliâ ratione a detestabili onanismi »crimine abducere frustra tentaverit." [1] Cfr. Capellm. *Medic. past. pag.* 133. *Facult. Steril. n. III.*

[1] Cfr. Capellm. *Medic. past. pag.* 233. *Facultative Sterilität. n. II.*

[2] Tale fœdus exsistit in Hollandia inter hæreticos, et tractatus suos disseminat inter Catholicos. Vigilent ergo animarum Rectores.

[1] Revue théol. 1881. *pag.* 460.

QUÆR. 4° *An ob alias etiam causas præfata ratio vitæ conjugalis, de qua supra resp.* 3°, *aliquando commendanda sit?*

Resp. Affirmandum videtur, si 1° ex una parte justam habeant causam cavendi ne fœcundatio accidat, eo quod v. g. prolem nimis numerosam habeant, vel uxor in partu periculum mortis subitura sit; et ex altera parte usus matrimonii tempore fœcundationi minus apto sit illis ad vitandam incontinentiam expediens; 2° hæc ratio vitæ conjugalis periculum peccati non augeat. Ratio, quia conjuges tunc prolem procreare, atque uti matrimonio quando fœcundatio facilis est, nulla lege tenentur.

Dixi 1° *si justam habeant causam;* quia, si matrimonii delectationes velint, illiusque incommoda nolint, et sine justa causa primarium conjugii finem evitent, tunc peccant procul dubio, venialiter saltem. (Berardi. *Prax. Confess. n.* 334. *qu.* 10.)

Dixi 2° *si periculum peccati non augeat;* etenim abstinentia ab usu matrimonii durante intervallo fœcundo facile secum fert periculum tum incontinentiæ, alterutri saltem conjugi, tum negandi debitum, si compars illud peteret, ut advertit Konings. *n.* 1655. *qu.* 4.; causæ vero supra allegatæ secum ferunt periculum vel recurrendi ad onanismum, vel perpetuo negandi debitum cum maximo periculo incontinentiæ. Propterea cautum esse oportebit, et pensandum erit in singulis casibus undenam majus malum timendum sit, an ex prædictis causis, an ex proposita conjugali vita.

QUÆR. 5° *An possit uxor debitum reddere viro, qui onanismum exercet ope instrumenti præservativi?*

Resp. Negative; quia tunc copula *ex parte ipsius actus* jam ab initio penitus illicita est; usus siquidem hujus instrumenti *ex se* ordinatus est ad frustrandam copulam; talis ergo copula intrinsece mala est; cui proinde uxor, ad modum virginis violatæ, resistere tenetur. (Berardi. *Prax. Conf. n.* 327.) Congruit cum doctrina S. Alph. et communi, *n.* 943. *Lib.* 3. *n.* 368.

QUÆR. 6° *An onanismum exerceat vir, si penetret quidem vas uxoris, sed parum, et in introitu vaginæ totum semen effundat?*

Resp. Dist. 1° Opere, *negat.;* quia actus iste reddit fœcundationem minus facilem quidem, sed non impedit; copula ergo sic exercita apta est ad generationem. Excipe tamen, si ita fieret ut omne semen diffluat et perdatur.

2° Mente, *subdist.: affirm.*, si hoc modo generationem impedire intendat; tunc ex prava intentione mortaliter delinquit contra naturam: secus *negandum.* Porro, si ita se gerat, quia modum generationi aptiorem evitare vult, ut minus certa sit proles, videtur non esse lethalis culpæ reus; quia non tenetur certiorem modum ad prolem concipiendam eligere, nec carendi prole desiderium est mortale peccatum. Denique, si legitimam habeat causam sic se gerendi, eo quod v. g. uxor ob recentem partum, vel infirmitatem in verendis, coitum perfectiorem non patiatur, nullo modo peccat. (Berardi. *Prax. Conf. n.* 334. *qu.* 2. Sanch. *De Matrim. lib.* 9. *disp.* 16. *n.* 6.)

497. — Hactenus de copula cum *directe intenta* effusione seminis extra vas. Quid porro censendum sit de copula peracta *sine intentione*, sed *cum periculo* ejusmodi effusionis, vel omnino *absque seminatione* sive utriusque sive alterutrius, utrum quoque sit abusus copulæ contra naturam, hoc loco apposite expendemus.

QUÆR. 1° *An liceat usus matrimonii, si ob senectutem vel aliam indispositionem plerumque accidat seminis effusio extra vas?*

Resp. Affirm., quamdiu probabilis spes superest copulam perficiendi; quia cum tali spe possident jus ad copulam, et seminis perditio præter intentionem casu evenit. *Ita communiter.* Porro satis est quod vir in vaginæ introitu semen effundat, imo partem dumtaxat seminis. Recole dicta n. 495. qu. 6. et n. 491. in fine. (*n.* 954. *dub.* 2. H. A. *n.* 50. *in fine.*)

Consequenter tum solum illicitus evadit usus matrimonii, cum *certa* exsistit impotentia coëundi, ita ut nonnisi pollutiones provocarentur.

QUÆR. 2° *An peccet uxor, si statim post copulam surgat aut mingat?*

Resp. Dist. 1° Si hoc faciat *animo* expellendi semen receptum, ob pravam hanc intentionem peccat mortaliter; sed frustra id tentat.

2° Si ex alia causa id faciat, non peccat; cum enim matrix semen statim attrahat et arctissime claudatur, non est cur uxor deberet supina manere. *Ita communiter.* (*n.* 954. Capellm. *pag.* 135.)

QUÆR. 3° *An peccent mortaliter conjuges, si in actu copulæ ambo cohibeant seminationem?*

Resp. Negat., si adsint duæ conditiones, ut fiat nempe 1° ex mutuo consensu; quia compars jus habet ad copulam perfectam; 2° sine probabili periculo pollutionis in utroque, ut patet. Ratio est, quia tunc illa penetratio vasis fœminei ad tactum verendorum reducitur, qui, secluso periculo pollutionis, inter conjuges permittitur vel saltem non est mortalis. *Ita communiter.*

In praxi, cum ordinarie adsit probabile periculum pollutionis, saltem in alterutro, ordinarie erit mortale, nisi conjuges experti sint oppositum. Cæterum a veniali peccato hic actus excusari nequit. In ipso tantum copulæ actu conjuges judicare possunt utrum in periculo pollutionis versentur, ait Capellm. *pag.* 146. (*n.* 918. H. A. *n.* 40.)

QUÆR. 4° *An vir peccet lethaliter, si cohibeat seminationem, cum uxor jam seminavit aut ad seminandum excitata est?*

Resp. Affirm., si datâ operâ hoc faciat; quia causa est quod semen uxoris, frustrato generationis fine, prodigatur.

Dictum est: *datâ operâ;* quia, si copulam abrumperet ex gravi causa, v. g. ob periculum scandali, non peccaret, etiamsi periculo pollutionis se exponeret. *Ita communiter.* Recole dicta n. 494. sub 3°. (*n.* 918.)

QUÆR. 5° *An uxor lethaliter peccet, si, viro seminante, ipsa seminationem cohibeat?*

Præmittendum, in fœmina non dari veram seminationem. Materia, quam ipsa generationi subministrat, est ovum. Si ovum maturum et reseratum habeat, fœcundationi apta est, quamvis in actu copulæ non commoveatur. Secretio tamen humoris, quæ a Theologis seminatio vocatur, ad fœcundationem aliquid confert. (Capellm. *pag.* 137. 140.)[1]

His præmissis,

Resp. Cum communiori sententia, contra alios qui semen mulieris necessarium censuerunt, negandum videtur; quia hodie compertum est semen mulieris non esse necessarium ad generationem, neque tenentur conjuges aptiori modo coïre, sed satis est quod generationem non impediant. Nihilominus enixe suadenda est praxis contraria; tum quia semen mulieris pertinet ad copulæ complementum, tum ne refrigescat amor conjugalis.[1] Illud denique advertendum est, quod si uxor ita se gereret eo animo, ut generationem impediat, a parte intentionis culpa mortalis foret.

QUÆR. 6° *An vir sub gravi culpa teneatur uxoris seminationem exspectare?*

Resp. Negandum videtur, sicut ad præcedens quæsitum. Suadendum tamen ut exspectet, continuando vasis penetrationem. Relaxatio virilium, quam huic consilio opponit Capellm. *pag.* 137, obstare nequit quominus penetratio continuetur.

QUÆR. 7° *An liceat uxori, post seminationem et retractionem viri, statim sese tactibus excitare ad propriam seminationem?*

Resp. Nonnulli negant; quia semen mulieris non est necessarium ad generationem, atque adeo effusio illa, utpote separata, esset vera pollutio. Ita Dian. Rodriq. Castropal.

Communiter vero affirmant; quia seminatio mulieris, licet non necessaria sit, pertinet ad complementum copulæ; copula enim *omnino* perfecta postulat commixtionem seminum utriusque sexus; hanc ergo potest uxor procurare. Ita Sanch. Less. Salm. Spor. Bonac. Wigandt, Potest. Tamb. etc. (*n.* 919. H. A. *n.* 40. Capellm. *pag.* 137.)

[1] Semen mulieris proprie semen non esse jam tradiderunt antiqui. Scripsit v. g. S. Aug.: „Ut nascatur (homo), unus eum serendo gignit, „altera edendo parit. Unde satis apparet, cui „sit potissimum vel cui primum generatio tri„buenda.... Nec hominem seminando generat, „nisi unus pater." (*Contra Julian. lib.* 3. *n.* 88.) Idem docuerunt Aristoteles et S. Thomas (*P.* 3. *qu.* 31. *a.* 5.), qui contendunt purissimum sanguinem esse materiam conceptionis in muliere. Cfr. Billuart. *de temper. diss.* 6. *art.* 11. *qu.* 2.

[1] S. Alph. *n.* 918., propter dubium olim exsistens, oppositam sententiam sequendam esse docet; sed hodie, sublato dubio, aliter resolvendum est.

Idem tamen non liceret, si vir onanista ante seminationem se retrahat; quia tunc seminationem *datâ operâ provocare*, cum copulam non compleret, esset vera pollutionis procuratio. Neque juvat opponere cum Capellm. *pag.* 139. licitam esse conjugi voluptatem ex copula illa consurgentem; aliud enim est voluptas in copula legitima, aut seminatio quæ tendit ad perficiendam copulam legitimam; aliud vero seminatio, quæ copulam complere seu cum actu ad generationem apto conjungi nullatenus potest, ut idem Auctor *pag.* 141. secum non constans affirmat. (Nardi. *De onan. n.* 64.)

498. — Caveat Confessarius, ne conjugibus de variis coëundi modis intempestivas aut nimias quæstiones faciat; quippe quæ non modo inutiles sunt, sed et scandalum gignere possunt. Quare, si pœnitens prudentem suspicionem ingerat, satis erit Confessario inquirere num adfuerit aliqua sodomia vel voluntaria pollutio; de cæteris non loquatur, nisi interrogatus.

§ III. *Impedimenta prohibentia actum conjugalem.*

Quatuor sunt, quæ privant vel penitus usu matrimonii, vel solo jure *petendi* debitum, nimirum 1° impotentia corporis, 2° votum castitatis, 3° affinitas post matrimonium orta, 4° dubium de valore matrimonii. Singula expendemus.

I. *Impotentia corporis.*

499. — Desperata impotentia viri seminandi intra vas fœmineum, sive ex aliquo viri vitio, sive ex fœminæ arctitudine ita ut semen recipere non valeat, si matrimonio supervenerit, illicitam reddit copulam conjugalem cum periculo pollutionis. Ratio, quia copula conjugibus permissa est solum intra vas legitimum; ergo, ubi hæc est impossibilis, non licebit.

Dictum est 1° *desperata*; quia, quamdiu est probabilis spes seminandi intra vas, licitus est conatus ad copulam.

Dictum est 2° *cum periculo pollutionis;* quia absque illo licet, sicut tactus, de quibus infra n. 514. qu. 4. Ideo quoque licet, si impotentia supervenerit *seminandi*, ob frigiditatem vel aliam causam; jure enim suo utuntur copulam conjugalem exercendo; semen autem non emitti contingit per accidens, sicut si semen sterile sit. (Sanch. *lib.* 7. *disp.* 102. *n.* 5—7. *lib.* 9. *disp.* 17. *n.* 18. 19. Salmant. *tr.* 9. *cap.* 12. *n.* 134.)

500. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An licitus sit actus conjugalis, si fœmina non possit semen intra vas receptum retinere?*

Resp. Propterea usus matrimonii interdicendus non videtur, si copula debito modo perficiatur; quia tunc per accidens evenit seminis legitime recepti expulsio; accedit, matricem sæpe retinere necessarium semen ad generationem. (*n.* 917. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 17. *n.* 22. 23.)

Quær. 2° *An, exsectis ovariis uxoris, (quam operationem hodiedum medici nonnunquam perficiunt), licita maneat copula conjugalis?*

Præmitto, eam mutilationem graviter illicitam esse, si eo fine peragatur, ut uxor deinceps concipere nequeat, uti patet; nunquam enim fas est de industria impedire generationem. (Sanch. *lib.* 9. *disp.* 20. *n.* 2.)

Quæstionem propositam Theologi non discusserunt, sed casum analogum viri post matrimonium castrati; testiculorum enim abscissio et ovariorum exsectio æquiparantur. Idcirco,

Resp. Adest duplex sententia, quæ utraque probabilis videtur. *Prima sententia* negat; quia, ablatâ materiâ necessariâ generationi, copula evadit *ex se* inhabilis ad generationem, sicut copula cum pessario vel spongia, et ideo semen virile contra naturam debito suo fine frustratur. Ita Præpos. Ledesm. Dicast. Roncag. *tr.* 21. *qu.* 4. *cap.* 6. *qu.* 5. et alii minoris nominis, et favere videtur Diana. *tom.* 2. *tr.* 6. *resol.* 165.

Secunda sententia communior affirmat; quia copulam debito modo peragere valent, atque adeo eam peragendo utuntur jure suo. Inhabilitas autem copulæ ad generationem provenit, non ex defectu copulæ, sed ex accidente, et non obstat, sicut non officit sterilitas; post contractum matrimonium namque perinde est carere materiâ ac habere eam inhabilem. Ita Sanch. *lib.* 7. *disp.* 102. *n.* 6. 7. Salmant. *loc. cit.* Castropal. *part.* 5. *tr.* 28. *disp.* 4. *punct.* 14. § 2. *n.* 11. Tolet. *Sum. lib.* 7. *cap.* 12. *n.* 4. Laym. *lib.* 5. *tr.* 10. *part.* 4. *cap.* 11. *n.* 3. Croix. *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 317. Filliuc. *tom.* 1. *tr.* 10. *part.* 2. *n.* 103. Catalan. *part.* 3. *qu.* 15. *cap.* 17. *n.* 9. Schmalzgrueb. *lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 50. et alii.

II. *Votum castitatis.*

501. — Conjux obstrictus voto castitatis non potest petere debitum; debet tamen reddere. Ratio prioris, quia votum castitatis fert secum obligationem abstinendi ab omni actu venereo; unde etiam, comparte defunctâ, tenetur omnino castitatem servare. Ratio posterioris, quia vinculum matrimonii fortius est vinculo voti. Hoc tamen intelligendum est *post primum bimestre;* nam intra primum bimestre, cum neuter *teneatur* reddere, consequenter ob votum nec *potest;* nisi intra hoc tempus semel consummaverit matrimonium, quo casu tenetur deinceps reddere.

Idem valet, etiamsi ambo conjuges post contractum matrimonium *ex mutuo consensu* votum castitatis emiserint; quia, nisi intenderint cedere juri suo, illud non amiserunt. (*Lib.* 2. *n.* 61. *lib.* 6. *n.* 944. 948.)

502. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An conjux voto obstrictus aliquando possit debitum petere?*

Resp. Potest, imo debet, in duplici casu: 1° Si alter sit in periculo incontinentiæ; quia tunc obligatio oritur ex ipso fine matrimonii, quo debet alter alteri subvenire. 2° Si alter tacite petat; puta quando uxor non audet præ verecundiâ petere et vir sentit ab eâ copulam appeti; quia tunc petitio est revera redditio. *Ita communiter.* (*n.* 930. H. A. *n.* 41.)

Quær. 2° *Quinam possint dispensare in hoc impedimento ad petendum debitum?*

Resp. Episcopi et Confessarii Regulares dispensare possunt 1° in voto emisso *post* matrimonium contractum; quia hoc votum non est *integræ* castitatis, cum nequeat obligare ad non reddendum debitum; nisi emittatur ante consummationem animo ingrediendi Religionem. Excipe tamen votum *ex mutuo consensu* ab *utroque* conjuge emissum, in quo solus Papa dispensare potest.

2° In voto emisso *ante* matrimonium, ita tamen ut dispensatus votum servare teneatur extra *licitum* usum matrimonii, et, mortuo conjuge, votum plene reviviscat. Constat, quoad Regulares, ex eorum privilegiis; quoad Episcopos, tum ex legitimâ epikeiâ, quia voti reservatio hoc in casu esset perniciosa, tum ex consuetudine, ut communius et probabilius censent DD. (*n.* 986. 987. H. A. *n.* 54.)

III. *Affinitas.*

503. — Conjux, qui durante matrimonio contraxit affinitatem cum suo consorte, patrando incestum cum consortis consanguineo vel consanguineâ in primo vel secundo gradu, non potest petere debitum; parti tamen innocenti reddere potest ac debet. Ita lex ecclesiastica ex *Cap.* 1. 6. *et* 10. *de eo qui cognovit.* et ex Declaratione Gregorii XIII. Ad incurrendum autem hoc impedimentum, oportet ut copula fuerit consummata. (*n.* 1070. 1075. H. A. *n.* 68.)

Excusant autem a præfato impedimento: 1° *metus gravis*, puta si uxor metu gravi coacta cognoscatur a consanguineo viri; ita communis et probabilior sententia, quia, sicut metus gravis excusat a lege humana, ita etiam a pœnâ; 2° *ignorantia*, sive *facti*, nempe si conjux ignoret personam, quâcum concumbit, esse alterius consanguineam, sive *juris*, nempe si ignoret legem imponentem hanc pœnam; primum tenent omnes, quia lex loquitur de *scienter peccantibus;* alterum tenet communior et probabilior sententia, quia ignorantia excusat a lege pœnali. (*n.* 1071—1074. H. A. *n.* 68.) In praxi conjuges ut plurimum hanc pœnam ignorant, donec ejusmodi incestum confessi, a Confessario, prout oportet, eam edocti fuerint.

504. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ad contrahendam affinitatem requiratur ut copula sit utrimque consummata?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. *Prima* negat requiri seminationem fœminæ; quia ad generationem non est necessaria; atqui per copulam sufficientem ad generationem consummatur matrimonium et fiunt conjuges una caro. Ita Pont. Sanch. Castropal. Croix, Bonac. Soto, Salm. etc.

Secunda affirmat eam requiri; quia ad plenam consummationem matrimonii non sufficit copula apta ad generationem, nisi coëuntes fiant una caro; at non fiunt una caro, nisi semina commisceantur. Ita S. Thom. S. Bonav. Lopez, Graff. etc., et probabilem dicunt Sanch. Castrop. Elbel, Ronc. Salm. etc. (*n.* 1075.)

QUÆR. 2° *Quid in dubio de consummatione?*

Resp. Ex communiter contingentibus ea semper præsumitur. (*n.* 1075.)

QUÆR. 3° *An conjux incestuosus possit quandoque petere debitum?*

Resp. 1° Potest ac debet, si alter sit in periculo incontinentiæ, vel tacite petat, ut dictum est de impedito ob votum castitatis.

2° Utrum possit etiam, si ipsemet sit in periculo incontinentiæ, controvertitur. Alii negant; quia hoc periculum est quidem justa causa obtinendi dispensationem, non autem coëundi. Ita Sanch. Guttier. Covar. Boss. Coninc. etc. — Alii probabiliter affirmant, casu quo dispensatio brevi obtineri nequeat, et magnum periculum sit in mora. Ita Viguer. et Quintanad. (*n.* 930. H. A. *n.* 41.)

QUÆR. 4° *Quinam possint dispensare in hoc impedimento?*

Resp. 1° Episcopi, ex potestate suâ ordinariâ, aut saltem ex consuetudine, ut tradit communis sententia contra paucos. Possunt quoque hanc facultatem aliis delegare.

2° Confessarii Regulares, vi privilegiorum suorum; dummodo tamen pro usu hujus privilegii obtinuerint licentiam sui Provincialis, aut saltem Superioris localis. (*n.* 1076. H. A. *n.* 69.)

QUÆR. 5° *An affinitas seu cognatio spiritualis cum altero conjuge superveniens matrimonio, nempe ex Baptismo propriæ prolis, privet jure petendi debitum?*

Resp. 1° *Negat.*, si parentes propriam prolem baptizent ex necessitate aut ex ignorantiâ. Certum est ex textibus Juris Can.

2° Si id agant culpabiliter, nempe extra casum necessitatis, scientes id esse graviter illicitum, controvertitur. Non pauci affirmant cum S. Thoma et S. Bonav. Sed multi probabiliter negant; quia ex nullo jure clare colligitur, et in pœnis benignior interpretatio adhibenda est. Ita Suar. Pontius, Viva, Coninc. Salm. Cajet. etc. (*n.* 150. H. A. *tr.* 14. *n.* 34.)

IV. *Dubium de valore matrimonii.*

505. — Duo certa sunt, nempe: 1° Conjux *certus* de nullitate matrimonii, nunquam potest debitum petere nec reddere, antequam dispensationem obtinuerit; quia fornicatio est intrinsece mala. Ergo, si alter sit in bonâ fide copulamque exigat, debet aut commonefacere eum de matrimonii nullitate, aut, si sine periculo gravis damni id nequeat, sub aliquo prætextu, dicendo v. g. copulam evasisse sibi noxiam et intolerabilem, a communi toro recedere, aut, urgente necessitate, fugere, vel petere divortium, v. g. ob compartis sævitiam, si adsit, vel certe omnia incommoda patienter sustinere. (*n.* 900.)

2° Conjux *dubius* de valore matrimonii, tenetur statim diligenter inquirere de rei veritate, et, durantibus inquisitionibus, non potest *petere* debitum, ne periculo se exponat fornicationis: attamen, ad vitandum periculum injustitiæ, debet *reddere*, si alter petat in bonâ fide, quippe qui est in legitima possessione; quinimo in hoc casu *reddere* debet etiam conjux *opinans* pro nullitate matrimonii, nullâ stante probabilitate pro valore; quia sola certitudo legitimum possessorem jure suo exspoliare potest. (*n.* 903.) Quodsi *uterque* conjux dubitet, neuter potest petere nec reddere; quia tunc neuter possidet jus petendi.

Notandum porro est, ante præmissum sufficiens examen non posse conjugem dubitantem reddere debitum *in primo bimestri* post initum matrimonium, si nondum consummatum fuerit; idemque dicendum esse, si alter conjux *adulterium* commisisset notum conjugi dubitanti. Ratio est, quia in hisce casibus alter caret jure petendi. (*n.* 904. *in fine.* Sanch. *lib.* 2. *disp.* 41. *n.* 48. 49.)

Quid vero si, *inquisitionibus factis*, dubium perseveret, modo expendendum est.

506. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An dubius de valore matrimonii possit petere debitum, si adhibitâ diligentiâ dubium vinci non potuit?*

Resp. 1° Si matrimonium *bonâ fide* contractum fuerit, nonnulli negant cum D. Thoma, ob *Cap. 44. de sent. excomm.*, quo vetari videtur. Sed communissime et probabilissime affirmatur; quia, qui bonâ fide contraxit, legitime possidet: confirmatur ex *Cap.* 5. *de frigid. et malef.*, quo, in dubio de impotentiâ, conceditur conjugibus triennium ad attentandam copulam, ideo sane, quia ob matrimonium bonâ fide contractum possident jus petendi, donec per experimentum triennale certum fiat impedimentum impotentiæ. Nec obstat cit. *Cap.* 44.; quia intelligendum est de dubio practico ante sufficientem inquisitionem, ut probatur ex contextu.

2° Si matrimonium *malâ fide*, i. e., cum dubio, contractum fuerit, controvertitur. *Prima sententia* negat; tum ob *Cap.* 2. *de secund. nupt.*, quo sic deciditur; tum ob rationem, quia possessio malâ fide incœpta non confert jus. Ita Castrop. Ronc. Salm. Bonac. Coninc. Viva, etc.

Secunda sententia satis probabilis affirmat; quia bonum publicum postulat, ut in dubio semper standum sit pro valore matrimonii contracti. Excipitur solus casus, quo dubium est *de morte prioris conjugis;* quia tunc prævalet jus prioris matrimonii, et de hoc solo dubio loquitur cit. *Cap.* 2., quod proinde huic sententiæ non obstat. Dico: *dubium;* nam si de morte prioris conjugis tanta adsit probabilitas, ut moralem certitudinem fundet, licitum erit petere. Ita Holzm. Elbel, etc. (*n.* 904. 906. H. A. *n.* 36. 37.)

QUÆR. 2° *Quid in casu matrimonii bona fide contracti, si probabiliter invalidum sit, nulla stante probabilitate pro valore?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat jus petendi debitum; quia possessio suffragatur quidem *dubitanti*, non autem *opinanti* pro nullitate matrimonii. Ita Sanch. Lugo, Salm. Spor. Bonac. Viva, etc.

2ª Sententia satis probabilis affirmat; quia possessio confert jus certum petendi, donec constet de nullitate matrimonii. Confirmatur ex cit. *Cap.* 5.; si namque post biennium conjuges necdum potuerint consummare, probabilissimum sane est matrimonium invalidum esse, et nihilominus possunt conjuges copulam tentare usque ad finem triennii, non alia utique ratione, nisi quia nullitas matrimonii nondum *certa* est. Ita Castrop. Coninc. Croix, etc. (*n.* 905. H. A. *n.* 36.)

ARTICULUS II.

OBLIGATIO ACTUS CONJUGALIS.

Expendemus 1° quomodo obliget, 2° quænam causæ ab obligatione excusent.

§ I. *Natura hujus obligationis.*

507. — **Principia.** I. Petitio debiti *per se* non cadit sub præcepto. Ratio est, quia nullus tenetur uti jure suo, quod pro se tantum introductum est.

Per accidens tamen aliquando alteruter tenetur petere, cum nimirum charitas id postulat. Contingit 1° quando in altero conjicit periculum incontinentiæ; quia tenetur, cum commode potest, impedire peccatum consortis, tanto magis quod matrimonium institutum sit in concupiscentiæ remedium; 2° quando necessarium apparet ad avertenda vel finienda dissidia. (*n.* 928. 929.)

II. Conjuges tenentur regulariter sub culpa lethali sibi mutuo reddere debitum, sive alteruter expresse sive tacite petat. Ratio est, quia reddere unicuique quod suum est, justitia præcipit; at corpus uxoris est viri, et econtra, teste Apostolo I Cor. VII. 3. 4. Adhæc, denegatio debiti non raro peccatis mortalibus compartem exponit, mutuum amorem exstinguit, jurgia, adulteria provocat, etc.

Dictum est 1° *sive expresse sive tacite petat;* quocirca uxor ordinarie tenetur reddere debitum viro, solum quando expresse petit; sed vir debet reddere debitum uxori, quando solum tacite petit, cum nempe ex indiciis animadvertit quod uxor copulam appetat; ratio hujus est, quia uxores præ verecundia expresse petere non solent. (*n.* 928.)

Dictum est 2° *regulariter sub culpa lethali;* quia, vel ob parvitatem materiæ, vel ob facilitatem petentis, denegatio non gravis esse poterit. (*n.* 940.)

508. — **Resolutiones.** 1° Mortaliter peccat uxor, si *obstinate* negat, etiam pro una vice dumtaxat, dum vir serio et instanter petit.

2° Similiter, si in redditione magnam

morositatem ostendit, cum periculo aut etiam cum animo virum deterrendi a petitione; si debitum non concedit nisi coacta; si viro dure et contumeliose suas petitiones exprobrat. *Ita communiter.*

3° Gravissime delinquunt illi pessimi viri, qui, sive ex avaritia ut prolem evitent, sive ex malevolentia, sive ex amore concepto erga alias, proprias uxores nunquam aut fere nunquam cognoscunt, quamvis bene præsumere debeant quod ipsæ id ægerrime ferant. (Berardi. *Prax. Conf. n.* 336.)

4° Debiti denegatio excusatur a gravi culpa a) ob parvitatem materiæ, si fiat raro, v. g. semel in mense sæpe petenti, citra periculum incontinentiæ vel gravis dissidii: item, si nonnihil differatur redditio, puta a die ad noctem, a nocte ad mane; b) ob facilitatem petentis, si hic remisse petat, vel facile cedat precibus negantis, secluso semper periculo incontinentiæ; imo hoc ne veniale quidem foret, si causa adesset. (*n.* 940.)

§ II. *Causæ a debiti redditione excusantes.*

509. — **Principia.** I. Cessat in uno obligatio reddendi debitum, cessante jure illud exigendi in altero. Hæc quippe correlativa sunt.

II. Jus exigendi quandoque vel non exsistit ob malitiam actûs petiti, vel adimitur a Jure ob justam causam, vel amittitur ob incommodum quod actus affert. Ratio patet, nemo enim potest jus habere ad actum sive malum, sive potiori jure ademptum, sive nimis onerosum. Singula enodabimus.

510. — Itaque I. Ob malitiam actûs petiti: Si nempe petatur copula graviter illicita *ex parte actûs*, puta sodomia, copula cum instrumento præservativo, in loco publico sive coram aliis; tunc non licet reddere, ut patet. Secus vero, si leviter tantum mala sit, v. g. in situ innaturali, et rationabilis causa adsit.

Si illiceitas afficiat solum *petentem*, v. g. quia voto castitatis ligatus vel onanista est, ex probabiliori sententia alter potest et debet reddere, præmissa correptione fraterna, si profutura speretur; quia actus ex se licitus est, eumque vitiat solus petens. (*n.* 943—947. H. A. *n.* 46—48.)

II. Ob privationem a jure: 1° *In primo bimestri* ab inito conjugio; quod tempus conjugibus a Jure conceditur in *Cap.* 7. *de convers. conjug.* ad deliberandum de ingressu in Religionem. Eo jure conjux uti potest, etiamsi proposuerit non intrare Religionem; cum interea quisque posset mutare propositum. Qui eo jure uti velit, separatim dormire debet. Semel intra hoc tempus reddito debito, cessat privilegium. (*n.* 904. *in fine. et* 950.) Hoc privilegium usuvenire non solet, cum fideles illud prorsus ignorent, et, si scirent, paucissimi eo uti vellent.

2° *Ob causas legitimas divortii;* imprimis ob adulterium, si sit formale, moraliter certum, non ab utroque aut ex alterius consensu commissum, et non condonatum; frangenti enim fidem fides frangatur eidem. Adulter tamen non peccat amice petendo. Censetur porro innocens condonare, si debitum petat vel libere reddat. Si uterque adulterium commiserit, adest compensatio, perimens jus negandi. Denique, si affinitas contracta fuerit per adulterium incestuosum, recole dicta n. 503. et 504. (*n.* 945. 960. 966.)

III. Ob incommodum: 1° *Ob periculum notabilis nocumenti*, sive pro reddente, sive pro prole concepta, sive etiam pro petente. Casus esset v. g. a) si uxor experientiâ aut medici judicio norit se in partu grave mortis periculum subire: b) si incipienti cancro uteri laboret, ita ut post coitum copiosæ sanguinis emissioni subjiciatur; c) si coitum subeat cum dolore valde acuto, qui singulis vicibus repetitur; d) si compars lue infecta sit; e) si alteruter vitio organico cordis laboret; tunc enim coitus non modo valde nocet, sed mortem etiam subitaneam producere potest. Recole dicta n. 483—489. (*n.* 950. Berardi. *Prax. n.* 342.)

2° *Ob petitionem immoderatam;* quia immoderatus veneris usus est contra rectam rationem, valetudini nocet, et intolerabilis servitus foret. Nimia frequentia potest esse vel *absoluta*, puta si quando vir quater in nocte peteret (*n.* 940.), vel habitualiter uno alterove coitu quotidie non esset contentus; vel *relativa* ad debilitatem corporis, v. g. propter phtisim incipientem, vel aliam chronicam infirmitatem. (Berardi. *n.* 344.)

3° *Si petens sui impos est*, puta ebrius, amens; quia tunc petitio non est actus humanus, et conceptio ex ebrio periculum affert gignendi prolem vel hebetem, vel amentem, vel surdam et mutam. Excipiunt DD., sed sub levi tantum, si in petente periculum pollutionis adesset; verum ob præfatum periculum prolis pollutio materialis permitti potest. (*n.* 948. Capellm. *pag.* 158.)

511. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An sit justa causa negandi debitum, si plures nascantur liberi, quam conjuges alere possint?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; tum quia procreatio prolis est finis præcipuus matrimonii, cui postponendum est quodvis incommodum; melius quippe est ut proles vivat inops, quam ut omnino non sit; tum quia negatio exponeret alterum periculo incontinentiæ. Ita Laym. Ronc. Spor. Pal. Coninc. Sylv. Nav. etc.

2ª Sententia affirmat; tum quia liberorum accretio nocumentum affert filiis jam genitis; tum quia a solutione cujusvis debiti excusat magna difficultas. Excipe tamen, si in petente sit periculum incontinentiæ. Ita Sanch. Pont. Bonac. Boss. Soto, Viva, etc.

Propter periculum incontinentiæ, quod vix potest abesse, prima sententia S. Alphonso magis arridet. (*n.* 941.)

Quær. 2° *An possit et teneatur uxor debitum reddere, quando experta est se filios parere mortuos?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; tum quia mors fœtûs per accidens evenit, et melius illi est cum culpa originali esse, quam omnino non esse; tum quia contingere potest, et aliquando contingit, ut mulier post multos abortus feliciter tandem pariat. Ita Laym. Sanch. Bonac. Collet, Antoine, etc.

2ª Sententia communior negat; quia mulier periculum vitæ subit ex morte fœtûs in utero. Excipiunt, si immineat magnum incontinentiæ periculum. Ita Sylvius, Boss. Cunil. Catal. etc. (*n.* 953. H. A. *n.* 49.)

Hæc sententia in praxi vix probabilis videtur: quia hoc periculum vitæ raro adest, et in casu nonnisi ex medici judicio sciri potest; adde periculum incontinentiæ, quod maxime aderit, si ob hanc causam perpetuo abstinendum esset ab usu matrimonii. (Berardi. *n.* 346.)

Quær. 3° *An sit obligatio reddendi, quando timetur ne proles nascitura sit infirma vel vitiosa?*

Resp. Affirm.; quia melius est proli sic esse, quam non esse. *Ita communiter.* (*n.* 951.)

ARTICULUS III.

ACCESSORIA ACTUS CONJUGALIS.

512. — Accessoria dicuntur ea omnia, quæ suapte natura ad concubitum ordinantur, ut sunt tactus, oscula, amplexus, aspectus, sermones impudici, delectationes carnales; hæc quippe hominem ad concubitum disponunt. Actus illi, si pudici sint, etiam ad indicandum amorem a natura ordinati sunt.

Principia. I. Tactus aliique actus impudici culpâ vacant, si, secluso pollutionis periculo, *referantur ad copulam* hic et nunc consummandam. Ratio est, quia licet juvare naturam ad actum concessum, ordinanturque ad finem naturâ ipsâ tactibus destinatum, et ob quem in ipsis voluptatem constituit.

Id quoque verum est, quamvis pollutio subinde inculpabiliter copulam præveniat. (*n.* 932. 934.) Debent tamen conjuges pro viribus hujusmodi effectum cavere, non diutius immorando in prædictis actibus.

II. Si hi actus exerceantur *propter solam voluptatem*, cum vel sine intentione copulæ, culpa venialis sunt. Ratio, quia et copula ipsa ob eum finem exercita venialis est, ut diximus n. 481. Non excedunt culpam venialem; quia voluptas non quæritur extra matrimonium, sed in actibus suâpte naturâ ordinatis ad copulam conjugalem; proinde adest dumtaxat defectus debiti finis. (*n.* 933.)

III. Si sine justâ causâ exerceantur *cum prævisio proximo periculo pollutionis* in alterutro, peccatum mortale sunt. Ratio est, quia, cum pollutio peccatum mortale sit, tale quoque est ponere causam, quæ per se et notabiliter in illam influit.

Hoc peccatum mortale vitabunt, si, adveniente periculo, possint ac velint copulâ uti, ut pollutionem evitent; sed ad hoc necesse est, ut conjuges in eo loco sint, ubi coire possint.

Dictum est; *sine justâ causâ;* quia ex justâ causâ licet se exponere periculo pollutionis, modo absit consensûs periculum. Causa aderit in *permittente* vel *reddente* eos actus, cum ab altero conjuge petuntur; quia status conjugalis præbet jus petendi, non copulam solum, sed et tactus; quod jus peccato se tenente ex parte personæ, prout in casu, non amittitur; ergo reddens dat operam rei debitæ. Debet tamen, si commode possit, petentem admonere ut desistat; et excipiendum est, si actus adeo turpes forent, ut essent quasi pollutio inchoata, et conjuges nequirent aut nollent copulam habere, v. g. si vir digitum in uxoris vas intromitteret ibique persisteret quasi copulam exercens. (*n.* 934. *lib.* 3. *n.* 483. Sanch. *lib.* 9. *disp.* 45. *n.* 34. 36.)

IV. Tactus, oscula et amplexus pudici, *ad mutuum fovendum amorem*, culpâ vacant, licet aliquando improvisa sequeretur pollutio. Ratio est, quia justa adest causa exercendi hujusmodi blanditias. Imo, si gravis adsit necessitas signum amoris exhibendi, v. g. ut conjux avertat suspicionem ab altero quod ipse sit erga aliam personam propensus, liciti erunt etiam cum præviso pollutionis periculo, modo absit consensûs periculum. (*n.* 934. *lib.* 3. *n.* 484. H. A. *n.* 42.)

513. — **Resolutiones.** 1° Obnixe, quantum prudentia sinit, reprehendendi sunt nonnulli tactus fœdissimi, qui cum morâ, maxime a junioribus conjugibus, difficulter fieri poterunt absque proximo pollutionis periculo, puta pudendorum osculatio aut lambitus, immissio digiti in vas uxoris.

2° Immissio virilium in os uxoris, vel eorum in ore exceptio, verius videtur semper esse mortale; tum quia ob calorem oris adest proximum periculum pollutionis, tum quia videtur quasi copula innaturalis. (*n.* 935.)

3° A christianâ pudicitiâ etiam alienum est, quamvis *per se* non mortale peccatum, si vir exigat ut uxor plene nudam se conspiciendam illi præbeat, aut si ambo se mutuo penitus nudos conspiciant.

514. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An sit lethalis culpa in conjuge delectatio morosa de copulâ cogitatâ, in absentiâ alterius conjugis, citra periculum pollutionis?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia, cum copula hic et nunc exerceri nequeat, delectatio venerea de se ad pollutionem tendit. Ita Ronc. Nav. Pont. Wigandt, Sylv. etc.

2ª Sententia communior et probabilis negat; quia delectatio sumit suam bonitatem vel malitiam ab objecto; atqui objectum in casu nostro est actus licitus et honestus, nempe copula conjugalis; ergo etiam delectatio de tali copulâ est licita conjugibus. Quod autem in absentia compartis non possit haberi copula, est per accidens, efficitque solum ut sit culpa venialis ex defectu debiti finis. Ita S. Thom. S. Anton. Sanch. Less. Suar. Vasq. Bonac. Coninc. Cajet. Laym. Spor. Croix, etc.

Hanc sententiam pure admittit S. Alph. *lib.* 5. *de peccat. n.* 25. Verum, ut absit periculum pollutionis, *lib.* 6. *n.* 937. eo utitur moderamine, ut delectatio non habeatur cum voluptuosa titillatione. Quare, cum hæc facile subsequatur, hortandi sunt conjuges ut non immorentur hujusmodi delectationi.

Quær. 2° *An damnandæ sint de culpâ lethali blanditiæ pudicæ in illis conjugibus, qui facillime ex levi causâ aliquantum distillant aut polluuntur?*

Resp. Negat., si non nimia voluptas adsit nec incitet, sed tamquam indicia amoris exerceantur, represso excessu libidinis insurgentis. Ratio est, tum quia eo casu pollutio a causâ naturali potius quam a blanditiis procedit; tum quia conjugibus moraliter impossibile est a blanditiis abstinere, eo vel magis quod matrimonium illis ad eas jus præbeat. (*Lib.* 3. *n.* 384. Sanch. *disp.* 45. *n.* 37. Berardi. *Prax. Conf. n.* 330. 332. *sub III.*)

Quær. 3° *An, semoto pollutionis periculo, graviter peccaminosi sint tactus impudici, quos conjux exercet secum ipso, altero absente, ob delectationem?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia tactus illi suâpte naturâ referri possunt ad copulam conjugalem, licet actu ad eam non dirigantur, quod satis est ut a gravi culpâ excusentur, sicut excusatur morosa delectatio de copulâ in absentiâ alterius conjugis. Ita Sanch. Castrop. Boss. Escob. Hurtad. Lopez, etc.

2ª Sententia probabilior, et in praxi omnino suadenda, affirmat; tum quia matrimonium nullum jus tribuit utendi proprio corpore ad explendam libidinem, sine ordine ad copulam exercendam; tum quia tactus illi ex se ordinantur ad pollutionem, cum copula impossibilis sit. Ita Laym. Dian. Spor. Vasq. Salm. Dicast. Armil. Sanc. etc. (*n.* 936.)

Quær. 4° *An, secluso pollutionis periculo, liceant conjugibus tactus et aspectus, quando copula est illis illicita?*

Resp. Dist. 1° Non licent conjugi voto castitatis impedito; quia votum prohibet omnem voluptatem veneream, salvo solum jure consortis, quæ voto non ligatur.

2° Licent, quando adest aliud impedimentum, v. g. sanitatis vel abortûs periculum, suborta impotentia coëundi, affinitas cum altero conjuge. Ratio est, quia hæc impedimenta obstant soli copulæ; et quando Ecclesia prohibet copulam in pœnam affinitatis contractæ, non est ea pœna extendenda ad tactus, etc., cum pœnæ semper sint restringendæ. Cæterum in praxi impeditus ordinarie debebit abstinere ab hujusmodi tactibus, præsertim turpibus, ob periculum proximum vel pollutionis, vel illicitæ petitionis copulæ. (*n.* 933.)

ARTICULUS IV.

OFFICIUM PAROCHI ET CONFESSARII ERGA CONJUGES.

515. — Parochus debet conjuges, quomodo in matrimonio recte et christiane conversari debeant, diligenter instruere ex divina Scriptura, exemplo Tobiæ et Saræ, verbisque Angeli Raphaëlis eos edocentis quam sancte conjuges debeant convivere. Ita Rit. Rom. *tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 17.

Confessarius debet 1° datâ occasione, docere conjuges licita et illicita in matrimonio; 2° prudens esse in interrogando conjuges; 3° eos removere ab omni occasione peccati. Quocirca:

Quær. 1° *Quomodo instruendi sint conjuges circa licita et illicita in matrimonio?*

Resp. Edoceantur non omnia licere conjugatis, sed sanctitatem matrimonii posse gravibus peccatis fœdari. Quocirca tradantur *utrique* sequentes generales regulæ: 1° Ea omnia licita sunt conjugibus, quæ ad prolis generationem seu ad legitimum conjugii usum ordinantur. 2° A lethali culpâ immunes erunt, si consulto nil agant, quo magno periculo sese exponunt vel semen perdendi ex parte alterutrius, vel concepto fœtui nocendi. 3° De cætero, si deinceps de aliquâ re dubitent, Confessarium consulant.

Præterea *singuli* edoceantur: 1° *Maritus*, ut debitum non petat iis temporibus, quibus copula uxori graviter noxia esse potest, v. g. tempore purgationis vel gravis morbi, juxta dicta n. 487. et 489. 2° *Uxor*, se sub gravi peccato teneri viro obedire in reddendo debito, nisi ex justâ causâ excusetur, v. g. ob infirmitatem.

Præmissa instructio, quæ *per se* Parocho incumbit, tradatur vel pridie matrimonii contrahendi, vel paulo post contractum, vel denique quoties juniores conjuges hâc de re doceri a Confessario petunt, vel Confessarius advertit eos ejusmodi instructione indigere.

Notamus insuper: 1° Sponsæ innocentes, quæ copulam forte ignorant, non ante matrimonium a Sacerdote instruendæ sunt, sed, si quid interrogent, ad matres suas prius remittendæ. Id præsertim valet pro sponsis honestioris conditionis riteque educatis, quæ hanc materiam plerumque ignorant, et a matribus pridie matrimonii edoceri solent. Si matrem non habeant, aliquam prudentem et piam matronam illis indicet Parochus vel Confessarius, a qua ea omnia ediscant, quæ conjuges rescire convenit.

2° Non omittat idem hâc occasione uxores juniores, quibus conveniat, monere ut secum in lecto non sumant infantem nondum anniculum, neque pueros aut puellas jam sexennes; ac multo magis, ut ejusmodi pueros utriusque sexus condormire non sinant in eodem lecto.

3° Instructio conjugum de servandis in casu abortûs, quantum ad Baptismum fœtûs abortivi, spectat ad Parochum; attamen, datâ occasione, nempe quando Confessarius advertit conjuges ea ignorare, vel officio suo hac in re defuisse, ipse eos docere non negligat. Idem dicendum de iis, quæ conjuges vitare debent ut caveant ab abortu.

Quær. 2° *An debeat Confessarius*

interrogare et corripere conjuges de peccatis in usu matrimonii?

Resp. 1° *Ordinarie* non tenetur nec eum decet interrogare, nisi uxores, num debitum reddiderint, modestiori quo possit modo, v. g. an obediant viro in rebus, quæ ad matrimonium spectant, vel an aliquid conscientiam angat circa matrimonium: de cæteris taceat, nisi interrogatus fuerit. Plerumque hac de re interrogandæ sunt uxores parum timoratæ, præsertim quando se fuisse maritis suis iratas confitentur. Hæc autem interrogatio ordinarie omittenda est cum uxoribus timoratæ conscientiæ. (*Prax. Conf. n.* 41. *et* 35.)

2° Cum prudens suspicio subest, pœnitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, tenetur prudenter ac discrete interrogare. Ita S. Pœnit. 10 Mart. 1886.[1] Ratio est, quia ex judicis officio tenetur Confessarius defectum pœnitentis supplere, ut docet communis sententia apud S. Alph. n. 629. Quare S. C. Inquis. 21 Maji 1851 declaravit oppositam sententiam, *nunquam* scilicet interrogandos esse conjuges de hac materia, falsam esse, nimis laxam, et in praxi periculosam. Confessarius porro caute interroget, inquirendo num aliquid sit circa matrimonii sanctitatem quod conscientiam remordet. Quod si neget pœnitens, plerumque non est ulteriori interrogatione urgendus.

3° Quando, sive ex spontanea confessione sive ex prudenti interrogatione, cognovit pœnitentem esse onanistam, tenetur illum de hujus peccati gravitate, æque ac de aliorum peccatorum mortalium, monere, eumque paterna charitate reprehendere, eique absolutionem tum solum impertiri, cum sufficientibus signis constat eumdem dolere de præterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi. Ita S. Pœnit. 10 Mart. 1886.

QUÆR. 3° *Quomodo procedendum cum conjugibus, qui versantur in occasione proximâ peccati propter abusum matrimonii contra naturam, v. g. si alter alterum directe polluit, si consentire solet onanismo, sodomiæ, propriæ pollutioni, etc.?*

Resp. Tractandi sunt sicut habituati vel recidivi in occasione necessariâ. Quod si, remediis adhibitis, semper eodem modo relabantur, absque probabili spe emendationis, nullo modo absolvendi sunt, nisi occasionem removerint, juxta dicta n. 308. qu. 2. Quin etiam hoc in casu conjux, qui versatur in proximo peccandi periculo ob sollicitationem consortis, tenetur facere divortium, si aliud remedium non supersit, et divortium fieri queat. Dico: *ob sollicitationem consortis;* quia secus non haberet jus faciendi divortium. (*Lib.* 3. *n.* 440. *et* 438. Berardi. *De occasion. n.* 264. *Edit.* 2ª.)

[1] Propter rei momentum, infra refero integrum hujus decisionis textum.

RESPONSA S. PŒNITENTIARIÆ DE ONANISMO.[1]

Beatissime Pater,

Episcopus N. N., ad pedes Sanctitatis Vestræ reverenter se sistens, Beatitudini Vestræ dubia quædam elucidanda proponit, quæ animarum Pastoribus et Confessariis jam diu gravem mentis et conscientiæ anxietatem afferunt.

Uti Sanctitati Vestræ compertum est, nefandum Onanis crimen in pluribus Galliæ regionibus latius in dies diffunditur, atque altiores agit radices, adeo ut nulla fere Provincia ab hac peste immunnis remaneat, ipsique scientiæ socialis cultores de exitioso hoc morbo publice conquerantur. Ubique ferme rarescere cernuntur familiæ, non quidem ex conjugiorum infrequentia, sed ex eorum voluntaria infœcunditate. Eo res jam devenit, ut, cum antea multi conjuges nimiam tantum vellent evitare prolem, nunc plurimi omnem vel fere omnem liberorum susceptionem scelesto consilio excludere audeant.—Hinc etiam, magna saltem ex parte, provenit lugenda illa imminutio ministrorum Ecclesiæ, qua diœceses magis magisque laborant.

Movet quidem animarum Pastores deploranda calamitas, quæ in ipsam societatem ex pravo hoc matrimonii usu derivatur; movet tamen acrius, et simul ingenti tristitia afficit eos gravissima offensa Deo illata, et præsentissimum animarum periculum. Atque hæc eorum mœstitia inde etiam augetur, quod non

[1] Revue théol. 1886. *pag.* 536.

una sit omnium Confessariorum, in hac curanda plaga, agendi ratio; nec optata uniformitas sperari possit ex illis, quæ hactenus prodierunt, S. Sedis Responsis et Declarationibus.

Nodus difficultatis versatur circa necessitatem *interrogandi* et *monendi* pœnitentes. — Omnes quidem Confessarii et Theologiæ moralis scriptores maximam hujus peccati gravitatem agnoscunt; omnes similiter fatentur summam Confessario adhibendam esse in interrogando prudentiam ac modestiam, et satius esse ut deficiat confessionis integritas materialis, quam ut pœnitenti ex indiscreta interrogatione scandalum obveniat, vel decus sacri ministerii offendatur. — Discrepant vero Confessarii in hoc capite: an necessaria sit, necne, interrogatio ipsa, licet castis modestisque verbis expressa?

Alii enim Confessarii persuasum sibi habent, inter tot fideles qui detestandæ Onanis praxi indulgent, aliquos saltem reperiri qui in bona fide versantur. — Ne igitur raros hosce pœnitentes ex bona fide deturbent, consultius esse putant *neminem* de hoc peccato *interrogare*, nisi forte ipse se pœnitens accusare incipiat, et interrogatio confessionem tantummodo faciliorem reddat. — Iidem Confessarii arbitrantur *moneri non debere* pœnitentem de gravitate hujus peccati, eo quod forte rem non ita gravem esse existimet. Atque in ista opinione hac etiam ratione confirmantur, quod plerique conjuges, de onanismi malitia aperte moniti, Sacramenta deserturi prævideantur, atque adeo majus damnationis periculum incurrant.

Alii Confessarii existimant, Ministris divinæ legis, quibus ex officio incumbit propria fideles munera docere, *licitum non esse silentium*, cum vident ipsius naturæ præcepta generaliter violari. Tunc enim (ut verbis utamur Benedicti XIV in sua Bulla *Apostolica Constitutio.*), »pœnitens aut crimina ignorat, quæ tamen nosse debet; aut in iis versatur »circumstantiis, quæ, Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere »obfirment, non sine aliorum scandalo; »cum quis arbitretur ea sibi licere, quæ »ab iis, qui Ecclesiæ Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit."— Hinc præfati Confessarii censent, toties *discretam interrogationem* esse faciendam de onanismo, quoties fundata *suspicio adest* pœnitentem huic crimini esse addictum; censent bonum commune postulare ut pœnitens, qui probabiliter tantum in bona fide versatur, apertis, sed discretis, moneatur verbis; censent demum, tunc solum ab interrogando et monendo esse abstinendum (nisi contrarium postulet bonum commune), cum ex præsentibus rei circumstantiis moraliter certum esse videtur pœnitentem in bona fide versari, et monitionem fore infructuosam.

Ex Responsis a S. Sede hactenus datis variæ quidem suppeditantur regulæ, quibus plura jam dubia, ad hanc materiam pertinentia, dilucida sunt.

Sic ex Responso S. Pœnitentiariæ diei 14 Decembris 1876, dato ad Rectorem Parochiæ in diœcesi Andegavensi, constat *non esse licitum* favere pœnitentium errori, qui a multis bona fides dicitur, nec talem bonam fidem creare.

Constat etiam, non satisfacere muneri suo eos Confessarios, qui, »quando pœ»nitens solummodo accusat onanismum, »altum silentium servant, et, finita con»fessione peccatorum, illum verbis ge»neralibus ad contritionem excitant, illi»que asserenti se detestari omne pecca»tum lethale, sanctam absolutionem im»pertiuntur."

Constat præterea, *omni reprehensione carere* eos Confessarios, qui (intra limites a Rituali Romano et probatis Auctoribus præstitutos se continentes, quoad interrogationes de usu matrimonii conjugibus aliquando faciendas) non omittunt quemcumque pœnitentem, sive sponte sive ex interrogatione prudenter facta, confessum de onanismo reprehendere, non secus ac de aliis gravibus peccatis, quantum ejus bonum exigere videtur; nec illum absolvunt, nisi sufficientibus signis monstret se dolere de præterito et habere propositum non amplius onanistice agendi.

Verum, cum ex superioribus S. Sedis Apostolicæ Responsis non omnia de hac materia dubia solvantur, atque interea diversimode a diversis Confessariis cum onanistis agatur, non sine gravi animarum detrimento ac magno Pastorum mœrore. Hinc præfatus Orator Sanctitatem Vestram, verba vitæ æternæ habentem, reverenter et fiducialiter adit, enixe supplicans ut Vestra Beatitudo ad

sequentia dubia benignum dare Responsum dignetur, videlicet:

I. Quando adest fundata suspicio, pœnitentem, qui de ONANISMO omnino silet, huic crimini esse addictum, num Confessario *liceat* a prudenti et discreta INTERROGATIONE abstinere, eo quod prævideat plures a bona fide exturbandos, multosque Sacramenta deserturos esse? — Annon potius *teneatur* Confessarius prudenter ac discrete interrogare?

II. An Confessarius, qui, sive ex spontanea confessione, sive ex prudenti interrogatione, cognoscit pœnitentem esse onanistam, *teneatur* illum de hujus peccati gravitate, æque ac de aliorum peccatorum mortalium, MONERE, eumque (uti ait Rituale Romanum) paterna charitate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet eumdem dolere de præterito, et habere propositum non amplius onanistice agendi?

Sacra Pœnitentiaria, attento vitium infandum, de quo in casu, late invaluisse, ad proposita dubia respondendum censuit, prout respondet:

Ad I. Regulariter *negative* ad primam partem: *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative*, juxta doctrinas probatorum Auctorum.

Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die 10 Martii 1886.

CARD. MONACO, PŒNIT. M.

HIP. CAN. PALOMBI, *S. P. Secret.*

CAPUT III.

OBLIGATIO COHABITANDI.

516. — Tenentur conjuges ex jure naturali et divino cohabitare in eadem domo, concomedere in eâdem mensâ, et condormire in eodem lecto. Fines enim matrimonii exigunt individuum et inseparabilem convictum conjugum; ideo legitur in Genesi II. 24: »Relinquet »homo patrem et matrem, et adhærebit »uxori suæ."

Non adeo stricta est hæc obligatio, ut omnem discessum prohibeat. Unde 1° potest vir, etiam invitâ uxore, modico tempore abesse. 2° Si justa causa subsit, e. g. ad tractanda familiæ negotia, ad præcavendum aliquod damnum, propter bonum publicum, potest maritus discedere, uxore etiam invitâ, et tamdiu abesse, quamdiu negotiorum tractandorum, quorum causâ abest, ratio petit. Verumtamen, si ad longum tempus discedat, debet secum ducere uxorem, si sumptus suppetant. Dixi: *maritum* hæc posse; nam uxor, cum viro subjecta sit, ne modico quidem tempore abesse potest sine mariti consensu, nisi grave detrimentum ei immineret. 3° Ex mutuo consensu possunt conjuges separari quoad torum, modo adsit justa causa, et absit periculum incontinentiæ in utroque, ut colligitur ex I Cor. VII. 5.: »Nolite fraudare in»vicem: nisi forte ex consensu ad tem»pus, ut vacetis orationi: et iterum »revertimini in idipsum, ne tentet vos »satanas propter incontinentiam ves»tram." Quamvis loquatur Apostolus de separatione ad tempus, nihilominus militat etiam pro separatione tori in perpetuum, dummodo nullum sit incontinentiæ periculum. Ob prædictum periculum non facile permittenda est ea separatio conjugibus junioribus. (*n.* 939.)

517. — **Quæstio.** *Quæritur hoc loco, utri conjugum competat electio domicilii?*

Resp. Penes virum est pro libitu suo domicilium eligere et transferre, et uxor, regulariter loquendo, tenetur virum sequi; nam, ut inquit Apostolus ad Ephes. V. 24: »Sicut Ecclesia sub»jecta est Christo, ita et mulieres viris »suis in omnibus."

Dixi: *regulariter;* nam plures casus excipiuntur, nimirum: 1° Si in pacto matrimoniali certus locus habitationi sit destinatus; nisi tamen nova et gravis causa supervenerit alio proficiscendi, antea non prævisa. 2° Si vir vellet mutare domicilium ob malum finem. 3° Si sine gravi detrimento corporis vel animæ virum sequi non posset. 4° Si vir huc illuc vagaretur; nisi ipsa ante matrimonium virum vagantem esse noverit.

Deinde, aliquando potest uxor domicilium mutare, si nempe alias grave detrimentum ei immineret; tunc vir ex charitate tenetur uxorem sequi. (*n.* 977. *lib.* 3. *n.* 353.)

CAPUT IV.

DIVORTIUM.

518. — Divortium seu separatio conjugum tripliciter accipi potest: 1° pro dissolutione vinculi matrimonialis, seu repudio; 2° pro separatione quoad torum et copulam conjugalem, non vero quoad habitationem; 3° pro separatione quoad torum et habitationem. De separatione quoad torum tantum, satis dictum est supra; agemus ergo 1° de divortio quoad vinculum, 2° de divortio quoad torum et habitationem.

ARTICULUS I.

DIVORTIUM QUOAD VINCULUM.

519. — I. **De matrimonio infidelium.** Matrimonium *legitimum infidelium*, etiam consummatum, dissolvi potest, quando alteruter conjugum ad Fidem convertitur,[1] altero in infidelitate manente, nimirum in duplici casu: 1° si conjux, qui fidem renuit, cum conjuge converso cohabitare recuset, et ab eo discedat, ideo solum quia ille Baptismum suscepit; 2° si cohabitare cum converso quidem velit, sed non sine contumelia Creatoris: quæ contumelia evenit, si nollet cohabitare sine nominis fideique Christi blasphemia ac despectu, sine ejus laudum aut domesticorum conversionis cohibitione, si nollet desinere a concubinatu,[2] vel si cohabitare vellet ut conjugem fidelem pertrahat ad mortale peccatum, v. g. ad apostasiam. Constat ex privilegio et dispensatione Christi in favorem Fidei concesso, et ab Apostolo promulgato in I Cor. VII. 15: »Si infidelis dis»cedit, discedat; non enim servituti »subjectus est frater aut soror in hu»jusmodi; in pace autem vocavit nos »Deus." Hæc verba Ecclesia interpretata est de discessione non solum *physica* nolentis cohabitare, sed etiam de *morali* nolentis cohabitare in pace. Ita *Cap.* 7. *de divort.* Confirmat ratio, quia, ad fidem homini servandam, fides Deo debita non est periculo exponenda.

[1] Nomine conversionis ad fidem hic intelligitur susceptio Baptismi, quo fides reipsa recipitur.

[2] Ita S. C. S. Off. 4 Jul. 1855. (Collect. S. Sed. *n.* 950.)

Dictum est 1° *quando* ALTERUTER *convertitur;* quia, si uterque convertatur, dissolvi nequit, privatâ saltem auctoritate, ut colligitur ex verbis Apostoli.

Dictum est 2° *si infidelis vel* NULLATENUS *vel* NON PACIFICE *cohabitare velit;* quia, si in pace, sine contumelia Creatoris, cohabitare velit, vi verborum Apostoli matrimonium dissolvi nequit. Claret ex v. 12—14: »Si quis frater »uxorem habet infidelem, et hæc con»sentit habitare cum illo, non dimittat »illam. Et si qua mulier fidelis habet »virum infidelem, et hic consentit ha»bitare cum illa, non dimittat virum; »sanctificatus est enim vir infidelis per »mulierem fidelem, et sanctificata est »mulier infidelis per virum fidelem; »alioquin filii vestri immundi essent, »nunc autem sancti sunt." (*n.* 956.)

Quodsi pars infidelis, etiam post longam cohabitationem pacificam, mutatâ voluntate, pacifice convivere amplius nolit, et tentet fidelem pertrahere ad peccatum, vel injuste divertat, aut alias ineat nuptias, poterit pars fidelis uti privilegio in favorem fidei concesso. Ita ex Responso S. C. S. Off. 5. Aug. 1759. et 4 Jul. 1855.[1]

Ulterius observandum est: 1° Non licet conjugi fideli novum inire matrimonium, nisi prius juridice, i. e. mediante Ordinario, interpellaverit conjugem infidelem, et ab eo responsum acceperit, num velit et ipse ad Fidem converti, aut saltem sine contumelia Creatoris cohabitare. Consequitur ex Apostoli doctrina. Ita Bened. XIV. *De Syn. lib.* 13. *cap.* 21. *n.* 4. Constit. *In suprema.* 16 Jan. 1745. et *Apostolici ministerii.* 16 Sept. 1747. (*n.* 957.)

2° Præfata interpellatio nonnisi ex S. Pontificis dispensatione omitti potest; quæ dispensatio, urgente morali interpellandi impossibilitate, concedi solet. (*n.* 957. Bened. XIV. *loc. cit.*)

3° Prius matrimonium in infidelitate contractum non dissolvitur antequam conjux conversus aliud matrimonium ineat cum Christiano, et sic contractus secundi erit dissolutio primi. Ita Bened. XIV. Constit. *Postremo mense.* 28 Febr. 1747. *n.* 58. (*n.* 957.)

520. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An matrimonium consummatum infidelium*

[1] Collect. S. Sed. *n.* 924. *et* 950.

possit auctoritate Pontificis dissolvi, quando uterque conjux infidelis ad Fidem convertitur, et post conversionem nondum consummatum fuit?

Resp. Controv. 1ª Sententia, quam S. Alph. sequitur, affirmat, urgente necessitate, puta si conversio alterius conjugis longe absentis ignoretur. Ratio est, quia vinculum matrimonii rati inter fideles fortius est matrimonio consummato inter infideles; unde, cum Pontifex primum dirimere possit, multo magis alterum dissolvere valebit. Deinde, S. Pius V et Greg. XIII id in praxim deduxerunt. Ita Navar. Sanch. Laym. Mansella. *De imped. cap.* 4. *art.* 3. *n.* 19. etc. (*n.* 956.)

2ª Sententia communior negat; quia negat majorem illam firmitatem; matrimonii enim indissolubilitas non provenit a Sacramento, cum hoc Sacramentum non habeat effectum indelebilem, characterem scilicet, sed ad summum dici potest eam fuisse ex elevatione ad Sacramentum validius roboratam, ut docet Trid. *sess.* 24. *initio;* deinde matrimonium ratum significat tantum unionem Christi cum animabus justorum per gratiam, matrimonium vero consummatum, etiam inter infideles, repræsentat unionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per Incarnationem; ideo auctoritas Pontificis se non extendit ad ullum matrimonium consummatum. Præterea allegati Pontifices nihil aliud egerunt, quam, urgente necessitate, ab interpellatione facienda eximere, ut ostendit Bened. XIV. Ita Azor, Coninc. Pontius, Castrop. Schmalzgr. Feye, etc. (Bened. XIV. *De Syn. lib.* 13. *cap.* 21. *n.* 4. 5. *Quæst. can.* 546. *n.* 30. 31. 37. 38. Feye. *De imped. et disp. matrim. n.* 489. 602.)

Quær. 2º *Si conjux infidelis nolit Fidem amplecti, sed velit pacifice cohabitare, sine injuria Creatoris, an possit conjux fidelis aliud matrimonium inire?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia verba Apostoli aperte oppositum tradunt. Ita D. Thom. S. Bonav. S. Anton. Estius, Navar. Valent. Tolet. Castrop. etc. — Concedunt tamen divortium quoad cohabitationem.

2ª Sententia communior et probabilior affirmat id *hodie* posse, ob periculum nocuæ cohabitationis, cum injuria Creatoris; quia hodie non modicum perversionis periculum imminet fideli ex consortio infidelis, etiamsi hic in pace se cohabitaturum polliceatur. Ita Sanch. Conc. Pont. Tournel. Henriq. Rebell. Coninc. etc. (*n.* 957.)

»Satis recte, inquit Bened. XIV. *De* »*Syn. lib.* 13. *cap.* 21. *n.* 1., sentire »videtur Cabassutius, qui hujus dubii »resolutionem pendere affirmat a casuum »circumstantiis et moribus regionum." Hinc praxis invaluit, testatur Mansella *loc. cit. n.* 25., ut prima sententia teneatur in locis infidelium, secunda vero inter nationes Christianas.

Quær. 3º *An Christianus, qui cum dispensatione S. Sedis super disparitate cultûs matrimonium cum infideli inivit, uti possit privilegio in favorem fidei, si infidelis postea renuat cohabitare absque injuria Creatoris?*

Resp. Negat., ejusmodi matrimonium est indissolubile quoad vinculum; sed aliquando quoad cohabitationem dissolvi potest, si causa canonica adsit a Judice Ecclesiastico agnoscenda. Ita respondit S. C. S. Off. 4 Julii 1855.

521. — II. **De matrimonio fidelium.** Matrimonium *ratum*, non consummatum, *fidelium* dissolvitur 1º Professione solemni in Religione a Sede Apostolica approbata; quod est de fide definita a Trid. *sess.* 24. *can.* 6.; 2º dispensatione S. Pontificis, ex causa omnino gravi concessa.

De hac Pontificis potestate olim controversia fuit inter DD.; sed hodie adeo firma et inconcussa est sententia affirmativa, ut sine temeritate nequeat amplius in dubium vocari. (*n.* 959. Bened. XIV. *Quæst. can.* 24. 108. 391. 479. 546. *n.* 36.) Probatur 1º ex plenitudine potestatis ligandi et solvendi quodcumque, Pontifici concessa a Christo; hæc enim tanta est, ut, nisi vinculum matrimonii rati sit penitus indissolubile, ad hoc extendi debeat; atqui non est omnino indissolubile; ergo. *Prob. min.* a) Ex verbis Christi apud Matth. XIX. 6. »Quod Deus conjunxit, homo non sepa»ret"; nam Dominus loquitur de matrimonio consummato, in quo conjuges per copulam facti sunt una caro, ut liquet ex I Cor. VI. 16. et interpretatione Alexandri III in *Cap.* 7. *de convers. conjug.* b) Ex significatione matrimonii rati; solum enim significat unionem Christi cum anima justi per charitatem, quæ unio solvi potest. Ita juxta solemne responsum Innoc. III in *Cap.* 5. *de bigam.* et communem DD. doctrinam. Probatur 2º ex continuata plurium sæculorum praxi Sedis Apostolicæ, quæ multoties in matrimoniis ratis dispensavit; ex qua praxi interpretatio juris divini merito colligitur.

522. — **Quæstiones.** Quær. 1º *Quo jure Professio Religiosa dirimat matrimonium ratum?*

Resp. Duæ sunt sententiæ. 1ª Sententia eam vim repetit ex jure ecclesiastico; quia ex nullo Scripturæ textu, neque ex traditione, habetur eam vim juri divino tribuendam esse, non autem consuetudini Ecclesiæ. Ita Suar. Less. Medin. Coninc. Laym. Castrop. etc.

2ª Sententia probabilior eam vim repetit a jure naturali et divino; tum quia professio solemnis secum fert perfectam traditionem dominii suiipsius in manum Dei et eorum, qui vicem Dei tenent, quæ traditio repugnat statui conjugali; tum quia SS. Canones vim hanc professioni non tribuunt, sed supponunt aliunde competere. Accedit canon Trid. 6. *sess.* 24., cui subesse aliquando falsitas nequit; posset tamen, si jure ecclesiastico dirimeret matrimonium, cum posset Ecclesia hanc disciplinam mutare. Ita D. Thom. *Suppl. qu.* 53. *a.* 2. Salm. *tr.* 9. *cap.* 4. *n.* 78. Sylvius. *in suppl. qu.* 53. *art.* 2. Billuart. *de matrim. diss.* 5. *art.* 2. § 4. Bened. XIV. *Quæst. canon.* 546. *n.* 35. Perrone. *De matrim. lib.* 3. *sect.* 2. *cap.* 6. cum Bellarm. Sanch. Covarr. Tournel. etc. (S. Alph. *In Trident. sess.* 24. *n.* 20. 21.)

Quær. 2º *An liceat unquam sententiam divortii quoad vinculum a judice civili postulare?*

Resp. Dist. 1º *Negat.*, si matrimonium sit validum; patet, quia judex civilis nihil potest in vinculum matrimonii.

2º *Affirm.*, si matrimonium sit invalidum, v. g. ob clandestinitatem, et putati conjuges nolint rite inter se contrahere. Ratio est, quia id non est civilis repudii morem approbare, cum nullo jam vinculo detineantur, sed tantum civilem libertatem sibi quærere ad novas nuptias ineundas. Colligitur ex Responso S. C. Inquis. 9 Sept. 1824. [1]

Notandum tamen est: 1º Priusquam ad judicem civilem recurratur, prærequiritur sententia nullitatis a judice ecclesiastico prolata, ut constat ex *Cap.* 3. *de divort.*

2º Omnem operam adhibeat Parochus ad inducendos putatos conjuges ad rite inter se contrahendum, si impedimentum dispensabile sit. Ratio claret, ut scandalum præcaveatur, et præcipue, si proles nata sit, ut proli consulatur.

3º De statûs civilis inhabilitate ad vinculum matrimonii dissolvendum, nostra ætate fideles interdum monendi sunt, ne occasione sententiæ judicis civilis, qua sic dictum divortium civile pronuntiatur atque lex civilis permittit transire ad alias nuptias, in errorem inducantur.

Quær. 3º *An liceat Judici civili pronuntiare sic dictum divortium civile inter conjuges, secundum hodiernas leges civiles?*

Resp. Si matrimonium validum sit coram Ecclesiâ, negative rescripsit S. C. Inquis. 27 Maji 1886, pro Gallia. [1] Fertur autem novam et generalem decisionem exspectari super hoc dubio; quapropter, ne S. Sedis judicium præcurramus, ab ulteriori discussione abstinendum nobis esse duximus.

Quær. 4º *An liceat Advocato causam divortii civilis defendere?*

Resp. Idem dicendum est, quod supra de Judice diximus.

ARTICULUS II.

DIVORTIUM QUOAD TORUM ET HABITATIONEM.

Separatio conjugum quoad torum et habitationem duplex est, perpetua nempe et temporaria. De utraque seorsim agemus.

§ I. *Divortium perpetuum.*

Separari in perpetuum possunt conjuges duabus ex causis, nimirum 1º ob votum solemne, 2º ob adulterium. Utramque distincte expendemus.

1. *Ob votum solemne.*

523. — Divortium fieri potest ob votum solemne in Professione Religiosa aut susceptione SS. Ordinum ab uno conju-

[1] Konings. *Theol. Mor. n.* 1053.

[1] Revue théol. 1886. *pag.* 279. et 473.

gum, altero consentiente, emissum. Constat ex verbis Christi apud Matth. XIX. 29.: »Omnis qui reliquerit... uxorem... »propter nomen meum, centuplum acci»piet et vitam æternam possidebit." Item ex Jure Canonico *Tit.* 32. *de convers. conjug.*

Præter mutuum consensum, quem liberum esse oportet, duæ a sacris canonibus conditiones præscribuntur, videlicet 1° ut accedat consensus Episcopi; 2° ut etiam alter conjux Religionem ingrediatur et profiteatur; illo tamen casu excepto, quo hic provectæ ætatis esset et ab omni incontinentiæ suspicione immunis; tunc namque, si in sæculo versari maluerit, satisfacit perpetuæ castitatis voto in sæculo se obstringendo. Hoc votum coram testibus et Superiore Ecclesiastico emittendum est, ne unquam de illius nuncupatione dubitari possit.

Si defuerit compartis liber consensus, professio irrita est. Si alter conjux vel non ingrediatur Religionem, vel votum castitatis in sæculo non nuncupet, eo quod hujus præscripti ignarus fuerit, professio valida quidem est, sed conjux, qui in sæculo remansit, facultatem habet professum ad se revocandi. De hisce constat ex *Tit.* 32. *de convers. conjug.* (*n.* 975. 812. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 13. *cap.* 12. *n.* 10—16. *Quæst. can.* 391. Schmalzgr. *lib.* 3. *tit.* 32. § 2.)

2. *Ob adulterium.*

524. — Ob adulterium ab uno conjugum commissum, fieri ab altero posse divortium, constat ex Domini sententia apud Matth. V. 32. et XIX. 9.: »Omnis, »qui dimiserit uxorem suam, excepta »fornicationis causa, facit eam mœchari." Ratio porro est, quia adulterium per se et directe repugnat fidei conjugali. Quamvis Christus loquatur de sola dimissione *uxoris*, Ecclesia nihilominus hanc doctrinam intellexit quoque de dimissione viri, ob identitatem rationis. (*n.* 960.)

Ut ordine procedamus, hanc materiam ad quatuor capita revocamus, scil. 1° quale adulterium præbeat jus divortii, 2° an sit aliquando obligatio faciendi divortium, 3° quanam auctoritate fieri valeat, 4° quæ sint ejus consectaria.

525.—I. **Jus divortii.** Ut ob adulterium institui possit separatio, requiruntur aliquæ conditiones, nempe ut 1° fuerit *consummatum;* quia nonnisi copulâ perfectâ, quâ fit una caro, conjux adulter dividit carnem suam cum alio; 2° fuerit *formale;* quia materiale non est alteri conjugi injuriosum; materiale esset e. g. si uxor violenter opprimatur; secus vero, si ex metu consentiat, nam metus non excusat a culpa; 3° sit *moraliter certum;* quia in dubio non potest alter conjux sua possessione privari. (H. A. *n.* 93. 95.)

E converso tres numerantur casus, in quibus non licet divortium; qui sunt: 1° Si *uterque* conjux sit adulterii reus; quia paria delicta mutua compensatione abolentur; neque refert quod unus semel, alter multoties adulterarit, vel unius delictum sit occultum, alterius publicum. 2° Si alter *consenserit* adulterio alterius; quia tunc censetur auctor illius et non minus reus. Contingit consensu non solum expresso, verum etiam tacito; ut si maritus, cum sciret et facile posset, uxorem ab adulterio non prohibeat. Non præsumitur autem consensus, si maritus uxoris adulterium prudenter dissimularit, eo quod non potuerit sine magno incommodo illud impedire, vel si causam tantum remotam præbuerit, puta uxorem male tractando, debitum ei negando. 3° Si injuria *condonata* sit; quia quilibet potest favori pro se principaliter introducto renuntiare. Perinde est sive condonatio facta sit expresse sive tacite, puta si conjux innocens, conscius adulterii, sponte coeat cum adultero, ei exhibeat solita obsequia et signa affectûs conjugalis, cum eo comedendo, dormiendo, et multo magis amplexus et oscula dando. Notandum tamen, quod si revera conjux innocens præbendo ejusmodi signa non habeat intrinsecus animum condonandi, in foro conscientiæ jus ad divortium retinet, quamvis in foro externo negetur, ut censent Sanch. Filliuc. Salm. Castrop. etc. Adhæc, si post reconciliationem novum sequatur adulterium, ratione illius denuo divortium institui potest, ut patet. (*n.* 966.)

526. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An sub adulterio etiam sodomia et bestialitas comprehendantur?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia non fit una caro cum alio, nisi commixtione seminum in vase apto generationi. Ita Innoc. Abul. etc.

2ª Sententia communis et probabilior, saltem extrinsece, affirmat; quia etiam per copulas innaturales conjux dividit carnem suam cum carne aliena. Ita D. Thom. Sanch. et alii multi.

Dictum est: *saltem extrincese*; quia recte ait Pontius hanc sententiam revera non probari, cum semper responderi possit sine copula naturali carnem non dividi. Cæterum, cum sit sententia communis, ab ea non recedendum est. (*n.* 962.)

Quær. 2° *An ad faciendum divortium sufficiat suspicio de conjugis adulterio?*

Resp. Non sufficit quævis probabilis suspicio, sed requiritur vehemens, quæ moralem certitudinem fundet; qualis esset, si solus cum sola in eodem lecto visus sit. Non sufficiunt vero oscula, amplexus, et tactus; nisi aliæ circumstantiæ concurrant. *Ita communiter.* (*n.* 961.)

Quær. 3° *An in casu, quo post utriusque conjugis adulterium unus emendatus est, alter vero in adulterio pergit, emendatus divortium instituere possit?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia negat, nisi condonationem obtinuerit; quia emendatio injuriam alterius non exstinguit. Ita Pont. Dicast. Castrop. Hurtad. etc.

2ª Sententia communior affirmat, si post correptionem alter non resipiscat, sed relabatur; quia admonitio illa, qua reconciliatio offertur alteri, vim habet reconciliationis. Ita Sanch. Coninc. Laym. Bonac. Filliuc. Salm. Viva, etc. (*n.* 966.)

527. — II. **Obligatio divortii.** Hac de re Quær. 1° *An vir, cognito adulterio uxoris, teneatur eam dimittere?*

Resp. Per se, ratione adulterii, certe non tenetur; quia permisit Dominus, non jussit, dimissionem; alias quod in favorem innocentis introductum est, in ejus pœnam verti posset.

Per accidens aliquando teneri potest ex duplici causa: 1° ratione *emendationis*, si alia via non suppetat ad uxoris emendationem; eo casu tenetur ex charitate, si possit absque gravi incommodo, ad tempus eam dimittere. Non tenetur vero, a) si aliâ viâ possit eam corrigere, v. g. minis, reprehensionibus, verberatione, aut alia moderata castigatione; b) si ex dimissione timeat gravia incommoda, nimirum periculum propriæ incontinentiæ, rixas cum propinquis uxoris, infamiam, jacturam gubernationis domesticæ, periculum liberius peccandi in uxore, et similia. 2° Ratione *scandali* vitandi, quod contingere posset, si adulterium esset notorium, et vir passim reputaretur fautor delictorum uxoris, eo quod retineat ipsam. Verum hoc intelligendum est, si alio modo nequeat scandalo occurrere; nam si posset aliis mediis scandalum reparare, non tenetur ad divortium; talia media essent, si displicentiam, quam habet de adulterio uxoris, declararet uxoris reprehensione, reclusione, verberatione, aut alia moderata coërcitione. Quod si, his mediis adhibitis, scandalum perseveraret, vir excusatur a divortio, si justam causam habeat non dimittendi uxorem; imo probabiliter ea sola ratione quod, manifestatâ suâ displicentiâ, scandalum evadat pharisaicum. *Ita communiter.*

Ex prædictis inferunt DD. virum perraro teneri ad divortium. (*n.* 963.)

Quær. 2° *An uxor unquam teneatur divortium facere a viro adultero?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; 1° non ratione scandali; quia nunquam uxor præsumitur consentire adulterio mariti; 2° non ratione correptionis; quia tamquam subdita non tenetur maritum corripere facto, sed tantum verbo; cui accedit, recessum a viro non esse medium aptum emendationis, sed potius causam fore pejoris mali. Ita S. Anton. Sanch. Palud. Soto, etc.

2ª Sententia, quam S. Alph. veriorem censet, affirmat, casu, quo probabilis spes est emendationis; quia aliquando tenetur etiam subditus, si potest sine gravi incommodo, corripere Superiorem modo quo potest. Verumtamen in praxi rarissime eveniet ut uxor possit a viro discedere sine gravi incommodo; propterea neque tenetur ei debitum negare, eo vel magis quod ex hâc negatione vir pejor evaderet. Ita Bonac. Coninc. Nav. Castropal. Salm. etc. (*n.* 964.)

528. — III. **Exsecutio divortii.** Separationem quoad torum proprià auctoritate fieri posse, extra controversiam est. Dubium vero est de divortio quoad cohabitationem.

Quær. 1° *An conjux innocens possit divortium facere proprià auctoritate, absque sententia Judicis Ecclesiastici?*

Resp. Adsunt tres sententiæ satis probabiles. 1ª Sententia absolute negat;

quia divortium est causa publica, pertinens ad externam Ecclesiæ gubernationem. Ita D. Thom. Bellarm. Concin. Aversa, etc.

2ª Sententia distinguit, affirmat nempe, si adulterium est notorium, negat vero, si est occultum; quia in hoc casu fama conjugis adulteri injuste proderetur; allegantque *Cap. 4. de divort.* et *Cap. 9. de spons.* Ita Laym. Pont. S. Anton. Salm. etc.

3ª Sententia probabilior absolute affirmat, pro foro conscientiæ, dummodo adulterium sit certum, et non interveniat scandalum; tum quia Christus absolute permisit divortium ob adulterium; tum quia et Ecclesia permittit in *Cap.* 32. *qu.* 1. Ita Sanch. Soto, Bonac. Coninc. Filliuc. Navar. Castrop. etc.

Dictum est in hâc sententiâ 1º *pro foro conscientiæ;* quia in foro externo, si adulterium nec notorium nec legitime probatum sit, judex conjugem cohabitare compellet, ne hominum malitiæ præbeatur ansa conjugem innocentem injuste dimittendi. Ejusmodi judicis præcepto, utpote justo, tenetur conjux obedire; non tamen tenetur debitum reddere. (*n.* 968.)

Dictum est 2º *secluso scandalo;* quare libero divortio ob adulterium occultum vix locus est, nisi conjugium ipsum occultum sit; scandalum enim regulariter oriri solet. (Sanch. *lib.* 10. *disp.* 12. *n.* 31—34. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 19. *n.* 113.)

Quær. 2º *An liceat petere sententiam divortii a judice civili?*

Resp. 1º Præhabitâ sententiâ judicis ecclesiastici, quando ea requiritur, nihil obstare videtur quominus hodie petatur eo fine, ut divortium in tuto collocetur et effectus suos civiles consequatur. Non liceret tamen in judice civili agnoscere veram potestatem pronuntiandi divortium; divortium namque est causa spiritualis, quæ soli Ecclesiæ foro competit.

2º Si tribunal ecclesiasticum nullum adiri possit, adsintque justæ separationis causæ, judicio Episcopi, tolerari potest quod conjuges adeant tribunal civile ad obtinendam separationem quoad habitationem. Ita ex Responso S. C. Inquis. 19 Dec. 1860. et 3 April. 1877. [1]

[1] Revue théol. 1886. *pag.* 484.

529. — IV. **Consectaria divortii.** Ea, quæ post divortium factum sequuntur, spectant 1º educationem liberorum, 2º facultatem mutandi statum, 3º conjugum reconciliationem. Unde

Quær. 1º *Apud quem conjugem filii educandi sint?*

Resp. Apud conjugem innocentem, prout judex pronuntiaverit. Quando autem alter conjugum esset infidelis vel hæreticus, proles semper apud fidelem educanda est, ut jus naturale postulat ob periculum perversionis in fide. (*n.* 976.) Penes judicem quoque est statuere cujus expensis proles educanda sit; alioquin communibus expensis educatur.

Quær. 2º *An conjux innocens possit Religionem ingredi vel SS. Ordines suscipere, invito licet adultero?*

Resp. Affirm., dummodo vel sententia divortii præcesserit, vel saltem adulterium publicum sit; quia adulter amisit in perpetuum jus ad consortium conjugale. (*n.* 969.)

Quær. 3º *An etiam conjux adulter idipsum possit?*

Resp. Dist. 1º Potest in duplici casu, scil. si conjux innocens vel a) statum jam mutavit, Professione emissâ aut Ordine suscepto; vel b) pluries requisitus reconciliationem recusavit. Ratio est, quia in primo casu non potest amplius redintegrare cohabitationem; in secundo casu præsumitur ejus consensus.

2º Extra præfatos casus non potest; quia non potest innocentem privare suo jure revocandi illum. (*n.* 669. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 6. *n.* 33—35. *tit.* 19. *n.* 126.)

Quær. 4º *An possit conjux innocens compartem adulteram revocare et cogere ut ad se redeat?*

Resp. Affirm., etiamsi divortium factum sit per sententiam judicis; dummodo tamen neuter statum legitime mutarit. Ratio est, quia divortium solum in gratiam innocentis concessum est. *Ita communiter.*

In praxi, ob prudentem timorem sævitiæ, non potest uxor adultera compelli ut redeat ad virum; nisi adsint argumenta probabilia in contrarium. (*n.* 967. H. A. *n.* 96.)

Quær. 5º *An conjux innocens teneatur recipere adulterum pœnitentem et emendatum?*

Resp. Negat.; quia ex una parte Christus jam concessit divortium perpetuum; ex altera parte charitas non videtur ad tantum onus obligare, ut convivat cum eo, qui sibi fidem fregit. *Ita communiter.*

Quod si alter sit in periculo relabendi, congruit ut eum recipiat, si commode possit. (*n.* 965.)

Quær. 6º *Si, facto divortio per sententiam, etiam conjux innocens in adulterium lapsus est, an tunc amittat jus divortii, ita ut, altero petente, teneatur ad eum redire?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia adest injuriæ compensatio, et jus divortii, ex adulterio quæsitum, solum est conditionatum: *quamdiu ipse innocens est.* Ita S. Anton. S. Bonav. Pont. Coninc. Soto, Castrop. etc.

2ª Sententia, quam S. Alph. longe probabiliorem censet, negat; quia sententia judicis dissolvit jus cohabitationis in perpetuum, et transit in rem judicatam. Monendus tamen est, ut caveat periculo animæ ejus et scandalo aliorum. Ita S. Thom. Sanch. Filliuc. Laym. Bonac. Salm. etc. (*n.* 967. *dub.* 2.)

§ II. *Divortium temporarium.*

530. — Ex Domini sententia fornicatio et statûs perfectionis immutabilis electio sunt solæ causæ faciendi divortium perpetuum et absolutum. Ita Ecclesia jus divinum interpretata est; ideo Conc. Trid. *sess.* 24. *can.* 8. definivit plures alias causas sufficere ad faciendum divortium »ad certum incertumve »tempus," prout causa durat.

Justæ porro causæ faciendi divortium ad tempus quinque maxime enumerantur: hæresis, periculum animæ, periculum corporis, sævitia, et molesta cohabitatio.

531. — I. *Hæresis*, et multo magis *apostasia a fide*, superveniens matrimonio, juxta sententiam Apostoli ad Titum. III. 10.: »Hæretium hominem post »unam et secundam correptionem de»vita;" ratio est, quia plerumque ex cohabitatione cum hæretico pertinaci imminet conjugi Catholico ejusque proli periculum perversionis. Imo, si hoc periculum grave esset, *tenetur* se separare; quia tale periculum jure naturæ quilibet vitare tenetur. (*n.* 974.)

532. — II. *Periculum animæ*, quando conjux conjugem ad grave peccatum incitat aut impellit, et monitus non desistit; salus enim animæ et peccati evitatio prævalent cohabitationis legi. Quapropter, si periculum grave sit, se separare *tenetur.* Colligitur ex verbis Christi apud Matth. XVIII. 9: »Si oculus tuus scandalizat te, erue eum et »projice abs te," et apud Luc. XIV. 26.: »Si quis venit ad me, et non odit pa»trem suum et matrem et uxorem... »non potest meus esse discipulus." — Propter delicta, quæ perniciosa non sunt, divortium minime conceditur.

Hinc divertere potest uxor, si v. g. maritus procaces viros in domum introducat, qui ipsam ad peccandum sollicitent; si velit exercere sodomiam cum uxore, etsi ipsa consentire renuat, etc. (*n.* 973. 974.)

533. — III. *Periculum corporis*, si conjugi grave damnum corporis imminet ex cohabitatione, quod aliâ viâ averti non potest; prius enim quisque sibi consulere debet, quam alteri. Ex hac ratione 1º conjux sanus separare se potest a comparte morbo contagioso laborante; tenetur tamen curam ejus gerere; 2º ob vehementem furorem unius conjugis, aut ejus ebrietatem in furorem vergentem, ita ut alter prudenter sibi grave malum timere possit, licitum erit ad tempus divertere. (*n.* 973.)

534. — IV. *Sævitia*, si conjux consortem suam crudeliter tractat, e. g. si maritus uxorem suam capitali odio prosequatur, ejus vitæ insidias paret, mortem vel mutilationem serio minitet, etc. Ratio est, quia uxor non est viri mancipium, sed socia, et unicuique competit jus defensionis contra vim injustam. Idque procedit, etiamsi conjux fuerit causa sævitiæ alterius. (*n.* 970.)

535. — V. *Molesta cohabitatio*, ex frequentiâ jurgiorum et rixarum, quas alterius conjugis indomita improbitas excitare solet; quia hujusmodi incommodum metum gravem incutit, imo in hujusmodi conjugio salus animæ et corporis periclitatur. (*n.* 971. *qu.* 3.)

536. — **Quæstiones.** Quær. 1º *An justam divortio causam præbeant verbera inflicta vel timenda a marito?*

Resp. Dist. 1º *Negat.*, si verberatio levis ac moderata sit; quia nec sævitiam arguit, nec justi gravisque metûs cau-

sam præbet. Imo justæ correctionis causâ licet marito verberare uxorem, modo non fiat frequenter neque ex levi causâ.

2° *Affirm.*, si verberatio gravis et immoderata sit, repetita aut in posterum repetenda; quia ejusmodi castigatio non competit marito, sed judici. Ita communis sententia contra paucos. Dixi: *repetita aut repetenda;* quia unica, etiam immoderata, verberatio non probat sævitiam, cum ex insolito et inopinato impetu iræ procedere potuerit. (*n.* 972.)

Porro gravis verberatio censenda est, juxta Pontium, v. g. ex quâ abortus sequitur; quæ sanguinolenta est, aut vulnus facit, vel livorem parit, præsertim in capite aut facie; quæ infirmitatem uxori causat, ita ut per aliquot dies se continere in lecto cogatur; quæ fit in pectore, ita ut uxor sanguinem spuat; vel quæ fit baculo in percussione fracto. Advertendum autem est, minores molestias sufficere ad probandam sævitiam viri, si uxor nobilis est, honesta et morigera, quam si plebeja, rixosa aut immorigera est. (*n.* 971. *qu.* 3. Schmalzgr. *n.* 167.)

Quær. 2° *An propter allegatas causas liceat propria auctoritate divortium facere?*

Resp. Negat., regulariter loquendo; tum quia agitur de dissolutione juris, quod cedit in grave præjudicium conjugis, a quo fit separatio; ut adeo sine judicio Ecclesiæ instituenda non sit; tum ne passim divortia fiant.

Dictum est: *regulariter loquendo;* quia casus excipitur, in quo periculum esset in mora, vel conjux non posset judicem adire aut causam probare. (*n.* 971.)

De recursu ad judicem civilem, et de educatione liberorum, consule dicta n. 528. qu. 2. et n. 529. qu. 1.

537. — **Monita.** Quum summi momenti negotium sit, quod sancte contrahatur faustumque persistat fœdus conjugale, proderit monita quædam practica subjungere.

1° Multa mala ex divortiis propter delicta sequi solent. Præter mala temporalia, conjugibus persæpe imminet incontinentiæ et inimicitiæ periculum, proli mala educatio et pravum exemplum, familiæ dedecus, fidelibus scandalum. Quare Ministrorum Ecclesiæ est, nisi adjuncta aliud suadeant, ut opportunis remediis monitisque divortia præpedire conentur, utque conjuges legitime separatos, si saluti animæ proficuum videatur, reconciliare studeant. (V. d. Burgt. *De matrim. n.* 500.)

2° Media præveniendi divortia sunt: fideles debitâ instruere scientiâ de officiis conjugalibus tam mariti quam uxoris; de fine, qui in contrahendo matrimonio præ oculis haberi debet; de prudentia in eligenda comparte; de parentum sollicitudine circa filiorum nuptias; de fuga peccatorum tempore procationis; de sancta præparatione ad matrimonium. (Idem. *n.* 476.)

3° Quoad conjuges, qui absque legitima auctoritate separati sunt, Parochus vel Confessarius sequentia attendat: a) Non est a Sacramentis arcenda uxor, quam publice constat fuisse a suo viro inique expulsam; at maritus non est absolvendus, nisi vitæ consortium restituat. b) Non est inquietandus, qui ob adulterium notorium secessit a comparte; reus autem non est admittendus ad Sacramenta, nisi injuriam et scandalum reparaverit. c) Absolutione indigni sunt, qui ob infelix matrimonium, e. g. ob mutuam aversionem, privato consilio se separarunt; verumtamen, si quando scandalum abesset, ipsique sint *in bona fide*, nec moniti acquiescant, de obligatione monendi non sunt. Neque inquietandi sunt conjuges, qui civili tantum auctoritate separati sunt, si in bona fide versantur et ex monitione non est fructus sperandus. (Muller. *Theol. Mor. lib.* 3. § 227.)

4° Separati propria auctoritate, eo quod matrimonium eorum invalidum esse compererint, inducendi sunt ut, impetratâ dispensatione, nuptias convalident. Renuentes tamen non sunt cogendi; quia nuptiæ invisæ infelices solent habere exitus. Interim dissolutio matrimonii, etiamsi nullitas notoria sit, declarari debet a judice ecclesiastico, ut constat ex *Cap.* 3. *de divort.*

PARS QUINTA.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

538. — Ut Matrimonii sanctitatem ejusque bona tueatur, utque hominum temeritatem et inconsiderantiam refrænaret Ecclesia, non pauca impedimenta ipsa posuit, alia jure divino jam posita promulgavit.

Sunt autem impedimenta duplicis generis: nam aliqua sunt *impedientia* tantum, quia solum prohibent ne matrimonium contrahatur; si nihilominus contractum fuerit, validum ac firmum erit: alia vero simul *dirimentia* sunt, quæ personas inhabiles reddunt ad matrimonium contrahendum, ita ut, si contrahant, invalidum sit. Non ideo ergo dirimentia vocantur, quia matrimonium valide contractum dissolvunt, hoc enim implicat; sed quia impediunt quonimus valide contrahatur.

Quum porro Ecclesia, justis suadentibus motivis, impedimenta a se constituta nonnunquam dispensatione relaxet, materiam pertractandam in quatuor sectiones dividimus, quarum 1ª erit de impedimentis solum impedientibus, 2ª de dirimentibus, 3ª de dispensatione ab impedimentis dirimentibus, 4ª de convalidatione matrimonii invalide contracti.

SECTIO I.

DE IMPEDIMENTIS SOLUM IMPEDIENTIBUS.

Olim plura fuerunt, quæ consuetudine abrogata sunt; hodie quatuor vigent his versiculis comprehensa:

Ecclesiæ vetitum, tempus. sponsalia, votum;
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

Hisce tamen hodie addenda est mixta religio, seu hæresis in consorte.

CAPUT I.

ECCLESIÆ VETITUM.

539. — Hoc nomine non indicatur prohibitio *lege generali* indicta, e. g. ne contrahatur absque denuntiationibus, cum ignorantia doctrinæ christianæ, cum hæretico; sed intelligitur *specialis* prohibitio, qua matrimonium a Superiore Ecclesiastico quibusdam personis ex justa aliqua causa interdictum est. Ejusmodi prohibitio obligat sub peccato gravi; quia est præceptum Ecclesiæ in re gravi, ut fert communis sententia. (*n.* 982.)

Quær. 1° *Ob quas causas matrimonium aliquod interdici possit?*

Resp. 1° Ob sponsalia cum alia persona prius inita et non legitime dissoluta; 2° ob prudentem suspicionem latentis impedimenti, sive dirimentis sive solum impedientis; 3° ob metum scandali, inimicitiæ, rixarum, aliorumve incommodorum, ex futura talium personarum conjunctione; 4° ob ignorantiam doctrinæ christianæ, et similia.

Quær. 2° *Quis Superior possit matrimonium interdicere?*

Resp. 1° Id possunt proprius Episcopus, ejus Vicarius Generalis, et Vicarius Capitularis Sede vacante.

2° Parochus non potest ferre vetitum in sensu proprio; quia non est Judex ecclesiasticus, cui soli competit causarum matrimonialium cognitio. Nihilominus, cum cura ei commissa sit ut matrimonia debito modo ineantur, potest *extrajudicialiter* matrimonium interdicere, donec causa discutiatur et decidatur a Judice Ordinario. Constat ex *Cap. fin.* § 2. *de cland despons. Ita communiter.* (Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 16. *n.* 4—6.)

CAPUT II.

TEMPUS FERIATUM.

540. — Nomine *temporis feriati* seu *clausi* intelligitur illud tempus, quo nuptiales solemnitates ab Ecclesia prohibentur.

Hodierno jure solum prohibentur ab Adventu usque ad Epiphaniam, et a die Cinerum usque ad Octavam Paschatis inclusive, prout statuit Trid. *sess.* 24. *cap.* 10. *ref. matr.* Ratio prohibitionis est, quia hæc sunt sacratiora anni tempora, orationibus ac pœnitentiæ operibus præ cæteris destinata, a quibus fideles per istas solemnitates abstraherentur; propterea grave est præceptum.

Præfato tempore, spectato jure communi, non prohibetur simplex matrimonii celebratio, sed solæ nuptiarum *solemnitates* vetantur, ut colligitur ex Trid. et diserte tradit Rit. Rom. *tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 18.

Solemnitates illæ sunt: 1° benedictio matrimonii, illa scil. quæ continetur in Missa *pro sponso et sponsa*; 2° solemnis traductio sponsæ in domum sponsi, cum magno scil. apparatu et signis lætitiæ; 3° nuptialia convivia, choreæ, aliaque hujusmodi, quæ fieri solent in matrimoniis; hæc tamen tum solum peccatum mortale evadunt, cum magnus esset excessus. (*n.* 983. Rit. Rom. *loc. cit.*)

Dixi: *spectato jure communi;* quia in multis diœcesibus ex particulari statuto vel consuetudine prohibitum est ipsum quoque matrimonium celebrare, nisi Ordinarii licentia obtenta fuerit.

In interdicto solemnitatum nuptialium Ordinarius dispensare nequit, ut constat ex declarationibus S. R. C. (Feye. *De imped. et disp. n.* 553. 613.)

CAPUT III.

SPONSALIA.

541. — Sponsalia cum una inita impediunt quominus licite cum alio matrimonium contrahi possit, nisi legitime soluta fuerint.

Si quis ergo propter sponsalia secum inita se opponat matrimonio contrahendo, Parochi est rem diligenter examinare. Inde 1° si comperiat sponsalia non fuisse inita, vel esse dissoluta, vel resiliendi causam exsistere, vel malitiosam esse oppositionem, opponentem repellat. Malitiosa ordinarie censebitur oppositio, si opponens longo tempore nihil pro jure suo egerit, cum facile potuisset; vel si post tertiam tantum proclamationem jus suum urgeat, cum prius urgere commode potuisset. 2° Si comperiat sponsalia fuisse inita et non soluta, nec justam resiliendi causam exsistere, conetur rem inter partes componere. Si tentamen non succedat, recurrendum est ad Ordinarium. 3° In prudenti dubio, si Parochi operâ lis non componatur, similiter ad Ordinarium deferre debet. (Feye. *n.* 556.)

In impedimento sponsalium dispensare potest S. Pontifex, quippe qui dispensare etiam potest in matrimonio rato; Episcopus vero non potest. (*n.* 987. *in fine.* Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 16. *n.* 60. 63.)

Causa sufficiens ad impetrandam dispensationem, est prudens timor ne matrimonium malum exitum sortiatur. (Planchard. *Dispens. matrim. n.* 430.)

CAPUT IV.

VOTUM SIMPLEX.

542. — Votum simplex castitatis, non nubendi, ingrediendi Religionem, aut suscipiendi Sacros Ordines, jure naturali et divino-positivo prohibet matrimonii celebrationem; matrimonium enim, generatim loquendo, obstat impletioni horum votorum.

Dixi: *generatim loquendo;* quia, si duo castitatis voto devincti matrimonium inirent absque probabili periculo violandi votum, non peccarent; sed casus rarissimus erit.

In voto non nubendi, et suscipiendi SS. Ordines, possunt Episcopi et Confessarii Regulares dispensare. Secus vero, in voto castitatis perpetuæ, et Religionis. Consule dicta lib. III. n. 107. 108.

Ad obtinendam dispensationem aut commutationem in voto castitatis perpetuæ vel Religionis, causæ justæ sunt: si vovens continere se non possit et in plura peccata contra sextum labatur; si gravibus concupiscentiæ stimulis frequenter agitetur, quæ proximum incontinentiæ periculum inducunt; si puellam vi stupraverit, vel mulierem promissione matrimonii seduxerit; si puella, patre orbata, relicta sit cum matre pauperrimâ, ac nonnisi ex proprio labore et cum difficultate vitam ducere possit; si, eadem matre orbata, pater vehementer instet, irascatur, et ad nuptias impellat, ita ut cum eo vivere, nisi obediat, durissimum evadat; si vovens morbo laboret, cui, ex medicorum consilio, aliis medicinis occurri non possit, et certius sit uti remedio matrimonii, etc. (Planchard. *n.* 429.)

Tandem, qui, voto non obstante, illicite contraxit matrimonium, 1° si cum voto *castitatis*, debitum conjugale petere non potest; reddere vero consorti petenti debet, quoties hic jure exigendi pollet; deinde, consorte defuncto, ad novas nuptias convolare nequit. 2° Si cum voto *non nubendi*, debitum et petere et reddere potest. 3° Si cum voto *SS. Ordinum*, matrimonium consummare potest; sed tenetur votum implere, si consors consentiat, aut jus conjugale in perpetuum amiserit, aut obierit; nisi propter filios educandos aut inhabilitatem moraliter nequeat. 4° Si cum voto *Religionis*, tenetur a matrimonii consummatione abstinere et intra bimestre Religionem ingredi; nisi præstet dispensationem a voto impetrare. Prima igitur matrimonii consummatione graviter peccat contra votum; quia facultatem implendi votum sibi præcludit. Consummato semel matrimonio, eadem obligatione tenetur, qua voto SS. Ordinum ligatus. — Stante matrimonio, in prædictis casibus plerumque expediet dispensationem a voto impetrare.

CAPUT V.

MIXTA RELIGIO.

543. — Impedimentum hæresis seu mixtæ Religionis prohibet ne Catholicus cum hæretico vel schismatico matrimonium contrahat. Ejusmodi matrimonia *mixta* vocantur.

Matrimonia mixta sunt valida, modo aliunde non obstet impedimentum dirimens aut pactum contra substantiam matrimonii; quia hæresis aut schisma inter baptizatos nullo jure unquam constitutum est impedimentum dirimens.

544. — **Principia.** I. Matrimonia mixta jure tum naturali tum ecclesiastico *per se* graviter illicita sunt. Etenim 1° *jure naturali*, tum ob vetitam cum hæreticis communicationem in divinis, tum ob cooperationem ad sacrilegium, tum ob periculum perversionis in fide et moribus pro parte Catholicâ et pro prole ipsis plerumque conjunctum: quibus adde periculum divortii, a quo non adeo abhorrent hæretici, et cui hodie in plerisque regionibus favent leges civiles. 2° *Jure ecclesiastico*, nam Ecclesia semper illa prohibuit ac detestata est, ut constat ex pluribus decretis Conciliorum et SS. Pontificum, nostræ præsertim ætatis. (*n.* 56. 1044. H. A. *tr.* 14. *n.* 6. *in fine.* V. d. Burgt. *De matrim. n.* 302. Feye. *De imped. n.* 567.)

II. Licita evadere possunt ex dispensatione S. Pontificis, si subsit gravis causa, et removeatur periculum perversionis tam partis Catholicæ quam prolis. Ratio est, quia hæc matrimonia non sunt ita intrinsece mala, quin possint aliquando cohonestari et licita fieri.

Requiritur autem 1° *dispensatio Pontificis;* quia hanc dispensationem SS. Pontifices sibi reservarunt, ut sæpius declararunt. Aliquando tamen dispensandi facultatem Episcopis indulgent. 2° *Gravis causa*; non licet enim partem fidelem et prolem temere exponere animæ periculo. Talis causa est v. g. certa spes secuturæ conversionis conjugis hæretici, metus majoris mali, puta matrimonii sic dicti mere civilis vel coram ministro hæretico ineundi, etc. 3° *Remotio periculi;* hanc enim omnino exigit lex naturalis, in quâ nemo dispensare potest. (S. Alph. *In Trident. sess.* 24. *n.* 18. V. d. Burgt. *n.* 303. Feye. *n.* 567. 568.)

Ut porro periculum, quantum fieri potest, removeatur, S. Pontifex semper exigit hasce cautiones: a) ut pars hæretica promittat liberum futurum parti Catholicæ Religionis exercitium; b) ut pars Catholica pro viribus procuret compartis conversionem; c) ut proles universa educetur in Religione Catholicâ. Nunquam posse has cautiones, primam et tertiam præcipue, prætermitti, tum documenta Pontificia tum recta ratio manifestant. Modus autem promittendi primam et tertiam conditionem varius observatur pro adjunctis, e. g. promissio jurata, scripto mandata, testiumque adhibitio; interdum etiam pars Catholica debebat jurare vel firmiter promittere, scripto nonnunquam vel testibus adhibitis, se nunquam deserturam esse fidem Catholicam. (V. d. Burgt. *n.* 305. Feye. *n.* 568.)

545. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quomodo Parochus se gerere debeat in ipsâ celebratione matrimonii mixti?*

Prænotandum. Distinguitur duplex assistentia Parochi: *activa*, quando adhibet cæremonias sacras in Rituali descriptas pro celebratione nuptiarum: *passiva*, quando assistit solum tamquam testis, audiendo consensum utriusque partis, extra ecclesiam, absque veste sacrâ ullove ritu sacro; debet tamen matrimonium contractum in libro parochiali referre.

Resp. Dist. 1° Pro matrimonio *illicito*

nullatenus cooperari potest Parochus. Ideo prohibitæ sunt tum denuntiationes, tum litteræ testimoniales de statu libero, tum quævis assistentia Parochi ejusve delegati.

2° Pro matrimonio *licito*, conceditur assistentia passiva, ac consequenter dantur etiam litteræ testimoniales, ubi requiruntur; prohibitæ tamen sunt denuntiationes, nisi Ordinarius eas necessarias et opportunas censuerit ad detegenda impedimenta, dummodo mentio non fiat religionis contrahentium. Abstinere autem deberet Parochus ab ipsâ passivâ assistentiâ, si nosset nupturientibus animum esse contrahendi etiam coram ministro hæretico, tamquam ministro religionis; cum actus ille sit participatio cultui hæretico, lege divinâ prohibita.

In nonnullis regionibus, ad vitanda majora mala, v. g. ne coram Magistratu civili vel ministro hæretico invalidum contrahatur matrimonium, aliquando tolerantur, in illicitis etiam matrimoniis, tum proclamationes, sed tacitâ religione partis hæreticæ, tum litteræ testimoniales, tum assistentia passiva; excepto tamen casu, quo jam valide contractum esset matrimonium coram Magistratu civili vel coram ministro hæretico. Imo, *urgente necessitate*, dummodo diligenter cautiones serventur, S. Sedes tolerat morem adhibendi ritum sacrum, exclusâ tamen semper Missæ celebratione: hujus tamen tolerantiæ judicium prudenti Ordinariorum arbitrio committit, ipsorumque conscientiam onerat super omnium circumstantiarum veritate et gravitate. Constat de prædictis ex variis Rescriptis SS. Pontificum, signanter ex Instructione Pii IX. 15 Nov. 1858. (V. d. Burgt. *n.* 308. Feye. *n.* 570—572.)

Quær. 2° *Quomodo se gerere debeant Episcopi, Parochi et Confessarii cum Catholicis, qui matrimonium mixtum inire volunt?*

Resp. Bened. XIV Constit. *Matrimonia.* 4 Nov. 1741. eos »serio graviterque »hortatur et monet, ut Catholicos utrius»que sexûs ab hujusmodi nuptiis in pro»priarum animarum perniciem ineundis, »quantum possint, absterreant, easdem»que nuptias omni meliori modo inter»vertere atque efficaciter impedire sata»gant;" quinimo laudat »magnopere »zelum illorum Antistitum, qui severio»ribus propositis spiritualibus pœnis »Catholicos coërcere student, ne sacri»lego hoc vinculo sese hæreticis con»jungant." Ut ergo fideles absterreant, proponant eis doctrinam Ecclesiæ de mixtis conjugiis, gravitatem obligationis parentum erga liberos suos, rationemque pro illis Deo reddendam, pericula quibus seipsos suamque prolem exponunt, crudelitatem quam exercent in filios, eos exponendo periculo pravæ educationis, malis exemplis ac seductioni, denique dogma de unâ salvificâ Ecclesiâ.

2° Si nihilominus in malo proposito persistant, quin sufficiens petendæ dispensationis causa allegari queat, vel si absque dispensatione aut necessariis cautionibus matrimonium inire intendant, absolutio ipsis tamquam indispositis deneganda est. Caveant tamen ne hujusmodi fideles durius rejiciendo malum accrescat; ideo potius curam et sollicitudinem de misero eorum statu augeant. In dubio de causæ sufficientia adeundus est Ordinarius.

3° Parochus non facile recurrat ad Ordinarium pro dispensatione impetranda, nisi revera adesse videantur causa sat gravis, ac moralis certitudo de impletione cautionum, et pars Catholica dispensationem peti velit. Ratio est, tum quia non sæpe exstant causæ sufficientes; tum quia sinceritas promissionum tam facile fallit, ut experientia docet, nam, contracto matrimonio, promissa multoties vel nullatenus vel non integre implentur; tum demum, quia bono communi Catholicæ Religionis providendum est, cui multum nocent multiplicata matrimonia mixta, eo vel magis quod hæretici per liberos e matrimoniis mixtis oriundos numerum asseclarum suorum augere collaborent.

In praxi minor majorve rigor a diversis locorum adjunctis dependet. (Feye. *n.* 569. V. d. Burgt. *n.* 307.)

Quær. 3° *Quomodo Parochi et Confessarii se gerere debeant cum Catholicis, qui illicite contraxerunt matrimonium mixtum?*

Resp. Dist. 1° Si non illicite tantum, sed *invalide* quoque contraxerunt, v. g. ob impedimentum clandestinitatis, satagendum est ut, obtentâ dispensatione in impedimento hæresis, matrimonium convalidetur. Sed a convalidatione abstinendum est, quando vel obtineri nequeunt necessariæ cautelæ, vel propter circumstantias præferenda est omnimoda dissociatio, vel prævidetur civile divortium. Pars Catholica ad Sacramenta admitti nequit, nisi aut convalidatum sit matrimonium servatæque præscriptæ conditiones, aut omnimoda separatio facta sit, uti per se liquet.

2° Si *solum illicite* contraxerunt, ad Sacramenta admittendi non sunt, nisi sincere eos pœniteat se eo modo nuptias iniisse, atque promittant se educaturos esse prolem in Religione Catholica, pro viribus procuraturos conversionem partis hæreticæ, et reparaturos scandalum fidelibus datum. Scandali reparatio ut plurimum ex Sacramentorum participatione, vitæ integritate, et bona prolis educatione habebitur. Constat ex Rescripto Pii VI, 13 Julii 1782 ad Card. de Franckenberg. (Feye. *n.* 573. V. d. Burgt. *n.* 310.)

Quær. 4° *Quid porro agendum sit, si post matrimonium licite vel illicite contractum omittatur catholica universæ prolis educatio?*

Resp. Si pars Catholica deficiat, non faciendo quod vere potest, ad Sacramenta admitti nequit, donec emendetur; imo, si casus publicus est, publicis peccatoribus adnumeranda est.

In specie: 1° severius tractandus est pater Catholicus, utpote cui suppetit patria potestas, etiam ex lege civili nostrarum regionum.[1] Unde in hisce regionibus pater absolute obligandus est, sub denegatione absolutionis, ut omnes liberos in Catholica fide educandos procuret, nisi liberi majorennes in hæresi educati patris hortationibus obtemperare jam nollent. 2° Mater Catholica obliganda est, ut, quantum in se est, universam prolem in Religione Catholica educandam procuret; quod si vir obstinate renuat, saltem puellas ad veram Religionem adducere conetur. Si porro vir ejus moriatur tempore quo liberi adhuc juniores sunt, absolute obliganda est mater, si tutrix sit, ut omnes, quotquot in juniore ætate liberos habet, ad fidem Catholicam adducat. Denique 3° si prolis educatio in hæresi parti Catholicæ imputari nequeat, sed nihilominus scandalum vetet quominus publice ad S. Communionem accedat, occulte ei ministranda est, vel alibi accedat. (Feye. *n.* 573. V. d. Burgt. *n.* 309. 310.)

[1] Jus Gallic. art. 371—373. Jus Holland. art. 353—355.

SECTIO. II.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

De iis agemus primo in genere, deinde in specie.

CAPUT I.

IMPEDIMENTA DIRIMENTIA IN GENERE.

Exponere debemus 1° quænam sint hæc impedimenta, 2° quomodo dividantur, 3° quinam iis ligentur.

546. — **Enumeratio.** Quatuordecim numerantur, memoriæ juvandæ causa hisce versiculis inordinate comprehensa:

Error, relligio, triplex cognatio, crimen,
Cultûs disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Raptus, clandestina fides, impos coëundi,
Ætas, affines, solvunt sponsalia cuncta.[1]

Ut autem ordini et claritati consulamus, ac præcipue eorumdem eluceat impedimentorum ratio, ea ad quinque capita revocamus, prout nempe dirimunt 1° ex defectu consensûs; quo spectant error, vis, et raptus; 2° ex defectu naturæ; huc pertinent ætas et impotentia; 3° ob reverentiam inter propinquos servandam; hac ratione sunt cognatio, affinitas, et publica honestas; 4° ob religionis sanctitatem, quam colere et revereri oportet; ad hoc pertinent cultûs disparitas, ordo et religio; 5° ob ipsius matrimonii sanctitatem tuendam; quo spectant ligamen, crimen, et clandestinitas. (Mansella. *De imped. initio.*)

547. — **Divisio.** Impedimenta distinguuntur: 1° *juris naturalis* seu *divini*, puta defectus consensûs, impotentia, ligamen, religio, consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ: *juris ecclesiastici*, sunt reliqua fere omnia.

2° *Absoluta*, quæ reddunt inhabilem respectu omnium, e. g. ætas, ligamen, votum, ordo: *respectiva*, quæ reddunt inhabilem respectu certarum tantum per-

[1] Id est sponsalia *de præsenti* seu matrimonia cuncta; sponsalia *de futuro* fere omnia.

sonarum, e. g. cognatio, affinitas, raptus, crimen.

3° *Antecedentia*, quæ exsistunt ante matrimonii celebrationem: *superveniéntia*, quæ stante matrimonio oriuntur. Supervenientia, solemni Professione excepta, non dissolvunt matrimonium, prout vidimus, sed impediunt usum ejus.

4° *Publica*, quæ pluribus sunt nota: *occulta*, quæ paucis nota sunt; *omnino occulta*, quæ probari non possunt per duos saltem testes. Verumtamen quædam impedimenta suapte natura sunt publica, nempe consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis, et publica honestas. (Feye. *n.* 87—89. 97.)

548. — **Subjectum. Principia.** I. Impedimentis juris divini et naturalis ligantur omnes plane homines. Ratio clara est, nam ab observatione legis divinæ et naturalis nemo omnino, qui est rationis compos, excipitur.

II. Impedimentis juris ecclesiastici ligantur soli Christiani, seu baptizati, iique omnes, etiam hæretici. Ratio est, quia omnes, iique soli, qui Ecclesiam per Baptismum ingressi sunt, illius jurisdictioni subjiciuntur, ejusque adstringuntur legibus. Non excipiuntur hæretici; quia constat de voluntate Ecclesiæ eos quoque ligandi, nec contraria consuetudo eos eximere potuit, quippe quæ mera rebellio est, et a qua legislator aperte se dissentire manifestavit. Id evincunt tum Constitutiones Bened. XIV, tum Rescripta aliorum Pontificum, tum facultates dispensandi cum hæreticis conversis, quas etiam hodie Sedes Apostolica concedit Episcopis. (Feye. *n.* 103.)

Hinc infertur: 1° Matrimonia legitima infidelium, licet contracta cum impedimento canonico, valida manere post eorum conversionem. 2° Hæreticos tum solum canonicis impedimentis ligari, cum valide fuerint baptizati.

549. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ignorantia invincibilis, aut gravissimum incommodum, eximat ab impedimentis?*

Resp. Negat.; quamvis enim bona fides excuset a peccato, neutra tamen allegata causa habiles reddere potest, quos lex inhabiles effecit, nec ullum impedimentum solius pœnæ causâ constitutum est. (*n.* 1079. Feye. *n.* 104.)

Quær. 2° *An liceat matrimonium contrahere cum impedimento dubio?*

Resp. Antequam diligentia adhibeatur ad veritatem assequendam, certum est non licere; post vero diligentiam adhibitam, distinguendum est.

1° *Affirm.*, in dubio *juris* [1], si impedimentum sit juris ecclesiastici, et adsit opinio vere probabilis recepta inter DD. de absentia impedimenti; quia tunc Ecclesia ex antiquissima consuetudine approbat contractum matrimonii, et omne removet impedimentum; proinde Sacramentum periculo frustrationis non exponitur. *Ita communiter.*

Dictum est: *si impedimentum sit juris ecclesiastici;* quia, si sit juris naturalis seu divini, non licet contrahere; Ecclesia namque in ejusmodi impedimento dispensare nequit. Attamen, urgente gravissima causa, poterit matrimonium contrahi, modo accedat declaratio S. Pontificis, quæ legem divinam interpretatur.

2° *Negat.*, in dubio *facti*, nempe cum ex utrâque parte adest conjectura probabilis pro exsistentia et pro carentia impedimenti; quia dubia facti solent esse dubia privata, quæ Ecclesia ignorat, et quibus proinde in communi non providet.

Dico: *in dubio;* quia, si *præsumptio* stet pro absentia impedimenti, licet matrimonium contrahere; præsumptio namque fundat quamdam moralem certitudinem.

Inde colligitur: a) In dubio de morte conjugis, præsumptio stat pro impedimento ligaminis; quia possidet matrimonium, donec constet de solutione.

b) Si vir coierit, et postea dubitet an seminarit, vel an intra aut extra vas seminarit, præsumptio ex communiter contingentibus est pro impedimento affinitatis. Secus autem, si seminarit prope vas, tunc præsumptio stat contra impedimentum.

c) Si constet de impedimento, et dubia sit ejus dispensatio, præsumptio stat pro impedimento. Secus vero, si constet de facto dispensationis, et dubitetur de ejus valore; quia tunc præsumptio stat pro valore dispensationis. (*n.* 901. 902. H. A. *n.* 35.)

In praxi consultum est judicium Ordinarii expostulare.

[1] Dubium *juris* est, quod versatur circa ipsam legem impedimenti, v. g. an talis conditio requiratur ad illud. Dubium *facti* est, quod velsatur circa factum, ex quo dependet impedimentum, e. g. dubium de morte conjugis, de consummatione copulæ.

CAPUT II.

IMPEDIMENTA EX DEFECTU CONSENSUS.

ARTICULUS I.

ERROR.

550. — Duplex est error, qui dirimit matrimonium, scil. error *personæ*, et error *conditionis servilis;* de utroque agendum est.

I. **Error personæ. Principia.** I. Error circa ipsam personam, quacum quis contrahit, jure naturæ semper irritat matrimonium. Contrahentium enim personæ sunt substantiale matrimonii objectum; quo fit ut in casu omnino desit consensus. Idque procedit, sive error sit antecedens, dans causam contractui, sive concomitans, quo præcognito, nihilominus initus fuisset; et sive error sit invincibilis sive vincibilis et crassissimus. (*n.* 1010.)

II. Error circa personæ qualitatem non irritat matrimonium; nisi qualitas in substantiam redundet. Ratio est, quia est error accidentalis, qui non tollit consensum in personam; alias plurima matrimonia, cum magno liberorum et Reipublicæ damno, et scandalo publico, dissolverentur, cum sæpissime interveniat error circa qualitatem. Procedit hoc, etiamsi error dederit causam contractui; quia talis dissensus habitualis non sufficit ad irritandum matrimonium, cum consistere possit cum actuali consensu in personam. (*n.* 1011. 1012.)

Valet ergo matrimonium, si quis ducat uxorem, quam divitem putabat vel nobilem aut virginem, quamque pauperem, plebeiam, aut defloratam invenit.

Qualitas porro in substantiam redundat in duplici casu, scil. 1° si qualitas fuit expresse intenta tamquam conditio consensûs, e. g. si quis diceret: *Volo ducere nobilem, qualem puto esse Titiam;* secus vero esset, si diceret: *volo ducere Titiam, quam puto esse nobilem.* 2° Si quando error qualitatis transeat in errorem personæ, cum nempe qualitas determinat ipsam individuam personam, e. g. si quis intendat contrahere cum primogenita talis Comitis. (*n.* 1013—1016.)

In praxi vix unquam locus est erroris qualitatis redundantis in personam; casu autem occurrente, decisio peti debet ab auctoritate competente. (Feye. *n.* 117.)

551. — II. **Error conditionis servilis.** Nomine conditionis servilis intelligenda est servitus stricte dicta, qua servi sunt mancipia, quæ tamquam res propriæ vendi et locari a domino possunt.

Matrimonium, quod persona libera contrahit cum serva, ignorans conditionem ejus servilem, jure ecclesiastico irritum est. Constat ex Decret. *tit. de conjug. serv.* Ratio, ob quam ita Ecclesia statuit, est, tum ut resarciat gravem injuriam illatam libero, tum ob magnam contractûs inæqualitatem, tum ob magnam in exsecutione bonorum matrimonii difficultatem. (*n.* 1017. 1018.)

Quævis porro ignorantia dirimit matrimonium, puta mere concomitans aut crassa. (*n.* 1019.)

Denique, si liber, cognito errore, matrimonium ratum habeat, convalescit conjugium.

Quum servitus inter Christianos sublata sit, hoc impedimentum hodie in plerisque regionibus occurrere nequit.

ARTICULUS II.

VIS.

552. — Sub nomine *vis* hic venit *vis moralis* seu *metus gravis.*

Principia. I. Matrimonia metu gravi injuste extorta ipso jure irrita sunt. Constat ex *Cap.* 14. et 28. *de spons. et matrim.* Idque valet, etiamsi contractus juramento confirmatus fuerit, vel metus non ab ipso contrahente, sed a tertio illatus fuerit. Ratio est, quia, cum coacta matrimonia infelices soleant habere exitus, plena consensui libertas vindicanda est, et procul abigenda injuria huic libertati inferenda. (*n.* 1045.)

II. Ut matrimonium ob metum sit irritum, quatuor requiruntur conditiones, scil. ut metus 1° sit *ab extrinseco* seu ab homine incussus; secus enim nulla injuria infertur; 2° sit *gravis;*

levis enim metus facile superatur, non infert injuriam tanta sanctione repellendam, ac firmitati vinculi matrimonialis non satis esset provisum, si metus levis sufficeret; 3° *injuste* incussus sit; non enim infertur injuria, si metûs incussor jus suum prosequatur; 4° incussus sit *ad extorquendum matrimonium;* aliter enim matrimonio haud vis infertur. (*n.* 1049. H. A. *n.* 64.)

Ut autem metus censendus sit *gravis*, requiritur ut malum, quod alter minatus est, a) sit grave, saltem respectu metum passi; sufficit quod inferendum timeatur cognatis; b) prudenter timeatur proxime inferendum; c) sit moraliter inevitabile. (*n.* 1047.)

Mala gravia reputantur: mors vel gravis cruciatus: diuturnus carcer; amissio statûs vel famæ; violatio virginis aut honestæ viduæ; jactura bonorum magni momenti. (*n.* 1048.)

Cæterum judicis est de metus gravitate pronuntiare, perpensis adjunctis.

Notandum denique est, ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 9. *ref. matr.* dominos temporales aut magistratus, qui alios cogunt, quominus libere matrimonia contrahant, ipso facto excommunicationem incurrere.

553. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quo jure metus dirimat matrimonium?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia dicit dirimere solo jure ecclesiastico; quia adest sufficiens consensus, cum metus non tollat voluntarium, sed minuat tantum; adest sufficiens libertas in consensu, quippe quæ metu non tollitur, sed minuitur; alias etiam metus ab intrinseco irritare deberet matrimonium, quod nemo admittit; adest demum injuriæ remedium, non præstando internum consensum. Ita Sanch. Lugo. *de just. disp.* 22. *n.* 115. Laym. Bonac. Less. Sylvius, Cont. Tourn. Soto, Valent. Castrop. Salm. etc.

2ª Sententia forte probabilior tenet dirimere etiam jure naturæ; quia 1° nullus contractus coactus est firmus ac perpetuus, sed rescindi potest; atqui matrimonium ex natura sua inducit vinculum perpetuum et indissolubile; ergo coactio repugnat naturæ matrimonii. 2° Coactio est contra principalem matrimonii finem, qui est procreatio prolis et mutuum conjugum obsequium; hæc enim requirunt animorum conjunctionem seu mutuum amorem; atqui natura ordinat unamquamque rem ad suum finem; ergo coactio repugnat naturæ matrimonii. 3° Secus jus naturæ non consuluisset indemnitati innocentis; approbaret enim actum, ex quo læsus sustineret damnum irreparabile, dum læsor referret commodum non auferibile; utrumque autem repugnat naturæ genio; ergo. Ita S. Thom. Scot. Pont. Molin. Covar. Diana, Boss. Holzm. Gobat, etc. (n. 1054.)

Quær. 2° *An in matrimonio contracto ex metu gravi, possit resilire ille qui metum incussit?*

Resp. Controv. 1ª Sententia probabilis affirmat; quia non tenetur stare matrimonio ratione contractûs, cum ex contractu nullo nulla oriatur obligatio; neque ratione injuriæ, cum hæc non tanta censeatur, ut nonnisi per matrimonium resarciri possit. Ita Sanch. Soto, Castrop. Hurtad. Villal. Diana, etc.

2ª Sententia probabilior negat; non vi quidem contractûs, sed ratione injuriæ, cum nemo debeat ex suo crimine commodum reportare. Idque maxime probatur ex *Cap.* 1. *de eo qui duxit.*, ubi idem sancitur pro casu doli; sed in *Cap.* 28. *de jurejur.* dolus et metus æquiparantur. Ita Navar. Bonac. Pontius, Coninc. Salm. etc. — Hæc sententia tum præcipue prævalet, cum metus probari nequit; nam eo in casu Ecclesia putatos conjuges cohabitare cogit. (*n.* 1057.)

ARTICULUS III.

RAPTUS.

554. — Raptus, quatenus matrimonium dirimit, est violenta mulieris abductio de loco tuto in alium, ubi sub raptoris detinetur potestate, matrimonii ineundi causa. (*n.* 1032.)

Raptus exsistit, sive raptor per se sive per alium hoc delictum committat; sive penes se sive penes alium raptam personam in sua retineat potestate. Perinde quoque est, utrum mulier e loco tuto violenter abstrahatur, an vero dolo et blanditiis decepta in potestatem raptoris inscia deveniat, ibique sub ejus potestate detineatur, ita ut ad tutum locum libere reverti non valeat; quia in his omnibus æque adest violentia, moralis saltem, quæ requiritur ad raptûs crimen constituendum. Constat ex Declar. S. C. C. 25 Junii et 27 Aug. 1864. (Mansella. *De imped. cap.* 1. *art.* 5. *n.* 2. Feye. *n.* 157—159.)

555. — **Principia.** I. Raptus dirimit matrimonium inter raptorem et raptam, quamdiu hæc in raptoris manserit potestate. Constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *ref. matr.;* ratio hujus eadem est ac pro impedimento vis et metûs, nempe ad tuendam matrimonii ineundi libertatem.

II. Ad contrahendum hoc impedimentum tria requiruntur, scil. 1° *violentia;* non requiritur physica coactio, sed moralis sufficit, qua mulier gravi metu cogatur sequi raptorem, vel certe sub ejus remanere potestate, prout supra dictum est; 2° *abductio* de loco tuto in alium, in quo sub raptoris potestate degit; loci distantia nihil refert; 3° *matrimonii ineundi intentio.* Constat ex textu et fine decreti Trid. (*n.* 1107.)

Ex dictis colligitur: 1° Nihil refert qualis fœmina rapiatur, honesta vel inhonesta, virgo vel corrupta, vidua, propria sponsa, etc. (*n.* 1108.)

2° Non sufficit abductio ab uno ad aliud ejusdem domûs cubiculum, sed requiritur saltem abductio ab una ad aliam domum aliquot passibus distantem. (*n.* 1107.)

3° Matrimonium valore caret, etiamsi mulier sub potestate raptoris constituta in conjugium libere revera consentiret; nam Conc. Trid. decernit nullum posse consistere matrimonium, quamdiu rapta in potestate raptoris manserit; sed tum solum raptorem eam in uxorem habere posse, cum rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta, illum in virum habere consenserit. (*n.* 1032.) Hæc dispositio fundatur in præsumptione juris, in periculo fraudis nempe.

3° Valet matrimonium cum fœmina, quam quis invitam abduxit, non intuitu matrimonii, sed ex alio fine, puta libidinis explendæ causa, si fœmina deinde, adhuc sub raptoris potestate constituta, libere in matrimonium consentiat. Contra vero, si mulier libidinis tantum causa rapta, dein a raptore *vi* detineatur *ad matrimonium cum ea contrahendum;* hæc quippe detentio ex eo fine, in quantum constituit violentiam et abductionem, raptûs crimen est ex causa matrimonii. (Mansel. *loc. cit. n.* 5.)

Cæterum, in favorem libertatis matrimonii, in ejusmodi conjugiis præsumitur adfuisse tum intentionem matrimonii tum violentiam, nisi contrarium probetur. (Feye. *n.* 151.)

Notandum denique, ex Trid. raptores et omnes auxilium præbentes ipso jure excommunicationem incurrere.

556. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An incurratur impedimentum raptûs, si puella, adhuc constituta sub potestate parentum vel tutoris, his insciis vel invitis, in sui abductionem consentiat?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si tractatus de nuptiis cum raptore præcesserit, ac puella abductioni consentiat ut libere matrimonium inire queat, quod secus a parentibus, tutoribus aliisve impediebatur; quia potius *fuga* dici debet, quam raptus. *Ita communiter.* Constat insuper ex Declar. S. C. C. 20 Aug. 1661. 20 Aug. 1769. 14 Mart. 1772. (*n.* 1107.)

2° Si nullus de nuptiis contractus præcesserit, et puella dolosis sollicitationibus seducta abductioni consentiat, controvertitur. *Prima sententia* negat; quia abest violentia. Ita Sanch. Pirringh, Guttier.

Secunda sententia affirmat; quia tunc raptor intendit consensum puellæ in matrimonium extorquere, et puellæ consensus præsumi debet circumventione emunctus, dum sponte et contra parentum voluntatem nunquam forsan fuisset huic conjugio consensura. Ex consensu in raptum inferri nequit consensus in matrimonium. Ita Rigant. Card. de Luca, Navar. etc.

Hanc secundam sententiam sequitur forum externum, in quo liber consensus tum in abductionem tum in matrimonium plene probari nequit, nisi ex præcedentibus sponsalibus seu tractatu de matrimonio ineundo. (Mansel. *loc. cit. n.* 6. Feye. *n.* 171. 185.)

Hinc recentiores DD. duplicem raptum distinguunt, unum nempe, quem *violentiæ* vocant, in quo liber fœminæ consensus abest; alterum, quem raptum *seductionis* appellant, in quo fœmina libere consentit tum suæ abductioni tum matrimonio; hic posterior non constituit impedimentum.

Quær. 2° *An raptus etiam sponsalia dirimat?*

Resp. Plures affirmant; quia sponsalia libertatem expetunt sicut matrimonium, et lex pœnalis rite extenditur, ubi

eadem militat ratio. Ita Sanch. Salm. Bonac. Basil. etc.

Sed alii probabilius negant; quia sponsalia minorem libertatem requirunt quam matrimonium, eo quod rescindi possint, matrimonium vero indissolubile sit; ergo non eadem militat ratio. Ita Croix, Holzm. Perez, Pichler, Wiestner, etc. (*n.* 1107. *qu.* 1.)

CAPUT III.

IMPEDIMENTA EX DEFECTU NATURÆ.

ARTICULUS I.

ÆTAS.

557. — **Principia.** I. Ætas legitima, jure ecclesiastico requisita ad valorem matrimonii, est pubertas. Constat ex *Cap.* 2. 3. 6. 10. *de despons. impub.* Ratio est, quia, cum status conjugalis sit perpetuus summique momenti, Ecclesia sapienter requirit ad illum corporis et animi maturitatem, quæ in certâ solum ætate advenire solet, quam ipsa determinat.

Impubertas matrimonium non dirimit jure naturæ; cum hoc jure sufficiat perfectus rationis usus, et potentia generandi tractu temporis habenda.

Nomine ergo pubertatis intelligitur pubertas *legalis*, nimirum annus 14us in masculo, 12us in fœminâ, utrimque completus. Ratio diversæ hujus ætatis est, quia potentia generandi citius in fœminis quam in masculis incipere et deficere solet. Pubertas *naturalis*, id est, vera potentia coëundi et generandi, citius vel tardius advenit pro diverso corporum vigore regionumque temperie.

Ex dictis infertur, validum esse matrimonium, si quando legitima quidem ætas adsit, at nondum *naturalis* pubertas advenit; cum Ecclesia non *præsentem potentiam*, sed *ætatem* exigat. (*n.* 1065—1067.)

II. Si quando malitia præveniat ætatem, matrimonium ante pubertatis annos contractum est validum. Constat ex *Cap.* 9. *de desp. impub.* Ratio exceptionis est, quia Ecclesia solum ideo tempus præscripsit, quod ante illud pubertas communiter non adsit.

Nomine *malitiæ* intelligi debet tum *potentia* ad generationem, tum etiam *discretio* sufficiens ad cognoscendum statum conjugalem ejusque perpetuum et indissolubile vinculum. Colligitur ex *Cap.* 9. *et* 14. *eod. tit.* (*n.* 1066.) Hujus autem extraordinarii casûs judicium, an scil. malitia suppleat ætatem, spectat ad Ordinarium, ut patet ex Bened. XIV Constit. *Magnæ nobis.* 8 Jun. 1748.

ARTICULUS II.

IMPOTENTIA.

558. — Impotentia dupliciter accipi potest; alia namque est *impotentia coëundi* seu exercendi copulam perfectam, ex se nempe aptam ad generationem: alia *impotentia generandi* seu prolem ex copulâ procreandi, quæ *sterilitas* nuncupatur, et exstare potest cum potentiâ coëundi. [1] Sola prior, non autem posterior, impedit matrimonium.

Impotentia coëundi certe exsistit, quando in viro adest impotentia vel penetrandi vas fœmineum, vel semen in illo effundendi; in fœmina vero impotentia recipiendi semen. Dico: *recipiendi;* nam impotentia *retinendi* semen susceptum ob vasis latitudinem non constituit impotentiam coëundi. (*n.* 1095. Sanch. *lib.* 7. *disp.* 92. *n.* 11.)

559. — **Divisio.** Impotentia coëundi distinguitur: 1° *naturalis*, quæ oritur ex vitio congenito, e. g. in viro ex nimia frigiditate, vel ex nimia membri dimensione; in fœminâ ex nimiâ vasis arctitudine: *accidentalis*, quæ ab extrinseco provenit, uti ex morbo, ex facto hominis, ex maleficio diabolico.

2° *Absoluta*, quæ copulam impedit cum omnibus diversi sexûs personis: *respectiva*, quæ eam impedit tantum cum unâ vel aliquot diversi sexus personis.

3° *Perpetua*, quæ aut sine miraculo, aut sine peccato, aut sine gravi corporis periculo auferri nequit: *temporalis*, quæ naturalibus et licitis mediis sine tali periculo tolli potest.

[1] Sterilitas provenit 1° ex ætate senili, puta ordinarie 50 annorum circiter in fœminis, 60 in viris; 2° ex morbo, in fœminis præsertim, e. g. ex fluore albo; 3° ab excessu luxuriæ, quippe qui potentiam generativam admodum debilitat; ideo meretrices steriles sunt.

Antecedens, quæ matrimonium præcedit: *subsequens*, quæ matrimonio jam contracto supervenit.

560. — **Causæ impotentiæ.** Impotentia coëundi *perpetua et absoluta* oritur maxime 1° ex frigiditate maris, quâ fit ut seminare nequeat ob defectum spirituum excitantium. Idem procedere tradunt DD., si vir ob nimium calorem semper præpropere effundat semen, antequam nempe vas fœmineum penetrare possit. Sed hæc impotentia, si conjuges sint juvenes, vix unquam erit perpetua; quia processu temporis fervor ille deficit, et sic possunt fieri habiles. Præpropera effusio sæpius ex quâdam infirmitate oritur, sed arte medicâ forte curari potest. 2° Ex defectu partium genitalium, puta in mare ob privationem vel contusionem seu atrophiam utriusque testiculi, ob partium malam conformationem, quæ impediat quominus semen in vaginam possit emittere; in fœmina ob vaginæ nimiam arctitudinem, quæ impediat quominus possit semen intra vas recipere. 3° Ex morbo aliove accidente, puta ob duplicem et magnam herniam inguinalem.

Impotentia *respectiva* oritur 1° ex partium genitalium maris et fœminæ improportione, puta ob earum nimiam dimensionem in viro, vel nimiam arctitudinem in fœminâ. 2° Ex maleficio diabolico; sed huic non facile credendum est. (*n.* 1095. 1096. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 15. *n.* 14—16.)

561. — **Principia.** I. Impotentia coëundi *antecedens et perpetua* jure naturæ dirimit matrimonium. Etenim de essentia matrimonii est obligatio et traditio corporum ad copulam conjugalem; nemo autem corpus suum tradere vel obligare se potest ad actum impossibilem. Constat etiam ex *Cap.* 6. *de frigid. et malefic.*

Porro impotentia *absoluta* dirimit omne matrimonium; *respectiva* vero solum conjugium inter illas personas, inter quas exsistit. Cæterum non refert utrum impotentia naturalis sit an accidentalis. (*n.* 1095.)

II. Neque impotentia *temporalis*, neque *subsequens* dirimit matrimonium. Non prior, quia temporarie impotens potest se obligare ad copulam in futurum, quando potens erit. Non posterior, quia vinculum matrimonii indissolubile est. Nihilominus, si matrimonium est ratum tantum, potest S. Pontificis dispensatione dissolvi. (*n.* 1095.)

III. In dubio de impotentiâ, orto post matrimonium contractum, si, facto examine, dubium remaneat, Ecclesia præscribit triennale experimentum, quo durante, conjuges possunt copulam tentare, etiamsi semen extra vas effundant, ut detegatur num adsit impotentiæ impedimentum. Constat ex *Cap.* 5. *de frig. et malef.;* ratio autem est, quia decursu temporis, tentamine copulæ aliisque remediis impotentia forte removeri poterit.

Si, elapso triennio, necdum veritas eluceat, opus est corporum inspectione; quæ si non sufficiat, requiritur tum utriusque conjugis juramentum, quo jurant per eos non stetisse quin copula consummaretur, tum *septima manus*, i. e. jurata depositio septem propinquorum, vel, his deficientibus, vicinorum bonæ famæ, qui testentur se credere conjuges dixisse verum. Quibus expletis, matrimonii nullitas a Judice ecclesiastico pronuntiatur. Hæc omnia peragenda sunt juxta normam Instructionis S. C. C. 22 Aug. 1840.

Cæterum in dubio regulariter standum est pro valore matrimonii. (*n.* 1103. 1104.)

Hodie vero, ut testatur Mansella, Sacræ Romanæ Congregationes in ejusmodi dubiæ impotentiæ causis, si certo constet de matrimonio non consummato, et instante parte, servatisque de jure servandis, plerumque ad remedium confugiunt Pontificiæ dispensationis a rato conjugio, ut a præscripto triennii experimento deflectant. (Mans. *cap.* 2. *art.* 2. *n.* 7. (3))

562. — Notanda supersunt: 1° Impotentia, quæ oritur ex membrorum improportione, ut plurimum respectiva tantum vel temporalis est; nam arte medicâ et repetitis copulæ tentaminibus plerumque tolli potest. Item, si impotentia proveniat ex frigiditate, conceditur experientia triennii.

2° In dubio an impotentia perpetua antecesserit vel subsecuta sit matrimonium, si naturalis est, præsumitur præcessisse; quia quod a natura est, semper inesse præsumitur. Si accidentalis est, præsumitur præcessisse, quando allegatur brevi tempore post matrimonii celebrationem; subsecuta vero, quando

post longum tempus allegatur. (*n.* 1104.)

3° Confessarius, cui conjux exponit se nunquam perficere posse actum conjugalem, prudenter et caste investigare conetur rei causam. Si deprehendat causam esse defectum physicum, suadeat pœnitenti, ut peritum probumque medicum consulat. Præterea, si comperiat conjuges in bona fide versari quoad matrimonii valorem, regulariter præstat eos in bonâ fide relinquere, ne in peccata formalia labantur. Si in bonâ fide non sint, casum cum suis adjunctis ad Ordinarium referat, cui competit statuere quid facto opus sit. (V. d. Burgt. *n.* 206.)

4° Si, celebrato matrimonio, certo detegatur impotentiam adesse, eamque perpetuam et antecedentem, putati conjuges statim separandi sunt. Separatio tori proprià auctoritate fieri potest; separatio vero cohabitationis indiget auctoritate Ordinarii, ut constat ex *Cap.* 3. *de divort.* Nihilominus in foro conscientiæ, si sine incontinentiæ periculo cohabitare nequeant, possunt ac debent separationem proprià auctoritate anticipare, quo meliori modo absque scandalo fieri possit. (*n.* 1101.)

5° Soluto matrimonio, pars, quæ impotens non est, vel, si impotentia respectiva sit, utraque pars, potest ad novas nuptias transire, attamen nonnisi Ordinarii auctoritate. Si vero velint cohabitare tamquam frater et soror, id eis permittitur ex *Cap.* 5. *de frigid.*, modo absit periculum incontinentiæ; quare permittendum non est, nisi senes sint. (*n.* 1101.)

563. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An potentia coëundi necessario exposcat penetrationem in vaginam?*

Resp. Sunt hodie, qui negant vel dubitant; quia externa affusio seminis ad os vaginæ satis est ut fœcundatio sequi possit et aliquando sequatur.

Communis tamen et vera sententia affirmat; quia talis affusio perfectæ copulæ rationem nequaquam habet; nam 1° *copula* designat unionem genitalium membrorum utriusque sexùs, et præterea, ut *perfecta* sit, cum seminatione intra vas fœmineum; atqui prædicta affusio externa nullum membrorum copulationem postulat, quin etiam sine ullo membrorum contactu fieri potest; quod quidem copulam vocari absonum videtur, sed potius pollutio dicenda est, utpote effusio seminis extra vas mulieris. 2° Ex præfato actu generationem sequi, a naturâ actûs illius alienum est, sed per accidens evenit; natura autem attendit ad id, quod communiter et per se ex actu evenire debet; valor ergo matrimonii pendere nequit ex casu raro et fortuito. Ita Sanch. *lib.* 7. *disp.* 99. *n.* 37. Salm. *tr.* 9. *cap.* 4. *n.* 4. Mazzot. *tr.* 7. *cap.* 12. § 2. *Tertio.* Castrop. *tr.* 28. *disp.* 4. *punct.* 14. § 2. *n.* 1., etc.

QUÆR. 2° *An exsectio ovariorum in fœmina constituat impedimentum impotentiæ?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat; quia fœmina sine ovariis sterili formaliter æquiparatur. Utraque generationis incapax est; illa tamquam vitis, cui radices amputatæ; hæc tamquam vitis, cui radices desiccatæ sunt. Ita Berardi. *Prax. Conf.* *n.* 1254.[1] Eschbach. *Disput. physiol. theol. disp.* 1. *cap.* 8.

2ª Sententia affirmat, sicut castratio in mare, de quâ constat ex Constit. Sixti V *Cum frequenter.* 22 Jun. 1587. eam constituere impedimentum impotentiæ. Ratio est, quia ad copulam *ex se* aptam generationi pertinet ut utraque materia generationis, virilis nempe et fœminea, uniri possit; ergo adesse debet. Ad rem scripsit S. Alph. n. 1095: »Nullum est matrimonium inter eos, qui »nequeant consummare eo actu, quo ex »se esset possibilis generatio." Ita colligitur quoque ex Sanchez. *lib.* 7. *disp.* 92. *n.* 9., quatenus docet quod, si semen fœmineum esset necessarium ad generationem, fœmina impotens ad seminandum esset incapax matrimonii. Consentit Lehmkuhl. *n.* 744.

In praxi, cum res dubia videatur, si casus occurrat, S. Sedes consulenda esset.

Quæ dicta sunt de ovariis, valent quoque de carentia vel occlusione uteri. Sanchez *n.* 25. affirmat eam esse impedimentum.

QUÆR. 3° *An hermaphroditi habiles sint ad matrimonium?*

Hermaphroditi vocantur illi homines, in quibus utriusque sexùs genitalia reperiuntur. Sunt *imperfecti*, si prævaleat alterutur sexus; *perfecti*, si uterque sexus sit æqualis, adeoque extrinsecus rite formatus, ita ut possint *agere* et *pati* copulam, licet non possint generare. Hermaphroditi rari sunt, perfecti vero rarissimi. His præmissis,

Resp. Si casus occurrat, peritorum erit de sexu et de potentia ad matrimonium consummandum judicium ferre. Regulariter tamen potentes sunt. (*n.* 1095. Capellmann. *Medic. past. pag.* 164.)

QUÆR. 4° *An dubius de sua potentia possit matrimonium contrahere?*

Resp. Negat., donec, re diligenter investigata, dubium deponat; quia gravem injuriam inferret alteri parti. Si tamen, non obstante dubio, matrimonium contraxerit, potest petere et reddere debitum, juxta dicta in III principio. Cæterum, præcisis positivis indiciis, unusquisque præsumitur potens, quantumvis caste vixerit. (*n.* 1102.)

QUÆR. 5° »*Quænam esse debeat* »*agendi ratio Episcopi, Parochi et* »*Confessarii erga impotentes, qui ea* »*ratione separari nequeunt quod ea-*»*rum separationi obsistat civilis Galli-*»*arum lex, quæ impotentiæ impedi-*»*mentum non agnoscit?*"

Resp. S. C. C. 15 Dec. 1877. respondit: »Vivant ut frater et soror; quod si »id fieri non posset sine peccati periculo, »separentur omnino, et ad mentem."[1] (Mansella. *loc. cit.* *n.* 7. *in fine.*)

CAPUT IV.

IMPEDIMENTA EX REVERENTIA INTER PROPINQUOS.

ARTICULUS I.

COGNATIO.

564. — Cognatio in genere est vinculum seu propinquitas orta ex generatione. Triplex distinguitur generatio, ideoque et triplex cognatio: 1° *carnalis* ex concubitu carnali; 2° *spiritualis* ex Baptismo et Confirmatione; 3° *legalis* seu *amoris* ex adoptione. De singulis agendum nobis est, quatenus matrimonium impediunt.

§ I. *Cognatio naturalis.*

565. — Cognatio naturalis seu consanguinitas est vinculum seu conjunctio personarum ab eodem stipite proximo per carnalem propagationem descendentium. Fundatur ergo in communione sanguinis, cum consanguinei ab eodem sanguine originem trahant et in eodem communicent, sive puro, ut inter fratres et sorores germanos, sive mixto cum alio, ut inter reliquos cognatos.

In consanguinitate tria sunt distinguenda, scil. 1° *Stipes* est illa persona, a qua reliquæ, de quarum cognatione quæritur, descendunt, et in qua tamquam prima radice conveniunt. 2° *Gradus* est distantia unius personæ ab altera in linea consanguinitatis. 3° *Linea* est ordinata series personarum ab eodem stipite descendentium, gradus continens.

Linea duplex est: 1° *Recta*, quæ continet eas personas, quarum una ab altera originem ducit. Bifariam subdividitur, nimirum in lineam *descendentium*, quæ continet personas, quæ ab ascendentibus originem trahunt, uti sunt filii, nepotes, pronepotes, abnepotes: et in lineam *ascendentium*, quæ continet personas, a quibus aliæ originem ducunt, uti sunt pater, avus, proavus, abavus. 2° *Transversa*, seu *collateralis* seu *obliqua*, quæ continet illas personas, quarum omnes quidem ab uno communi stipite, nulla tamen earum procedit ab alia. Hæc rursus bipartitur in lineam *æqualem*, quando illi, de quorum consanguinitate quæritur, a communi stipite distant æquali numero graduum, uti sunt duo fratres, quorum uterque uno gradu a patre, duo patrueles, quorum uterque duobus gradibus ab avo, qui communis eorum stipes est, distat: et in lineam *inæqualem*, quando personæ, de quarum consanguinitate quæritur, a communi stipite distant inæquali numero graduum, ut sunt Titius ejusque nepos ex fratre; nam Titius uno gradu, ejus nepos duobus gradibus distat a patre Titii, qui communis utriusque stipes est; hinc Titius ejusque nepos inter se conjuncti dicuntur in secundo gradu attin-

[1] Sanchez ne verbum quidem habet de iis, quæ citatus Auctor illi adscribit.

[1] *Ad mentem* significat præter dubii solutionem aliquid aliud a S. Congregatione animadverti vel declarari, quod si secretum fuerit, illis tantum manifestatur, ad quos responsio dirigitur; secus scripto publice additur his verbis: *mens est*, etc.

gente primum, seu in secundo gradu mixto cum primo.

566. — **Regulæ computationis graduum.** Ad gradus Jure Canonico computandos, tres dantur regulæ: I. In linea *recta* tot sunt gradus quot personæ, dempto stipite; vel aliter: tot sunt gradus quot generationes. Hinc Titius a suo patre distat uno gradu, duobus a suo avo, tribus a proavo.

II. In linea *transversa æquali* tot gradibus personæ distant inter se, quot distant a communi stipite; aliis verbis: tot sunt gradus, quot personæ in una serie, dempto stipite, seu: tot sunt gradus, quot generationes in una serie. Hinc frater a fratre distat uno gradu, patruelis a suo patruele duobus gradibus, etc.

III. In linea *transversa inæquali* tot gradibus personæ distant inter se, quot earum remotior distat a communi stipite; vel aliter: tot sunt gradus, quot personæ in serie remotiore, dempto stipite; seu: tot sunt gradus, quot generationes in serie remotiore. Sic v. g. Petrus est pater Pauli et Joannis; filii Joannis distant a Paulo in secundo gradu, quia, licet Paulus distet uno gradu a Petro communi stipite, filii tamen Joannis ab eodem distant duobus gradibus. (*n.* 1029.)

De Jure Civili gradus computantur juxta hanc unicam regulam: Tot sunt gradus quot personæ, dempto stipite; seu: Tot sunt gradus quot generationes. Unde in linea recta jus civile et jus canonicum eamdem tenent regulam; at in linea transversa aliam tenent, nempe jus canonicum unius tantum lateris generationes seu personas numerat, jus civile vero utriusque lateris; quare in linea æquali gradus canonici duplicantur, in linea inæquali gradus utriusque seriei adduntur ad invicem. Computatio canonica sequenda est in sponsalibus et matrimonio; computatio civilis in materia civili, in successionibus præcipue.

567. — **Principia.** I. Consanguinitas in *linea recta* matrimonium dirimit in quovis gradu. Constat ex Responso S. Nicolai I ad Bulgaros *cap.* 39. Ratio est, quia descendentes dependent in suo esse ab ascendentibus, adeoque ob reverentiam Superioribus debitam, quacum non congruunt officia conjugum.

Dictum est: *in quovis gradu;* quia, attenta brevitate vitæ humanæ, inutile foret in linea recta gradus definire.

II. Consanguinitas *in linea collaterali* matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive. Ita statuit Conc. Lateran. IV. in *Cap.* 8. *de consang.* Olim impedimentum se extendebat ad septimum gradum. Rationes impedimenti sunt, tum reverentia, quam consanguinei sibi mutuo debent ob originem ab eodem stipite et ob sanguinis communionem; tum refrænatio concupiscentiæ inter consanguineos, qui familiari consuetudine utuntur; tum extensio amicitiæ cum extraneis. Adhæc natura ipsa videtur postulare sanguinis diversitatem, ut patet ex frequenti conjugum consanguineorum infœcunditate vel eorum liberorum corporali aut mentali defectu.

Ex dictis sequitur validum esse matrimonium inter eos, quorum unus in sua linea distat a stipite *ultra* quartum, alter vero *intra* quartum gradum; cum computatio facienda sit juxta gradum remotiorem, ut habetur ex *Cap.* 9. *de consang.;* idque procedit, etsi alter uno tantum gradu distet a stipite. (Mansel. *cap.* 3. *art.* 1. *n.* 6.)

III. Consanguinitas comprehendit tam illegitime, quam legitime natos; tam eos, qui ex parte tantum matris seu per lineam maternam, quam qui ex parte tantum patris seu per lineam paternam conjuncti sunt. Ratio est, quia in quolibet casu participes sunt ejusdem sanguinis.

Optima regula populo tradenda ad discendum quousque consanguinitas dirimat matrimonium, hæc est: Matrimonium iniri nequit inter eos, quorum avi sunt patrueles sive consobrini germani; potest vero, si remotiori gradu distent.

568. — **Quæstio.** *In quibus gradibus consanguinitas matrimonium dirimat jure naturali?*

Resp. 1° In *primo gradu lineæ rectæ*, est communis fere omnium sententia; quia copula parentum cum liberis ex se turpis est, ut patet ex naturali instinctu omnium fere gentium talem abhorrentium concubitum. De aliis gradibus incertum est ac disputatum.

2° De *primo gradu lineæ collateralis*, scil. inter fratres et sorores, controvertitur, et est duplex sententia probabilis. *Prima sententia* negat matrimonium jure naturæ esse irritum; quia per fratrum et sororum conjugia primi-

SCHEMA CONSANGUINITATIS.



Nota. - 1ª Personæ quæ tractu conjunguntur sunt inter se in linea recta, cum ceteris in linea collaterali. - 2ª Ubi lineæ conjunguntur, ibi stipes habetur.

tus fuit propagatum genus humanum; unde jus naturæ in ipso mundi principio per dispensationem statim infringi debuisset, quod dedecuisse videtur. Ita S. Bonav. Scot. Cajet. Coninc. Pont. Castrop. etc.

Secunda sententia affirmat matrimonium jure naturæ irritum esse, excepto casu absolutæ necessitatis propagandi genus humanum; quia finis matrimonii secundarius est concupiscentiæ repressio; sed magnus concupiscentiæ aditus præberetur, nisi inter illas personas, quas oportet in eadem domo conversari, esset matrimonium interdictum. Ideo et natura ipsa abhorret a tali conjugio, et pleræque gentes ea conjugia detestatæ sunt. Ratio exceptionis est, non dispensatio in jure naturæ, sed ipse debitus ordo, quo minus et inferioris ordinis bonum cedit majori bono: atqui in mundi primordio prævalebat necessitas propagandi genus humanum; eadem ratione extrema necessitas cohonestat acceptionem rei alienæ. Ita S. Aug. S. Thom. 4 *sent. dist.* 40. *qu.* 1. *a.* 3. *et* 4. Bellarm. Sanch. Less. Lugo, Salm. Vasq. Valent. etc. (*n.* 1029. 470. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 14. *n.* 45—48.)

3º In reliquis gradibus lineæ transversæ consanguinitas solo Jure Ecclesiastico matrimonium dirimit, ut liquet ex *Cap.* 8. *de divort.*

569. — Postquam doctrinam de consanguinitatis impedimento exposuimus, subjungere juvabit tum praxim computandi gradus, tum casus quosdam multiplicis consanguinitatis, quæ inter certas personas exsistere potest.

Praxis computandi gradus. Duplex methodus adhiberi potest, scil. vel conficiendo seriem generationum seu arborem, ut aiunt, consanguinitatis, vel utendo arbore excusâ.

I. **Conficiendo arborem consanguinitatis.** 1º Si cognitus est stipes: scribe primo hujus nomen, deinde infra eum generationes, seu nomina personarum hinc et inde ab eo descendentium, usquedum pervenias ad personas, quæ matrimonio conjungi cupiunt; facile inde gradus computabis.

2º Si ignotus est stipes: scribe subtus nomen sponsi ex uno latere, et nomen sponsæ ex altero; deinde supra sponsum et supra sponsam nomina ascendentium, ex quibus possunt esse consanguinei, donec pervenias ad stipitem proximum, a quo uterque descendit; inde apparebit utrum conveniant in stipite communi, et quo gradu distent. Ad facilius investigandum communem stipitem, interrogandi sunt ii, quibus nota est familia, et quandoque inspiciendi sunt libri baptismorum et matrimoniorum.

Exemplum:

Abavus.
Petrus Mol.

Proavia. Maria Mol. uxor Julii Lom.	1.	*Proavus.* Marcus Mol,
Avus Felix Lom	2.	*Avus* Antonius Mol.
Pater Paulus Lom	3.	*Pater* Andreas Mol.
Sponsus Joseph Lom	4.	*Sponsa* Helena Mol.

Explicatio. Joseph Lom et Helena Mol sunt consanguinei in quarto gradu æquali. Si vero Helena Mol immediate descenderet ab Antonio Mol, Marcus Mol esset ejus avus, et Petrus Mol ejus proavus, et proinde consanguinei forent in quarto gradu, sed attingente tertium seu mixto tertio.

II. **Utendo arbore consanguinitatis impressâ.** Inspice arborem, et vide in quâ lineâ et in quibus cellulis reperias personas, de quarum cognatione dubitatur, et attende quot gradibus distent a stipite communi.

Exemplum. Quæris in quo gradu Titius sit respectu Bertæ, cum jam nosti avum Titii fuisse fratrem proavi Bertæ. Pone Titium in cellâ mediâ, ascende ad ejus avum; hujus frater, ad dextrum latus in cellâ ubi notatur magnus patruus, erit proavus Bertæ: horum amborum pater est stipes communis, qui reperitur in cellâ tertiâ superiori lineæ mediæ, a quo distat Titius tribus gradibus, tamquam a proavo suo. Deinde ex cellâ magni patrui Titii descende lineâ rectâ numerando avum (filium magni patrui), patrem (nepotem magni patrui), et Bertam ipsam (proneptem

magni patrui, abneptem stipitis communis). Sic numerabis tres gradus ex parte Titii, et quatuor ex parte Bertæ; ergo consanguinei sunt in quarto gradu attingente tertium. Similiter in quibusvis exemplis alterutrum sponsorum in quâlibet cellâ, sive mediâ sive laterali, suppone, et ad stipitem communem ascende, ut inde ad alterum sponsum descendas; sed minime attende ad nomina, quæ in variis cellis occurrentibus scripta reperies, quia pro cellâ electâ omnia nomina variabunt, ut patet. (Gury. *n.* 802. 803.)

570. — **Casus multiplicis consanguinitatis.** Duplex et etiam multiplex consanguinitas exsistere potest inter personas, quæ matrimonio conjungi cupiunt; e. g. si duo fratres duas fœminas sibi consanguineas ducant, liberi ex utroque matrimonio nati dupliciter inter se consanguinei erunt. Multiplicitas consanguinitatis oritur ex eo quod alterutra vel utraque persona 1° duplici aut multiplici viâ ab uno communi stipite descendit; quod contingit, si inter ascendentes fuerint, qui consanguinitate conjuncti matrimonium contraxerunt; 2° a duobus vel pluribus stipitibus descendunt. Ea res magni momenti est, quum singula ejusmodi vincula constituant impedimentum in libello supplici pro impetranda dispensatione necessario exprimendum.

I. Casus unius communis stipitis:



Explicatio.[1] Petrus, Paulus et Joannes sunt fratres. Antonius, filius Pauli, duxit neptem Joannis sibi consanguineam in 3° gradu; filius ex ipsis natus Franciscus erit in 3° gradu cum Annâ ex parte patris utriusque, et in 4° gradu ex parte matris suæ.



Explicatio. Catharina et Cornelius consanguinei sunt in 2° gradu attingente 1um. Antonius et Sophia distant a communi stipite hoc modo: Antonius in 2° gradu; Sophia in 3° per matrem, in 2° per patrem. Arnoldus initurus matrimonium cum Anna sequenti modo ei consanguineus scribendus est: Arnoldus a communi stipite descendit in 2° gradu; Anna vero in 3° gradu per lineam paternam, per lineam maternam semel in 4° et semel in 3°.

II. Casus duplicis stipitis:



Explicatio. Duo fratres, Lucius et Joannes, matrimonium inierunt cum duabus puellis inter se consobrinis, quin dispensatione indiguerint. Liberi ex his duobus matrimoniis nati, Franciscus et Berta, consanguinei sunt in 2° gradu ex parte patrum, et in 3° ex parte matrum, ex duobus stipitibus. Eodem modo res se habet in aliis gradibus, v. g. si duo fratres ducant duas sorores, vel frater et soror ducant fratrem et sororem.



Explicatio. Joannes duos habet filios, Petrum et Paulum; Petrus item duos, Marcum et Antonium; Paulus filiam habet Annam. Antonius matrimonium contraxit cum suâ patruele Annâ, ex quo nata est Maria. Marcus itaque et Maria duplicem consanguinitatem habent ratione duplicis stipitis, scil. semel in 2° gradu attingente 1um ex propiori stipite Petro per lineam paternam, et in 3° gradu attingente 2um ex remotiori stipite Joanne per lineam et paternam et maternam.



Explicatio. Julius primò duxit Rosam, ex quâ habet filium Mathiam; postmodum, Rosâ defunctâ, cum dispensatione duxit hujus patruelem Luciam, ex quâ habet filiam Teresiam. Ergo Mathias et Teresia sunt dupliciter consanguinei, scil. semel in 1° gradu ratione eorum patris Julii, qui est eorum propior stipes, et semel in 3° gradu ex parte matris, per quam descendunt ab alio remotiori stipite Thomâ.



Explicatio. Joseph viduus habens ex primo matrimonio filium Andream, et Agnes vidua habens ex primo matrimonio filiam Juliam, ineunt inter se secundas nuptias, ex quibus nascitur Ignatius. Postea Andreas ducit Juliam, ex quâ generat Coletam. Ergo Andreas et Julia non sunt inter se consanguinei, sed ambo sanguine conjuncti sunt cum Ignatio in 1° gradu, Andreas nempe ex parte patris sui Josephi, Julia ex parte matris suæ Agnetis; proinde Coleta dupliciter consanguinea est Ignatio in 2° gradu mixto cum 1°, semel ex parte patris sui Andreæ, per quem descendit a stipite Josepho; et semel ex parte matris suæ Juliæ, per quam descendit ab altero stipite Agnete.

571. — **Vocabularium consanguineorum collateralium.** Fratres et sorores distinguuntur: 1° *germani*, si ex eodem patre et ex eadem matre nati sunt, 2° *consanguinei*, si ex eodem patre, sed ex diversâ matre, 3° *uterini*, si ex eâdem matre, sed ex diverso patre. Cæteri consanguinei sequenti modo nomina sortiuntur:

In lineâ paternâ.

1° *Propatruus* est frater proavi.
Proamita est soror proavi.
2° *Magnus patruus* est frater avi.
Magna amita est soror avi.
3° *Patruus* est frater patris.
Amita est soror patris.
4° *Patrueles* sunt liberi fratrum

In lineâ maternâ.

1° *Proavunculus* est frater proaviæ.
Promatertera est soror proaviæ.
2° *Magnus avunculus* est frater aviæ.
Magna matertera est soror aviæ.
3° *Avunculus* est frater matris.
Matertera est soror matris.
4° *Consobrini* sunt liberi sororum.

In utrâque lineâ.

Amitini sunt liberi fratris et sororis.
Nepotes sunt liberi fratris aut sororis.
Pronepotes sunt horum liberi.

[1] Nomina conjuncta signo ..... sunt conjuges.

§ II. *Cognatio spiritualis.*

572. — Cognatio spiritualis est quædam propinquitas personarum, quæ oritur ex administratione et susceptione Sacramentorum Baptismi et Confirmationis. Hæc enim Sacramenta conferunt suscipienti generationem spiritualem; Baptismo nempe vita spiritualis inchoatur, Confirmatione homo vivus quasi in lucem et aciem editur; idcirco, qui ad hos actus generationis spiritualis concurrunt, habentur veluti parentes spirituales. Hinc Ecclesia induxit impedimentum dirimens inter parentes et filios spirituales.

573. — **Principia.** I. Minister Sacramenti et patrini contrahunt cognationis spiritualis impedimentum, dirimens matrimonium cum subjecto Sacramenti hujusque parentibus. Constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 2. *ref. matr.* (*n.* 1028.)

Contrahentes cognationem spiritualem hisce claudicantibus versiculis exprimi solent; in quibus, quod dicitur de Baptismo, valet quoque de Confirmatione:

Baptizans, baptizatus, baptizatique parentes:
Levans, levatus, levatique parentes.

Cognatio spiritualis, quæ a baptizante vel confirmante et a patrinis contrahitur cum baptizato et confirmato, *paternitas* et *filiatio spiritualis* dicitur; ea vero, quæ contrahitur cum parentibus baptizati aut confirmati, *compaternitas* et *commaternitas* nuncupatur.

II. Ut patrini spiritualem contrahant cognationem *ex Baptismo*, requiritur ut 1° ipsi baptizati sint; 2° Baptismus vere conferatur; 3° patrini munus vere exerceant, i. e. intentionem habeant hoc munus obeundi, et physice tangant baptizandum sub Baptismo aut baptizatum de manu baptizantis suscipiant. (*n.* 146.)

Cognatio ergo non contrahitur 1° ex Baptismo invalido; 2° ex suppletione cæremoniarum Baptismi antea privatim collati, si qui patrini vel matrinæ officium exercent dum eæ supplentur in ecclesia; quia hæc suppletio non est collatio Baptismi; 3° ab eo, qui tamquam procurator munus patrini obit; tunc enim mandans cognationem contrahit. (*n.* 146. 153.)

Ex dictis sequitur, matrimonium posse contrahere 1° baptizatum ejusve patrem cum uxore patrini aut baptizantis; item cum baptizantis aut levantis filia; 2° patrinum cum matrinâ; 3° baptizantem, si laicus est, cum levante.

III. Ut patrini spiritualem contrahant cognationem *ex Confirmatione*, requiritur ut 1° ipsi confirmati sint, ut statuit Pontificale Romanum et declaravit S. C. C. 13 Jun. 1654; 2° patrini munus vere exerceant, i. e. animum habeant hoc munus obeundi, et physice tangant confirmandum in actu Confirmationis. (*n.* 185. 186. Feye. *n.* 411. V. d. Burgt. *n.* 172.)

574. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An cognatio spiritualis oriatur ex Baptismo privatim domi collato?*

Resp. Baptizans certo eam contrahit, cum pro ipso nullibi in jure insinuetur distinctio inter Baptismum solemnem et privatum. De patrinis vero controversia est inter DD., quia jura loquuntur de iis, qui *de sacro fonte* suscipiunt (*n.* 149.); at S. C. C. pluries declaravit patrinos contrahere cognationem: nomine *sacri fontis* venit omnis Baptismus. Ita respondit 17 April. 1603. 29 Maji 1677. 5 Mart. 1678. (Feye. *n.* 413.)

Quær. 2° *An ad contrahendam cognationem patrini debeant esse designati?*

Resp. Dist. 1° Si designatio facta fuerit, illi, qui ultra designatos subjectum tangunt, non contrahunt cognationem. Ita expresse Trid.

2° Si nullus designatus fuerit, et non designati suscipiant, hi contrahunt cognationem; quia de hoc casu Trid. nihil decernit, proinde standum est juri antiquo, utpote non abrogato; ex hoc jure autem in *Cap.* 3. *de cogn. spir. in* 6. contrahunt cognationem.

3° Si patrini designati subjectum non tangant, sed alii non designati id faciant, hi soli contrahunt cognationem; quia Trid. eos quidem excludit a cognatione, qui *ultra* designatos tangunt, non vero eos, qui tangunt, illis non tangentibus; ergo etiam pro hoc casu possidet jus antiquum supra allegatum.

4° E converso, si tangat unus designatus et alius non designatus, hic non contrahit cognationem, ut patet ex Trid. (*n.* 154.)

Quær. 3° *Si plures uno et unâ designati et admissi fuerint, omnesque tangant, an omnes cognationem contrahant?*

Resp. Dist. 1° Si *successive* tangant, et sciatur qui prius tetigerint, duo primi tantum cognationem contrahunt, ex Declar. S. C. C. Idem ex Trid. colligo; postquam enim statuit ut ad summum unus et una suscipiant, statim subjungit: »inter quos ac baptizatum ipsum »etc. *tantum*, spiritualis cognatio con»trahatur." Hæc limitatio respicit tam duos susceptores, quam cæteras personas; proinde *duo tantum* susceptores cognationem contrahunt.

2° Si *simul* tangant, ex Declar. S. C. C. 10 Mart. 1631. omnes cognationem contrahunt; quia, cum hic casus ex Trid. non clareat, standum est juri antiquo. (*n.* 154. Feye. *n.* 422.)

575. — Duplex et multiplex cognatio spiritualis exsistere potest inter sponsos, estque hæc multiplicitas in libello supplici pro impetranda dispensatione necessario exprimenda. — Multiplicatur autem 1° quando alter alterius prolem vicissim suscepit in Baptismo vel tenuit in Confirmatione, vel in utroque Sacramento; in hoc ultimo casu quadruplex est cognatio; 2° quando quis eumdem alterius filium et suscepit in Baptismo et tenuit in Confirmatione. — Non multiplicatur cognatio ex numero liberorum ejusdem personæ, quos in eodem Sacramento suscepit vel tenuit. (V. d. Burgt. *n.* 173. Feye. *n.* 424.)

Denique notandum est, sæpe patrinos eligi ex consanguineis, ex affinibus, ex amicis; propterea quando viduus aut vidua matrimonio se jungere intendit cum consanguineo, affine, amico, facile exsistere inter eos potest spiritualis cognatio. (V. d. Burgt. *n.* 171))

§ III. *Cognatio legalis.*

576. — Cognatio legalis est propinquitas personarum proveniens ex adoptione civili. Vocatur *legalis*, quia originem suam debet Juri civili Romano, quod Ecclesia quoad hoc impedimentum approbavit ac recepit.

Adoptio est personæ extraneæ in filium vel nepotem legitima assumptio. Dicitur: *personæ extraneæ*, i. e. quæ non est in adoptantis potestate, sive consanguinea sit sive non.

Duplex distinguitur adoptio: 1° *perfecta*, quæ et *adrogatio* nuncupatur, qua persona extranea, quæ sui juris est, rescripto Principis transit in potestatem et familiam adoptantis, et omnia filii legitimi jura acquirit, ita ut fiat hæres necessarius adoptantis. 2° *Imperfecta* seu *simplex*, qua persona extranea, quæ sui juris non est, sed sub potestate et in familia patris vel avi, inferioris Magistratûs auctoritate assumitur in filium vel nepotem, quin transeat in potestatem et familiam adoptantis, et propterea non fit hujus hæres necessarius, licet ei succedat ab intestato. (*n.* 1027.)

Ut adoptio fieri possit, secundum leges Romanas requiritur: 1° ut adoptans sit masculus; fœmina nonnisi ex speciali privilegio adoptare potest; 2° ut potuisset esse adoptati pater naturalis; ideo adoptati ætatem excedere debet 18 annis; 3° ut ille, qui adoptandus est, sui juris sit seu majorennis, et expresse consentiat. (Feye. *n.* 429.)

Adoptioni occasionem dedit carentia liberorum, ut, qui liberos ex se non habent, ex alienis deligerent, sicque quod natura negavit, suppleretur legali invento.

577. — **Principia.** I. Cognatio legalis, ad similitudinem cognationis naturalis, matrimonium dirimit inter sequentes personas: 1° inter adoptantem et adoptatum, hujusque filios qui tempore adoptionis erant sub adoptati potestate, quasi in linea recta; 2° inter adoptatum et filios naturales adoptantis, quasi in linea transversa; 3° inter adoptantem et uxorem adoptati, ac vicissim inter adoptantis uxorem et adoptatum, quasi in linea recta ad modum affinitatis.

II. Cognatio legalis in linea recta constituit impedimentum perpetuum; in linea transversa tamdiu solum dirimit matrimonium, quamdiu durat adoptio seu patria adoptantis potestas. Hæc autem solvitur vel morte adoptantis, vel emancipatione filii naturalis aut adoptivi. (*n.* 1027.)

578. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An cognatio legalis oriatur etiam ac dirimat matrimonium ex adoptione imperfecta?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; tum quia textus utriusque Juris indistincte loquuntur de adoptione; tum quia in imperfecta quoque adoptione exsistit parentelæ similitudo. Ita Covar. Tolet. Pont. Guttier. Castrop. Anaclet. Feye, etc.

2ª Sententia communior et probabilior negat; tum quia plures textus Juris Romani clare loquuntur de adoptione perfecta; ergo de hac etiam cæteræ

leges et ipsi canones intelligi debent; tum quia adoptio imperfecta non est adoptio proprie dicta, cum per eam adoptatus non transeat in potestatem et familiam adoptantis, et consequenter naturalis cognationis similitudinem non referat; tum quia in ea deficit præcipua hujus impedimenti ratio, scil. incontinentiæ periculum inter cognatos legales, cum imperfecte adoptatus non transeat in familiam et domum adoptantis. Ita S. Thom. Sanch. Soto, Sylv. Coninc. Laym. Salm. Ledesm. Diana, Mansel. etc. (*n.* 1027. *Not.* 1. Schmalzgr. *tit.* 12. *n.* 17—22.)

Quær. 2° *An impedimentum cognationis legalis exsistat sub hodiernis legibus civilibus a Jure Rom. discrepantibus?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, ubi leges civiles non admittunt adoptionem, ut patet; v. g. in Hollandia.

2° *Affirm.*, ubi leges civiles adoptionem proprie dictam admittunt. Ita resolvit S. Pœnit. 17 Maji 1826. et S. C. Offic. 23 Febr. 1853. apud Feye *n.* 435. De cætero impedimentum exigendum est ad normam Juris Romani ab Ecclesia recepti, neglectis dispositionibus discrepantibus juris moderni. In jure Gallico *admittitur* adoptio perfecta; in jure Prussico nonnisi imperfecta.

ARTICULUS II.

AFFINITAS.

579. — Affinitas est propinquitas personarum proveniens ex copula carnali perfecta. Eam idcirco quis contrahit cum consanguineis illius personæ, quacum copulam habuit; cum enim per copulam vir et mulier fiant una caro, sanguis unius dicitur alterius sanguinem tangere.

Ex dictis sequitur: 1° Vir et mulier, qui concubuerunt, non sunt affines inter se, sed sunt principium affinitatis, et quasi stipes, ex quo affinitatis gradus numerantur et distinguuntur.

2° Consanguinei viri fiunt affines mulieris, et vicissim consanguinei mulieris fiunt affines viri. Utriusque vero consanguinei non fiunt affines inter se.

3° Affinitas oritur non solum ex copula licita seu conjugali, sed etiam ex illicita, nempe ex fornicatione, adulterio, incestu, etc.; nam »qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur cum illa," ait Apostolus I Cor. VI. 16.

4° Ad affinitatem contrahendam nihil interest num persona consenserit copulæ necne; unde affinitas oritur ex copula cum dormiente, ebriâ, amente, coactâ, ignorante.

5° Affinitas non oritur ex copula solum attentata, sed opus est ut sit perfecta; quia vir et mulier non fiunt una caro, nisi per copulam perfectam, aptam generationi prolis. Ergo non contrahitur affinitas, si sola fœmina seminaverit; quia semen mulieris non sufficit ad generationem. Utrum sufficiat solius viri seminatio, infra expendetur.

6° Non oritur affinitas ex copula contra naturam, puta ex sodomia; quia ex ea non potest sequi generatio.

580. — Sicut consanguinitas, ita et affinitas habet stipitem, lineas, et gradus. Stipitem constituunt mas et fœmina, qui concubuerunt; linea et gradus distinguuntur et computantur secundum lineas et gradus consanguinitatis consortis.

Pro dignoscenda affinitate et gradibus computandis, sequentes tradi solent regulæ: 1ª Affinitas non parit affinitatem, i. e. affinitas non promanat ad utriusque coëuntis consanguineos inter se. 2ª In qua linea et in quo gradu aliquis est consanguineus viro, in eadem linea et in eodem gradu fit affinis mulieri, et vice versa, sicut quis est consanguineus mulieri, sic fit affinis viro. (*n.* 1068.)

581. — **Principia.** I Affinitas ex copula licita seu conjugali matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive. Ita statuit Conc. Lateran. IV *can.* 30. Olim dirimebat usque ad septimum gradum. (*n.* 1069.)

II. Affinitas ex copulâ illicitâ matrimonium dirimit usque ad secundum gradum inclusive. Ita sanxit Trid. *sess.* 24. *cap.* 4. *ref. matr.* Olim dirimebat usque ad quartum gradum. (*n.* 1069.)

III. Affinitas, etiam in primo gradu lineæ rectæ, matrimonium dirimit ex solo jure ecclesiastico. Ita Bened. XIV Constit. *Æstas anni.* 11 Oct. 1757. *n.* 14. Porro affinitatem in *linea obliqua* matrimonium non dirimere jure naturali, constat ex lege leviratûs in Deuter. XXV. 5.; de *primo gradu lineæ rectæ* probatur, quia tales personæ rationem parentum et liberorum reipsa non habent sine fictione quadam.

Magna hactenus exstitit controversia inter DD. quo jure affinitas ex copula *conjugali* nuptias irritet in primo gradu lineæ rectæ; at Bened. XIV in Constit. cit. docet irritare jure ecclesiastico; idem tradunt Concilia Agatense anni 506. *can.* 61., Epaonense anni 517. *can.* 61., Aurelianense III. *can.* 10. [1] Nihilominus hujusmodi matrimonia adeo inhonesta sunt et indecora, ut Romani Pontifices, licet pluries rogati, nunquam dispensarint.

Motiva hujus impedimenti eadem sunt ac pro consanguinitate, sed minori vi urgent.

582. — **Resolutiones.** 1° Consanguinei mariti valide et licite matrimonium contrahunt cum consanguineis uxoris, et hi vicissim cum illis.

2° Duo fratres ducere possunt duas sorores; pater et filius ducere possunt matrem et filiam. (*n* 1069.)

3° Privignus ducere potest matrem, filiam, aut sororem novercæ suæ; et vicissim privigna nubere potest patri, filio, aut fratri vitrici sui.

4° Fratris et sororis defunctorum superstites conjuges possunt matrimonium inter se contrahere. (*n.* 1069.)

5° Filius mariti et filia uxoris, ex prioribus matrimoniis procreati, possunt inter se matrimonium inire.

6° Potest quis successive ducere duas viduas, quarum defuncti mariti erant fratres germani. (*n.* 1069.)

7° Vir, qui concubuit cum duabus sororibus, aut cum duabus consobrinis, vel cum matre hujusque filia, nullam harum ducere potest.

8° Sponsus, qui fornicatus est cum suæ sponsæ consanguinea in primo aut secundo gradu, ducere nequit sponsam suam; et e converso sponsa, quæ fornicata est cum sui sponsi consanguineo in primo vel secundo gradu, sponso suo nubere nequit. (*n.* 1069.)

583. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ad contrahendam affinitatem requiratur copula consummata, non solum ex parte viri, verum etiam ex parte fœminæ?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia negat; quia semen fœmineum non requiritur ad generationem, sed sola viri seminatio sufficit; atqui per copulam ex se sufficientem ad generationem consummatur matrimonium et fiunt conjuges una caro; ergo. Ita Pont. Sanch. Castrop. Croix, Bonac. Soto, Salm. etc.

2ª Sententia affirmat; quia, licet seminatio fœminæ non requiratur ad generationem, requiritur tamen ad integritatem copulæ, cum semen mulieris a natura ordinatum sit ad copulam. Ideo probabile est per solam utriusque seminis commixtionem fieri conjuges unam carnem. [1] Ita S. Thom. S. Bonav. Lopez, Graff. Clericat. Mansella, etc., et probabilem dicunt Sanch. Castrop. Elbel, Ronc. Salm. etc. (*n.* 1075.)

Recte tamen notat Lehmkuhl. *n.* 762. semper oriri affinitatem, si facta fuerit conceptio, utcumque aliquid defuisse dicatur in ipso actu conjunctionis viri et mulieris; nam revera facti sunt una caro, quum ex carne viri et mulieris proles concipiatur.

Quær. 2° *Quid in dubio facti de copulæ consummatione censendum sit?*

Resp. Cum de copula constat, semper præsumenda est consummata; quia ex communiter contingentibus prudens elicitur judicium. (*n.* 1075.)

Quær. 3° *Ad quem gradum se extendat impedimentum affinitatis ex matrimonio consummato, sed invalido?*

Resp. Controv. Adest duplex sententia, quæ probabilis videtur. 1ª Sententia distinguit, illudque extendit ad quartum gradum, si matrimonium bona fide, ad secundum vero, si mala fide contractum sit; quia in priori casu copula erat licita, in posteriori illicita. Ita Collet, Giraldi, etc.

2ª Sententia forte probabilior illud extendit indistincte ad quartum gradum; quia sic resolvit S. C. C. 3 Dec. 1667., quippe quæ nullum facit discrimen bonæ vel malæ fidei. Ita V. d. Burgt. *n.* 191. Feye. *n.* 378.

Quoad impedimentum publicæ honestatis, utrum exsistat in casu, vide infra n. 587. sub IV.

Quær. 4° *Ad quem gradum se extendat impedimentum affinitatis ex moderno sic dicto matrimonio civili, postquam copula consummatum est?*

Resp. In locis, ubi promulgatum est

[1] Cfr. Soglia. *Jus eccles. tom* 2. § 189. *in fine.*

[1] Cfr. Sanchez. *lib.* 2. *disp.* 21. *n.* 11.

decretum Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.* se extendere censeo ad secundum gradum tantum; quia sic dictum matrimonium civile, nedum speciem perhibet justi matrimonii, potius ab Ecclesia declaratum est publicus concubinatus; copula ergo in ejusmodi matrimonio notoria fornicatio est.

QUÆR. 5° *An affinitas contracta in infidelitate evadat impedimentum dirimens post Baptismum susceptum?*

Resp. Affirm.; constat ex Declar. S. C. de Prop. Fide 23 Aug. 1852.[1] Ratio est, quia affinitas vinculum quoddam naturale est, quod semel ortum perdurat suosque effectus producit; sicut enim sanguinis communio facit consanguineos, sic carnis unio facit affines. (Gury-Dumas. *n.* 813. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 14. *n.* 86—92.)

584. — **Casus multiplicis affinitatis.** Ut consanguinitas interdum multiplex est, ita affinitas. Ea multiplicitas oritur 1° ex copula habita cum *pluribus* comparti consanguineis; 2° ex copula habita cum persona comparti *multipliciter* consanguinea; 3° quando *uterque* copulam habuit cum persona comparti consanguinea. Præterea multiplicatur affinitas, si plures ex hisce causis concurrant. Non multiplicatur autem ex iteratione copulæ cum eadem persona.

585. — **Vocabularium affinium.** Non abs re erit nomina hic subnectere, quibus affines ex matrimonio consummato vocantur. Affines ex copula illicita nomine compellari non solent, quia talis affinitas probro ducitur.

In linea recta.

1° *Socer* est pater mariti vel uxoris.
Socrus est mater mariti vel uxoris.
2° *Gener* est maritus filiæ.
Nurus est uxor filii.
3° *Vitricus* est maritus matris.
Noverca est uxor patris.
4° *Privignus* est filius ex priori matrimonio compartis.
Privigna est hujusmodi filia.

In linea collaterali.

1° *Levir* est frater compartis.
Glos est soror compartis.
2° *Sororius* est maritus sororis.
Fratria est uxor fratris.

[1] Collectan. S. Sed. *n.* 867.

ARTICULUS III.

PUBLICA HONESTAS.

586. — Publica honestas seu publicæ honestatis justitia est quædam propinquitas seu quasi-affinitas ex sponsalibus et ex matrimonio rato contracta cum consanguineis compartis.

Ecclesia hoc impedimentum induxit, quia publicæ honestati congruit, ut, quemadmodum ex unione corporum oritur affinitas, sic ex unione animorum oriretur quasi-affinitas.

587. — **Principia.** I. Publica honestas ex *sponsalibus* orta matrimonium dirimit in primo dumtaxat gradu. Constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. *ref. matr.* — Olim dirimebat usque ad quartum gradum. (*n.* 1061.)

II. Publicæ honestatis impedimentum non oritur ex sponsalibus quacumque ratione invalidis. Constat ex Trid. *loc. cit.* (*n.* 1062.)

III. Publica honestas orta ex *matrimonio rato* matrimonium dirimit usque ad quartum gradum inclusive. Constat ex jure antiquo non mutato, ut declaravit S. Pius V Constit. *Ad Romanum.* 1 Jul. 1568. (*n.* 1061.)

IV. Hoc impedimentum oritur ex matrimonio etiam invalido, dummodo nullitas non ex defectu consensûs proveniat. Constat ex antiquo jure. (*n.* 1062.)

Verumtamen publica honestas non inducit impedimentum in præjudicium priorum sponsalium; e. g. si Titius, post sponsalia inita cum Berthâ, deinde, illis non solutis, matrimonium contrahit cum sorore Berthæ, ex hoc matrimonio invalido ob publicam honestatem ex sponsalibus, non oritur vicissim impedimentum publicæ honestatis respectu Berthæ, sed Titius potest et debet eam ducere. Constat ex *Cap. un. de sponsal. in* 6. — In praxi rarissime locus est huic exceptioni; nam adesse solet et præsumi debet affinitas cum priori sponsâ ob invalidi matrimonii consummationem. (*n.* 1064.)

V. Impedimentum honestatis semel ortum perpetuo durat. Constat ex Declar. S. C. C. 6 Jul. 1658. approbatâ ab Alexandro VII. — Quamobrem, si sponsa vel conjux moriatur, aut Religionem ingrediatur, aut si sponsalia dissolvantur, mutuo licet consensu, non tollitur impedimentum. (*n.* 1063.)

In praxi huic impedimento ex matrimonio rato mox accedere solet impedimentum affinitatis; nam matrimonia mox consummari solent.

588. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An sponsalia sub conditione inita inducant publicæ honestatis impedimentum?*

Resp. Dist. Ante eventum conditionis non inducitur impedimentum; inducitur autem post ejus eventum. Ratio prioris est, quia, cum conditio suspendat consensum, sponsalia nondum exsistunt; ratio posterioris, quia tunc fiunt sponsalia pura ex perfecto consensu.

Hinc: 1° Si quis sponsalia cum aliqua muliere sub conditione contraxit, et postmodum ante conditionis eventum matrimonium contraxit cum illius sorore, cum hac secunda remanere debebit; quia validum est eorum conjugium. Ita *Cap. unic. de sponsal. in* 6. (*n.* 1061.)

2° Si quis post contracta sub conditione sponsalia cum Titia, nova sponsalia, quamvis absoluta, cum ejus sorore contrahat ante conditionis eventum, nulla ex secundis sponsalibus oritur publicæ honestatis justitia; quia hæc invalida sunt eo quod priora sponsalia obligent ad exspectandum conditionis eventum, et ante hunc eventum nequeat sponsus rem uni sub conditione promissam promittere alteri. Ideo potest, ac post conditionis eventum debebit Titiam ducere, non hujus sororem. Consule dicta n. 426. qu. 2.

QUÆR. 2° *An prædictum impedimentum oriatur ex matrimonio ob clandestinitatem invalido?*

Resp. Communior et verior sententia affirmat; quia, licet illud matrimonium nullum sit ex defectu formæ a Trid. præscriptæ, non est tamen invalidum ex defectu consensûs; atqui secundum jus antiquum, quod non est correctum, oritur impedimentum ex omni matrimonio invalido, præterquam ex defectu consensûs; ergo. Ita quoque resolutum est a S. C. C. 8 Nov. 1584. (*n.* 1064.)

QUÆR. 3° *An ex moderno sic dicto matrimonio civili enascatur publicæ honestatis impedimentum?*

Resp. Negat. »in locis, ubi promul»gatum est decretum Concilii Trid. »*sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.*, sive fide»les actum explentes intendant, uti par »est, (matrimonio Ecclesiastico jam rite »celebrato, vel cum animo illud cele»brandi), meram cæremoniam civilem »peragere, sive intendant sponsalia de »futuro inire, sive tandem ex ignorantia »aut in spretum ecclesiasticarum legum »intendant matrimonium de præsenti »contrahere." Ita Leo XIII Decreto S. C. C. 17 Mart. 1879. Ratio est, quia sic dictum matrimonium civile nihil aliud est quam *cæremonia et actus mere civilis.* (Mansel. *cap.* 3. *art.* 3. Acta S. Sedis. *vol.* 12. *pag.* 147. *seqq.*)

CAPUT V.

IMPEDIMENTA OB RELIGIONIS SANCTITATEM.

ARTICULUS I.

DISPARITAS CULTUS.

589. — Cultûs disparitas ea intelligitur, quæ inter fideles et infideles, sive inter baptizatos et non baptizatos intercedit.

Principia. I. Matrimonia fidelium cum infidelibus jure divino tam positivo quam naturali *prohibita* sunt, extra casum urgentis causæ. Patet 1° ex Deuter. VII. 3. ubi Deus Hebræis interdixit matrimonium cum infidelibus: quod præceptum morale fuisse, et ideo etiamnum obligare, manifeste ostendit ratio ibidem subjuncta v. 4: »Quia seducet filium »tuum, ne sequatur Me, et magis ser»viat diis alienis." 2° Ex Apostolo, II Cor. VI. 14: »Nolite jugum ducere cum »infidelibus." 3° Ex ratione; nam jus naturale dictat peccandi periculum cavendum esse; atqui ex tali conjugio periculum perversionis imminet tam conjugi fideli, quam proli nasciturae; ergo. Exemplo sit Salomon, qui alienigenarum mulierum amoribus dementatus a vera fide ad idolorum cultum descivit.

Dixi: *extra casum urgentis causæ;* hac enim exstante, et remoto periculo, licita evadere possunt. Ita factum est, ut in lege veteri Joseph conjugium inierit cum filia Putipharis, Esther cum Assuero; in nova lege primis Ecclesiæ sæculis S. Cæcilia nupsit Valeriano, S. Monica Patritio, S. Clotildis Clodoveo, quin Scriptura et Ecclesia ejusmodi matrimonia improbaverint.

II. Cultûs disparitas matrimonium *dirimit*, non jure divino, sed solo jure ecclesiastico. Prius patet, quia nullum exstat testimonium, ex quo nullitas eruatur; posterius nulla lege scripta, sed consuetudine et praxi universalis Ecclesiæ multis abhinc sæculis introductum est, quæ consuetudo vim legis obtinet. (*n.* 1044.)

Hoc impedimentum ligat quoque hæreticos et apostatas; viget insuper ubique terrarum, etiam in regionibus, quæ nuperrime fidem susceperunt. Ita Bened. XIV Constit. *Singulari Nobis.* 9 Febr. 1749. *n.* 18. 19. et plura Decreta S. C. de Prop. Fide et S. Offic. (Revue théol. 1883. *pag.* 402. *seqq.*)

III. S. Pontifex non potest licite in hoc impedimento dispensare, nisi ex gravi causa, et remoto perversionis periculo respectu tum conjugis fidelis tum prolis nasciturae. Ratio est lex naturæ, quam in primo principio supra exposuimus. Solet autem S. Sedes easdem fere conditiones exigere, quas pro matrimoniis mixtis expostulat. Consule dicta n. 544.

590. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An hæretici, quorum Baptisma dubium et suspectum est, infideles habendi sint, ita ut inter eos et Catholicos dirimens disparitatis cultûs impedimentum adesse censeatur?*

Resp. Ex Resolutione S. C. Inquis. 17 Nov. 1830 distinguendum est: »1° Quoad hæreticos, quorum sectæ »Ritualia præscribunt collationem Bap»tismi absque necessario usu materiæ »et formæ essentialis, debet examinari »casus particularis.

»2° Quoad alios, qui juxta eorum Ri»tualia baptizant valide, validum cen»sendum est Baptisma.

»3° Si dubium persistat, etiam in »primo casu, censendum est validum »Baptisma in ordine ad validitatem »matrimonii.

»4° Si certe cognoscatur nullum Bap»tisma ex consuetudine actuali illius »sectæ, nullum est matrimonium." (Soglia. § 184.)

In Resolutione 20 Decemb. 1837 S. Pontifex addi mandavit: »In quarto »casu respiciente nullitatem *certam* »Baptismi in parte hæretica, recurratur »in casibus particularibus ad S. Sedem."

Quær. 2° *An impedimentum disparitatis cultûs locum obtineat in matrimoniis contractis inter acatholicos ejusdem vel diversæ sectæ, quum alter ex conjugibus Catholicam fidem amplexatus, exorto de Baptismi validitate dubio, illum sub conditione recipit, alter vero, de cujus Baptismi valore serio pariter dubitari potest, in hæresi perseverat?*

Resp. S. C. Inquis. 5 Febr. 1851 rescripsit: »Generatim loquendo, qui in »Hollandia convertuntur ad Catholicam »fidem, habendos esse ex capite Baptis»matis tamquam valide conjugatos, nisi »forte certe et evidenter constet in »aliquo casu particulari hæreticum, de »quo agitur, fuisse revera nulliter bap»tizatum; sed oratores, quoties occur»runt casus particulares hujus generis, »recurrere debere cum expositione om»nium omnino casus circumstantiarum »ad S. Sedem." (Soglia. § 184.)

ARTICULUS II.

ORDO ET RELIGIO.

591. — **Principia.** I Votum solemne castitatis lege Ecclesiæ Ordini Sacro adnexum dirimit matrimonium contrahendum. Constat ex *Cap. unic. de voto. in* 6. et Trid. *sess.* 24. *can.* 9. (*n.* 1024. 1058. 1059.)

II. Votum solemne castitatis emissum per professionem in Religione approbata dirimit quoque matrimonium contrahendum. Constat ex citatis juris textibus.

Dixi: *votum* solemne; nam *simplex* votum non dirimit matrimonium; excepto tamen simplici castitatis voto, quod emittitur in Societate Jesu, hoc quippe, ex speciali Gregorii XIII privilegio, dirimit matrimonium contrahendum. (*n.* 1024.)

Porro Clerici in sacris constituti, vel Regulares aut Moniales, post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes, necnon omnes, cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, Episcopis sive Ordinariis reservatam. Ita ex Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* 12 Oct. 1869.

592. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quo jure Ordo sacer dirimat matrimonium?*

Resp. Communis sententia docet dirimere jure ecclesiastico; quia cœlibatus non est Ordini sacro adnexus jure divino, sed ecclesiastico, nam matrimonium ex suâ naturâ non pugnat cum Ordine sacro. Neque obstat votum solemne castitatis; quia castitas non est de essentiâ sacri Ordinis, sicut est de essentiâ statûs religiosi, ideo non suapte naturâ dirimit matrimonium votum Ordini adnexum, sicut votum solemne religionis. (*n.* 1059. Sylvius. *In suppl. qu.* 53. *art.* 3. *quær.* 1.)

Quær. 2° *Quo jure professio religiosa dirimat matrimonium?*

Resp. Controv. 1ª Sententia inter recentiores communior docet dirimere jure ecclesiastico; quia Bonifacius VIII in *Cap. un. de voto.* et Gregorius XIII Constit. *Ascendente Domino.* 25 Maji 1554 declararunt voti solemnitatem ex solâ Ecclesiæ constitutione inventam esse.

2ª Sententia probabilior docet dirimere jure divino; quia votum simplex ex se est nuda promissio, aut imperfecta tantum traditio sui in Religione approbatâ; votum autem solemne continet *perfectam* sui traditionem in manum Dei et eorum, qui vicem Dei tenent; atque ita Religiosus jure naturali et divino fit inhabilis ad tradendum se alteri per matrimonium, cum jam non sit suus, sed Dei. Perfecta illa traditio infertur ex verbis Christi apud Matth. XIX. 12. et 21. loquendo de eunuchis et de distributione bonorum pauperibus. Ita D. Thom. *Suppl. qu.* 53. *a.* 2. S. Bonav. 4. *dist.* 38. *a.* 1. *qu.* 2. Sylvius. *in suppl. qu.* 53. *art.* 2. Salmant. *Theol. dogm. tr.* 20. *de statu relig. disp.* 1. *n.* 76. *seqq.* Valentia. *Tom.* 3. *disp.* 6. *qu.* 6. *punct.* 5. Billuart. *De matrm. diss.* 7. *art.* 2. § 2. et multi alii. (*n.* 1025.)

Non obstat ratio primæ sententiæ; nam, quatenus a formali acceptatione Sedis Apostolicæ pendet quod vota sint solemnia, votorum solemnitas ortum trahit ex solâ constitutione Ecclesiæ, quæ eam disciplinam invenit.

CAPUT VI.

IMPEDIMENTA OB MATRIMONII SANCTITATEM.

ARTICULUS I.

LIGAMEN.

593. — Hoc impedimentum consistit in vinculo matrimoniali, quo unus conjux alteri sic alligatur, ut, eo vinculo durante, cum nullo alio contrahere matrimonium valeat.

Principium. Impedimentum ligaminis jure divino tam naturali quam positivo dirimit matrimonium contrahendum. Fundatur enim in matrimonii indissolubilitate et unitate. (*n.* 1060.)

Ad exsistentiam hujus impedimenti requiritur ut prius matrimonium fuerit validum et etiamnum perseveret; nam vinculo ejus per mortem, Professionem solemnem, vel dispensationem Apostolicam dissoluto, redit libertas contrahendi matrimonium cum alia persona.

594. — **Resolutiones.** 1° Qui cum duabus contraxit matrimonium, adhærere debet ei, quacum prius contraxit, etiamsi primam nondum carnaliter cognoverit, cognoverit vero secundam.

2° Ille, qui, primo matrimonio durante, secundas nuptias scienter attentat et consummat, obtento v. g. divortio civili, non potest suam concubinam etiam post mortem legitimæ suæ conjugis ducere, ob impedimentum criminis, de quo in Articulo sequenti.

3° Nemo ad secundas nuptias migrare potest, nisi de conjugis morte moralis certitudo adsit. Si quis forte ratus conjugem obiisse, alterum matrimonium bona fide contraxerit, postmodum vero comperiat priorem conjugem adhuc vivere, relictis adulterinis complexibus, ad priorem conjugem reverti tenetur. Liberi tamen ex hoc invalido matrimonio bona fide inito procreati, jure Ecclesiæ reputantur legitimi. Constat ex *Cap.* 19. *de spons. et matr.*, ex *Cap.* 2. *de secund. nupt.*, ex *Cap.* 14. *qui filii.* (*n.* 901. 1060.)

4° Matrimonium cum impedimento ligaminis invalide contractum, per subsecutam legitimi conjugis mortem non convalescit, sed novus requiritur consensus mutuus, ob nullitatem consensûs stante ligamine præstiti. (Feye. *n.* 446.)

5° Hoc impedimentum afficit etiam infideles; unde polygami infideles, qui ad fidem convertuntur, primam quam uxorem duxerunt, retinere debent, etiamsi eam repudiarint, dummodo verum cum ea contraxerint matrimonium. Si incertum sit quænam sit prima legitima uxor, eam, quam maluerint, retinere possunt. Excipitur tamen casus Apostoli, de quo n. 519. et 520. egimus. (*n.* 902. Feye. *n.* 486.)

595. — **Probatio obitus alicujus conjugis.** Ut libertas novas nuptias ineundi, alterutro conjuge vita functo, ita cuique salva sit, ut matrimonii unitas in discrimen non adducatur, S. Sedes non omisit cautiones præscribere ad certitudinem de alterius conjugis obitu comparandam; nam hæc res difficultatibus ac fraudibus haud raro est obnoxia.

Hodie vero, ob summam facilitatem in omnes fere orbis partes divagandi, ejusmodi casuum multitudo adeo succrevit, ut S. C. Inquis. 13 Maji 1868 e re esse censuerit novam edere Instructionem, in qua regulæ indigitantur, quas ipsa S. Congregatio sequi solet, ut illarum ope vel ipsi Ordinarii possint judicia ferre, vel, si ad S. Sedem recurrendum sit, status quæstionis ita dilucide exponatur, ut sententia longiori mora impediri non debeat. Regulæ istæ sunt, quæ sequuntur:

»1° Cum de conjugis morte quæstio »instituitur, notandum primo loco, quod »argumentum a sola ipsius absentia »quantacumque (licet a legibus civilibus »fere ubique admittatur) a sacris Cano»nibus minime sufficiens ad justam pro»bationem habetur. Unde Pius VI ad »Archiepiscopum Pragensem die 11 Julii »1789 rescripsit, solam conjugis absen»tiam, atque omnimodum ejusdem silen»tium, *satis argumentum non esse ad »mortem comprobandam*, ne tum qui»dem, cum edicto regio conjux absens »evocatus (idemque porro dicendum est, »si per publicas ephemerides id factum »sit) nullum suimet indicium dederit. »*Quod enim non comparuerit*, idem ait »Pontifex, *non magis mors in causa »esse potuit, quam ejus contumacia.*

»2° Hinc ad præscriptum eorumdem »sacrorum Canonum, documentum au»thenticum obitûs diligenti studio ex»quiri omnino debet; exaratum scilicet »ex regestis Paræciæ vel Xenodochii »vel militiæ, vel etiam, si haberi nequeat »ab auctoritate ecclesiastica, a Gubernio »civili loci, in quo, ut supponitur, per»sona obierit.

»3° Porro, quandoque hoc documen»tum haberi nequit, quo casu testium »depositionibus supplendum erit. Testes »vero duo saltem esse debent, jurati, »fide digni, et qui de facto proprio de»ponant, defunctum cognoverint, ac sint »inter se concordes quoad locum et »causam obitûs, aliasque substantiales »circumstantias. Qui insuper, si defuncti »propinqui sint, aut socii itineris, in»dustriæ, vel etiam militiæ, eo magis »plurimi faciendum erit illorum testi»monium.

»4° Interdum unus tantum testis exa»minandus reperitur, et licet ab omni »jure testimonium unius ad plene pro»bandum non admittatur, attamen ne »conjux alias nuptias inire peroptans, »vitam cælibem agere cogatur, etiam »unius testimonium absolute non respuit »suprema Congregatio in dirimendis hu»jusmodi casibus, dummodo ille testis »recensitis conditionibus sit præditus, »nulli exceptioni obnoxius, ac præterea »ejus depositio aliis gravibusque admini»culis fulciatur; sique alia extrinseca »adminicula colligi omnino nequeant, »hoc tamen certum sit, nihil in ejus »testimonio reperiri, quod non sit con»gruum atque omnino verisimile.

»5° Contingit etiam, ut testes omni»moda fide digni testificentur se tem»pore non suspecto mortem conjugis »ex aliorum attestatione audivisse, isti »autem, vel quia absentes vel quia obie»runt vel ob aliam quamcumque ratio»nabilem causam, examinari nequeunt; »tunc dicta ex alieno ore, quatenus om»nibus aliis in casu concurrentibus cir»cumstantiis aut saltem urgentibus res»pondeant, satis esse censentur pro »sequutæ mortis prudenti judicio.

»6° Verum, haud semel experientiâ »compertum habetur, quod nec unus »quidem reperiatur testis, qualis supra »adstruitur. Hoc in casu probatio obitûs »ex conjecturis, præsumptionibus, indi»ciis et adjunctis quibuscumque, sedula »certe et admodum cauta investigatione »curanda erit, ita nimirum, ut, pluribus »hinc inde collectis, eorumque naturâ »perpensâ, prout scilicet urgentiora vel »leviora sunt, seu propiore vel remo»tiore nexu cum veritate mortis con»junguntur, inde prudentis viri judicium »ad eamdem mortem affirmandam pro»babilitate maxima, seu morali certitu»dine promoveri possit. Quapropter, »quandonam in singulis casibus habea»tur ex hujusmodi conjecturis simul »conjunctis justa probatio, id prudenti »relinquendum est judicis arbitrio; heic »tamen non abs re erit plures indicare »fontes, ex quibus illæ, sive urgentiores »sive etiam leviores, colligi et haberi »possint.

»7° Itaque in primis illæ præsumptio»nes investigandæ erunt, quæ personam »ipsius asserti defuncti respiciunt, quæ»que profecto facile haberi poterunt a »conjunctis, amicis, vicinis, et quoquo »modo notis utriusque conjugis. In quo»rum examine requiratur ex. gr.:

»*An* ille, de cujus obitu est sermo, »bonis moribus imbutus esset; pie reli»gioseque viveret; uxoremque diligeret; »nullam sese occultandi causam habe»ret; utrum bona stabilia possideret, »vel alia a suis propinquis aut aliunde »sperare posset.

»*An* discesserit, annuentibus uxore »et conjunctis: quæ tunc ejus ætas et »valetudo esset.

»*An* aliquando et quo loco scripserit, »et num suam voluntatem quamprimum »redeundi aperuerit; aliaque hujus ge»neris indicia colligantur.

»Alia ex rerum adjunctis, pro varia »absentiæ causa, colligi indicia sic po»terunt:

»*Si ob militiam abierit*, a duce mili»tum requiratur quid de eo sciat; utrum »alicui pugnæ interfuerit; utrum ab »hostibus fuerit captus; num castra »deseruerit, aut destinationes periculo»sas habuerit, etc.

»*Si negotiationis causa iter suscepe»rit*, inquiratur utrum tempore itineris »gravia pericula fuerint ipsi superanda; »num solus profectus fuerit, vel pluri»bus comitatus; utrum in regionem, ad »quam se contulit, supervenerint sedi»tiones, bella, fames et pestilentiæ, »etc. etc.

»*Si maritimum iter fuerit aggressus*, »sedula investigatio fiat a quo portu »discesserit; quinam fuerint itineris socii; »quo se contulerit; quod nomen navis, »quam conscendit: quis ejusdem navis »gubernator; an naufragium fecerit; an »societas, quæ navis cautionem forsan »dedit, pretium ejus solverit; aliæque »circumstantiæ, si quæ sint, diligenter »perpendantur.

»8° Fama quoque, aliis adjuta admi»niculis, argumentum de obitu consti»tuit, hisce tamen conditionibus, nimi»rum, quod a duobus saltem testibus »fide dignis et juratis comprobetur; »qui deponant de rationabili causa ipsius »famæ; an eam acceperint a majori et »saniori parte populi, et an ipsi de »eadem fama recte sentiant; nec sit »dubium illam fuisse concitatam ab »illis, in quorum commodum inquiritur.

»9° Tandem, si opus fuerit, præter»eunda non erit investigatio per pu»blicas ephemerides, datis Directori om»nibus necessariis personæ indiciis, nisi »ob speciales circumstantias saniori ac »prudentiori consilio aliter censeatur.

»10° Hæc omnia pro opportunitate »casuum sacra hæc Congregatio diligen»ter expendere solet; cumque de re »gravissima agatur, cunctis æqua lance »libratis, atque insuper auditis plurium »theologorum et jurisprudentum suffra»giis, denique suum judicium pronun»tiat, an de tali obitu satis constet, et »nihil obstet quominus petenti transitus »ad alias nuptias concedi possit.

»11° Ex his omnibus ecclesiastici »Præsides certam desumere possunt »normam, quam in hujusmodi judiciis »sequantur. Quod si, non obstantibus »regulis hucusque notatis, res adhuc »incerta et implexa illis videatur, ad »Sanctam Sedem recurrere debebunt, »actis omnibus cum ipso recursu trans»missis, aut saltem diligenter expositis."

Parochus igitur, si adsit moralis certitudo de morte, novas nuptias permittere potest absque recursu ad Ordinarium; si vero dubium subsit, debet consulere Ordinarium; idque regulariter faciendum videtur, quoties certitudo acquisita non est per documentum authenticum, vel per duos testes, juxta regulam 2am et 3am. (Feye. *n.* 445.)

ARTICULUS II.

CRIMEN.

596. — Oritur hoc impedimentum ex duplici crimine, ex adulterio nempe, et ex homicidio seu machinatione in necem

conjugis. Matrimonium porro dirimit inter complices, eosque dumtaxat.

In triplici facti specie hoc impedimentum occurrere potest: 1° in casu adulterii cum promissione vel attentatione matrimonii; 2° in casu solius conjugicidii communi consilio patrati; 3° in casu conjugicidii ab uno patrati, una cum adulterio. Primus casus vocatur etiam *neutro machinante*, nempe homicidium; secundus casus *utroque machinante;* tertius *uno machinante.* (*n.* 1033.)

Ecclesia hoc impedimentum introduxit, et meritissimo quidem, ut fidei conjugali et conjugum incolumitati consultum esset; ut nimirum, præcisâ omni spe conjugii, atrocia crimina arceantur, atque justissimâ pœnâ plectantur.

Tres facti species seorsum expendemus.

§ 1. *Solum adulterium.*

597. — Adulterium dirimit matrimonium inter adulteros, si tres concurrant conditiones:

1° Adulterium sit *verum*, *formale*, ac *consummatum.* Sit *verum*, i. e. uterque, vel saltem alteruter, valido matrimonio conjunctus sit. Sit *formale*, et quidem ex utraque parte, nimirum uterque complex sciat se adulterium patrare. Tandem sit *consummatum* per copulam carnalem perfectam, quâ alias consummatur matrimonium. (*n.* 1036.)

2° Accedat *promissio* seu *conventio* de matrimonio post mortem conjugis contrahendo inter adulteros; vel etiam *matrimonium* reipsa attentatum. Quare nec sufficit data matrimonii fides, sive de præsenti sive de futuro, sine adulterio, nec adulterium sine fide alterutro modo data. Hæc autem promissio debet esse *vera*, et ab altera parte *acceptata*; secus non esset conventio. (*n.* 1037. 1039. 1042.)

3° Adulterium et matrimonii promissio vel attentatio concurrant *durante eodem matrimonio;* quia cedere debent in injuriam unius ejusdemque conjugis. (*n.* 1037.)

Constat de prædictis tum ex Decretalibus *Tit. de eo, qui duxit.*, tum ex communi DD. sententiâ.

598. — **Resolutiones.** 1° Si vir cœlebs concumbat cum fœminâ, quam nescit esse nuptam, non oritur impedimentum; cum adulterium non sit formale ex parte viri. Contra vero oritur impedimentum, si vir conjugatus scienter peccet cum fœminâ nuptâ, etiamsi hæc nesciat complicem, quocum adulterat, etiam conjugatum esse; nam adest adulterium formale ex utraque parte.

2° Si uterque adulter conjugatus sit, sed ambo ignorent complicem conjugatum esse, non inducitur impedimentum; quia neuter infert injuriam eidem matrimonio, sed uterque soli proprio. Contra vero, si ambo sciant utriusque conjugium, duplex oritur impedimentum criminis, exprimendum in libello supplici; quia duplici matrimonio inferunt injuriam. (V. d. Burgt. *n.* 137. Feye. *n.* 450.)

3° Perinde est utrum adulterium præcedat an sequatur matrimonii promissionem; verumtamen impedimentum non oritur, si promissio prius facta revocetur ante adulterium, nec iteretur post adulterium; quia tunc non simul exstiterunt. Nihil vero juvat revocare promissionem post patratum adulterium; quia tunc simul exstiterunt. (*n.* 1037. V. d. Burgt. *n.* 139. Feye. *n.* 449.)

4° Non exsistit impedimentum, si adulterium committatur, dum unus conjugatus erat, promissio vero subsequatur tempore, quo neuter amplius conjugatus erat; quia non simul exstiterunt, vivente conjuge. Idem dicendum, si promissio fiat stante primo matrimonio, adulterium vero patretur stante secundo conjugio; quia non simul exstiterunt, vivente eodem conjuge. (V. d. Burgt. *n.* 139. Feye. *n.* 449.)

5° Perinde est utrum attentatio matrimonii facta sit in formâ Tridentina an vero clandestinâ. (Schmalzgr. *tit.* 7. *n.* 15)

599. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ignorantia crassa et supina matrimonii complicis excuset ab impedimento?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communior negat; quia non excusat a reatu adulterii. Ita Navar. Valent. Coninc. Castrop. Hurtad. Schmalzgr., etc.

2ª Sententia probabilis affirmat; quia quævis ignorantia facti, qualis est hæc, excusat, juxta Regulam Juris 13. in 6.: »Ignorantia facti, non juris, excusat." Ita Sanch. Guttier. Rebell. Salmant., etc. (*n.* 1036. *Requ. V.*)

Quær. 2° *An ad inducendum impedimentum, sufficiat quod ante scientiam statûs complicis initum sit matrimonium, vel data fides de eo ineundo, deinde, obtentâ scientiâ, commissum sit adulterium?*

Resp. Affirm.; quia perseverando in matrimonio vel ejus conventione, et addendo adulterium, concurrunt conditiones requisitæ. (Schmalzgr. *tit.* 7. *n.* 12. 13. Feye. *n.* 452.)

Quær. 3° *An taciturnitas adulteræ, cui fit promissio, sit sufficiens acceptationis signum?*

Resp. Probabiliter negatur; quia Regula Juris 43. in 6.: »Qui tacet, con»sentire videtur", procedit tantum in materiâ favorabili; atqui hæc materia odiosa et nociva est, cum per eam incurratur delictum et impedimentum dirimens. Accedit, ex taciturnitate solum *præsumi* consensum; sed delicta in dubio non præsumuntur. Ita Sanch. Palaus, Guttier. Tambur. Bosco, Anaclet. Schmalzgr. etc. (*n.* 1038.)

Quær. 4° *An promissio ficta matrimonii cum adulterio inducat impedimentum?*

Resp. Controv. Quidam affirmant, modo fictio externe non appareat; quia Jura solum attendunt actum externum, qui ansam præbet complici machinandi conjugicidium. Ita Sanch. Castrop. Coninc. Guttier. etc.

Verum communius et probabilius negatur; quia Jura exigunt fidem datam; atqui in materiâ odiosâ verba stricte et in sensu proprio accipienda sunt; ergo intelligenda sunt de promissione verâ. Non obstat periculum conjugicidii; nam finis præcepti non cadit sub præcepto. Ita Bonac. Spor. Holzm. Croix, Elbel, Laym. Bosco, Anacl. Schmalzgr. etc. (*n.* 1039.)

Quær. 5° *An promissio conditionata sufficiat ad contrahendum impedimentum?*

Resp. Controv. Quidam affirmant; quia ex se inducit obligationem non resiliendi, per eam vere datur fides, et præbetur ansa machinandi necem conjugis. Ita Sanch. Navar. Cont. Tourn. etc.

Communius vero et probabilius negatur, nisi ante mortem conjugis purificata sit; quia promissio conditionalis, quamdiu adhuc suspensa est, non habet rationem veræ promissionis; verba autem legis in odiosis stricte accipienda sunt. Ita Laym. Coninc. Palaus, Holzm. Tambur. Elbel, Spor. Schmalzgr., etc. (*n.* 1040.)

Quær. 6° *An ad incurrendum hoc impedimentum requiratur promissio mutua?*

Resp. Controv. Plures affirmant; quia Jura videntur exigere fidem utrimque datam de matrimonio ineundo. Ita Bellarm. Elbel, Holzm. Laym. Henriq. etc.

Sed communius et probabilius negatur; quia Jura solius fidei datæ cum adulterio meminerunt, nullâ factâ mentione de repromissione. Ita Sanch. Bonac. Coninc. Soto, Castrop. Pont. Bosco, Anaclet. Schmalzgr. etc. (*n.* 1041.)

Quær. 7° *Si quis, vivente suâ legitimâ uxore, adulterinum conjugium contraxit cum aliâ, quæ nescivit illum conjugatum esse, an possit post mortem legitimæ suæ uxoris manere cum secundâ?*

Resp. Non solum potest, sed debet renovare consensum; quamvis secunda hæc uxor, si velit, possit ab ipso recedere. 1° *Potest*, ut statuitur in *Cap.* 7. *de eo, qui duxit.;* quia impedimentum tum solum contrahitur, cum *uterque* novit alterutrum esse conjugatum. 2° *Debet*, ut statuitur in *Cap.* 1.; quia »dig»num non est, ut prædictus vir, qui »scienter contra Canones venerat, lucrum »de suo dolo reportet." Si tamen ante renovatum consensum, matrimonium contraheret cum aliâ tertiâ, hoc valeret; quia matrimonium cum secundâ non convalescit, nisi interveniat novus consensus. 3° *Secunda uxor potest discedere;* quia decepta fuit et ignara contraxit. (Schmalzgr. *n.* 37—39.)

Quær. 8° *An actus, quem matrimonium* CIVILE *vocant, veniat nomine matrimonii attentati?*

Resp. Affirm.; quia, quamvis non sit matrimonium, est tamen in casu vera ejusdem attentatio; et ita decisum esse a S. Pœnitentiariâ, refert De Angelis. *lib.* 4. *tit.* 4. *in fine*, et ita quoque decisum est a S. C. de Prop. Fid. 14 Jan. 1844. [1]

600. — Ultimo hic notandum est, eum, qui, vivente legitimo conjuge, promitteret alteri matrimonium, sed sine adulterio, grave peccatum committere,

[1] Collectan. S. Sed. *n.* 879.

ut colligitur ex *Cap.* 8. *de eo, qui duxit.;* turpe enim reputatur, stante matrimonio, de alio pacisci. Imo hujusmodi promissio prorsus invalida est, utpote contra bonos mores. *Ita communiter.* (*n.* 1043. Schmalzgr. *n.* 40.)

§ II. *Solum conjugicidium.*

601. — Secunda impedimenti criminis species est, quando intervenit occisio conjugis, amborum consilio patrata, eo animo, ut possint, conjuge sublato, nuptias inter se contrahere.

Ut ex solo conjugicidio, absque adulterio, oriatur impedimentum, tres requiruntur conditiones:

1° *Mutua conspiratio*, i. e. ut *uterque* alterius conjugis cædem machinatus sit. Constat ex *Cap.* 1. *de convers. infid.*

2° *Mors reipsa secuta* ex eorum cooperatione *positiva*, sive *physica*, puta percussione, veneno, fame, sive *morali*, puta per mandatum vel consilium occisori datum. Constat ex cit. *Cap.* 1. et *Can.* 5. *caus.* 31. *qu.* 1. Parum ergo interest num propriis manibus ambo mortem intulerint, an unus tantum, altero consentiente vel consulente; imo, etiamsi neuter physice cooperatus sit ad necem, sed uterque moraliter tantum, mandato vel efficaci consilio. Non sufficit vero cooperatio *negativa* tantum, v. g. negligendo infirmum, non vocando medicum, vel vocando imperitum; nam talis agendi ratio non habet ex se rationem homicidii. Neque sufficit sola occisionis patratæ ratihabitio; tunc enim deest conspiratio.

3° *Intentio contrahendi matrimonium cum complice.* Etsi in Jure hæc conditio non reperiatur expressa, ex ejus tamen verbis et fine colligitur, ne quis nempe ex desiderio alterum contrahendi conjugium propriam vel alterius conjugem occidat. Satis autem est quod ea intentio sit in una machinantium. Utrum autem talis intentio debeat esse alteri manifestata, controversum est. Alii negant; tum quia Jus non expresse exigit eam intentionem, tum quia in foro externo ea semper præsumitur. Ita Sanch. Castrop. Soto, Guttier. — Alii probabilius affirmant; quia et mutua conspiratio et finis impedimenti, ne scil. spe matrimonii conjugicidium patretur, intentionis manifestationem exposcunt. Munera porro, familiaritates, epistolæ amatoriæ, aliaque amoris indicia, eam satis manifestant. Ita Pont. Diana, Salm. Perez, Hurtad. Bosco, Anaclet. Feye, etc. (*n.* 1033. 1034. Feye. *n.* 453.)

§ III. *Adulterium cum conjugicidio.*

602. — Tertia hujus impedimenti species est adulterium cum conjugicidio conjunctum, patrato ab uno adultero, animo contrahendi matrimonium cum altero.

Ut ex duplici hoc crimine oriatur impedimentum, quatuor requiruntur conditiones: 1° *Adulterium sit verum, formale, et consummatum*, quale descriptum est supra n. 597.

2° *Mors reipsa secuta ex machinatione unius adulterorum*, actione sive physica sive morali.

3° *Intentio matrimonium ineundi cum adulterii complice.* Sufficit intentio solius machinantis. S. Alph. Pont. Salm. insuper requirunt intentionis manifestationem; plerique eam non exigunt; cæterum in foro externo intentio matrimonii semper præsumitur, si necator ducere vult superstitem conjugem.

4° Adulterium et conjugicidium *concurrant durante eodem conjugio;* quare necesse est ut adulterium præcedat *mortem* conjugis; non requiritur vero, ut præcedat *machinationem* mortis. (*n.* 1035. 1036.)

603. — **Resolutiones.** 1° Si vir uxorem suam occidat absque intentione matrimonii, sed ex alio fine, e. g. ut liberius vacet libidini cum adultera, impedimentum non contrahitur. Idque procedit, etiamsi adultera consenserit homicidio, sed absque intentione matrimonii. (*n.* 1036. *Req. VI.*)

2° Si vir occidat uxorem suam, ut aliam indeterminatam ducat, potest deinde adulteram ducere. Secus tamen, si occidat, ut aliquam ex pluribus adulteris ducat. (*loc. cit.*)

3° Si vir venenum propinet uxori, ut fœminam quamdam ducat, et postea cum eâ adulterium committat, uxore nondum defunctâ, incurritur impedimentum; quia verificatur adulterium cum cæde conjugis. (Schmalzgr. *n.* 51. Feye. *n.* 454.)

Denique notandum est, fieri posse ut complices plus unâ criminis specie inquinentur, et idcirco plus uno impedimento afficiantur, e. g. si adulterio cum promissione matrimonii accedat conjugicidium, sive uno sive utroque machinante.

604. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An hoc impedimentum contrahi possit cum infideli?*

Resp. Affirm., si unus complex est fidelis, alter infidelis, et fidelis etiam ea posuit, quæ impedimentum inducunt; secus vero, si solus infidelis ea posuit. Ratio est, quia, quamvis Ecclesia non possit ligare infideles, potest tamen ligare fideles, et hoc pacto indirecte ligatur etiam infidelis, uti contingit in impedimento disparitatis cultûs. (*n.* 1037.)

Oritur ergo 1ª species impedimenti, si fidelis, promisso matrimonio, adulterat cum infideli; 2ª species, si particeps machinationis fuit; 3ª species, si ipse cædem patravit.

QUÆR. 2° *An incurratur impedimentum criminis etiam ab eo, qui ignorat istis delictis impediri et dirimi matrimonium?*

Resp. Nonnulli negant; quia hoc impedimentum habet rationem pœnæ in vindictam perpetrati criminis; atqui pœnæ ecclesiasticæ non incurruntur ab ignorantibus eas; ergo. Ita Palud. Pichler, Krimer, Ballerini, Lehmkuhl.

Sed communis et vera sententia affirmat; quia ratio pœnæ prorsus secundaria est; primaria vero ratio est bonum commune, tum ad conjugalem fidem et conjugum incolumitatem, tum ad matrimonii honestatem et sanctitatem tuendam; publice enim inhonestum ac perniciosum esset matrimonium inter personas, quæ conjugalem torum tam atrocibus flagitiis polluerunt. Atqui inhabilitates, quæ non mere pœnales sunt, contrahuntur etiam ab ignorantibus, ut patet in affinitate ex copula illicita. Ergo. Ita Sanch. *lib.* 7. *disp.* 40. *n.* 7. Suar. *De leg. lib.* 5. *cap.* 19. *n.* 10. et *cap.* 22. *n.* 3. *et* 7. Croix. *lib.* 6. *part.* 3. *n.* 642. Coninc. *de matrim. disp.* 31. *n.* 61. Gobat. *tract.* 9. *n.* 190. 201. 202. *cum append.* Sporer. *de matrim. n.* 114. Diana. *part.* 10. *tr.* 13. *resol.* 51. Roncag. *tr.* 21. *qu.* 3. *cap.* 1. *qu.* 6. Wex. *part.* 5. *tr.* 2. *controv.* 5. qui fuse probat. Anaclet. *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 26. Schmalzgr. *lib.* 4. *tit.* 7. *n.* 58—61. Bened. XIV *Instit.* 87. *n.* 48. Feye. *n.* 456. etc. Vide plures apud *Revue théol.* 1881. *pag.* 382..

Hisce accedit quod scripsit De Angelis:[1] »Cum hac sententia maxime cohæret »praxis Pœnitentiariæ et Datariæ Apos»tolicæ,.... quod satis indicat ea Tribu»nalia nolle recognoscere rationabilitatem »prædictæ sententiæ negantis."

QUÆR. 3° *Quando et quomodo de impedimento criminis Confessario inquirendum sit?*

Resp. 1° Inquirendum non est, nisi prudens suspicio de crimine subsit. Ejusmodi suspicionem nonnunquam movere possunt illi, qui durante priore matrimonio adulteria commiserunt; qui paulo post mortem prioris conjugis ad secundas nuptias convolant, maxime si prior conjux ante mortem diu ægrotavit; famulus, qui matrimonium initurus est cum domina sua recenter vidua, vel recenter viduus, qui cum famula sua matrimonium contracturus est, etc.

2° Quoad modum inquirendi, caute procedendum est. Rogari potest e. g. num jam consuetudinem cum illa persona habuerit, vivente priori conjuge; an nunquam nimiam familiaritatem cum ea sibi indulserit. Si adulterium cum ea locum habuerit, ulterius rogetur utrum jam tum sermo inter eos fuerit de futuro conjugio, etc. — De occulto conjugicidio rogari potest an aliquando prioris conjugis mortem desideraverit; num causam aliquam ejus morti dederit. Ex responsis prudens Confessarius reatum vel innocentiam facile deteget.

ARTICULUS III.

CLANDESTINITAS.

605. — Matrimonium *proprie* clandestinum dicitur illud, quod absque Parochi ac testium præsentia contrahitur; *improprie* clandestinum nuncupatur, quod non præmissis denuntiationibus absque dispensatione celebratur. (*n.* 1079.)

Hodie vero hæc denominatio in solo sensu proprio usurpari solet, et in hoc sensu de clandestinitate hic agendum est, quatenus matrimonium dirimit.

Acturi sumus 1° de vi hujus impedimenti; 2° de assistentia Parochi et testium. Addemus 3° de probatione matrimonii clandestini.

[1] Lib. 4. tit. 7. n. 5.

§ I. *Vis hujus impedimenti.*

Expendemus 1° ejus vim in se spectatam, 2° ejus ambitum; 3° causas ab eo eximentes.

1. *Vis impedimenti in se spectata.*

606. — Matrimonia clandestina Jure antiquo graviter quidem prohibita fuerunt; valida tamen et rata erant. At, cum Concilium Trid. animadverterit prohibitiones illas propter hominum inobedientiam non prodesse, et gravia peccata perpenderit, quæ ex clandestinis conjugiis ortum habent, eadem nulla et irrita declaravit his verbis: »Qui aliter quam »præsente Parocho, vel alio Sacerdote »de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, »et duobus vel tribus testibus matrimo»nium contrahere attentabunt, eos sanc»ta Synodus ad sic contrahendum om»nino inhabiles reddit, et hujusmodi »contractus irritos et nullos esse decer»nit, prout eos præsenti decreto irritos »facit et annullat." Addit in fine: »De»cernit insuper, ut hujusmodi decretum »in unaquaque Parochia suum robur post »triginta dies habere incipiat a die primæ »publicationis in eadem Parochia factæ »numerandos." Præterea »Parochum vel »alium Sacerdotem, qui cum minore »testium numero, et testes, qui sine »Parocho vel Sacerdote, hujusmodi con»tractui interfuerint, necnon ipsos con»trahentes, graviter arbitrio Ordinarii »puniri præcipit." Ita in *sess.* 24. *cap.* 1. *Tametsi. ref. matr.* — Concilium ergo duplici modo nulla efficit matrimonia clandestina: 1° *indirecte*, inhabiles reddendo personas ad sic contrahendum; 2° *directe*, irritando ipsum contractum.

Mala, quæ ex clandestinis conjugiis oriebantur, potissimum hæc erant: 1° clandestini conjuges sæpe ab invicem recedebant, aliaque palam inibant conjugia, sicque in perpetuis vivebant adulteriis; 2° matrimonia cum impedimentis invalide contrahebantur. Hæc incommoda sane in magnum fidei conjugalis, prolis, ac Sacramenti detrimentum et contemptum cedebant; Ecclesia vero, cum ejusmodi occultos contractus ignoraret, debitam non valebat affere medelam.

Ex præmissis profluunt sequentia:

607. — **Principia.** I. Matrimonia clandestina invalida sunt in omnibus locis, in quibus Concilii decretum rite promulgatum fuit; idque, etiamsi in mortis articulo vel urgente necessitate aut ex impedimenti ignorantia fuerint contracta. (*n.* 1079.)

II. Valida contra sunt in locis, in quibus decreti promulgatio facta non fuit, sive culpandâ sive non culpandâ omissione.

III. Sicubi dubitetur de decreti publicatione, facta præsumitur, si in Parochiâ jamdiu fuerit observatum tamquam Concilii decretum. Constat ex Constit. Bened. XIV *Paucis abhinc.* 19 Mart. 1758. *De Syn. lib.* 12. *cap.* 5. *n.* 6.

608. — **Resolutiones.** 1° Incolæ regionum, in quibus Trid. decretum non viget, si clandestine contrahant matrimonium in loco, ubi viget, invalide contrahunt; quia contractus reguntur legibus loci, in quo celebrantur. (*n.* 1080.)

2° Si incola loci, in quo receptum est decretum, se conferat ad locum, ubi non viget, ibique contrahat cum incola hujus loci clandestinum conjugium, valide contrahit; quia ob contractûs individuitatem alter sponsus gaudet privilegio sui consortis, sicut Parochus proprius sponsi est etiam proprius sponsæ, cum contrahentes sunt ex diversis Parochiis.

3° Si vir et fœmina ambo incolæ loci, in quo Trid. decretum receptum est, se transferant ad locum, ubi non viget, animo ibi domicilium vel quasi-domicilium figendi, matrimonium ibidem sine formâ Tridentinâ ab iis initum valet; quia per domicilium vel quasi-domicilium facti sunt incolæ illius loci, in quo Trid. non obligat. (*n.* 1080.) Quomodo domicilium aut quasi-domicilium acquiratur, dicetur infra n. 615.

4° Si iidem incolæ se conferant in locum exemptum sine intentione domicilium aut quasi-domicilium ibidem figendi, *non tamen in fraudem legis*, id est absque intentione ibi clam contrahendi nuptias, sed ex alio fine, utrum valide contrahant sine Parocho et testibus, controversum est inter DD. Plures negant; quia lex Tridentina non localis tantum, sed et personalis est, donec alibi domicilium aut quasi-domicilium contractum fuerit. Communior vero et probabilior sententia affirmat; quia peregrini non adstringuntur legibus suæ patriæ, quando extra eam versantur, præsertim quoad contractus, cum in his subjiciantur legibus et sortiantur forum locorum, in quibus versantur. Innuitur etiam in Constit. Bened. XIV *Paucis abhinc.* (Schmalzgr. *tit.* 3. *n.* 110. Mansella. *cap.* 4. *art.* 4. *n.* 17.)

5° Si iidem incolæ ad locum exemptum se conferant *in fraudem legis*, scil. ex intentione clandestinum ibi matrimonium contrahendi, quin animum habeant acquirendi ibi domicilium vel quasi-domicilium, ejusmodi connubium invalidum est. Ita declaravit S. C. C., approbante Urbano VIII, 14 Aug. 1627; ratio autem est, quia fraus nemini patrocinari debet. (Schmalzgr. *n.* 112. Mansella. *loc. cit.*)

6° Vagi invalide contrahunt clandestinas nuptias in loco, ubi forma Trid. requiritur; valide vero in loco, ubi ea non requiritur; quia vagi nullibi habent domicilium aut quasi-domicilium, quare ubivis contrahere valent. (Schmalzgr. *n.* 112. Feye. *n.* 337.)

7° Decreto Trid. afficiuntur etiam matrimonia hæreticorum in locis, ubi publicatum et receptum est, uti constat ex dictis n. 548. Excipiuntur eæ regiones hæreticis subjectæ, in quibus postmodum Decreto Apostolico exempta sunt, prout infra dicetur n. 610. et 611.

2. *Impedimenti ambitus.*

609. — Exponemus 1° loca, in quibus decretum Trid. publicatum fuit et viget, vel non; 2° Declarationem Benedicti XIV; 3° hujus extensionem.

I. **Decreti publicatio.** Catalogum locorum, in quibus Decretum Trid. publicatum fuit vel usu viget, satis completum referunt Perrone. *De matrim. christ. lib.* 2. *sect.* 1. *cap.* 6. *art.* 4. Feye. *n.* 320—334. et Mansella. *loc. cit. n.* 9. Generatim loquendo, decretum publicatum fuit in regionibus, quæ tempore Concilii Trid. Catholicæ erant. Præcipuæ sunt: Italia, Gallia, Hispania, Lusitania, Austria, Polonia, Hungaria, Silesia, Bohemia, Moravia, provinciæ Catholicæ, quæ nunc sunt sub ditione Prussiæ, Hollandia, Belgium, Hibernia, Ducatus Luxemburgi, America meridionalis, Canada, etc.

Publicatum non fuit in regionibus, quæ tempore Concilii Trid. jam a fide Catholica defecerant. Præcipuæ sunt: Anglia, Scotia, Dania, Norwegia, Suecia, provinciæ hæreticæ, quæ nunc sunt sub ditione Prussiæ, pleræque Helvetiæ provinciæ, Status Uniti Americæ septentrionalis.

610. — II. **Declaratio Benedicti XIV.** Notissima est hujus Pontificis declaratio pro Hollandiâ, in quâ Trid. decretum publicatum fuit, et quæ postea maximâ ex parte transiit ad hæresim. Disceptatione inde ortâ circa matrimonia clandestina hæreticorum vel mixta, Benedictus XIV Constit. *Matrimonia.* 4 Nov. 1741. declaravit matrimonia clandestina, sive inter hæreticos sive mixta, in fœderatis Hollandiæ provinciis valida esse, dummodo aliud non obstet canonicum impedimentum.[1] Hæc igitur declaratio ad matrimonia inter Catholicos non spectat; ea quippe matrimonia, non servatâ formâ Tridentinâ, irrita sunt.

611. — III. **Declarationis extensio.** Benedictina declaratio, cum non sit dispensatio, sed pura declaratio, applicanda est omnibus regionibus, quæ sub hæreticorum dominio et in pari necessitate versantur ac Hollandia. Hujus vero applicationis judicium S. Sedes sibi reservavit, ut patet tum ex praxi, tum ex Decis. S. C. S. Off. 19 Jul. 1818, in qua diserte edicitur. Itaque Sedis Apost. auctoritate extensa fuit Benedictina declaratio ad hæc præcipue loca: Civitas Trajecti ad Mosam cum suburbio S. Petri in provinciâ hollandicâ Limburgi, provinciæ Catholicæ sub ditione Prussiæ, Polonia, Bohemia, Hungaria; Hibernia, Canada, insulæ Americæ sub hæreticorum dominio exsistentes, etc.

612. — Ex prædictis concluditur, matrimonia hæreticorum inter se vel mixta, non coram Parocho et testibus celebrata, valida esse tum in locis, in quibus Trid. decretum non viget, tum in locis, pro quibus Benedictina declaratio lata aut extensa est; invalida vero esse in locis, ubi Trid. Decretum pleno robore viget.

[1] Declaratio Benedictina complectitur hodiernum Hollandiæ regnum, demptâ provinciâ Limburgi, non tamen universâ, exceptisque aliis nonnullis locis, quæ aliis ditionibus suberant. Quod attinet ad arces conterminas unitarum provinciarum, pro quibus etiam Pontifex statuerat, declaratio non amplius vires exerit, cum copiæ militares Hollandiæ illas arces non amplius occupent.

Insuper notandum est, sub nomine hæreticorum, ad effectum matrimonii, comprehendi eos omnes, qui externe membra sectæ reputantur, puta 1° qui, licet catholice baptizati, a pueritia in hæresi educati sunt ac hæresim profitentur; sive qui adhuc pueri in manus hæreticorum incidentes hæreticæ sectæ adjuncti sunt; 2° qui non tam in hæresi, quam ab hæreticis educati sunt, nullâ scilicet vel vix ullâ hæreticæ doctrinæ instructione acceptâ, et cultu non frequentato, licet aliquoties participato; 3° qui nati et baptizati ab hæreticis, adoleverunt, quin ullam solemnem hæreseos professionem emiserint, ac veluti nullius religionis sunt; 4° apostatæ ab Ecclesia Catholica, qui ad hæreticam sectam transierunt. Constat ex Rescripto S. C. Inquis. 6 April. 1859. (Feye. *n.* 319.)

3. *Causæ ab impedimento eximentes.*

613. — A lege Concilii Trid. de clandestinitate nonnullæ causæ liberant, nimirum: 1° Defectus publicationis, vel perpetua inobservantia decreti Trid. tamquam decreti Concilii. Constat ex Litteris Pii VII *Etsi Fraternitatis.* 8 Oct. 1803.

2° Diuturna desuetudo, id est, si decretum quondam observatum fuit, longo dein temporis intervallo in desuetudinem abiit. Constat ex cit. Litt. Pii VII.

3° Impossibilitas *communis* servandi formam Tridentinam, sive physica sive moralis, puta quando Parochi vel delegati Sacerdotes non adsunt, vel expulsi sunt ab hæreticis vel infidelibus, vel, quamvis adsint, penitus ignorantur, vel tutus non patet ad eos accessus. Casus facile contingit tempore persecutionis vel in regionibus infidelium. Duorum tamen vel trium testium præsentia pro valore matrimonii necessaria est; curandum autem, quantum fieri potest, ut adhibeantur testes Catholici. Constat de his ex pluribus Sedis Apost. declarationibus. (n. 1079. Feye. *n.* 301—304.)

614. — Circa hanc causam notandum superest: 1° S. C. Inquis. 1 Jul. 1863 declaravit facultatem celebrandi valide ac licite matrimonium cum duobus testibus sine præsentiâ Parochi tunc adesse, quando per spatium mensis tutus non est ad eumdem accessus. Ita testatur Konings. *Append. annot. ad n.* 1606. *sub. f.*

2° Impossibilitas adeundi Parochum non videtur sufficere, si per litteras saltem obtineri possit delegatio alterius Sacerdotis. (Feye. *n.* 304.)

3° Convenit, ut in casu impossibilis recursûs ad Parochum alius Catholicus Sacerdos, qui haberi potest, pro benedictione accipiendâ adhibeatur. Quod si matrimonium coram solis testibus jam contractum fuerit, hortandi sunt conjuges ut postea a Parocho aliove Sacerdote benedictionem nuptialem accipiant; is vero sedulo monere debet hanc benedictionem non pertinere ad valorem conjugii, ideoque non est permittendum ut consensus rursus exprimatur. Constat ex pluribus Sedis Apost. Rescriptis. (Feye. *n.* 305.)

§ II. *Assistentia Parochi et testium.*

Expendemus 1° qualis Parochus et quales testes assistere debeant; 2° quando alius Sacerdos ex commissione assistere possit; 3° quomodo eos interesse opus sit.

1. *Qualitas Parochi et testium.*

615. — I. **Qualitas Parochi. Principia** I. Matrimonio assistere debet Parochus *proprius* contrahentium, ita quidem, ut coram Parocho non suo contractum invalidum sit. Constat ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.;* ratio est, quia nullus alius jurisdictionem habet in contrahentes.

Nomine Parochi veniunt illi omnes, qui Ecclesiis parochialibus præsunt, earumque *actualem* administrationem, sive ex institutione sive ex commissione, habent; neque refert an illam administrationem exerceant *immediate*, ut ipsi Curati, an vero *mediate*, ut Episcopi.

Hinc assistere matrimoniis subditorum suorum possunt: 1° non tantum Parochi proprie dicti, verum etiam Rectores Ecclesiarum parochialium, Vicarii tam perpetui quam temporales. Non autem assistere possunt Adjutores seu Cooperatores, qui Parochis præsentibus in auxilium adjuncti sunt; nisi commissionem acceperint. 2° Episcopus, ejus Vicarius Generalis, et, Sede vacante, Vicarius Capitularis; item Vicarius Apostolicus. 3° Legatus Sedis Apostolicæ in suæ legationis provinciâ. 4° Cardinales in Ecclesiâ sui Tituli. 5° Summus Pontifex. Ratio est, quia omnes isti cumulativam cum Parochis sibi subjectis potestatem habent. (*n.* 1081.)

II. Sufficit quod Parochus proprius sit alterutrius sponsorum, in cujus Parochiâ nuptiæ celebrantur. Constat ex Rituali Rom. *tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 5.; ratio est, quia ob contractûs individuitatem Parochus unius fit necessario Parochus quoque alterius. (*n.* 1087.)

III. Parochus fit proprius contrahentium, horum utriusque vel alterutrius domicilio aut quasi-domicilio in sua Parochia. Eruitur ex pluribus S. C. C. Declarationibus, et Constit. Bened. XIV *Paucis abhinc.* 19 Mart. 1758.

Hæc porro uberius enucleanda sunt. Igitur 1° Nomine domicilii intelligitur domicilium *habitationis;* non vero domicilium *originis.* Constat ex allegatis.

2° Domicilium acquiritur *facto* et *animo.* Hinc verum domicilium definitur: habitatio in loco, animo ibi perpetuo manendi; quasi-domicilium definitur: habitatio in loco, animo ibi consistendi per majorem anni partem. — Factum habitationis oculis patet. Animus vero manendi aut verbis declaratur aut factis proditur; in dubio animus perpetuo manendi ex decennali habitatione colligitur; animus per majorem anni partem manendi ex menstrua habitatione præsumitur. Constat ex communi DD. sententia, ex Constit. Bened. XIV *Paucis abhinc.*, ex Declar. S. C. C. 25 Jan. 1873. nec non S. C. Inquis. 7 Jun. 1867. et 2 Maji 1877.[1] (*Lib.* 1. *n.* 156. *lib.* 6. *n.* 115. 1091.)

3° Denique domicilium vel quasi-domicilium acquiritur inde a primo momento, quo quis in loco habitat cum animo ibi per tempus legitimum persistendi; amittitur, cumprimum discedit animo non redeundi.

616. — **Resolutiones.** 1° Potest quis duo habere domicilia, adeoque duas Parochias habitationis, æqualiter vel fere æqualiter habitando in utraque Parochia, e. g. hieme in civitate, æstate ruri. Potest quoque simul habere domicilium in uno loco et quasi-domicilium in alio. Idcirco, quamvis deceat ut matrimonium contrahat coram eo Parocho, cujus Parochiam tunc inhabitat, potest tamen coram utrolibet illud celebrare.

2° Famuli et ancillæ quasi-domicilium habent in Parochia, in qua herus habet domicilium vel quasi-domicilium; neque ideo amittunt domicilium, v. g. paternum, maternum, vel fraternum, quod forte habent in alia Parochia, et cui non renuntiarunt. Quodsi verum domicilium in alia Parochia ejusdem civitatis habeant, præstat ut matrimonium contrahant coram Parocho hujus veri domicilii; imo S. C. C. exoptat ut Episcopi id in sua diocesi præscribant. (Feye. *n.* 231. *et* 232.)

3° Matrimoniis militum assistere potest Parochus loci, in quo pro tempore exsistunt in præsidiis vel castris; non autem Parochus loci, ubi sunt in expeditione. Capellanus militum valide assistere nequit, nisi facultatem a Sede Apost., vel ab Ordinario diœcesis, in qua milites degunt, acceperit; eo casu assistere potest juxta tenorem facultatis sibi concessæ, e. g. si eam acceperit dumtaxat pro castris, non potest eâ uti in præsidiis; si etiam pro præsidiis ei data sit, habet illam cumulative cum Parocho loci, non privative, ut decrevit S. C. C. 6 Mart. 1694. Interim observanda circa milites est cautela relata n. 461., ut nempe prius de statu illorum libero a Parocho fiat diligens inquisitio, et non conjungantur, nisi licentiâ impetratâ ab Ordinario; alias illicite conjungentur. (H. A. *n.* 72. Feye. *n.* 234. 237. Schmalzgr. *n.* 165—168.)

4° Vagi possunt matrimonium contrahere coram Parocho, in cujus Parochia pro tempore, quo contrahunt, versantur; cum enim domicilio careant, quilibet Parochus est proprius eorum pro tempore, quo in ejus Parochia morantur. Idque procedit, etiamsi alteruter dumtaxat sponsorum vagus sit. Caveat tamen Parochus ne eorum matrimonio assistat, priusquam fidem acceperit eorum Ordinarii de statu libero, et licentiam Ordinarii loci. (*n.* 1089. Bened. XIV. *Instit.* 33. *n.* 10.)

617. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An Parochus matrimonio parochiani sui assistere possit intra fines Parochiæ alienæ?*

Resp. Dist. 1° *Valide, affirm.;* quia Conc. Trid. præsentiam Parochi proprii

[1] Acta S. Sedis. *vol.* 7. *pag.* 545—557. Revue théol. 1880. *pag.* 578.

exigit sine mentione loci, in quo matrimonium initur. (*n.* 1081.)

2° *Licite, negat.*, si publice et solemniter assistat sine licentia Parochi vel Ordinarii illius loci; quia violat jus alienum exercendo publicum officium in alterius ditione. Secus vero, si, casu quo id licet, matrimonium secreto contrahatur. (*n.* 1087. Schmalzgr. *n.* 158. Feye. *n.* 284.)

QUÆR. 2° *An matrimonio valide assistat Parochus excommunicatus vel suspensus?*

Resp. Affirm., etiamsi vitandus sit; quia ejusmodi pœna non privat eum Beneficio suo, et actus assistendi matrimonio non est actus jurisdictionis, cum factus etiam ab invito valeat, sed Parochus assistit tantum tamquam testis qualificatus. *Ita communiter.* (*n.* 1082.)

QUÆR. 3° *An valeat matrimonium celebratum coram Parocho putativo, id est, qui revera Parochus non est, sed communiter talis existimatur?*

Resp. Affirm., si titulum coloratum habeat. Si titulo destitutus sit, disputatur inter DD.; sed S. Sedes sententiam negantem sequi solet, ut patet ex Instruct. Pii VI *Laudabilem.* 26 Sept. 1791. Recole dicta n. 226. qu. 3. (*n.* 1081. Feye. *n.* 291.)

Non valeret autem matrimonium contractum coram parocho intruso. Ita cit. Instruct. Pii VI. (*n.* 1081. Soglia. § 191.)

618. — II. **Qualitas testium.** Cum Conc. Trid. nullam in eis qualitatem postulet, ad matrimonii valorem sufficiunt testes qualescumque, dummodo usu rationis polleant et habiles sint ad ferendum de contracto matrimonio testimonium. Unde impuberes, fœminæ, consanguinei, excommunicati, infames, infideles, sufficiunt. Culpandum tamen foret adhibere vagos aut acatholicos, ubi Catholici haberi possunt. (*n.* 1085. Feye. *n.* 298.)

2. *Commissio assistendi.*

619. — **Principia.** I. Licentiam assistendi matrimonio dare possunt, non tantum Parochus contrahentium, sed etiam hujus Ordinarius. Ratio est, quia qui possunt matrimoniis subditorum suorum assistere, etiam licentiam dare alteri possunt. (*n.* 1084.)

Nomine Ordinarii veniunt illi, quos n. 615. recensuimus. Caveant tamen Ordinarii ne temere conferant hanc licentiam, ut monet Bened. XIV Constit. *Nimiam licentiam.* 18 Maji 1743. *n.* 12.

II. Commissio assistendi matrimonio soli Sacerdoti conferri potest. Hanc enim qualitatem Conc. Trid. in delegato diserte postulat. (*n.* 1084.)

Potest autem assistentia committi cuicumque Sacerdoti, etiam censuris obstricto, juxta dicta supra n. 617.

III. Facultas assistendi committi potest verbo, scripto, vel alio signo externo: nec solum mandato speciali, sed etiam generali. Ratio est, quia generalis dispositio, qualis est hæc, generaliter intelligenda est, ita ut omnes species sub se comprehendat. (*n.* 1088.)

Hinc, cui commissa est cura Parochiæ vacantis, vel cujus Rector est absens, vel impeditus quominus munus suum impleat, illi etiam commissa est facultas assistendi matrimoniis ovium sibi commissarum.

Sufficit porro licentia tacita, nempe si Parochus præsens non contradicit, cum contradicere posset. Non sufficit vero licentia præsumpta, scil. si Parochus credatur assistentiam ratam habiturus. (*n.* 1088.)

Quod Cooperatores Parochorum attinet, utrum assistentia illis generaliter commissa sit, consulenda sunt statuta et usus diœcesium.

3. *Modus assistendi.*

620. — Præsentia Parochi et duorum saltem testium debet esse 1° *simultanea;* quia debent de uno eodemque actu fidem facere, quod non possent, si successive interessent; 2° non tantum physica, sed *moralis* seu humano modo, ita ut sponsos in matrimonium consensisse intelligant, et de hoc Ecclesiæ fidem facere possint. Hinc ad valorem matrimonii sufficit quod sive visu sive auditu percipiant quid agatur, personasque contrahentes cognoscant. — Non requiritur ut Parochus et testes ad eum finem accersiti fuerint, sed satis est eos fortuito præsentes adesse, dummodo a contrahentibus de sua intentione moneantur; vel etiam invitos, reclamantes, vi vel dolo detentos, interesse. Constat ex Decretis S. C. C. (*n.* 1092. Bened. XIV. *De Syn. lib.* 13. *cap.* 23.)

Graviter autem peccant furtim contrahentes coram Parocho vi aut dolo detento, vel forte transeunte; ob injuriam, quam irrogant Sacramento et Ecclesiæ, et sæpe sic contrahentes contrahunt denuntiationibus omissis. Veniale tantum foret, contrahere coram testibus tali modo præsentibus. Verumtamen, si gravis causa ad conjugium ineundum urgeret, et Parochus vel testes injuste recusarent, fas esset astutiam adhibere. (*n.* 1093.)

§ III. *Probatio matrimonii clandestini.*

621. — Quæstio hæc procedit pro locis, ubi matrimonia clandestina valida sunt; ibi ergo, ut censeantur contracta, probanda sunt, nam facta regulariter non præsumuntur, sed probari debent. Idcirco, si matrimonium ita occulte contractum sit, ut legitima ejus probatio haberi nequeat, sequentes regulæ servandæ sunt.

Regulæ. I. Si uterque conjux affirmat matrimonium, regulariter standum est assertioni eorum; partium enim confessio legitimam constituit probationem.

Dico: *regulariter;* quia, si pronuntiandum esset inter unum matrimonium clandestine, et alterum publice contractum, judicium ferendum est in favorem publici; nisi vel clandestinum plene probetur, vel publicum probetur fuisse irritum ob impedimentum dirimens.

II. Si vel uterque vel alteruter negat matrimonium, in foro externo nullum censetur matrimonium contractum esse; quia de occultis non judicat Ecclesia. In casu dissensûs partium, probatio incumbit asserenti matrimonium contractum esse.

III. Ex copula carnali inter *sponsos* in foro externo præsumitur contractum matrimonium; et hæc præsumptio est *juris et de jure,* i. e. contra quam non admittitur probatio. Ratio est, quia, cum delictum non sit præsumendum, Ecclesia præsumit eos conjugali affectu se invicem cognovisse. Copula tamen probari debet. Constat ex *Cap.* 30. *de spons. et matrim.* et Responsis S. C. de Prop. Fid. 5 Mart. 1816.

Dixi: *in foro externo;* quia in foro conscientiæ judicatur secundum rei veritatem. Constat ex Instruct. S. C. de Prop. Fid. 17 Jan. 1821. a Pio VII approbata. (Feye. *n.* 196—200. Collectan. S. Sed. *n.* 989. 990. *et* 992.)

SECTIO III.

DE DISPENSATIONE AB IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS.

Expendemus 1° quis possit ab iis dispensare; 2° ob quas causas dispensatio concedi soleat; 3° quomodo ea petenda sit; 4° qualia sint dispensationis Rescripta; 5° quomodo hæc exsequenda sint.

CAPUT I.

POTESTAS DISPENSANDI.

622. — **Principia.** I. Non potest S. Pontifex dispensare ab impedimentis, quæ jure divino, sive naturali sive positivo, matrimonium dirimunt. Ratio est, quia inferior non potest dispensare in lege Superioris, nisi acceptâ ab eo potestate; atqui ex traditione et usu Ecclesiæ patet Pontificem non accepisse a Deo hanc potestatem. Potest tamen in casu particulari *declarare* jus divinum. (*n.* 1118—1120.)

Ejusmodi impedimenta sunt: error personæ, vis, impotentia, ligamen, et consanguinitas in primo gradu, certe in lineâ rectâ, valde probabiliter in lineâ collaterali quoque.

II. S. Pontifex dispensare potest ab omnibus impedimentis, quæ solo jure ecclesiastico matrimonium dirimunt. Ratio est plenitudo ejus potestatis, quâ Superior est omni jure Ecclesiastico.

Sunt tamen quædam impedimenta, in quibus *non solet* dispensare, scil. affinitas in primo gradu lineæ rectæ orta ex copulâ conjugali, votum solemne castitatis, et conjugicidium publicum; disparitas cultûs in regionibus christianis, saltem ad matrimonium *contrahendum.*

III. Episcopi non possunt ex jure proprio et ordinario dispensare in impedimentis dirimentibus. Ratio est, quia in jure communi Ecclesiæ, tamquam in lege Superioris, nequit inferior, qualis est Episcopus respectu Papæ vel Concilii Generalis, dispensare; nisi ejusmodi po-

testas ab ipsâ lege vel a S. Pontifice ipsi concessa fuerit.

Dictum est 1° *jure proprio;* quia in plerisque regionibus Episcopi accipiunt a S. Pontifice varias facultates delegatas, singulis quinquenniis renovandas, dispensandi in aliquibus impedimentis. Accipere quoque solent facultatem convalidandi litteras dispensationis a S. Sede expeditas quoad certos defectus in illis occurrentes. Expedit ergo ordinarie, occurrente casu, recurrere ad Episcopum.

Dictum est 2° *jure ordinario;* quia excipiuntur duo casus extraordinarii, in quibus Episcopi dispensare possunt jure *quasi-ordinario*, ex justâ nempe epikeiâ seu præsumptâ Pontificis voluntate, pro foro tamen conscientiæ solummodo. Ita communiter tradunt DD.

Casus iste sunt: 1° Si, jam *publice contracto* matrimonio, detegatur subesse impedimentum, et sequentes occurrant circumstantiæ: a) ut matrimonium *publice*, et *præmissis denuntiationibus*, necnon *bonâ fide* contractum sit, i. e. absque scientiâ impedimenti; sufficit bona fides unius partis; b) ut impedimentum sit *occultum*, i. e. non publice notum; c) tale sit, in quo concedi *soleat* dispensatio; d) *urgeat necessitas* sine morâ dispensandi, eo quod neque putati conjuges sine scandalo aut infamiâ separari, neque dispensatio propter periculum incontinentiæ differri possit; ad Pontificem vero ob locorum distantiam recurri nequeat. Constat ex Declarat. S. C. C. 19 April. 1692. (*n.* 1123. 1124. Schmalzgr. *tit.* 16. *n.* 78–82. Bened. XIV *De Syn. lib.* 9. *cap.* 2. *n.* 1.)

2° Si matrimonio *contrahendo* obstet impedimentum, et sequentes concurrant circumstantiæ: a) ut impedimentum sit *occultum*, et tale, in quo *soleat* concedi dispensatio; b) ut *urgeat necessitas* sine morâ celebrandi matrimonium, ita ut tempus non sinat recurrere ad Pontificem; e. g. si quis morti proximus vellet inire matrimonium ad legitimandas proles, vel ad removendum periculum peccandi cum concubina; pariter, si, quando impedimentum detegitur, matrimonii celebratio, ad quam omnia parata sunt, nullo modo differri possit sine scandalo et sponsorum infamiâ. Verumtamen, cum facultas dispensandi in hoc casu non adeo certa sit, ideo ad cautelam, si postea tempus suppetat, quantocius recurrendum est ad S. Pœnitentiariam. (*n.* 613. 1122.)

Denique, quum dispensatio, quam Episcopi in duobus prædictis casibus concedunt, pro solo foro interno vim habeat, consequitur, quod si impedimentum tunc temporis occultum postea publicum fiat, necessaria erit nova dispensatio pro foro externo, ad legitimam matrimonii probationem. (Bened. XIV *loc. cit.*)

Episcopum nullatenus posse, etiam in casu urgentissimæ necessitatis, dispensare in impedimentis *publicis*, pluries declararunt Sacræ Congregationes tum Concilii, tum Pœnitentiariæ, tum S. Officii. (Planchard. *Dispens. matrim. n.* 94.)

623.—**Quæstiones.** Quær. 1° *An Episcopus dispensare possit, casu, quo dubium est impedimentum?*

Resp. Multi DD. probabiliter affirmant Episcopum posse vel declarare quod dispensatione opus non sit, vel ad cautelam dispensare; quia generale principium est pro omnibus legibus Ecclesiæ, Episcopum posse dispensare, quando dubium est utrum casus indigeat dispensatione. (*n.* 902. *sub fine.*)

Quær. 2° *An eamdem quam Episcopus potestatem dispensandi habeat Vicarius Capitularis, sede vacante?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.* in casu urgentis necessitatis, et in casu impedimenti dubii, de quibus actum est supra; quia hæc potestas Episcopo competit ratione officii sui pastoralis, atque ideo ordinaria vel quasi-ordinaria est; Vicarius autem Capitularis succedit Episcopo in jurisdictione ordinariâ.

2° *Negat.* quoad facultates ex indulto Pontificio, nisi Episcopus eas ipsi commiserit pro tempore sedis vacantis; quia Vicarius Capitularis succedit Episcopo tamquam Episcopo, non tamquam Delegato Sedis Apostolicæ. (Feye. *n.* 639.)

Quær. 3° *An Vicarius Generalis Episcopi eamdem cum Episcopo potestatem dispensandi in impedimentis habeat?*

Resp. Negat., sine speciali mandato seu commissione Episcopi; quia in mandato generali officii sui non comprehenduntur casus extraordinarii, ac multo minus indulta specialia. (Feye. *n.* 639.)

Quær. 4° *An possit Episcopus suam potestatem alteri delegare?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.* pro casibus urgentis necessitatis, et impedimenti dubii; quia hæc potestas, cum officio adnexa sit, est instar ordinariæ. Potest porro delegari, non solum pro casu particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus, qui occurrent. *Ita communiter.* (*n.* 1125.)

2° Facultates ex indulto Apostolico, utrum, et intra quos limites delegare valeat, pendet ex tenore indulti.

624.— Circa *Indulta S. Sedis* quædam notare juvabit. 1° Ea indulta, cum favores sint, large interpretanda sunt. Unde indultum dispensandi secum fert facultatem tollendi quidquid dispensationi obstare posset. Potest ergo Episcopus absolvere a censuris, ad effectum dispensationis; legitimare prolem susceptam, exceptâ tamen adulterinâ; convalidare dispensationem a se invalide concessam. S. Pœnit. 14 Jul. 1881.

2° Non potest Episcopus dispensare nisi cum subditis suis, qui nempe domicilium aut quasi-domicilium habent in suâ diœcesi. Ita S. C. S. Off. 22 Nov. 1865. ad 2. [1] Potest vero dispensare cum vagis, qui in suâ diœcesi morantur.

3° Si nupturientes diversam incolunt diœcesim, satis est quod dispenset Episcopus alterutrius partis, ille potissimum, in cujus diœcesi matrimonium celebrandum est; quia, sublato impedimento ex unâ parte, etiam pars altera libera evadit, quum ligamen non amplius inter utramque partem exsistat. Ita S. Pœnit. 4 Sept. 1839. et 15 April. 1853. (*n.* 1142. Planchard. *n.* 97—103. *et* 351.)

4° Quisquis vi indulti dispensat, expressam mentionem facere debet auctoritatis Apostolicæ sibi commissæ. (Planch. *n.* 115. 458.)

[1] Collectan. S. Sedis. *n.* 910.

CAPUT II.

CAUSÆ DISPENSATIONIS.

625.— **Prænotanda.** Causæ distinguuntur: 1° *Finales* seu *motivæ*, sine quibus dispensatio aut nullatenus conceditur, aut nonnisi in aliâ formâ, seu nonnisi certis sub conditionibus et limitationibus: *impulsivæ*, quæ juvant solum ut Superior facilius dispenset, ita ut etiam sine iis in eâdem formâ dispensationem concederet.

2° *Infamantes* seu *inhonestæ*, quæ ex delicto oriuntur aut infamiam pariunt: *honestæ*, quæ neque delicti neque infamiæ notam habent. (Feye. *n.* 650.)

626. — **Principia.** I. Dispensationes matrimoniales sine gravi causâ non impertiuntur. Ita Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *ref. matr.* — Porro, sicut in cæteris negotiis, ita et in hoc, tam nimius rigor quam nimia facilitas est evitanda. Generatim loquendo, etiamsi causa sufficiens præsto sit, dispensationis petitio dissuadenda est; si tamen partes insistant, vel matrimonium revera expediat, Parochus aut Confessarius officio suo partes adjuvet; caveant interim ne dispensationis obtinendæ spem certam faciant. Interdum vero debent, ad obviandum notabili alicui malo, ad petendam dispensationem partes impellere. (Feye. *n.* 649.)

II. Causa justa non cujusque arbitrio relicta est, sed sacris canonibus consona esse debet. Ita fert prudens Ecclesiæ disciplina. — Præcipuas causas canonicas, ob quas dispensatio obtineri potest, recenset Instructio S. C. Propag. 9 Maji 1877. [1] Sunt autem quæ sequuntur.

1° *Angustia loci*, sive absoluta, sive relativa (ratione Oratricis tantum [2]), cum scilicet in loco originis, vel etiam domicilii, cognatio fœminæ ita est propagata, ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem, patriam vero deserere sit ei durum.

Circa hanc causam notandum est: a) Angustus censetur locus, qui non continet ultra 300 focos seu 1500 incolas.

b) Angustia loci non est desumenda a numero focorum cujusque *Paræciæ*, sed a numero focorum cujusque *loci* seu *vici*, vel etiam *plurium locorum*, si non distent ab invicem ultra milliare seu 20 minuta. Ita S. C. C. 8 Jul. 1876.

c) Æqualitas conditionis non ex solo genere et divitiis pensanda est, sed magis ex moribus, ætate, genio, et religione, ne pax inter conjuges deficiat. (Feye. *n.* 653.)

d) Parem non invenit fœmina, si a nullo paris conditionis ad nuptias sollicitetur; fœminæ enim non decet virum sibi quærere. (Feye. *n.* 653.)

[1] Acta S. Sedis. *vol.* 10. *pag.* 291.

[2] Orator et oratrix dicuntur, qui dispensationem sibi efflagitant.

2° *Ætas fœminæ superadulta*, si scil. 24um ætatis annum jam egressa hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit. Hæc vero causa haud suffragatur viduæ, quæ ad alias nuptias convolare cupiat.

3° *Defectus dotis competentis*, si nempe fœmina non habeat actu tantam dotem, ut extraneo æqualis conditionis, qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quæ causa magis urget, si mulier penitus indotata exsistat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere, aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit.

Dicitur; *si non habeat* ACTU; unde eam habere *in spe* dumtaxat, hanc causam non excludit.

4° *Exstinctio litium super bonorum successione*, sive jam exortæ sint, sive grave aut imminens periculum sit ne exoriantur. Si mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustinet, neque adest alius, qui litem hujusmodi in se suscipiat propriisque expensis prosequatur, præter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim Reipublicæ ut lites exstinguantur.

Huic proxime accedit alia causa, scil. *dos litibus involuta*, cum nimirum mulier alio est destituta viro, cujus ope bona sua recuperare valeat. Verum hujusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit.

5° *Paupertas viduæ*, quæ numerosâ prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduæ eâ tantum de causâ, quod junior sit atque in periculo incontinentiæ versetur.

6° *Bonum pacis*, quo nomine veniunt, nedum fœdera inter regna et principes, sed etiam exstinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Hæc causa adducitur vel ad exstinguendas graves inimicitias, quæ inter contrahentium consanguineos vel affines ortæ sint, quæque matrimonii celebratione omnino componerentur; vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiæ graves viguerint, et, licet pax inter ipsos inita jam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis confirmationem maxime conduceret.

7° *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quæ facile impediri non possit. Dispensatio conceditur, ut tollatur occasio proxima peccatorum.

8° *Copula* cum consanguineâ vel affine vel aliâ personâ impedimento laborante præhabita, et *prægnantia, ideoque legitimatio prolis*, ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quæ secus innupta maneret. Hæc profecto una est ex urgentioribus causis, ob quam etiam plebeis dari solet dispensatio, dummodo copula patrata non fuerit sub spe facilioris dispensationis; quæ circumstantia in supplicatione foret exprimenda.

9° *Infamia mulieris*, ex suspicione orta quod illa, suo consanguineo aut affini nimis familiaris, cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa; cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta remaneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10° *Revalidatio matrimonii*, quod bona fide et publice, servatâ Tridentini formâ, contractum est; quia ejus dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo, et gravi damno, præsertim fœminæ. At, si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, juxta Trid. *sess.* 24. *cap.* 5. *ref. matr.* — Ideo, advertit Feye. *n.* 678, in casu malæ fidei dispensatio difficilius obtinetur; hodie tamen facilius quam olim.

11° *Periculum matrimonii mixti*, vel *coram acatholico ministro celebrandi*. Quando periculum adest quod volentes matrimonium in aliquo etiam ex majoribus gradibus contrahere, ex denegatione dispensationis ad ministrum acatholicum accedent pro nuptiis celebrandis, spretâ Ecclesiæ auctoritate, justa invenitur dispensandi causa; quia adest, non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium et matrimonii impedimenta contemnentium, maxime in regionibus ubi hæreses impune grassantur. Pariter dispensatio largiri potest iis Catholicis, qui nullum aliud prætexunt motivum, quam vesanum amorem, si simul prævideatur, dispensatione denegatâ, eos coram judice infideli conjugium fore inituros. Tantumdem dicendum de periculo quod pars catholica cum acatholico matrimonium celebrare audeat.

12° *Periculum incestuosi concubinatûs*, ne quis in concubinatu insordescat cum publico scandalo atque evidenti æternæ salutis discrimine.

13° *Periculum matrimonii civilis*, probabile nempe periculum quod illi, qui dispensationem petunt, eâ non obtentâ, matrimonium dumtaxat *civile*, ut aiunt, celebraturi sint.

14° *Remotio gravium scandalorum*. Scandali nomine intelligitur occasio, causa, vel periculum gravis peccati, e. g. inimicitiæ, incontinentiæ.

15° *Cessatio publici concubinatûs*, ad removendum scil. et publicum scandalum, et periculum damnationis concubinorum.

16° *Excellentia meritorum*, cum aliquis aut contra fidei Catholicæ hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrinâ, virtute, aliove modo de Religione est optime meritus.

Causæ 7a — 15am sunt infamantes; septem reliquæ honestæ sunt.

627. — Circa præmissa notanda supersunt: 1° Expositæ causæ, ut ait cit. Instructio, sunt communiores potioresque causæ; proinde non unicæ. Unde causæ minus frequentes, quas tradunt DD., non excluduntur; e. g. prærogativa dignitatis Regiæ vel Principalis, conservatio illustris familiæ in eodem sanguine, conservatio splendoris ejusmodi familiæ; causæ istæ spectant bonum commune.

2° In concedenda dispensatione ratio habetur horum trium, nimirum: a) *Ipsius impedimenti;* quo majus est impedimentum, eo urgentior requiritur causa. b) *Propinquitatis gradûs* in consanguinitate et affinitate; quanto gradus est propior, tanto requiritur causa gravior. Imo, ex Litteris Gregorii XVI 22 Nov. 1836, in 1° gradu affinitatis ex copula licita, vel in 2° mixto cum 1° consanguinitatis aut affinitatis, non dispensatur, nisi impellat gravissima causa, ac de ea expresse testetur Episcopus. c) *Qualitatis personarum*, quæ dispensationem petunt; quo nobiliores, ditiores, vel honestiores sunt, eo facilius dispensationem impetrant; ex motivo boni communis, nam interest ut nobiles ac opulentæ familiæ sint benevolæ erga Ecclesiam.

3° Aliquando una causa seorsim accepta insufficiens erit, sed alteri adjuncta sufficiens existimabitur; nam quæ non prosunt singula, multa juvant. Ita Instructio cit.

4° Pleræque recensitæ causæ spectant impedimenta publica. Pro dispensationibus occultis causæ generatim ad duas revocari possunt, videlicet: a) *metus infamiæ* oratorum, si peccatum eorum innotesceret; b) *metus gravis detrimenti, scandali, aut dissidii*, si dispensatio negaretur. (Bened. XIV. *Instit.* 87 *n.* 28. Planch. *n.* 431.)

CAPUT III.

PETITIO DISPENSATIONIS.

Exponendum erit 1° ad quale tribunal recurrendum sit; 2° quænam in libello supplici exprimi debeant; 3° quomodo supplicatio conficienda sit.

ARTICULUS I.

TRIBUNAL COMPETENS.

628. — Solet S. Pontifex potestatem suam dispensandi exercere per SS. Congregationes Romanas; quæ sunt: 1° *Dataria* pro foro externo, seu in publicis impedimentis, et in illis, quæ mox publica fore prævidentur; præcipua ejusmodi sunt consanguinitas, cognatio spiritualis, affinitas ex copula licita, honestas publica.

2° *S. Pœnitentiaria* pro foro conscientiæ, seu in impedimentis occultis; talia sæpe sunt illa, quæ ex delicto, ex copula illicita præcipue, proveniunt. Præterea *convalidat* dispensationem a Datariâ concessam, sed invalide ob reticitam occultam circumstantiam necessario declarandam, si hæc etiamnum occulta sit. Quandoque dispensat in impedimentis, quæ suapte natura publica sunt, si nimirum reipsa latent. Hinc a) dispensat in impedimento publicæ honestatis ex sponsalibus occultis. b) *Contracto matrimonio*, dispensat in impedimentis occultis cognationis spiritualis, consanguinitatis et affinitatis in 3° et 4° gradu; imo et in 2° gradu, si impedimentum per decennium occultum remanserit, et conjuncti publice contraxerint ac tamquam legitimi conjuges reputati fuerint. c) Dispensat insuper in iisdem 3° et

4° gradibus, si matrimonium ob subreptitiam vel obreptitiam dispensationem invalide contractum fuerit; præterquam, si falsitas consistat in narratione præcedentis copulæ, quæ antea revera non intercesserat. Ita ex Constit. Bened. XIV *Pastor bonus*. 13 April. 1744. (*n.* 1144.)— Denique, cum *pauperibus* dispensat etiam pro foro externo, dummodo paupertas authentico Ordinarii testimonio comprobetur.

3° *S. C. S. Officii* dispensationem concedit in impedimento disparitatis cultûs, necnon in impedimento prohibente mixtæ religionis.

4° *S. C. de Propaganda Fide* omnes dispensationes largitur pro regionibus huic Congregationi subjectis. Pro foro tamen conscientiæ etiam recurri potest ad S. Pœnitentiariam. (Marc. *n.* 2043.)

Præterea solent peculiares facultates concedi Nuntiis Apostolicis, Episcopis, Vicariis Apostolicis, aliisque. (Feye. *n.* 603. 610. 688.)

Quædam circa prædicta notanda veniunt: 1° Potest recurri ad Pœnitentiariam etiam pro iis impedimentis occultis, quorum dispensatio facultates ordinarias Majoris Pœnitentiarii excedit; quia in tali casu Major Pœnitentiarius extraordinariam potestatem a S. Pontifice potest impetrare.

2° Cum eidem matrimonio obstat duplex impedimentum, alterum publicum, alterum occultum, vel circumstantia occulta necessario exprimenda, duplex fieri debet supplicatio, una pro impedimento publico ad Datariam, altera pro impedimento occulto vel pro circumstantia occulta ad Pœnitentiariam.

3° Si, obtentâ dispensatione pro foro interno, impedimentum postea publicum fiat, necessaria est nova dispensatio pro foro externo, ad legitimam matrimonii probationem.

ARTICULUS II.

EXPRIMENDA IN LIBELLO SUPPLICI.

629. — Ea, quæ de jure, vel consuetudine, aut stylo Curiæ Romanæ [1] exprimenda sunt, ad valorem dispensationis requiruntur, ita ut, si etiam ignoranter taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur. Reticentia veri manifestandi vocatur *subreptio;* narratio falsi *obreptio.* — E converso, sine vitio dispensationis omitti possunt, quæ de jure vel consuetudine vel stylo exprimi non debent, etiamsi, expressis illis, difficilius dispensaretur; nam alias vix ulla dispensatio tuta foret.

630. — Cum exprimenda in libello supplici pro diverso foro nonnihil differant, operæ pretium est dignoscere quandonam impedimentum dici debeat publicum, quando occultum. *Occultum* dicitur, si notum sit tantum duabus vel tribus personis in parvo loco, quinque aut sex in parva urbe, septem vel octo in ampla civitate, modo absit divulgationis periculum. [1] *Omnino occultum* est, quando non potest per duos testes probari. *Publicum* vocatur, si pluribus personis in memoratis locis notum sit, vel probabile divulgationis periculum adsit. Præterea quædam impedimenta *suâpte naturâ* publica sunt, independenter a publica notitia, nimirum cognatio naturalis et spiritualis, affinitas ex copula licita, et publica honestas. (*n.* 1111. Feye. *n.* 97.)

Ad hæc notandum est: 1° Impedimentum, quod initio fuit publicum, si per decennium oblivioni datum sit, reputatur factum occultum. (Bened. XIV. *Instit.* 87. *n.* 47.)

2° Quando impedimentum alibi est publicum, sed occultum in loco, ubi degunt nupturientes, illa circumstantia exprimenda est in libello supplici pro foro interno; imo postea suppleri debet, si omissa fuerit. (Bened. XIV. *loc. cit. n.* 46.)

3° Impedimentum potest esse *materialiter publicum*, cum factum publice notum est, at *formaliter occultum*, cum ignoratur ex tali facto impedimentum oriri; e. g. si copula illicita in populum evulgata fuerit, sed communiter ignoretur inde nasci impedimentum affinitatis. In tali casu impedimentum censetur adhuc occultum. *Ita communiter.* (*n.* 1111. *in fine.* Acta S. Sed. *vol.* 14. *pag.* 160. *seqq.*)

Exponemus quæ exprimenda sint in supplicatione 1° super impedimento publico pro foro externo, 2° super impedimento occulto pro foro conscientiæ, 3° super matrimonio invalide contracto.

§ I. *Super impedimento publico.*

631. — Ea recenset citata Instructio S. C. Prop. Fid. 9 Maji 1877. Sunt autem: 1° *Nomen et cognomen* oratorum, utrumque distincte ac nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum.

2° *Diœcesis originis* vel *actualis domicilii.* Quando oratores habent domicilium extra diœcesim originis, possunt, si velint, petere ut dispensatio mittatur ad Ordinarium diœcesis, in qua nunc habitant.

3° *Species etiam infima impedimenti*; an sit consanguinitas vel affinitas, orta ex copula licita vel illicita; publica honestas originem ducens ex sponsalibus vel matrimonio rato; in impedimento criminis, utrum provenerit ex conjugicidio cum promissione matrimonii, aut ex conjugicidio cum adulterio, vel ex solo adulterio cum promissione matrimonii; in cognatione spirituali, utrum sit inter levantem et levatum, vel inter levantem et levati parentem.

4° *Gradus consanguinitatis* vel *affinitatis*, aut *honestatis* ex matrimonio rato, et an sit simplex vel mixtus, non tantum remotior, sed etiam propior, uti et linea, an sit recta vel transversa; item an oratores sint conjuncti ex duplici vinculo consanguinitatis, tam ex parte patris quam ex parte matris.

Reticentia gradûs propioris, si oratores in gradu inæquali conjuncti sunt, non reddit dispensationem invalidam, nisi gradus propior esset primus, aut adesset duplex consanguinitas vel affinitas; ast exsecutio dispensationis foret graviter *illicita*, donec obtineantur litteræ declaratoriæ, dictæ *Perinde valere*, quibus S. Congregatio declaret omissionem gradûs propioris in supplicatione non obstare dispensationis exsecutioni. Constat ex Constit. S. Pii V *Sanctissimus.* 20 Aug. 1566. et Bened. XIV *Etsi matrimonialis.* 27 Sept. 1755. *n.* 6. (*n.* 1030. 1136.)

5° *Numerus impedimentorum*, e. g. si adsit duplex aut multiplex consanguinitas vel affinitas, vel si præter cognationem adsit etiam affinitas, aut aliud quodcumque impedimentum, sive dirimens sive impediens. (*n.* 1138.)

Si plura impedimenta obstent matrimonio, omnia exponi debent in uno eodemque libello supplici; alias dispensatio erit subreptitia, ac consequenter invalida. Excipe tamen, si unum impedimentum sit publicum, alterum occultum, et tale ut sine infamia manifestari nequeat; in hoc casu unâ supplicatione super impedimento publico peti potest dispensatio a Dataria pro foro externo, altera super impedimento occulto a Pœnitentiaria pro foro interno; dummodo in hac exponantur omnia impedimenta, tum publicum nempe tum occultum, necnon omnes circumstantiæ, tum publicæ tum occultæ. Ratio hujus est, ut Pœnitentiaria judicare possit num dispensatio expediat, stante duplici vel multiplici impedimento. Ita declaravit S. Pœnit. 15 Apr. 1853.

Quæritur porro, si quis post primam dispensationem obtentam petat secundam in eadem materia, an primam exprimere debeat? Respondetur affirmative', quando impedimentum est ex eodem crimine; quia relapsus retrahit Superiorem a dispensando. Secus, si impedimentum sit ex crimine diverso, vel non sit ex aliquo crimine. *Ita communiter.* (*n.* 1137.)

6° *Variæ circumstantiæ*, scil. an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si jam contractum, aperiri debet an bona fide, saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an præmissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini; vel an spe facilius dispensationem obtinendi; demum an sit consummatum, an mala fide saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti.

632. — **Notanda.** 1° Decreto S. C. Inquis. 25 Jun. 1885 Leo XIII abrogavit obligationem, quæ hactenus viguit, exprimendi *copulam incestuosam* habitam

[1] Stylus Curiæ denotat ea, quæ ex voluntate et praxi Congregationis Romanæ, apud quam res geritur, in supplici libello exprimi debent.

[1] „Attendi igitur debet, non tantum *quot* „personis, sed *qualibus*, impedimentum sit no„tum; quia bene fieri potest ut respectu quin„que prudentum et timentium Deum, qui im„pedimentum norunt, prorsus nullum sit peri„culum ulterioris divulgationis; et econtra „respectu duorum vel trium, v. g. garrulorum, „aut inimicorum, etc., divulgationis periculum „revera adesse videatur, præsertim si etiam „aliæ circumstantiæ tale periculum minentur." (Reiffenstuel. *Append. de dispens. super imped. n.* 46.)

inter sponsos; quia maxima eâ de causâ oriebantur incommoda, cum ad matrimonialium dispensationum exsecutionem procedebatur, et hisce præsertim miseris temporibus in fidelium perniciem non raro vergebat, quod in eorum salutem sapienter inductum fuerat. Verumtamen »summo studio excitan»dos vult animarum curatores, aliosque »quibus fovendæ inter christifideles mo»rum honestatis cura demandata est, »ut prudenter quidem, prout rei natura »postulat, efficaciter tamen elaborent »huic facinori insectando et fidelibus ab »eodem, propositis pœnis quibus ob»noxii fiunt, deterrendis." [1]

Aliunde tamen incestûs declaratio necessaria exsistere poterit, puta ad legitimandam prolem ex incestu susceptam; hujusmodi enim proles subsequenti parentum matrimonio non legitimatur, sed speciali legitimationis indulto indiget a S. Pontifice impetrando. (Revue théol. 1885. *pag.* 516.)

2° Ea, quæ exprimenda recensuimus, præ oculis habere debent non modo qui ad S. Sedem pro obtinenda aliqua matrimoniali dispensatione recurrunt, sed etiam qui ex Pontificia delegatione dispensare ipsimet valent, ut facultatibus, quibus pollent, rite, ut par est, utantur. Ita cit. Instruct. S. C. de Prop. Fid.

633. — Præter supra enumerata, exprimi debent: 1° *Causæ dispensandi*, una vel plures. Causæ finales ex canonicis allegandæ sunt, non omissis impulsivis et circumstantiis, quibus illæ roborentur. Omnia nitide ac sincere exponantur. — Notetur autem, causas fere semper sumendas esse ex parte oratricis; sumptæ ex parte oratoris nonnisi impulsivæ sunt. Causa infamans *occulta* exponi non debet in supplicatione pro foro externo, nisi de licentia oratorum.

[1] Revue théol. 1885. *pag.* 510. — Antehac, ad valorem dispensationis, super quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, cognationis spiritualis et legalis, necnon et publicæ honestatis, exprimenda erat copula incestuosa habita inter sponsos ante dispensationis exsecutionem, sive ante sive post ejus impetrationem, sive intentione facilius dispensationem obtinendi, sive etiam seclusâ tali intentione, et sive copula publice nota fuerit, sive occulta. Hæc scire conducit, si quando matrimonium antea hac ratione invalide contractum convalidandum sit.

2° *Status fortunæ*, si petatur dispensatio in impedimento consanguinitatis vel affinitatis ex copula licita; non in aliis impedimentis. Exponantur tam quæ possident, quam quæ sperant ex successione ascendentium, primo orator, dein oratrix. Æstimatio fortunæ fieri debet sincere, non tamen scrupulose; ab iis, quæ possident, deducenda sunt debita.

Dispensatio obtenta in forma pauperum, si oratores non sint pauperes, non est invalida; sed oratores tenentur supplere consuetam taxam, ut declararunt S. C. C. 9 Sept. 1679. et S. Pœnit. 7 Aug. et 3 Dec. 1852. (H. A. *n.* 87. Feye. *n.* 695.)

Circa causas dispensationum notamus: a) Causa *finalis* falsa irritat dispensationem. Attamen, quando plures causæ allegatæ sunt, satis est unam esse veram, modo sit sufficiens, i. e. ob quam solam Pontifex dispensare soleat. In dubio utrum causa falso allegata finalis sit an impulsiva, utrum causa finalis sit vera an falsa, standum est pro valore dispensationis concessæ. (*n.* 1133.)

b) Causa *impulsiva* falsa non officit dispensationis valori. Huic sententiæ non obstat *Cap.* 20. *de rescript.*; quia agit de sola causa motiva; Pontifex namque distinguit inter subreptionem aut obreptionem, quâ cognitâ, nullas litteras dedisset, et illam, quâ cognitâ, non dedisset in tali forma; hæc autem spectant causam motivam, juxta dicta n. 625. (*Lib.* 1. *n.* 185.)

c) Cessante causa dispensationis ante ejus exsecutionem, cessat dispensatio; secus vero, si cesset post exsecutionem. (*n.* 1132.)

II. *Super impedimento occulto.*

634. — Eadem generatim in libello supplici exprimenda sunt, quæ exprimenda esse diximus in supplicatione pro foro externo, nonnullis tamen exceptis. Exceptiones porro sunt, quod taceantur 1° nomina et cognomina oratorum, quorum loco adhiberi solent nomina ficta, e. g. Titius et Berta; 2° diœcesis oratorum; 3° status fortunæ; quia dispensatio gratis conceditur.

Ulterius animadvertendum est: 1° Quando duplex supplicatio requiritur, una pro foro externo, altera pro foro interno, juxta dicta n. 631. sub 5°, in supplicatione pro foro interno omnia quidem exprimuntur, verumtamen dispensatio petitur super solo impedimento occulto, et additur dispensationem super publico peti in alia supplicatione pro foro externo. Hac ratione peccatum oratorum manet occultum, cum in supplicatione pro foro interno non prodantur nomina eorum.

2° Quando duplex supplicatio fit pro iisdem oratoribus, una pro foro externo ac altera pro foro interno, et utraque ad eumdem Ordinarium mittitur, periculum imminet diffamationis oratorum, quandoque etiam frangendi sigillum sacramentale; nam facile advertet Ordinarius supplicationem factam expressis nominibus oratorum, et supplicationem pro foro conscientiæ, in qua idem publicum impedimentum exponitur, easdem respicere personas. In iis rerum adjunctis Confessario duplex suppetit medium, scil.: 1° Nupturienti exponat periculum, ab eoque petat licentiam recurrendi ad eumdem Ordinarium, ad quem recurret etiam Parochus cum nominum expressione pro impedimento publico; proponat pœnitenti Ordinarium non cognoscere ejus personam eamque secreto servaturum esse. Caveat tamen Confessarius ne in supplicatione impetratæ licentiæ mentionem faciat; quia tunc certe Ordinarius intelligeret utramque supplicationem easdem personas respicere. 2° Directe petat Romæ dispensationem, recurrendo ad Cardinalem Majorem Pœnitentiarium, vel in quibusdam regionibus ad Cardinalem Præfectum S. C. P. F. (V. d. Burgt. *De dispens.* *n.* 63. Feye. *n.* 722.)

§ III. *Super matrimonio invalide contracto.*

635. — Si petatur dispensatio in impedimento, post matrimonium jam contractum, ea omnia exprimi debent, quæ supra retulimus pro foro sive externo sive interno. Insuper de ipsomet matrimonio contracto variæ circumstantiæ exponendæ sunt, prout petitur vel *simplex dispensatio*, vel *sanatio in radice.*

636. — I. **In supplicatione dispensationis simplicis.** Aperiri debet: 1° An oratores, unus vel uterque, bona vel mala fide matrimonium contraxerint, scientes nempe vel ignorantes impedimentum. 2° Si mala fide, an illud contraxerint sub spe facilius consequendi dispensationem. 3° An præmissis denuntiationibus, et juxta formam Tridentini contraxerint. 4° An matrimonium consummarint, bona vel mala fide, saltem unius partis. Ita cit. Instructio S. C. P. F. *n.* 6.

637. — II. **In supplicatione sanationis in radice.** Præter ea, quæ pro simplici dispensatione exprimenda esse diximus, exponi debet num adsint conditiones, quæ ad obtinendam sanationem in radice exiguntur. Conditiones istæ tres sunt: 1° Ut conjunctio habuerit speciem extrinsecam veri matrimonii, non autem fuerit manifestus concubinatus. Hinc non conceditur, si ambæ partes contrahendo matrimonium cognoverint ejus nullitatem. 2° Ut consensus utriusque jure naturæ validus fuerit, et hactenus perseveraverit; quia sanari nequit consensus jure naturæ invalidus, vel retractatus. 3° Ut adsit gravis et urgens causa hoc modo dispensandi.

Hujusmodi urgens causa adest: a) Quando, dum *utraque pars conscia* facta est impedimenti, altera pars ad renovandum consensum adduci nequit, cum tamen consensum non revocavit, sed in matrimonio vult permanere. b) Quando, dum *una tantum pars conscia* facta est impedimenti, illud sine gravi incommodo alteri manifestari nequit. In duobus hisce casibus petitur sanatio ita ut sufficiat renovatio consensûs unius partis. c) Quando, dum *utraque pars inscia* est nullitatis matrimonii, ea neutri manifestari potest absque gravis incommodi periculo. In hoc casu petitur sanatio ita ut neutrius consensûs renovatio requiratur; et utraque dispensationis ignara remanet.

Sanatio in radice explanabitur infra n. 662. et 664.

ARTICULUS III.

CONFECTIO LIBELLI SUPPLICIS.

638. — Expositis iis, quæ exprimenda sunt, edicendum est 1° quis pro dispensatione supplicare, et 2° quomodo libellum supplicem conficere debeat.

I. **Compositor libelli.** 1° Pro obtinenda dispensatione in foro conscientiæ Confessarius solet operam adhibere; cum impedimenta occulta ordinarie in confessionali detegantur. Pro foro externo

recurrere solet Parochus; quare Confessarius semper debet pœnitentem ad Parochum remittere, quando ejusmodi dispensatione opus est.

2° Pro dispensatione in foro conscientiæ, si impedimentum utrique oratori commune est, parum refert utriusnam Confessarius libellum supplicem conficiat; ordinarie tamen præstat ut Confessarius sponsæ id faciat, si hæc impedimenti notitiam habeat. Dispensatio impedimenti utrique communis pro foro externo regulariter petenda est a Parocho sponsæ; quia causæ dispensationis regulariter sumendæ sunt ex parte oratricis; si quando aliter fiat, indicandum est in supplicatione.

3° Parochus pro foro externo nunquam solet directe Romam scribere, sed ad Ordinarium sponsæ recurrit, qui deinde Sedem Apostolicam adit, aut ipsemet vi facultatum dispensat. Confessarius quoque pro foro conscientiæ Ordinarium adit; eo solo casu directe ad S. Pœnitentiariam recurrere potest, quo subest occultum impedimentum infamans, et timor adsit ne oratores apud Ordinarium infamentur, prout notavimus n. 634. sub 2°.

4° Parochus vel Confessarius petere potest dispensationem, etiam insciis illis, pro quibus petitur; verumtamen effectum sortiri nequit absque eorum acceptatione, ut postea dicemus. Sine justa causa, ut patet, id facere non convenit. (*n.* 1145. Feye. *n.* 686. 687.)

639. — II. **Forma libelli.** 1° Prout usus fert in cujusque diœcesi, Parochus et Confessarius vel omnia, quæ exponenda sunt, simplici formâ exponunt Ordinario, qui deinde aut ex iis, quæ exposita fuerunt, formam in extenso conficit et Romam transmittit, aut ipse vi facultatum dispensat; vel prædicti ipsimet formam mittendam Romam in extenso conficiunt et ad Ordinarium mittunt, qui testimonio suo eam commendat et auctoritate munit.

2° Supplicatio transmittenda ad Datariam conscribenda est linguâ latinâ; ad S. Pœnitentiariam adhiberi potest lingua viva, puta italica, gallica; præstat tamen uti linguâ latinâ.

3° Libellus supplex hoc modo componitur: a) Supplicatio ad Datariam et ad S. C. Prop. Fid. dirigitur ad S. Pontificem, inscribendo: »Beatissime Pater;" ad S. Pœnitentiariam dirigitur ad Majorem Pœnitentiarium, inscribendo: »Eminentissime et Reverendissime Domine." b) Supplicatio fit nomine oratorum, *utriusque* quidem, si uterque Catholicus et impedimentum utrique commune est seu correlativum; *unius* nomine tantum, si vel alter acatholicus vel impedimentum uni soli proprium est: attamen, si Catholici ambo sibi proprium impedimentum habeant et ejusdem sint diœcesis, *utriusque* nomine peti dispensatio potest. c) Narratur factum, uti vere se habet, expressis impedimentis, causis dispensandi, aliisque, quæ exprimi debent; nihil exaggeretur. d) Supplicatur dein pro dispensatione propter causas expositas obtinenda.

4° In supplicatione ad S. Pœnitentiariam in fine indicatur locus quo, et nomen illius ad quem Rescriptum dirigendum est, e. g. »Dignetur Eminentia Vestra responsum dirigere ad me infra scriptum," tum scribit clare suum nomen, nomen loci, regionis, etc., et hæc quidem linguâ vernaculâ. Supplicatio a tergo seu in involucro inscribitur: »Eminentissimo ac Reverendissimo DD. Cardinali Majori Pœnitentiario, Romæ;" hæc quoque linguâ vernaculâ.

5° Epistola transmittenda est solutis expensis postæ.

6° Si responsum ultra aliquot hebdomades retardet, possunt eædem litteræ iterari, addendo quod præcedentes litteræ iterentur eo quod ob diu tardans responsum timeatur ne priores deperditæ fuerint. (Feye. *n.* 687. 688.)

640. — Exempli gratia aliquas subjicimus formulas supplicationum ad Ordinarium et ad S. Pœnitentiariam; ad quarum normam, mutatis mutandis, aliæ facile conficiuntur. (*n.* 1147.)

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Petrus N. et Maria N., ambo hujus diœcesis incolæ, matrimonium inter se contrahere cupiunt, verum tertio et secundo gradu consanguinitatis lineæ transversæ sibi conjuncti sunt. Cum autem oratrix ætatem agens triginta annorum hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenerit, dictus vero consanguineus orator eam uxorem ducere cupiat, humiliter supplicant ut dispensationis gratia sibi concedatur. Orator possidet.... sperat.... Oratrix possidet.... sperat....

Qua par est observantia me profiteor
Dignitatis Vestræ
Humillimum famulum
N. N.

Illustrissime ac Reverendissime Domine,

Antonius N. incola diœcesis N., et Teresia N. hujus diœcesis incola, matrimonio se conjungere intendunt. Verum oratrix vidua est defuncti fratris oratoris, et vesana libidine, non animo facilius obtinendi dispensationem ducti, commercium carnale habuerunt, ex quo proles concepta est. Cum autem, nisi matrimonium inter oratores contrahatur, mulier diffamata, proles illegitima remaneret, graviaque scandala oriri possent, humiliter supplicant ut absolutio ab incestûs crimine et dispensatio super impedimento affinitatis sibi benigne concedatur, necnon proles declaretur legitima. Orator possidet..... etc.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Paulus et Paulina, consanguinei in tertio gradu æquali lineæ collateralis (super quo impedimento in alio libello supplici petitur dispensatio pro foro externo), præterea affines ex copula illicita oratricis cum fratre sponsi, matrimonium inter se contrahere cupiunt. Quum autem, si dispensatio eis negaretur, probabile periculum adsit ne matrimonium dumtaxat civile celebraturi sint, humiliter rogatur Eminentia Vestra ut super affinitatis impedimento, quod occultum est, eis benigne providere dignetur, et responsum ad me infra scriptum Confessarium dirigere: etc.

Eminentissime ac Reverendissime Domine,

Carolus et Carolina affines ex copula licita in tertio et secundo gradu lineæ transversæ, dispensationem ad contrahendum inter se matrimonium ab Episcopo vi indulti obtinuerunt, reticità affinitate ex copulâ illicitâ. Quare, ne dissidia et scandala oriantur, si matrimonium non contraherent, humiliter supplicant ut dispensationis gratia sibi benigne concedatur. Dignetur Eminentia Vestra responsum....

CAPUT IV.

RESCRIPTA DISPENSATIONIS.

Exponemus 1° diversas Rescriptorum formas, 2° præcipuas clausulas, quas continere solent.

ARTICULUS I.

RESCRIPTORUM FORMA.

641. — Dispensatio dicitur concedi 1° *in forma gratiosa*, quando dispensator eam ipsemet directe applicat oratoribus: *in forma commissoria*, quando dispensator mandatum dispensandi alteri committit. Hodie S. Sedes uti solet forma commissoria, et dispensationem pro foro externo committere Officiali seu Vicario Generali Episcopi, nonnunquam ipsi Episcopo; dispensationem vero pro foro conscientiæ committere solet Confessario ab oratoribus electo vel eligendo.

2° *In forma ordinaria*, quando occasione dispensationis certa pecuniæ summa solvenda est, quæ vocatur *taxa*, *componenda*, *compositio*: *in forma pauperum*, quando pecuniæ taxa non exigitur.

Circa formam Rescriptorum sequentia animadvertenda sunt: 1° Componenda nonnisi a Dataria exigitur, et solummodo occasione dispensationis in impedimento consanguinitatis vel affinitatis ex copula matrimoniali; idque ad matrimonia inter consanguineos et affines rariora reddenda. Præterea exigitur, quando dispensatur, ut dicitur, »ex certis rationabilibus causis," nullâ nominatâ.

2° In omni dispensatione levior aliqua summa solvenda est pro stipendio Officialium Datariæ, et pro expensis.

3° In forma pauperum dispensat Dataria, quando in consanguinitate vel affinitate ex copula licita dispensat cum pauperibus. Ad obtinendam autem hanc formam, duæ requiruntur conditiones, nempe 1° ut oratores ambo sint vere pauperes et miserabiles, ita ut ex suo labore et industria tantum vivant; 2° ut copula inter eos intervenerit, aut tam familiaris conversatio, quæ eos de copula

suspectos reddat. Si desit posterior conditio, non conceditur dispensatio in forma pauperum, sed componenda notabiliter minuitur. Cæterum omnes tenentur solvere sumptus pro expensis et Officialibus Datariæ; secus ad S. Pœnitentiariam recurrendum est.

4° *Pauperes* reputantur ii, quorum fortuna seu capitale non excedit valorem 3000 francorum; ii vero, quorum fortuna 10,000 francorum valorem non excedit, *fere pauperes* dicuntur. Summa computatur ex utriusque facultatibus conjunctis. Forma pauperum pro *fere pauperibus* in eo consistit quod modica dumtaxat componenda exigatur.

ARTICULUS II.

CLAUSULÆ RESCRIPTORUM.

642. — Clausulæ vocantur jussa et conditiones in Rescripto dispensationis contenta, quæ tam ab exsecutore quam a nupturientibus impleri debent, prout singulos respiciunt. Exsecutor ergo diligenter eas perpendere debet, cum nonnunquam varient. Præcipuas clausulas in Rescriptis Datariæ et Pœnitentiariæ paucis perstringemus.

§ I. *In Rescriptis Datariæ.*

643. — In primis solent oratores ad cautelam absolvi a quibusvis censuris, ut Rescripti impetrandi capaces fiant; sed hæc absolutio prodest ad effectum Rescripti dumtaxat consequendum.

Hâc absolutione præmissâ, sequentia imponuntur: 1° Prohibetur exsecutori cujusvis *muneris* aut *præmii*, etiam sponte oblati, *acceptatio*, sub pœna excommunicationis vel suspensionis S. Pontifici reservatæ, et nullitatis dispensationis. Licet tamen moderatam taxam accipere pro expensis Cancellariæ Episcopalis et stipendio Cancellarii. (Planch. *n.* 184. 186.)

2° *Verificatio* seu informatio jubetur circa veritatem eorum, quæ in libello supplici expressa sunt. Hæc informatio requiritur ad valorem dispensationis. Si tamen jam ante supplicationem facta fuerit, postea facili negotio adimpletur. Ordinarie *extrajudicialis* informatio sufficit. Delegatus porro informat sive per se sive per alium; non ex oratorum testimonio, sed aliunde, e. g. ex testibus, actis publicis, etc. Verificationem precum uberius exponemus infra n. 649. (*n.* 1131. Feye. *n.* 738.)

3° Deinde *dispensatio* exsecutioni mandanda committitur, prolesque suscipienda exinde legitima declaranda. Si copula locum habuit, ejusve suspicio adest, proles *suscepta*, si qua sit, et *suscipienda* legitima declaranda est. Nunquam legitimatur proles adulterina. (Feye. *n.* 736—740.)

644. — Si vel copula contigerit ejusve suspicio exsistat, vel matrimonium scienter contractum fuerit invalide, peculiares clausulæ adduntur, videlicet: 1° Præcipitur *separatio oratorum* ad breve tempus, quoad torum et habitationem, quatenus fieri potest. Si violetur ab oratoribus, denuo injungi debet, atque fideliter observari toto tempore præscripto, antequam fas sit dispensationem fulminare. Finis hujus clausulæ est oratorum resipiscentia aut dati scandali reparatio.

2° *Pœnitentia* imponenda est oratoribus, prout in Rescripto statuitur. Ordinarie relinquitur arbitrio delegati definienda, qui jubetur modo gravem et salutarem, modo salutarem dumtaxat imponere. Si oratores pœnitentiam acceptare renuant, dispensatio exsecutioni mandari nequit; si acceptent, deinde vero non impleant, peccant, sed dispensatio valet. In Rescriptis in forma pauperum quandoque præscribuntur duæ sacramentales Confessiones, peragendæ priusquam exsecutor absolutionem extrasacramentalem impertiri valeat; quare exsecutor ab oratoribus exigere debet Confessarii testimonium; Confessarius pœnitentes *sacramentaliter* absolvere potest.

3° Datur delegato specialis *absolvendi potestas* ab excessibus et a pœnis contractis, prout in Rescripto statuitur. Hæc absolutio, licet pro utroque foro, non est sacramentalis; unde datur in foro externo. In hisce regionibus, ob diœcesium amplitudinem, mos est ut Officialis scripto absolvat. (Feye. *n.* 741—743. Planch. *n.* 211—218.)

§ II. *In Rescriptis Pœnitentiariæ.*

645. — I. **Pro foro externo.** Præmissâ absolutione a pœnis ecclesiasticis ad effectum dispensationis consequendum, præcipiuntur 1° *verificatio precum*, prout supra n. 643. dictum est; 2° *erogatio alicujus eleemosynæ* ab Ordinario taxandæ. Ad valorem dispensationis non exigitur ut eleemosyna erogata sit ante dispensationis exsecutionem, si modo promittatur, ut declaravit S. Pœnit. 11 Jun. 1859.

Præterea 1° committitur delegato *absolutio* ab excessibus, cum *gravi*, vel *congruâ* vel *gravi et diuturnâ pœnitentiâ salutari*. 2° Ordinarius debet removere, quatenus adsit, scandalum, præsertim per separationem tempore sibi beneviso, si fieri potest. Intelligitur separatio quoad torum et habitationem. (Feye. *n.* 745. 746. Planch. *n.* 248. 249. Revue théol. 1884. *pag.* 222. III.—1885. *pag.* 524.)

646. — II. **Pro foro conscientiæ.** Rescripta injungere solent: 1° *Verificationem precum;* aliter irrita fit dispensatio; nisi forte exsecutor aliunde rei veritatem justamque causam cognoverit. Totius casûs expositi verificatio instituenda est circa omnia, quæ in supplicatione exprimenda sunt; fit autem, non testes inquirendo, sed interrogando pœnitentem, cui credere debet Confessarius, nisi de opposito constet, salvo sigillo sacramentali.

2° *Confessionem sacramentalem*, quâ auditâ, in solo tribunali Pœnitentiæ fulminari potest dispensatio, sub pœna nullitatis. Non necessario exigitur absolutio; attamen, ex Declar. S. Pœnit., a) si pœnitens dispositus non sit et in præsenti disponi nequeat ad absolutionem recipiendam, Confessarius debet una cum absolutione differre fulminationem dispensationis; nisi urgens aliqua necessitas suadeat dispensationem accelerare; b) etsi pœnitens nulliter et sacrilege confessus fuerit et absolutionem receperit, dispensatio nihilominus valida est.

3° Dant Confessario *facultatem absolvendi* hac vice ab excessibus commissis, atque a censuris et pœnis propterea contractis. Sufficit forma Ecclesiæ consueta in tribunali Pœnitentiæ. Si pœnitens a peccatis absolvi nequeat et urgeat dispensationis exsecutio, præmittenda est sola absolutio a censuris et pœnis.

4° Injunctionem *gravis*, vel *longæ*, vel *diuturnæ*, vel *perpetuæ pœnitentiæ salutaris*. Pœnitentia *gravis* intelligenda est tum juxta gravitatem criminis tum juxta vires pœnitentis; posset imponi e. g. per aliquot menses recitatio Rosarii semel, bis terve in hebdomade, aut Confessio menstrua, etc. Pœnitentia *longa* est unius anni; *diuturna* trium annorum; *perpetua* totius vitæ. Hæc porro pœnitentia distincta est a pœnitentia sacramentali. (*n.* 1143.)

5° Injunctionem *sacramentalis Confessionis* semel saltem in mense, per tempus Confessario bene visum. Tempus illud prudenti arbitrio determinandum est, habita ratione conditionis, ætatis, sexûs.

6° Alia, quæ *de jure injungenda* sunt, nempe juxta Theologiæ moralis principia, e. g. scandali aut damni reparationem, occasionis proximæ remotionem, etc.

7° *Rescripti laceratione*m aut combustionem post ejusdem exsecutionem, sub pœna excommunicationis. Vetitum est Confessario post dispensationis exsecutionem Rescriptum restituere oratori; hujus vetiti transgressio non nocet dispensationi, sed Rescriptum nihil oratori suffragatur ad probandam impedimenti dispensationem in foro externo. Porro Rescripti laceratio aut combustio statim facienda est, moraliter loquendo, nempe intra triduum post exsecutionem; ratio est, ne peccatum occultum unquam publicetur. Exsecutor inobediens ipso facto excommunicationem incurrit. — Idcirco nulla fit in libris parochialibus aut alibi dispensationis mentio.

Non violat præfatam clausulam Confessarius, qui pro sua vel aliorum instructione litterarum textum transcribit et conservat; quo casu expedit ut diem et annum omittat.

Clausula lacerationis omittitur in Rescripto, quo licentia dumtaxat conceditur, omissis denuntiationibus, *secreto* contrahendi in forma Tridentini; quo casu Parochus debet Rescriptum retinere, et hujusmodi dispensationem caute adnotare in libro, qui non possit ab aliis inspici, ut ipse possit deinde, si opus fuerit, fidem facere de dispensatione impetrata. (*n.* 1143. Feye. *n.* 748—753.)

647. — Prædictæ clausulæ *communes* sunt; *speciales* adduntur pro diversis impedimentis; e. g. in casu affinitatis

ex copula illicita, præcipitur *sublatio occasionis peccandi;* quod sic intelligendum est: occasio proxima, si *voluntaria* sit, physice tolli debet; si *necessaria*, moraliter removeri debet ope præsidiorum. Quamdiu pœnitens huic clausulæ non satisfecerit, Confessarius dispensationem exsequi nequit. (*n.* 1143.) Deinde, si affinitas provenerit ex copula cum matre sponsæ, conditio semper apponitur dispensationi, ut nativitas sponsæ præcesserit copulam ab oratore habitam cum ejus matre; secus namque contingere posset ut orator propriam filiam uxorem duceret.

CAPUT V.

EXSECUTIO DISPENSATIONIS.

648. — Dispensatio in forma commissoria tum solum actu conceditur, cum ab eo, cui committitur, exsecutioni mandatur seu fulminatur. Ille solus, cui commissio facta est, dispensationem exsequi potest; alium subdelegare nequit; commissio facta intuitu Officii transit ad successorem in eodem Officio. Recole dicta n. 641.

Dispensationis exsecutio quatuor continet actus, scil. 1° verificationem precum, 2° impletionem cæterarum clausularum, 3° dispensationis acceptationem ab oratoribus, 4° ejus fulminationem.

ARTICULUS I.

VERIFICATIO PRECUM.

649. — Accepto Rescripto, delegatus sedulo perpendere debet ejus tenorem, illud conferre cum libello supplici, instituere verificationem supplicationis, et abstinere ab exsecutione, si litteras subreptitias aut obreptitias esse invenerit, vel si exsecutio scandalum esset allatura. (Feye. *n.* 734. *sub* 3°.)

1° Verificationem precum requiri ad valorem dispensationis constat ex Bened. XIV Constit. *Ad Apostolicæ.* 25 Febr. 1742. *n.* 1. et *Instit.* 87. *n.* 34. In Rescripto facienda jubetur post acceptas litteras ante earum fulminationem; verumtamen, si præmissa fuerit, prout hodie fieri solet, satis esse videtur quod constet exsecutori preces veritate niti et post supplicationem nihil novi accidisse. (*n.* 1131. V. d. Burgt. *De dispens.* *n.* 71. Feye. *n.* 738.)

2° Informatio instituenda est tum circa ea, quæ expressa sunt in libello supplici, utrum vera sint, tum utrum omnia, quæ exprimenda sunt, expressa fuerint. Idcirco inquiri debet a) de vero nomine et cognomine, de diœcesi aut domicilio oratorum; b) de impedimento, an accurate expositum fuerit, an alia lateant vel supervenerint; c) de circumstantiis, num vere exsistant, num aliqua sit omissa vel adhuc declaranda; d) utrum causa exposita vera sit; e) an status fortunæ debite expositus fuerit, etc.

3° Delegati pro foro externo Parochis committere solent precum verificationem. Pro foro conscientiæ Confessarii informant in tribunali Pœnitentiæ. De cætero consule dicta n. 643. sub 2° et n. 646. sub 1°.

650. — Si quando dispensatio aliquo vitio laborare detegatur, quo effectu suo caret, utputa subreptione vel obreptione, illudque vitium sanabile sit, ejus sanatio quamprimum procuranda est. Obtinetur autem petendo vel novam dispensationem, vel litteras sanatorias, quæ vocantur *Perinde valere.* Hisce litteris vitiosa dispensatio sanatur perinde ac si ab initio valida fuisset. Petendæ sunt sive a Dataria sive a Pœnitentiaria, prout vitium versatur circa rem publicam, vel occultam quæ sine infamia detegi nequit; sive demum ab utrâque, si nempe vitium versatur circa rem, quæ in duplici supplicatione pro utroque tribunali exprimenda est.

In petitione hujusmodi litterarum repetitur summatim prima supplicatio et refertur obtenta dispensatio; deinde exponitur vitium; demum rogatur ut, non obstante vitio, dispensationis gratia concedatur.

Hactenus dicta non excludunt Episcopi potestatem dispensandi in casu urgentis necessitatis, de quo n. 621. egimus. (V. d. Burgt. *n.* 96. Feye. *n.* 729.)

Formula supplicationis.

Beatissime Pater,

N. N. et N. N., diœcesis N., ad pedes Sanctitatis Vestræ provoluti, Rescripto S. Pœnitentiariæ (vel Datariæ) sub die..... dispensationem obtinuerunt super impedimento secundi gradûs simplicis consanguinitatis; at, cum detectum fuerit eos in secundo duplicis consanguinitatis gradu esse conjunctos, humillime a Sanctitate Vestra gratiam implorant perinde valere. Pro qua gratia.

ARTICULUS II.

IMPLETIO CÆTERARUM CLAUSULARUM.

651. — In dispensationum Rescriptis præscribi solent certæ obligationes ab oratoribus implendæ; quas obligationes exsecutor eis post precum verificationem injungere, earumque impletioni invigilare debet. Istæ obligationes spectant cumprimis ad separationem oratorum, pœnitentias, Confessionem peractam, eleemosynam, etc., juxta tradita n. 643. et 644.

In dispensationibus pro foro externo exsecutor solet Parocho mandare ut obligationes oratoribus intimet earumque impletioni invigilet; Parochus debet postmodum de earum impletione fidem facere exsecutori, vel, si quod obstaculum occurrat, ad eumdem referre.

In foro conscientiæ Confessarius debet obligationes pœnitenti injungere in tribunali Pœnitentiæ. Si quam obligationem pœnitens suscipere renuat, Confessarius denuo recurrere debet ad Pœnitentiariam, vel, si Episcopus dispensarit, ad Episcopum, ut commutationem impetret. Si Confessarius ante supplicationem ejusmodi offendiculum prævideat, expedit ut illud exponat in prima supplicatione, causas addendo; hoc pacto difficultates prævenire potest.

ARTICULUS III.

ACCEPTATIO DISPENSATIONIS.

652. — 1° Quamvis ad dispensationem obtinendam non requiratur consensus ejus, cui prodesse debet, nihilominus, ut effectum suum producat, ab ipso postea acceptanda est; nisi enim acceptata fuerit, fulminari nequit. Excipiuntur nonnulli casus dispensationis in radice.

2° Si, conscio utroque vel alterutro oratore, dispensatio petita fuit, eo ipso jam habetur ejus acceptatio, neque alia requiritur, dummodo postea clausulæ acceptentur; clausulis enim recusatis, fieri nequit fulminatio.

3° Si, utroque inscio, petita fuit dispensatio, requiritur unius saltem acceptatio; unde dispensatio nunquam est, utroque inscio, petenda, nisi possit uni saltem postea communicari, et, hoc facto, fulminari.

4° Recusata dispensatio potest postmodum acceptari, et, circumstantiis non mutatis, fulminari. (Feye. *n.* 715. *sub c. et n.* 730.)

ARTICULUS IV.

FULMINATIO DISPENSATIONIS.

653. — Compertâ precum veritate, et impletis obligationibus, quas Rescriptum injungit, delegatus procedit ad dispensationis applicationem, quæ *fulminatio* vocatur. Modus fulminandi diversus est pro diverso foro.

I. **Pro foro externo.** Delegatus dispensationem fulminare solet in absentes; semper scripto fieri debet. In suo decreto memorare debet delegationem Apostolicam sibi factam, verificationem precum, et clausularum impletionem, eo ordine quo in Rescripto indicantur; deinde autoritate Apostolica absolvit oratores a censuris in ordine ad præsentem gratiam consequendam, aliquando etiam ab incestu; eosdem nominatim dispensat a tali impedimento, prolemque susceptam vel suscipiendam, vel utramque, legitimam declarat. Diversa quoque forma esse debet, prout agitur de matrimonio contrahendo aut de convalidando contracto; item, prout agitur de convalidando per simplicem dispensationem aut per sanationem in radice.

Fulminationis decretum mittitur ad Parochum, qui illud conservat in archivo parochiali; Rescriptum Romanum asservatur in archivo sive episcopali sive parochiali. Deinde Parochus procedit ad Matrimonii denuntiationes et celebrationem; illudque cum dispensatione contractum esse inscribit libro matrimoniorum.

654. — II. **Pro foro interno.** In Rescriptis dispensationis præscribi solet ut fulminatio in Confessione fiat; vivâ voce perficitur. Confessarius ergo post abso-

lutionem a censuris et peccatis, vel, si absolutio a peccatis dari nequeat, et dispensationis concessio acceleranda sit, post absolutionem a censuris, auctoritate sibi delegatâ dispensationem largitur, et prolis suscipiendæ aut etiam susceptæ legitimationem decernit.

Confessarius potest hanc vel similem formam adhibere: »Et insuper auctori»tate Apostolicâ mihi specialiter dele»gatâ dispenso tecum super impedi»mento . . . ut, eo non obstante, matri»monium cum dicta muliere publice, »servatâ formâ Concilii Tridentini, con»trahere valeas. Eadem auctoritate pro»lem suscipiendam (vel: susceptam et »suscipiendam) legitimam declaro. In »nomine Patris etc." Pro matrimonio jam contracto pauca mutantur; e. g.: »ut, eo non obstante, matrimonium cum »dicta muliere rursus contrahere valeas." Pro sanatione in radice dicitur: »super »impedimento . . . et matrimonium a te »invalide contractum in radice sano et »consolido, prolemque susceptam et sus»cipiendam etc." (*n.* 1148.)

655. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quomodo fulminanda sit dispensatio in alteram nupturientium partem, si impedimentum utramque afficiat, e. g. crimen, affinitas?*

Resp. Dist. 1° Si una tantum pars rea est, v. g. in affinitate ex copulâ illicitâ, sufficit in hanc solam fulminare dispensationem; quæ pars, si impedimentum alteri innotuerit, dispensationis gratiam illi manifestabit.

2° Si utraque rea est, in utramque fulminari dispensatio debet, non quidem ad auferendum impedimentum, quod sublatum in uno est eo ipso sublatum in altero, sed ad clausulas de pœnitentiâ etc. utrique applicandas, quas non convenit ab uno tantum exigi, ubi communis est culpa. Si ergo utraque pars diversum eligat Confessarium, prior Confessarius, fulminatâ dispensatione in suum pœnitentem, litteras dispensationis pœnitenti tradat, ut hic illas comparti exhibeat, quæ easdem litteras secum exsequi faciat per alium Confessarium; hujus tunc erit, confecto negotio, litteras lacerare. Ita S. Pœnit. 15 Nov. 1748. (Feye. *n.* 757.)

QUÆR. 2° *Quid facto opus sit, si, contracto matrimonio ex dispensatione pro foro conscientiæ, impedimentum postea patefiat in foro externo, et conjuges nullas afferre possint probationes quod matrimonium ita sit contractum?*

Resp. Si Confessarius fidem faciat de dispensatione impetratâ, Episcopus et Parochus debent acquiescere testimonio Confessarii. Secus nova dispensatio impetranda est pro foro externo. Ita Bened. XIV. *Instit.* 87 *n.* 51.

656. — **Observatio.** Probe notandum est, si Episcopus dispensationes impertiatur vi Indulti Apostolici, omnes regulas servandas esse, quæ servandæ sunt, et quas servare solet Curia Romana, in petendis, concedendis, et exsequendis dispensationibus Romanis. Ita declaravit S. Pœnit. 1 Jun. 1858.

SECTIO IV.

DE MATRIMONII INVALIDE CONTRACTI CONVALIDATIONE.

Indagabimus 1° quandonam exsistat obligatio procurandi matrimonii revalidationem, et quæ media interea adhibenda sint; 2° quomodo revalidatio efficienda sit.

CAPUT I.

OBLIGATIO CONVALIDANDI MATRIMONIUM.

657. — Quando post contractum matrimonium detegitur impedimentum dirimens ei obfuisse, magnâ circumspectione procedere debent tam Parochus quam Confessarius in suo quisque officio implendo. Spectatis circumstantiis, raro locus est sententiæ nullitatis, ob sic dictum matrimonium civile hodie in plerisque regionibus vigens; fere nunquam cohabitationi tamquam frater et soror, ob incontinentiæ periculum; ordinarie recurrendum est ad revalidationem; nonnunquam sunt in bonâ fide relinquendi. In casu difficili consilium petatur ab Ordinario vel a docto et prudenti viro. (Feye. *n.* 595.) Hisce generaliter præmissis, casus particulares in sequentibus quæstionibus enodabimus.

658. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quid agendum sit Parocho, si matrimonii nullitas* PUBLICA *est?*

Resp. Debet 1° efficere provisoriam putatorum conjugum separationem, non tantum quoad torum, sed et quoad cohabitationem; ad hanc autem non requiritur judicis auctoritas; 2° mox petere dispensationem ad revalidandum matrimonium, si nihil obstet. Si partes separationem renuant, nihilominus petenda est dispensatio; sed hæc circumstantia in libello supplici exprimenda est, ad devitandam difficultatem postea orituram ex præviæ separationis clausulâ in Rescripto consuetâ.

Dixi: *si nihil obstet;* quia dissolutionis sententia a judice ecclesiastico procuranda est, si impedimentum indispensabile sit; idem faciendum, si infelix matrimonium prævideatur, dummodo in hoc casu civile divortium, ubi viget, obtineri queat. Postrema conditio ideo postulatur, ne partes, aliud matrimonium canonicum non contrahendo, incontinentiæ periculo exponantur, vel ne, illud contrahendo, proles inde procreanda civiliter illegitima habeatur et gravissimum detrimentum subeat. (Feye. *n.* 596.)

QUÆR. 2° *Quid Parochus aut Confessarius facere debeat, si matrimonii nullitas* OCCULTA *est?*

Resp. Dist. 1° Si *utraque pars* nullitatis *conscia* sit, separandi sunt saltem a toro; quo facto, quamprimum petenda est dispensatio. Si impedimentum indispensabile obstaret, pro remedio recurrendum est ad Ordinarium.

2° Si *una* tantum *pars conscia* sit, debet hæc nullitatem comparti manifestare, si possit sine gravis incommodi periculo, et ambo separandi sunt saltem a toro; quo facto, quamprimum petenda est dispensatio, ut supra dictum est. Si vero, ut non raro contingit, non possit sine periculo compars moneri, monitio omittenda est, et petenda dispensatio; sed interim pars conscia tenetur quomodocunque debitum non reddere. Si compars poterit *postea*, obtentâ dispensatione, moneri, petenda est simplex dispensatio; quod si moneri nullo pacto possit, sanatio in radice peti debet. [1]

3° Si *ambo* nullitatis *inscii* sint, et ex hujus manifestatione periculum appareat incontinentiæ, vel alterius gravis incommodi, uti plerumque contingit, relinquendi sunt in bonâ fide, donec obtenta fuerit dispensatio. Si postea, obtentâ dispensatione, ambo moneri poterunt, petenda est simplex dispensatio; si una tantum pars moneri poterit, peti debet sanatio in radice; sin autem nullitas matrimonii neutri manifestari unquam poterit, relinquendi sunt in bonâ fide, vel peti poterit sanatio in radice. Casu quo impedimentum indispensabile est, ordinarie relinquendi sunt in bonâ fide.

Quando in bonâ fide relinquuntur partes, difficultas oriri potest circa rationem agendi a Confessario servandam, si pœnitens ex injusto motivo debiti redditionem neget. Quum in hisce circumstantiis pœnitens, attento suo errore, in conscientiâ teneatur reddere debitum, potest Confessarius eum ad hoc obligare; tutius porro Confessarius aget, si dicat pœnitenti in genere, conjugem teneri debitum reddere, nec posse absolvi, si obligationi suæ satisfacere renuat. (*n.* 611. H. A. *tr.* 16. *n.* 113.)

4° Si una vel utraque pars *dubitet* de matrimonii valore, Confessarius prudenter exquirat dubitandi motivum; si pœnitens veram afferat nullitatis causam, tenetur Confessarius veritatem aperire, et agere juxta supra dicta; si vero falsum alleget motivum, et ex monitione gravia timeantur incommoda, respondeat dubium non esse ex eâ ratione fundatum, eumque in bonâ fide relinquat; si absit ejusmodi timor, veritatem detegat. (*n.* 616. Feye. *n.* 597—599.)

CAPUT II.

MODUS CONVALIDANDI MATRIMONIUM.

659. — Inquirendum est 1° an ad revalidandum matrimonium requiratur novus consensus; 2° an et quando requiratur forma Tridentina. Præmonemus porro, *quantum fieri possit* curandum esse ut eo momento, quo matrimonium, sive per consensûs renovationem post fulminatam dispensationem, sive per sanationem in radice, validatur, partes, vel saltem pars conscia, sint in statu gratiæ.

[1] De eo, qui ficte contraxit, recole dicta n. 449. qu. 4.

ARTICULUS I.

RENOVATIO CONSENSUS.

660. — Certum est 1° requiri novum consensum ejus, cujus prior consensus illegitimus fuit, et talem fuisse eidem apparet ex impedimenti præexsistentis notitiâ; 2° hunc consensum debere externum esse, atque adeo verbis aliisve signis externis exprimendum; quia matrimonium est contractus humanus et Sacramentum; ad utrumque autem necessario requiritur signum sensibile; ergo.

Hisce generaliter præmissis, agemus de renovatione consensûs pro validando matrimonio irrito 1° ob solum defectum consensûs, 2° ob aliud impedimentum.

§ I. *Ad convalidandum matrimonium nullum ob solum defectum consensûs.*

661. — Si consensus defuit 1° ab *utrâque* parte, e. g. ob fictionem vel errorem, ambo debent novum consensum inter se præstare; quia nullus subsistit contractus sine mutuo consensu. 2° Si defuit ex parte *unius* tantum, ob fictionem, metum vel errorem, hujus certe novus consensus necessarius est, ut patet; de altera vero parte disputatur; sed, juxta communem et veriorem sententiam, satis est quod is solus, qui prius non consensit, consensum renovet, dummodo altera pars consensum non revocaverit; quia ad valorem contractuum non requiritur coëxistentia physica consensûs utriusque, sed sufficit moralis, quæ habetur, quando consensui unius, actu præterito sed moraliter adhuc perseveranti, postea accedat consensus alterius; matrimonium autem sequitur naturam aliorum contractuum; ergo.

Consensus unius moraliter perseverat, cum tractat consortem ut verum suum conjugem; unde, ut revocatus censeatur, nequaquam sufficit habitualis seu interpretativa dispositio, qua, si matrimonii nullitatem nosceret, non consensurus credatur; sed *revocationis* indicium postulatur.

Novus porro consensus exprimi potest verbo, signo, vel facto, e. g. convictu in communi domo ac toro, copulâ animo conjugali habitâ, i. e. animo consentiendi in matrimonium. (*n.* 1114. H. A. *n.* 80.)

§ II. *Ad convalidandum matrimonium nullum ob aliud impedimentum.*

662. — Matrimonium irritum propter impedimentum *juris divini*, e. g. ligamen, eo sublato, non convalidatur nisi per novum utriusque consensum, neque potest in radice sanari. (*n.* 1115.)

Modus revalidandi matrimonium irritum propter impedimentum *ecclesiasticum*, dispensatione sublatum, dependet a dispensationis indole. Duplex dispensationis genus distinguitur, scil. 1° *dispensatio simplex*, quando datur cum obligatione renovationis consensûs utriusque partis; 2° *dispensatio* seu *sanatio in radice*, quando datur cum remissione renovationis consensûs unius vel utriusque partis, conjuncta cum sublatione omnium effectuum, qui ex matrimonio invalido secuti sunt, perinde ac si matrimonium semper fuisset validum. In hac dispensatione ille ipse verus consensus, præstitus in celebratione matrimonii, sed propter impedimentum efficaciâ destitutus, per sublationem obicis a S. Pontifice efficax redditur. (*n.* 1115.) Hinc sanationis in radice tres sunt effectus: 1° tollit impedimentum; 2° sanat consensum antea præstitum; 3° tollit effectus matrimonii invalidi, e. g. illegitimitatem prolis, ita ut proles suscepta legitimitatis juribus gaudeat inde ab initio matrimonii.

1. *Revalidatio post dispensationem simplicem.*

663. — Duo certa sunt et extra controversiam, nimirum: 1° Si *uterque* putatus conjux sit *conscius* nullitatis matrimonii, uterque consensum renovare debet. 2° Si *una* pars tantum *conscia* sit nullitatis, hæc certo tenetur consensum suum renovare. De parte *inscia* disputatur, ut sequitur.

QUÆR. 1° *An in casu, quo una pars conscia est nullitatis conjugii, altera vero inscia, requiratur novus consensus utriusque?*

Resp. Nonnulli negant; quia prior consensus fuit verus consensus naturaliter habilis; consequenter, sublato impedimento, convalescit matrimonium ex novo partis consciæ consensu actuali, concurrente cum alterius virtualiter perseverante.

Communis vero et probabilior sententia affirmat; quia prior consensus utriusque inhabilis erat ad efficiendum matrimonium; simplex vero dispensatio reddit personas tantum habiles ad contrahendum matrimonium; ergo novus utriusque consensus requiritur. (*n.* 1115. Schmalzgr. *tit.* 16. *n.* 257. 258.)

QUÆR. 2° *An, ut mutui consensûs renovatione convalescat matrimonium, initi matrimonii nullitas debeat utrique esse nota?*

Resp. Controv. 1ª Sententia negat, asserens sufficere quod pars conscia ab altera inscia petat, ut pro sua consolatione se in conjugem denuo recipiat, et annuentem vicissim in conjugem ipsa recipiat; quia, sublato impedimento, personæ habiles sunt ad matrimonium contrahendum; ergo, dummodo novum eliciant consensum, matrimonium convalidant. Ita Soto, Ledesma, Rodriq. Henriq. Salm. etc.

2ª Sententia communis et probabilior affirmat, contendens nullitatem matrimonii, non tamen *causam* nullitatis, debere utrique innotescere; quia 1° in Rescriptis dispensationis expresse requiritur ut pars nullitatem ignorans de eâdem certioretur; 2° renovatio consensûs, ut matrimonium producat, procedere debet ex intentione efficiendi matrimonium; ille autem, qui credit matrimonium suum validum esse, novo suo consensu in novum contractum non consentit; ergo adest error substantialis. Ita Pont. Sanch. Castrop. Boss. Less. Navar. Sylv. Coninc. etc.

Dixi: *non tamen* CAUSAM *nullitatis;* nam causam detegere non est necessarium; imo nec consultum, si causa sit peccatum, ut patet ex clausula in Rescriptis S. Pœnitentiariæ consueta: »Sua »putata uxore vel suo putato marito »certiorato seu certiorata de nullitate »prioris consensus, sed ita caute ut »ipsius delictum nusquam detegatur."

In praxi hæc sententia regulariter sequenda est; agitur enim de Sacramento. Atvero in casu urgentis necessitatis, puta si ex manifestatione nullitatis matrimonii suspicio oriretur conjugi inscio, ex quâ gravia incommoda sequi possent, et periculum esset in mora eo quod debiti redditio vitari nequeat, tunc licitum esset sequi primam sententiam tamquam probabilem; tum quia in hoc casu necessitatis præsumitur S. Sedes relaxare præfatam conditionem; tum quia necessitas cohonestat usum opinionis probabilis, imo tenuiter tantum probabilis, de valore Sacramenti. *Ita communiter.* (*n.* 1115—1117.) Hanc doctrinam S. Pœnitentiaria confirmavit; nam in formula facultatum, quas quibusdam Confessariis concedit, hodie addit: »Et, »quatenus hæc certioratio absque gravi »periculo fieri nequeat, renovato con»sensu juxta regulas a probatis Aucto»ribus traditas."

Ut hujusmodi difficultates prævenianturur, Confessarius, priusquam dispensationem petat, diligenter inquirat num putati conjuges concorditer convivant, qualis sit dispositio alterius partis, ut discernere queat an probabiliter consensum renovatura sit, an infamia aut scandalum timendum sit. Si periculum subsit, petat sanationem in radice.

QUÆR. 3° *Quomodo pars inscia nullitatis matrimonii de ea certior fieri debeat, et consensus renovari?*

Resp. Præcipui modi, a variis Auctoribus assignati, hi sunt: 1° Si pars conscia alteri dicat: »Timeo, vel puto, »matrimonium inter nos non esse vali»dum; rogo te, ut ad pacandam cons»cientiam meam me denuo in conjugem »tuum accipias, prout ego te modo in »conjugem accipio." Si altera pars respondeat: »Placet, consentio, denuo »te in conjugem accipio", res salva est. Si vero causam interroget, pars conscia dicere potest se tempore contractûs non habuisse verum consensum; quia, quem habuit, nullus fuit; vel Confessarium ita dixisse, nec causam manifestasse; nam pœnitens, non Confessarius, causam manifestavit.

2° Si dicat: »Non habui verum con»sensum, quando matrimonium contraxi; »novum nunc præstare volo, vis et tu »præstare? Vel: »Dixit mihi Confessa»rius non legitimum esse nostrum ma»trimonium, ideo renovemus consen»sum."

3° Si dicat: »Angor scrupulis de »valore nostri matrimonii, ideo reno»vemus consensum." Admitti potest hic modus; nam sufficit alteram partem ponere consensum a priori independen-

tem; ad hoc autem satis est quod prudenter dubitet de valore primi matrimonii.

Exhibentur et alii modi, e. g.: »Dic, »quæso, si nullum esset nostrum matri»monium, nonne iterum contrahere vel»les?" Vel: »Si mihi non nupsisses, nonne »nunc nubere velles?" etc. Sed merito isti modi rejiciuntur; quia matrimonii nullitatem nullatenus manifestant, et incertum est num altera pars præstet novum consensum, independentem a priore. (*n.* 1117.)

2. *Revalidatio per sanationem in radice.*

664. — De illâ notanda sunt, quæ sequuntur. 1° Consensûs renovatio Rescripto Pontificio interdum non præscribitur; interdum vero præscribitur, præsertim si pars, quæ sanationem obtinet, malæ fidei fuit tempore celebrationis.

2° Consensûs renovatio uni parti præscripta, ad valorem requiritur; non præscripta, certe utilis erit.

3° Quando novus consensus præscribitur, convalescit matrimonium eo momento, quo post sanationem fulminatam consensus renovatur. Ubi vero novus consensus præscriptus non est, matrimonium per ipsam sanationis fulminationem convalescit. (Feye. *n.* 773.)

De requisitis conditionibus ad obtinendam sanationem in radice egimus n. 637.

Quæstiones. Quær. 1° *An Episcopus dispensare possit in radice, quando ex indulto dispensare valet in impedimentis dirimentibus?*

Resp. Negat.; facultas namque dispensandi simpliciter ad *contrahendum matrimonium* non continet facultatem *sanandi in radice contractum.* Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ hanc facultatem specialiter delegat.

Quær. 2° *Quomodo exsequenda sit sanatio in radice?*

Resp. Consule n. 654.

ARTICULUS II.

OBSERVATIO FORMÆ TRIDENTINÆ.

665. — **Principia.** I. Matrimonium publice celebratum coram Parocho et duobus testibus: 1° Si impedimentum *publice* innotuerit, rite confirmari nequit, nisi consensus coram Parocho et duobus testibus renovetur; hoc ipso enim quod Ecclesiæ constet de nullitate matrimonii, eidem constare quoque debet de convalidatione. 2° Si impedimentum *occultum* servetur, consensus secreto inter solos contrahentes renovandus est; ad vitanda scandala. Constat ex Rescriptis dispensationis et communi DD. sententia. (*n.* 1109. 1110.) In hoc secundo casu, si facile fieri queat, interdum consultum est ut mutuus consensus coram Confessario renovetur. (Feye. *n.* 776.)

Animadvertendum est, formam Tridentinam, quando exigitur, ad *valorem* matrimonii requiri in locis, ubi viget decretum Trid. de impedimento clandestinitatis; alibi ad *liceitatem* postulari.

II. Matrimonium propter clandestinitatem invalidum, non potest, in loco ubi decretum Trid. viget, aliter convalidari quam contrahendo coram Parocho et duobus testibus; nisi obtineatur a S. Pontifice dispensatio a lege Conc. Trid., quæ raro conceditur. Res ex se claret.

In loco, ubi decretum Trid. non viget, si partes ibi domicilium aut quasi-domicilium contrahant, vel si vagi sint, matrimonium convalidatur, illicite tamen, novo consensu clam inter se solos præstito. Consequitur ex dictis de impedimento clandestinitatis.

Porro matrimonium revalidandum est in forma Trid. publice vel secreto; nimirum: 1° *Publice,* si nullitas matrimonii *publica* sit; ad scandalum auferendum. Si quando Ordinarius ob peculiares circumstantias expedire judicaverit ut secreto fiat, secreto celebrari poterit; dummodo tamen publicum scandalum alia ratione, puta prudenti divulgatione, removeri possit, et quamprimum removeatur. 2° *Secreto,* si nullitas matrimonii *occulta* sit, seu communiter ignoretur; ad præcavendum scandalum, et famam sponsorum servandam. In hoc casu eligendi sunt duo testes fideles, et res adnotanda est in secretorum matrimoniorum libro. Constat ex Instructione Card. Caprara, Legati a latere in Gallia, de matrimoniorum irritorum revalidatione.

666. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quid agendum sit, dum forma Tridentina requiritur, si una vel utraque pars consentiat ad renovandum consensum coram Parocho et testibus, sed renuat pergere ad ecclesiam?*

Resp. Conjungendi sunt in alio loco, e. g. in domo Parochi, in domo sua; dummodo, si nullitas matrimonii notoria sit, *publice* fiat, ita ut populo innotescat; quia celebratio matrimonii in ecclesia non est de præcepto, sed de decentia tantum, ut statuit Rit. Rom. *tit.* 7. *cap.* 1. *n.* 16. Ex licentia Ordinarii *secreto* fieri potest; dummodo publicum scandalum alia ratione removeri possit, et quamprimum removeatur, prout supra dictum est.

Quær. 2° *Quid faciendum, si una pars renuat contrahere in forma Tridentina?*

Resp. Dist. 1° Si renutus oriatur ex ignorantia vel errore contra leges aut doctrinam Ecclesiæ circa impedimenta matrimonii, renuens debita cum prudentia et charitate instruatur. 2° Si adhuc renuat, satagendum est ut specialem procuratorem constituat, qui ejus nomine matrimonium contrahat de more: aut saltem expresso consensu per epistolam directam proprio Parocho, vel alteri Sacerdoti Ordinarii aut Parochi licentiam habenti, matrimonium renovetur. 3° Si hæc etiam renuat, impetretur dispensatio in radice, ita ut saltem innocentis partis animæ saluti, prolis legitimitati, et familiarum tranquillitati omnino consultum sit, et quamprimum etiam renuentis animæ saluti provideri possit. Ita cit. Instructio.

Quær. 3° *Quale remedium adhibendum sit, si neutra pars matrimonium renovare velit?*

Resp. Nullum aliud suppetit, quam oratio pro concubinorum conversione; nam in hoc casu Ecclesia nullam dispensationem concedit.

Quær. 4° *Quid agere debeat Confessarius, qui detegit matrimonium occulte invalidum ob clandestinitatem, si putati conjuges nolint contrahere coram Parocho, cui nullitas ignota est, velint vero coram Confessario?*

Resp. Petere debet ab Ordinario licentiam assistendi nuptiis illis cum duobus fidis testibus. Deinde, rite celebrato matrimonio, mittere debet ad Ordinarium testimonium illius, cum adnotatione loci, temporis, nominum conjugum, sui et testium, ut inscribatur in libro matrimoniorum secretorum, qui in Cancellaria Episcopali asservatur.

Quær. 5° *An nuptiæ revalidatæ iterum benedicendæ sint?*

Resp. Dist. Negative, si revalidatio fuit secreta; ne scandalum ingeratur. *Affirmative,* si publica fuit; quia tales nuptiæ nunquam revera benedictæ fuerunt. (Catalani. *Theol. Mor. part.* 3. *qu.* 14. *cap.* 10. *n.* 10.)

667. — **Revalidationis descriptio in libro matrimoniorum.** Pro coronide juvat breviter subjungere quid Parocho hac in re observandum sit. 1° Matrimonii revalidatio *in foro externo,* seu *publica,* inscribitur in solito libro parochiali. Si matrimonium olim in forma Tridentina celebratum fuit, tunc vel nova fit renovationis matrimonii descriptio cum remissione ad primam celebrationem, vel ad ipsam primam celebrationem tota res debite adnotatur.

2° Matrimonii revalidatio *in foro conscientiæ,* seu *secreta,* si fiat absque forma Trid., non inscribitur; si fiat in forma Trid., inscribitur in libro secretorum matrimoniorum. (Feye. *n.* 775. 776. 778.)

LIBER VII.

DE PŒNIS ET INDULGENTIIS.

In hoc libro tractabimus 1° de pœnis Ecclesiæ medicinalibus, seu de censuris, quibus Ecclesia punit graviora quædam delicta, ut delinquentes resipiscant; 2° de pœnis Ecclesiæ vindicativis, quæ ad publicam delictorum vindictam inductæ sunt; 3° de irregularitatibus, quæ impediunt Ordinum vel susceptionem vel exercitium, ut statûs Clericalis dignitas servetur; 4° de indulgentiis, quibus Ecclesia pœnas temporales peccatis jam dimissis debitas relaxat.

Hæc materia ad Jus Canonicum proprie spectat; verumtamen Theologo et Confessario quoque scitu necessaria est, quare prædictos tractatus omittere non licuit.

TRACTATUS I.

DE CENSURIS.

S. Alph. lib. 7. H. A. tr. 19.

Agemus 1° de censuris in communi; 2° de tribus censurarum speciebus, quæ sunt excommunicatio, suspensio, et interdictum; 3° de censuris in particulari.

CAPUT I.

CENSURÆ IN COMMUNI.

Expendemus 1° notionem censuræ; 2° auctorem ejus, seu quis eam ferre possit; 3° formam servandam in ferenda censura; 4° subjectum, in quod ferri potest; 5° causam, ob quam ferri potest; 6° effectus censuræ; 7° causas excusantes a censura; 8° ejus absolutionem.

ARTICULUS I.

NOTIO CENSURÆ.

1. — Censura est pœna ecclesiastica, spiritualis et medicinalis, qua homini baptizato delinquenti et contumaci aufertur usus quorumdam spiritualium bonorum. Dicitur 1° *pœna;* tum quia privat multis bonis, tum quia est medicina delicti; 2° *ecclesiastica*; quia ecclesiastica potestate infligitur; 3° *spiritualis;* tum quia animam afficit, tum quia privat spiritualibus bonis; 4° *medicinalis;* quia fertur ut reus resipiscat; ideo, cum primum pœnitet, debet absolvi; et e converso censura non est iis infligenda, quorum desperata est correctio, nisi fiat ad terrorem aliorum; 5° *homini baptizato;* quia infideles non subsunt Ecclesiæ jurisdictioni; 6° *delinquenti et contumaci;* quia Ecclesia præcipue intendit inobedientiam et contemptum suarum legum punire et corrigere; 7° *usus quorumdam bonorum spiritualium;* eorum scilicet, quæ subsunt potestati Ecclesiæ, v. g. usus Sacramentorum, suffragia communia Ecclesiæ, indulgentiæ, sepultura ecclesiastica, exercitium Ordinum, etc. (*n.* 1. 2.)

2. — A censura essentialiter differunt: 1° *depositio* et *degradatio;* quia sunt pœnæ vindicativæ, et ideo ex se perpetuæ; 2° *irregularitas;* quia, si ex defectu oriatur, non est pœna; si ex delicto proveniat, est pœna vindicativa; ideo non absolutione, sicut censura, sed dispensatione tollitur; 3° *cessatio a divinis;* tum quia non prohibet divinorum Officiorum participationem, sed illorum celebrationem; tum quia non fertur in pœnam delicti, sed in signum mœroris Ecclesiæ, ex injuria gravissima sibi illata concepti. (*n.* 3—5.)

3. — **Divisio.** 1° Ratione *materiæ*, vel est excommunicatio, vel suspensio, vel interdictum.

2° Ratione *auctoris*, alia est *a jure*, quæ fertur per canones et leges ecclesiasticas modo stabili et permanenti: alia *ab homine*, quæ fertur a Prælato vel Judice per modum mandati, vel sententiæ judicialis; hæc cessat, mortuo vel amoto eo, qui illam tulit, i. e. non amplius incurritur; nam postquam incursa est, perseverat. Censura ab homine rursus duplex est, alia nempe *generalis*, quæ fertur pro delictis futuris contra omnes delinquentes, e. g. in omnes hæreticos, massonicos: alia *specialis* est, quæ contra determinatas personas nominatim infligitur. — Porro, censuræ, quas Episcopus fert in Synodo diœcesana, sunt a jure; quas vero fert extra Synodum sunt ab homine.

3° Ratione *modi*, quo fertur, alia est *latæ sententiæ*, quam delinquens ipso facto, seu ipsa criminis perpetratione, quin judicis sententia interveniat, incurrit: alia *ferendæ sententiæ*, quæ per sententiam a Judice est infligenda.

Censura *latæ sententiæ* dignoscitur: a) per verba præsentis vel præteriti temporis, v. g. *excommunicamus*, *suspendimus*, *se noverit excommunicatum*, *excommunicationi subjaceat*, *anathema sit;* b) per particulam *ipso facto*, *ipso jure*, vel *sine alia sententia.*

Censura *ferendæ sententiæ* dignoscitur: a) per verba futuri temporis, v. g. *excommunicabitur*, *suspendetur;* b) per verba imperativi modi, v. g. *excommunicetur*, *excommunicationem incurrat*, *excommunicandus erit*, *volumus excommunicari;* c) per verba comminatoria, v. g. *sub pœna excommunicationis*, *sub interminatione anathematis*, sine aliis verbis additis, quæ censuram latam denotant. Porro in dubio an censura sit latæ vel ferendæ sententiæ, censeri debet ferenda; quia ex Regula Juris 49. in 6: »In pœnis benignior interpretatio »facienda est." (*n.* 6—8.)

4° Ratione *potestatis absolvendi*, alia *reservata* est, quæ nonnisi ab eo absolvi potest, cui absolutio reservata est: alia *non reservata*, quæ a quolibet Confessario absolvi potest. Porro aliæ sunt censuræ S. *Pontifici*, aliæ *Episcopis* reservatæ. Censuræ *a jure* latæ, vel *ab homine* sed *generales*, reservatæ non sunt, nisi reservatio exprimatur; censuræ vero *particulares ab homine* latæ semper reservatæ sunt, etiamsi non exprimatur.

ARTICULUS II.

AUCTOR CENSURÆ.

4. — **Principia.** I. Est in Ecclesia potestas ferendi censuras. De fide est ex Conc. Constant. *sess.* 8. *error* 30. Colligitur ex potestate quæcumque ligandi et solvendi, quam Christus contulit Ecclesiæ; hæc enim ad omnia extendi debet, quæ necessaria ad bonum regimen censentur; atqui in omni bene constituta Republica debet esse potestas quosdam sibi noxios excludendi a suo corpore, alios male administrantes suspendendi a suis Officiis, aliis interdicendi certos actus et functiones; ergo hæc ipsa potestas est in Ecclesia. Idcirco Ecclesia hac potestate semper usa est. (*n.* 9.)

II. Potestas *ordinaria* ferendi censuras est penes omnes et solos Prælatos Ecclesiæ, qui habent jurisdictionem in foro externo. Constat ex multis locis Juris Canonici; ratio autem est, quia hæc potestas pertinet ad regimen externum Ecclesiæ. (*n.* 9.)

III. Potestate *delegata* censuras ferre possunt omnes et soli Clerici, quibus potestatem ordinariam habentes illud commiserint. Ratio est, quia potestas ordinaria, hoc ipso quod ordinaria est, delegari potest, ut constat ex toto *Tit. de Offic. Ord.*

Dixi: *soli Clerici;* quia laici jurisdictionis ecclesiasticæ incapaces sunt. (*n.* 11. 12.)

5. — **Resolutiones.** 1° Potestatem ordinariam habent: a) S. Pontifex respectu totius Ecclesiæ; b) Episcopi in sua diœcesi, quoad sibi subditos; itemque eorum Vicarii Generales; necnon Vicarius Capitularis, sede vacante; c) Cardinales in Ecclesiis sui tituli; d) Legati a Latere in provincia suæ legationis; e) Superiores Generales, Provinciales, et Locales Regularium, ex privilegio Pontificis Officio eorum perpetuo adnexo; f) Concilia generalia, et provincialia Episcoporum, uti et Capitula generalia ac provincialia Regularium.

2° Parochus non potest ferre censuras;

quia jurisdictionem fori externi, nisi specialiter hæc ipsi committatur vel consuetudine acquisita sit, nullam exercet. (*n.* 10. 11.)

3° Delegatio censuram ferendi exspirat morte vel amotione delegantis, nisi causa jam cœpta sit, saltem per citationem rei. Delegatus non potest subdelegare, nisi specialem subdelegandi facultatem habeat; quam habet delegatus Papæ. Constat de hisce ex *Cap.* 20. 30. 43. *de Offic. et pot. deleg.* (*n.* 11.)

6. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quæ conditiones ex parte ferentis requirantur ad valorem censuræ?*

Resp. Requiritur 1° ut habeat expeditum jurisdictionis usum; ideo excommunicatus aut suspensus, si *vitandus* sit, nequit ferre censuras; si *toleratus* sit, valide, sed illicite, fert censuras; quia propter bonum commune Ecclesia huic non aufert jurisdictionem. 2° Ut voluntarie agat, non coacte; ex *Cap.* 54. *de sent. excom.* Metus gravis tamen non impedit *valorem* censuræ; nam nullo jure irritatur. 3° Ut non ferat censuram in propria causa; quia nemo permittitur esse judex in propria causa. Ita ex *Cap.* 23. *qu.* 4., et *Cap.* 1. 4. Excipe tamen a) si fiat per modum justæ defensionis contra eum, qui ipsi violentiam inferret; si enim vis vi repelli potest, poterit etiam censurâ; b) si causa esset adeo manifesta, ut negari non possit, nec examine indigeat. (*n.* 12. Filliuc. *tr.* 11. *n.* 40—44.)

QUÆR. 2° *An Episcopus, extra suam diœcesim exsistens, censuras ferre possit in sibi subditos?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si eas ferat per modum *præcepti* aut *statuti generalis*, ad futura crimina cavenda; quia non est actus jurisdictionis contentiosæ.

2° *Negat.*, si eam ferat per modum *sententiæ judicialis;* quia nemo potest in alieno territorio jurisdictionem contentiosam exercere. Excipe a) si tam manifesta sit contumacia, ut non indigeat cognitione causæ; b) si præmissa jam sit cognitio causæ in territorio proprio; c) si Episcopus injuste expulsus sit a sua diœcesi; quo casu potest, petitâ, licet non obtentâ, licentiâ ab Ordinario loci; d) si Ordinarius loci consentiat; dummodo partium etiam consensus accedat, quia nemo invitus trahi potest extra suum territorium. (*n.* 21.)

ARTICULUS III.

FORMA CENSURÆ.

7. — Formam constituunt solemnitates, quæ jure positivo requiruntur, quando censura infligitur *ab homine* per *sententiam particularem.* Tres sunt: alia antecedens ipsam censuram, alia comitans illam, et tertia subsequens.

8. — I. Censuram debet præcedere *monitio canonica;* quo nomine intelligitur declaratio judicis facta delinquenti, quod censuram incursurus sit, si non resipiscat, aut non pareat. Ratio istius est, quia censura fertur ob contumaciam; at qui monitus non est, rebellis et inobediens non exsistit; ergo. (*n.* 53.)

Monitio canonica non requiritur: 1° quando pœna infligitur, non ut censura, sed ut pœna *vindicativa.* Porro suspensio et interdictum aliquando sic infliguntur; excommunicatio autem nunquam infligitur, nisi ut vera censura.

2° Quando censura *a jure* vel per *statutum generale* pro futuris delictis lata est; quia ipsa lex vel statutum continua quædam admonitio est; nisi aliam monitionem jus ipsum in casu aliquo præscribat. Ita ex variis locis Juris Can. et DD. communiter. (*n.* 52.)

QUÆR. 1° *An requiratur monitio, si censura a jure sit* FERENDÆ SENTENTIÆ?

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia sententia censuræ ferenda est ab homine; deinde innuitur in *Cap.* 26. *de appellat.* Ita Suar. Cajet. Palaus, Laym. Salm. etc.

2ª Sententia probabilior negat; quia monitio jam facta est ipsâ lege. Verumtamen requiritur citatio rei ad censuram declarandam; cum forte probabilem sui facti excusationem afferre possit; nisi crimen sit adeo notorium, ut pateat nullam reo competere defensionem. Ita Sanch. Bonac. Filliuc. Avila, etc. (*n.* 55.)

QUÆR. 2° *An monitio requiratur ad valorem censuræ?*

Resp. Affirm.; id enim diserte sancitum est in *Cap.* 3. *et* 9. *de sent. excomm.* Disputant autem DD. an ita sit necessaria, ut de plenitudine potestatis Ecclesia nequeat sine illa censuram ferre: alii probabiliter affirmant; communius vero et probabilius negatur. (*n.* 53.)

QUÆR. 3° *Qualis debeat esse monitio, ut licite feratur censura?*

Resp. Debet esse trina, facta tribus distinctis temporibus, servato duorum saltem dierum intervallo inter singulas monitiones. Si periculum esset in mora, possunt intervalla ad brevius tempus contrahi, v. g. ad unam diem, ad duas vel tres horas, ad unam horam.

Ex justa causa sufficit *una* monitio, dummodo a) satis declaretur eam valere pro trina; b) tempus tribus monitionibus æquivalens concedatur ad resipiscendum, nempe spatium sex dierum; c) terminus assignetur ut peremptorius et ultimus; alioquin reus non sufficienter contumax constitueretur. Imo, si periculum urgeat, sufficit una monitio cum assignatione alicujus spatii ad pœnitendum. (*n.* 56. 58.)

9. — II. Sententia censuræ a judice proferenda est sequenti modo: debet 1° fieri in scriptis, ut de ea authentice constet; quare scriptura debet esse sigillo obsignata, et subscripta a judice, vel ab alio ejus nomine, aut saltem probari posse idoneis testibus; 2° exprimere tum causam, pro qua censura infligitur, tum personam, cui imponitur, tum ipsam censuram, quæ fertur; 3° tradi exemplar ejus reo, si intra mensem illud exposcat. Judex peccat graviter, si quam ex dictis solemnitatibus temerarie omittat. (*n.* 59—61.)

Notandum est, quod si prævia monitio contineat prolationem censuræ *ipso facto* contrahendæ a reo, si intra tempus designatum non resipiscat, monitio ipsa debet fieri in scriptis, causam exprimere, et tradi reo, cui fit.

10. — III. Censura, postquam lata est, quandoque denuntiari debet. Quocirca notamus: 1° Denuntiatio facienda est præcipue in censura lata *ab homine* contra *determinatam* personam, præmissâ monitione. In censura lata *a jure, ipso facto* incurrenda, antequam procedatur ad denuntiationem, debet præcedere sententia declaratoria criminis. (*n.* 65.)

2° Obligatio denuntiandi tum solum exsistit, quando bonum commune vel damnum tertii id requirit; in aliis casibus relinquitur arbitrio prudentis judicis. Nostro tempore censuræ raro denuntiantur. Contra, si reus pœnituerit, et absolutionem a censura postulaverit, vel satisfactionem obtulerit, non est denuntiandus, sed potius absolvendus; cum finis censuræ obtentus sit, nempe delinquentis emendatio (*n.* 65.)

3° Denuntiatio fieri debet *publice*, juxta morem loci, v. g. prælegendo sententiam populo in ecclesia, affigendo eam ad valvas ecclesiæ, vel in alio loco publico, ut in omnium notitiam devenire possit.

4° Effectus denuntiationis est, quod nominatim denuntiatum reddat *vitandum*, quodque censura effectus suos habeat in foro etiam externo, ita ut censuratus *cogi* possit ad abstinendum rebus sibi interdictis.

ARTICULUS IV.

SUBJECTUM CENSURÆ.

11. — Censura ferri solum potest in fideles rationis compotes, modo subjecti sint jurisdictioni ferentis censuram. Ratio est, quia punitio, cum sit actus jurisdictionis, in alium, quam in subditum et culpæ capacem, exerceri non potest. (*n.* 13.)

Hinc: 1° Censuræ incapaces sunt: a) non baptizati; secus vero hæretici, apostatæ, et schismatici, quippe qui per Baptismum, quem susceperunt, potestati Ecclesiæ subjecti sunt, a qua per suam rebellionem non eximuntur. b) Pueri, et perpetuo amentes; illi vero, qui in amentiam inciderunt, ligantur censurâ, cui antea causam dederint. c) Mortui; hi tamen nonnunquam excommunicati *declarantur*, ut suffragiis ac sepulturâ ecclesiasticâ priventur; similiter, si cum pœnitentiæ signis decesserint, absolvuntur, quatenus suffragia et sepultura ecclesiastica illis conceduntur. d) S. Pontifex; quia Superiorem in terris non habet, et legislator propriis legibus quoad vim saltem coactivam non ligatur. (*n.* 13. 15.)

2° Reges et Reginæ subjacent censuris a S. Pontifice latis; sed non possunt censurâ affici ab Episcopis; quia hac in re, ex privilegio consuetudine introducto, immediate subjacent S. Pontifici. (*n.* 16.)

3° Episcopi non ligantur censurâ suspensionis et interdicti generaliter latâ, nisi mentio ipsorum expressa fiat; ita ex speciali privilegio juris in *Cap.* 4. *de sent. excom. in* 6., ne impediantur in

exercitio Officii sui. Secus dicendum de censura excommunicationis, quippe quæ non excipitur.

4° Regulares nequeunt censurâ ligari ab Ordinario loci, nisi in casibus, in quibus non eximuntur a jurisdictione Episcopi. (*n.* 26.)

12. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An impuberes doli capaces incurrant censuras?*

Resp. Negat., nisi exprimantur; ita fert praxis Ecclesiæ. Exprimuntur autem in jure duobus in casibus: 1° si ingressi fuerint in Monialium monasterium; ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Reg.*; 2° si Clericum percusserint; ex *Cap.* 60. *de sent. excom.* (*n.* 14.)

Quær. 2° *An tota aliqua Communitas censurâ ligari possit?*

Resp. Dist. 1° Si censura feratur per modum *statuti* aut *præcepti generalis* contra delicta futura, nulli dubium est quin omnes transgressores eam incurrant.

2° Si feratur per modum *sententiæ*, *subdist.* a) Excommunicatio ab Episcopo ferri nequit contra totam Communitatem; id vetat *Cap.* 5. *de sent. excom. in* 6., ne contingat innoxios hujusmodi sententiâ irretiri. Imo neque ferri potest in personam incertam ex Communitate, v. g.: »Qui tale crimen patraverit, ex»communicatus sit;" quia judicium exerceri debet circa subjectum determinatum. Quod si constaret omnes personas alicujus Communitatis reas esse et contumaces, potest Communitas a Papa excommunicari; Episcopus vero debet singulos reos seorsum excommunicare. b) Suspensio et interdictum possunt in Communitatem ferri, licet in ea aliqui sint innocentes; verumtamen talis suspensio membra innocua quidem afficit quoad functiones et jura *Communitati* collective competentia, non vero quoad functiones et jura, quæ *singulis personis* privatim competunt. (*n.* 18. 19. 317.)

Quær. 3° *An Episcopus possit censuras ferre in peregrinos et vagos, in sua diœcesi delinquentes?*

Resp. Dist. 1° Censuræ latæ per modum *statuti* aut *præcepti generalis* ad arcenda crimina, probabilius non afficiunt peregrinos et vagos, nisi animum habeant in diœcesi commorandi per majorem anni partem; quia non sunt subditi illius Episcopi, et colligitur ex *Cap.* 21. *de sent. excom.* Recole dicta lib. I. n. 166 et 167.

2° Per modum *sententiæ* potest Episcopus censuras in eos ferre, si quis eorum deliquerit contra jus divinum vel contra jus commune Ecclesiæ, dummodo reum monuerit, eumque contumacem citaverit; quia ex *Cap.* 20. *de foro comp.* quisque delinquens sortitur forum loci, in quo delinquit. Ratione autem causæ incœptæ per legitimam citationem, reus remanet subjectus quoad eam causam. Hinc, si reus, antequam citetur, a territorio discedat, judicium Episcopi loci evadit. (*n.* 17. 26. 27.)

Quær. 4° *An censura Episcopi afficiat subditum extra diœcesim exsistentem?*

Resp. Dist. 1° Censura lata per *statutum generale* non ligat subditum, qui delinquit aut saltem consummat delictum in aliena diœcesi; quia lex directe respicit territorium. Idem dicendum de eo, qui delinquit in loco *exempto* intra diœcesim; v. g. in ecclesiis et monasteriis Regularium, quippe quæ probabiliter sunt loca exempta, ut colligitur ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. *ref. in fine.*

2° Censura lata per *præceptum particulare*, utrum liget subditum, qui delinquit extra diœcesim, controvertitur. *Prima sententia* probabilis negat; quia »Extra territorium jus dicenti non pa»retur impune," ut habet *Cap.* 2. *de constit. in* 6. Ita Holzm. Cont. Tourn. Ronc. Coninc. Sayr. Avila, etc.

Secunda sententia probabilior affirmat; quia præceptum particulare respicit personam, et illi adhæret, ubicumque exsistat. Ita Suar. Spor. Croix, Laym. Ugol. Filliuc. Bonac. etc.

3° Censura lata per *sententiam* ligat subditum, qui deliquit *intra* propriam diœcesim; secus enim a nullo puniri posset. Non potest tamen contra eum extra diœcesim actio institui cum strepitu judiciali.

Non opus est autem, ut delictum *physice* intra diœcesim commissum sit, sed sufficit *moraliter* ibi commissum; v. g. si lata esset excommunicatio adversus Parochos ultra duos menses absentes a suis parochiis; hoc delictum moraliter in parochia committitur, ibi non residendo. (*n.* 22—25.)

Quær. 5° *An Prælati Regulares possint subditos suos censuris innodare, ubicumque hi exsistant?*

Resp. Affirm.; habent enim jurisdictionem in personas sine territorio; ideo possunt in suos subditos ferre censuras, ubicumque exsistant, et ubicumque deliquerint. *Ita communiter.* (*n.* 20.)

Quær. 6° *An possit quis multiplici censura innodari ejusdem speciei?*

Resp. Affirm.; nam potest quis pluribus vinculis ligari, et iisdem bonis privari pluribus titulis, sicut per plura peccata mortalia idem homo privatur gratiâ pluribus titulis. Id autem contingit 1° ob *diversa delicta*, sive specie sive numero, e. g. si quis abortum procuravit et duos Clericos percussit; 2° ob idem delictum, sed a *diversis auctoribus censuræ*, v. g. una excommunicatio a jure et altera ab homine, una a Papa et altera ab Episcopo, ita ut ab utroque absolvi debeat; dummodo tamen secundus Superior intendat novam pœnam imponere; alias secunda censura habetur ut innovatio seu publicatio primæ. (*n.* 28.)

ARTICULUS V.

CAUSA CENSURÆ.

13. — Cum censura sit pœna gravis et onerosa, ratio postulat ut sine justa et proportionata causa non feratur. Hinc, prout communiter fertur, infligi nequit, nisi ob peccatum grave, externum, in suo genere consummatum, et conjunctum cum contumacia. (*n.* 29. 30.)

Requiritur ergo: 1° *Peccatum*; pœna enim supponit culpam. Porro excommunicatio requirit culpam propriam illius, qui excommunicatur; quia gravissima pœna est; suspensio vero et interdictum possunt aliquando afficere etiam eos, qui propriam culpam non commiserunt, ut dictum est n. 12. qu. 2. (*n.* 41.)

2° *Grave*, sive ex se, sive ex circumstantiis, puta ratione scandali, periculi, finis intenti, etc.; pœna enim, ut justa sit, debet esse proportionata culpæ. In dubio de gravitate materiæ, præceptum Superioris obligat sub gravi, et censura incurritur; quia in dubio possidet Superioris potestas. Interim Prælati sedulo cavere debent ne subditos censuris gravent ob materias non admodum graves, quando eis non constat illas valde conducere ad bonum finem, prout monet Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *ref.*

Prædicta intelligenda sunt de censura, *prout communiter fertur*; nonnunquam enim infligitur *levis* aliqua suspensio, aut *leve* interdictum personale, puta ad breve tempus, et privans aliquo tantum usu; ejusmodi levis censura ferri potest pro veniali culpa, ut DD. tradunt communiter. (*n.* 30—32.)

3° *Externum*; quia potestas humana, coërcitiva præcipue, non se extendit ad opera, quæ humano modo cognosci nequeunt. Consonat Jus Can. in *Cap.* 33. *et* 34. *de simon.*

Propterea actus non solum debet esse externus, sed etiam extrinsecus graviter malus. Ideo non incurrit censuram, qui omnino leviter percutit Clericum, etiamsi occidere intenderit. (*n.* 34.)

4° *In suo genere consummatum*, secundum proprietatem verborum, quæ in lege aut præcepto continentur; quia leges pœnales stricte accipiendæ sunt. Hinc, si lex profert censuram contra committentes homicidium, ea non incurritur, nisi mors secuta sit; neque eam incurrit consulens vel adjuvans. (*n.* 36.)

Quodsi lex expresse comprehendat *mandantes*, *consulentes*, aliove modo *cooperantes*, utrum hi incurrant censuram, etsi non sequatur effectus, distinguendum est. 1° *Affirmative*, si censura lata est *principaliter* contra mandantes, consulentes, etc.; v. g. excommunicatio lata in eos, qui cogunt judices laicos ad trahendum Clericos ad suum tribunal, incurritur, etiamsi judices non obtemperent vel Clerici non compareant. 2° *Negative*, si censura nonnisi *accessorie* lata est in mandantes, etc.; ideo v. g. excommunicationem non incurrit mandans aut consulens percussionem Clerici, si percussio non accidat, vel si alter jam determinatus erat ad opus exsequendum; quia in neutro casu efficaciter influit. Utrum porro in dubio de efficacia influxûs censura incurratur, controvertitur: alii negant; quia lex pœnalis stricte accipienda est; alii affirmant; quia possidet delictum: utraque sententia probabilis est, juxta dicta lib. III. n. 317. qu. 10. (*n.* 37—39. H. A. *n.* 7.)

5° *Contumacia*, quæ contemptum censuræ continet; quia censuræ institutæ sunt ad contumaciam sanandam. Ideo ad eas incurrendas requiritur scientia non solum legis ecclesiasticæ, sed censuræ quoque. (*n.* 43. H. A. *n.* 8.)

14. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An censura lata etiam contra mandantes, consulentes, etc., incurratur, si mandans aut consulens mandatum vel consilium revocaverit ante exsecutionem delicti?*

Resp. Si pro viribus revocaverit, sed non potuit revocationem notificare mandatario aut consiliario, vel, si notificavit, revocatio inefficax fuit, nonnulli affirmant censuram incurri; quia pœnitentia illa efficaciam mandati aut consilii non sustulit. Sed communius et probabilius negatur; quia post revocationem non influit culpabiliter, sed inculpabiliter, cum culpa per pœnitentiam sit deleta; censura autem solum afficere potest actualiter delinquentes, non vero pœnitentes. — Advertendum tamen, quod si agatur de homicidio Clerici, mandans vel consulens tenetur monere lædendum ut sibi caveat; alias non evadit censuram; cum omittat modum, quo possit impedire delictum, in quod jam influxit. (*n.* 40.)

QUÆR. 2° *An censura ferri possit propter peccatum mere præteritum, quod cum contumacia præsente non est conjunctum?*

Resp. Negat.; quia censura ex sua institutione est medicina præservativa vel sanativa peccati; talis autem non foret, si resipiscenti et satisfactionem debitam præstare parato infligeretur. *Ita communiter.* (*n.* 54.)

ARTICULUS VI.

EFFECTUS CENSURÆ.

15. — Effectus speciales cujusque censuræ trademus in Capite sequenti; hoc loco effectus communes recensebimus.

Effectus censuræ duplex est: unus *proximus* et *immediatus*, nimirum privatio aliquorum bonorum spiritualium, et obligatio abstinendi a prohibitis per censuram: alter *remotus* et *mediatus* est fructus bonus, quem auctor censuræ intendit, scil. observantia ecclesiasticæ disciplinæ et emendatio peccatoris, nonnunquam etiam partis læsæ satisfactio, cum censura lata est ob delictum cum damno tertii commissum.

Præterea nonnulli sunt effectus, qui sequuntur ex *violatione censuræ* contractæ; præcipui sunt: 1° Peccatum mortale, si censuratus agat ea, quæ principaliter sunt prohibita per censuram. Si agat ea, quæ minus principaliter prohibita sunt, venialiter tantum peccabit. 2° Irregularitas, si Clericus censuratus divina celebret, vel munus aliquod Ordinis sacri solemniter obeat. 3° Suspicio de hæresi, si quis per annum contumaciter perseveret in censurâ. (*n.* 157. Filliuc. *tr.* 11. *n.* 203.)

16. — Ad hæc notanda sunt: 1° Effectus censuræ inhærent *personæ* censuratæ, eamque, quocumque pergat, comitantur, donec per absolutionem auferantur.

2° Effectus censuræ ex S. Pontificis dispensatione suspendi possunt, ita ut licite exerceantur prohibita, manente licet censurâ. Ita dispensare solent Pontifices in litteris, quibus gratiam aliquam concedunt, ut censuratus eam valide ac licite recipiat. Episcopi non possunt dispensare in effectibus censuræ, nisi ex indulto Pontificis; quia non habent potestatem mutandi institutionem censuræ ab Ecclesia factam, quippe quæ de jure communi est.

ARTICULUS VII.

CAUSÆ EXCUSANTES A CENSURA.

Aliæ excusant ab incursu censuræ, aliæ ab effectibus ejus.

§ I. *Causæ excusantes ab incursu censuræ.*

17. — Recenseri solent quinque: 1° nullitas censuræ, 2° innocentia a peccato, 3° impotentia, 4° ignorantia, 5° metus.

I. **Nullitas censuræ.** Censura ab homine lata potest esse nulla ex triplici capite: 1° ex defectu *jurisdictionis* inferente, e. g. si interposita sit appellatio legitima, facta nempe ex justa causa et ante incursionem censuræ; appellatio enim suspendit jurisdictionem judicis a quo appellatum est. 2° Ex defectu *substantialis ordinis judicii*, ut si *sententia* prolata est sine *ulla* monitione, sine citatione partis, sine probatione causæ. Si deficiat ordo *accidentalis* tantum, censura non est invalida; e. g. si feratur sine scriptura, sine *canonica* monitione. 3° Ex defectu *justæ causæ*, seu delicti legitime probati; utrumque requiritur, scil. delicti exsistentia, ejusque legitima probatio; quia humanus judex non potest judicare de rebus occultis.

Justa autem causa deficere potest tripliciter: a) si causa neque vera est, neque juridice probata; b) si vera quidem est, sed non legitime probata; c) si vera non est, sed probatur in judicio. In hoc ultimo casu censura non ligat in foro conscientiæ; quia sententia fundata est in falsa præsumptione facti, juxta dicta lib. I. n. 149. et 150.; verumtamen in foro externo censura justa et valida est, cum causa juridice probata sit; propterea ejusmodi censuratus tenetur in publico servare censuram, ne scandalum præbeat. (*n.* 50. 51. 66.)

18. — II. **Innocentia a peccato.** Qui certus est, vel 1° se non peccasse *mortaliter* in actu, propter quem censura lata est, v. g. ob defectum deliberationis, ob materiæ parvitatem; vel 2° peccatum non esse grave *in actu externo;* vel 3° in suo genere non esse *completum;* ille excusatur a censura gravi; quia censura, ut justa et valida sit, supponit culpam proportionatam, et contumaciam, juxta dicta n. 13. (*n.* 42.)

19. — III. **Impotentia.** Locum habet hæc causa respectu censuræ latæ in retinentes bona aliena. Porro impotentia restituendi, sive physica sive moralis, excusat a censura, saltem in conscientia; quia talis impotens non peccat mortaliter omittendo restitutionem, neque proinde contumax est. (*n.* 42.)

20. — IV. **Ignorantia.** Ignorantia alia est *juris*, cum quis ignorat opus lege ecclesiastica sub censura prohibitum esse: alia *facti*, cum quis ignorat se facere opus, quod sub censura vetitum est, v. g. si nesciat librum, quem legit aut retinet, esse per Litteras Apostolicas nominatim prohibitum.

Quibus præmissis, duo statuimus: 1° Ignorantia sive juris sive facti excusat a censura, dummodo crassa non sit seu supina. Ita ex *Cap.* 2. *de constit. in* 6.; ratio est, quia talis ignorantia aufert contumaciam adversus comminationem Ecclesiæ. Excipitur ignorantia *crassa;* quia, cum graviter culpabilis sit, adest inobedientia et contumacia sufficiens.

Hæc doctrina intelligitur etiam de *inadvertentia* seu *oblivione* legis non crassa seu supina; quia ignorantia et inconsideratio æquiparantur, neque contumax exsistit contra legem, qui ad illam non advertit.

2° Si censura lata est contra eos, qui *scienter, consulto, temerario ausu* quidpiam deliquerint, vel qui delinquere *præsumpserint*, tunc excusat ignorantia etiam crassa et supina. Ratio est, quia lex pœnalis restringenda est, at, si requirat scientiam et præsumptionem, extenderetur, si etiam ignorantes comprehenderet. (*n.* 43. 45. 47.) Sed

QUÆRITUR: *An in hoc casu excuset ignorantia etiam affectata?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communior et probabilior negat; tum quia talis ignorantia includit dolum, tum quia æquivalet scientiæ, ut probatur ex *Cap.* 2. *de temp. ord. in* 6. Ita S. Anton. Suar. Castrop. Pont. Filliuc. Cont. Tourn. Viva, Spor. Avila, Villal. etc.

2ª Sententia non improbabilis affirmat; quia ignorantia, etsi affectata, non est scientia stricte accepta; atqui lex requirit scientiam, et, cum pœnalis sit, est stricte interpretanda; ergo. Præterea, qui peccat ex ignorantia affectata, quamvis velit ignorare ut liberius peccet, aliquam tamen ostendit reverentiam erga legem, dum eam nititur ignorare ex timore ne, si ipsam sciret, a peccato retraheretur. Ita Sanch. Bonac. Roncag. Salm. Hurtad. Diana, Sylvest. etc. (*n.* 48. H. A. *n.* 8.)

21. — V. **Metus.** Metus gravis excusat a censura, sive opus solo jure ecclesiastico sive etiam jure divino sit prohibitum. Ratio est, partim quia ejusmodi metus regulariter excusat ab observatione legis ecclesiasticæ; partim quia qui gravi metu inductus delinquit, haberi nequit ut contumax et pœnæ ecclesiasticæ contemptor, cum naturæ potius infirmitate, quam obstinatæ voluntatis malitiâ peccet. Excipe tamen, si metus incuteretur in contemptum Religionis aut ecclesiasticæ potestatis, vel res cederet in damnum commune; quia tunc, sicut ne periculum quidem mortis excusat a lege etiam ecclesiastica, ita neque a censura adnexa. (*n.* 46.)

22. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quomodo quis se gerere debeat in dubio num incurrerit censuram?*

Resp. Non tenetur se gerere ut censuratum, saltem in foro conscientiæ; quia dubitans est in possessione sui juris, quod per Baptismum acquisivit ad

bona spiritualia. Idque procedit, sive dubium sit *facti*, v. g. an percussio Clerici fuerit graviter injuriosa; sive dubium sit *juris*, e. g. num censura sit latæ an ferendæ sententiæ.

Secus vero dicendum post censuram contractam, si quis dubitet an ab ea sit absolutus; tunc enim pro censura seu ligamine est possessio. *Ita communiter.* (*n.* 67.)

QUÆR. 2° *Quomodo se gerere debeat censurâ affectus, in dubio an justa et valida sit sententia lata?*

Resp. In utroque foro se gerere debet ut censuratum; quia in dubio standum est judicio Superioris, eique parendum. *Ita communiter.* (*n.* 68.)

§ II. *Causæ excusantes ab effectu censuræ.*

23. — Præter ignorantiam invincibilem effectûs censuræ ex parte illius, qui eâ ligatus est, excusat aliquando necessitas vitandi gravem infamiam vel grave scandalum; lex enim humana non obligat cum gravi detrimento. Exempla sunt: 1° Si Sacerdos *occulte* censuratus non posset statim absolutionem obtinere, neque etiam Missæ celebrationem omittere sine infamia et nota totius populi; tunc licitum est ei celebrare, ne se prodat, et nullam irregularitatem contrahit. 2° Si laicus *occulte* excommunicatus non posset omittere auditionem Missæ in die Dominica, nisi cum aliorum scandalo; tunc potest Missam audire. Scandalum porro intelligitur occasio, quæ aliis daretur committendi aliquod peccatum, ut graviter murmurandi, vel temere judicandi; non autem aliquanta admiratio et rumor populi.

Ulterius quæri solet, an, seclusis scandalo et infamia, liceret Sacerdoti celebrare in die festo, ut populus Missam audire possit? Respondetur negando; quia in eo casu nullum verum incommodum sequitur ex omissione Sacrificii; nam populus excusatur a peccato ob defectum ministri, minister vero ob prohibitionem; adhæc, observantia præcepti de audienda Missa non est tanti momenti, quanti est observantia censuræ. (*Lib.* 6. *n.* 265. *qu.* 3. Suar. *De censur. disp.* 6. *sect.* 2. *n.* 11—13. *et sect.* 3.)

ARTICULUS VIII.

ABSOLUTIO A CENSURA.

Expendere debemus 1° quomodo censura contracta auferatur; 2° quinam possint ab ea absolvere; 3° quæ conditiones requirantur ut absolutio recte concedatur; 4° qua forma et quo ritu absolutio concedenda sit.

§ I. *Modus auferendi censuram.*

24. — Censura contracta nonnisi per *absolutionem* tollitur seu relaxatur, uti constat ex Jure Canonico in *Tit. de sent. excomm.* Idcirco non tollitur 1° per emendationem et satisfactionem rei; quia, etsi culpa sit causa pœnæ, hæc tamen semel contracta durat, sublatâ licet culpâ; ita ex *Cap.* 15. *cit. tit.*, et ex prop. 44. damnata ab Alex. VII: »Quoad forum conscientiæ, reo »correcto ejusque contumacia cessante, »cessant censuræ;" 2° neque per mortem censurati; nam corpus defuncti privatur sepulturâ ecclesiasticâ, et anima suffragiis Ecclesiæ; ideo indiget absolutione ut eadem recuperet, ex *Cap.* 28. *et* 38.; 3° neque per mortem ferentis; quia *ex Cap.* 11. § 1. *de off. jud. ord.* pœna inflicta transit in rem judicatam.

25. — Absolutio potest multiformiter concedi: 1° *Absolute* et *simpliciter*, prout regulariter impenditur: vel *sub conditione*, v. g. »absolvo te, si jam satisfe»cisti," aut: »si intra mensem satisfe»ceris, nunc pro tunc te absolvo." Verumtamen absolutio sub conditione de futuro, absque justâ causâ, illicita est; quia reus vel absolute debet absolvi, vel prius implere conditionem. (*n.* 123.)

2° *Ad reincidentiam*, quæ est quædam conditio resolutoria, quando nempe reus ita absolvitur, ut, nisi intra certum tempus aliquid præstiterit, v. g. nisi intra mensem satisfecerit, vel excommunicatorem adierit, reincidat ipso facto in eamdem censuram. Reincidentia, ut patet, non contingit sine novâ culpâ. (*n.* 124. 125.)

3° *Ad cautelam*, quando censuram contractam esse vel ignoratur vel dubium est; datur ad præcavendum damnum ex censura oriundum. Ideo præmitti solet tum absolutioni sacramentali, ob Sacramenti reverentiam; tum Ordinum, Beneficiorum ac privilegiorum collationi, ad eorum impedimentum removendum, si forte exsisteret.

4° Quandoque datur *ad certum effectum* dumtaxat, v. g. ad recipiendum aliquod beneficium. Hæc tamen absolutio, proprie loquendo, non ab ipsa censura, sed ab aliquo tantum ejus effectu liberat. Recole dicta n. 16. (*n.* 125. *in fine.*)

5° Omnes prædicti modi absolvendi præstari possunt *in foro interno*, et *in foro externo*. Absolutio data in foro interno non prodest in foro externo; ut adeo, si censura sit publica, sic absolutus non possit in publico se gerere tamquam absolutum, nisi publice constet de absolutione data. Constare autem poterit *in judicio* per testimonium authenticum Confessarii, qui absolvit. Cavere autem debet Confessarius ne eam attestationem faciat, nisi rogatus a pœnitente et ex ejus licentia; secus enim sigillum frangeret. *Extra judicium* satis erit quod publice constet censuratum esse confessum Confessario habenti facultatem absolvendi a censura contracta. (Filliuc. *tr.* 11. *n.* 292. 293.)

§ II. *Potestas absolvendi.*

26. — **Principia.** I. A censura lata *ab homine* per sententiam particularem is solum absolvere potest, qui eam tulit, vel ejus Superior, aut successor, aut delegatus. Ratio sumitur ex regula recepta: »Ejusdem est solvere et ligare;" secus enim judicum jurisdictio turbaretur. — De Superiore porro intelligi debet, si pleno jure Superior sit; unde Archiepiscopus absolvere non potest a censuris Suffraganeorum suorum, nisi causa ad ipsum per appellationem devoluta fuerit.

Dixi: *per sententiam particularem;* quia, si lata sit per *statutum generale*, omnes illi absolvere possunt, quibus competit absolvere a censura lata *a jure.* Ratio est, quia ex absolutione hujus censuræ ab aliis Prælatis facta non perturbatur tribunal judicis, qui tulit censuram, cum reus non fuerit nominatim citatus nec condemnatus; ideo hæc censura æquiparatur censuræ juris.

Ex dictis sequitur: Qui alicui Episcopo subditus, sive ratione domicilii sive ratione solius delicti, ab illo excommunicatus vel suspensus fuit, tametsi postea alio proficiscatur, vel domicilium mutet, non potest ab alio Episcopo vel Prælato absolutionem consequi; ex generali hac regula: »Præventus a Judice, »forum ipsius in ea causa declinare non »potest." (*n.* 72. 73.)

Notare insuper juvabit, Episcopum posse in alieno territorio suos subditos absolvere in foro tam externo quam interno, quandocumque absolutio datur sine strepitu judiciali. (*n.* 72.)

II. A censura *juris*, si *reservata non sit*, a quocumque lata fuerit, possunt sibi subditos absolvere omnes illi, qui jurisdictionem in foro externo habent: quinetiam Parochi et omnes Confessarii, in utroque foro. DD. communiter hanc facultatem colligunt ex speciali concessione in *Cap.* 29. *de sent. excomm.*, et est universalis Ecclesiæ praxis. (*n.* 70.)

Quocirca quæritur num simplex Confessarius possit pœnitentem peregrinum absolvere a censura, quæ tantum in pœnitentis patriâ est reservata? Respondetur *negative;* nam facultas simplicis Confessarii absolvendi a censuris tota emanat a *cit. Cap.* 29.; hoc autem negat illi facultatem erga censuras reservatas; ergo in hasce nihil potest. (*Lib.* 6. *n.* 590.)

III. A censura *juris reservata* nullus absolvere potest, nisi is cui reservata est, ejus Superior, successor, vel delegatus. Constat ex *cit. Cap.* 29. et Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de Pœnit.* (*n.* 69.)

Delegatio quoad censuras lege vel statuto reservatas fit vel a jure vel ab homine, sicut ipsa censuræ latio. Utramque in sequentibus explicabimus.

27. — Delegatio *a jure* facta est 1° pro casibus *occultis;* Episcopi nempe possunt sibi subditos in diœcesi sua absolvere ab omnibus censuris Sedi Apostolicæ *simpliciter* reservatis, modo casus occulti sint, et in foro conscientiæ tantum. Possunt autem hac facultate uti vel per seipsos, vel per vicarium ad id specialiter deputandum. Ita ex Trid. *sess.* 24. *cap. Liceat.* 6. *ref.* et Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* (*n.* 75.)

2° Cum legitime *impeditis* quominus personaliter S. Pontificem adeant, »si »absolutio differri nequeat absque peri-

»culo gravis scandali vel infamiæ, super »quo Confessariorum conscientia onera»tur, dari potest absolutio, injunctis de »jure injungendis, a censuris etiam spe»ciali modo Summo Pontifici reservatis, »sub pœna tamen reincidentiæ in eas»dem censuras, nisi saltem infra men»sem per epistolam et per medium Con»fessarii absolutus recurrat ad S. Sedem." Ita S. C. Inquis. 30 Jun. 1886. Leo XIII hanc resolutionem approbavit et confirmavit. (Revue théol. 1886. *pag.* 378.)

3° In *articulo mortis* omnis Confessarius, et, eo deficiente, quilibet Sacerdos absolvere potest a quibusvis censuris quomodocumque reservatis; ea lege tamen, ut sic absolutus, si convaluerit, quamprimum se præsentet Superiori, a quo alias absolvendus erat, mandata ejus suscepturus; quod si omittat, in eamdem censuram recidet. Ita ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 7. *de pœnit.*, ex Rit. Rom. *tit.* 3. *cap.* 1. *n.* 1. et ex *Cap.* 22. *de sent. excomm. in* 6. Recole dicta lib. VI. n. 223. qu. 3.

Prædicta obligatio se Superiori sistendi post recuperatam valetudinem, hodie probabiliter imponenda solummodo est pro censuris *speciali modo* Papæ reservatis, et pro censuris *notoriis* ad forum contentiosum deductis. In Constit. enim Pii IX *Apostolicæ Sedis.* ea obligatio innovata legitur post censuras *specialiter* reservatas S. Pontifici, non vero post alias; unde videtur ad priores restricta esse. Ita moderni communiter, et S. Pœnit. hac de re interrogata respondit 21 Nov. 1873: »Consulat probatos Auctores."

Nota. Olim Regulares privilegio gaudebant absolvendi a censuris S. Pontifici reservatis; sed Constit. Pii IX *Apostolicæ Sedis.* revocavit omnia privilegia realia absolvendi ab istis censuris. Non tamen revocavit indulta personalia, v. g. per pagellam S. Pœnitentiariæ, per facultates quinquennales Episcoporum, ut constat ex oraculo vivæ vocis promulgato a S. C. Inquis. 1 Febr. 1871.[1] Uberior explicatio prædictarum delegationum tradetur infra n. 29.

28. — Delegatio *ab homine* fit 1° tempore *Jubilæi*, quo solent SS. Pontifices omnibus Confessariis amplas facultates concedere absolvendi a censuris reservatis, sed in foro Sacramentali tantum, et erga eos dumtaxat, qui indulgentiam Jubilæi lucrari volunt. Consule tractatum de indulgentiis. (*n.* 115.)

2° Per *specialia Indulta*, quæ hodie nonnisi ad certum tempus vel pro certo casuum numero concedi solent. Quocirca notetur: facultas absolvendi censuras Papæ *specialiter* reservatas nunquam continetur in indulto generali absolvendi censuras Sedi Apostolicæ reservatas, nisi expressa illarum mentio fiat. Imo ab ipsa facultate absolvendi casus *specialiter* Papæ reservatos semper excepta censetur facultas absolvendi excommunicationem contractam propter absolutionem complicis, ut declaravit S. C. Inquis. 27 Junii 1866.

29. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quæ notanda sint circa facultatem Capitis* Liceat. *in Tridentino?*

Resp. Sequentia: 1° Nomine *Episcoporum* veniunt etiam Vicarii Capitulares, Vicarii Apostolici, et alii jurisdictione Episcopali gaudentes; non autem Vicarii Generales, neque Prælati Regulares, ut declaravit S. Pœnit. 5 Decemb. 1873.[1] (*n.* 79. *De privil. n.* 31.)

2° *Deputatio* alterius debet esse *specialis* quoad *personas deputandas*, ita ut, si Episcopus plures deputare velit, singulos designet. Potest vero esse generalis quoad casus. (*n.* 93. *lib.* 6. *n.* 294. *dub.* 9. *De privil. n.* 34.)

3° Nomine *subditorum* veniunt etiam peregrini, si se sistant in tribunali Pœnitentiæ; in foro enim Sacramenti fiunt subditi. (*Lib.* 6. *n.* 593. *De privil. n.* 32.)

4° Casus *occulti* sunt, quando nonnisi paucis personis noti sunt, neque deducti ad forum contentiosum. Tunc autem delictum censetur ad forum deductum, cum ibi probatum est saltem uno teste; secus vero, si nullo modo probatum fuerit, sed reus absolutus fuerit, etsi malis artibus id effecerit. (*n.* 76. *lib.* 6. *n.* 593. *De privil. n.* 33.)

5° In *foro conscientiæ*, i. e. in foro Sacramenti Pœnitentiæ, juxta declarationem Greg. XIII, quam refert Fagnanus. (*n.* 81. *lib.* 6. *n.* 593. *De privil. n.* 32.)

6° In facultate Capitis *Liceat.* non comprehenduntur censuræ S. Pontifici *specialiter* reservatæ, utpote quas Pius IX ab ea facultate exclusas esse voluit.

Quær. 2° *An vi capitis* Liceat. *possint Episcopi absolvere a censuris reservatis ab aliis Episcopis, quando casus occulti sunt?*

Resp. Affirm.; colligitur ex verbis Trid.: »In quibuscumque casibus occultis »etiam Sedi Apostolicæ reservatis." Particula *etiam* id satis ostendit. (*De privil. n.* 35.)

Quær. 3° *An tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet Sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papæ reservatorum, quando pœnitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem?*

Resp. »Attentâ praxi S. Pœnitentiariæ »præsertim ab edita Constitutione Apo»stolica s. m. Pii IX, quæ incipit *Apo»stolicæ Sedis.*, Negative." Ita S. C. Inquis. 30 Jun. 1886.

Quær. 4° *An recurrendum sit saltem per litteras ad Em^um S. Pœnitentiariæ Præfectum pro omnibus casibus Papæ reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, præterquam in articulo mortis, ad obtinendum absolvendi facultatem?*

Resp. Affirmative; at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat, hæc dari potest eo pacto, quo supra n. 27. exposuimus. Ita cit. S. C. Inquis.

§ III. *Conditiones requisitæ ad absolvendum.*

30. — I. Ex parte *absolventis* requiritur, præter potestatem, libera voluntas; alioquin nulla erit absolutio. Hinc: 1° Si absolvens in causa principali decipiatur vel erret, ut si reus dicat se esse emendatum, cum non sit, se satisfecisse parti læsæ, cum non satisfecerit, se non posse satisfacere, cum possit, absolutio nulla est ex defectu consensûs voluntatis; nisi judex conscius falsitatis vellet nihilominus absolvere. (*n.* 132.) 2° Absolutio vi aut gravi metu injuste extorta, irrita est, non ex jure naturæ, sed ex jure Canonico in *Cap. unico. de iis quæ vi. in* 6. (*n.* 12. *in fine. et n.* 119.)

Præterea, ad licitum saltem potestatis usum, debet absolvens reo ea omnia injungere, quæ de jure injungenda sunt; de quibus num. seq. agemus.

31. — II. Ex parte *absolvendi*, præterquam quod subditus esse debet, atque alius ab absolvente, nemo quippe seipsum absolvere potest, regulariter requiritur 1° ut absolutionem petat; convenit enim ut humili postulatione se emendatum demonstret. Hæc tamen conditio non requiritur ex necessitate, sed ex congruentia. — 2° Ut prius satisfecerit parti læsæ, si censura ob injuriam alteri illatam contracta fuerit, v. g. Ecclesiæ, cujus bona usurpavit. Sin autem impotens sit, debet sufficientem cautionem præbere, aut, si neque hanc præstare valeat, debet jurare se, cumprimum poterit, satisfacturum. — 3° Ut publicum scandalum, si datum fuerit, reparaverit, meliori modo quo potest, judicio Ordinarii vel Confessarii. Constat ex Declarationibus S. Pœnit. 5. Jul. 1857 et 10 Dec. 1860.[1] — 4° Si delictum fuerit enorme, ut juramentum præstet de eo amplius non patrando. Ejusmodi delictum esset e. g, scandalosa violatio Ecclesiæ, gravis percussio Clerici, notoria percussio Episcopi vel Cardinalis. — 5° Aliquando, ut juret (in foro interno promittat) sese præsentaturum esse Superiori, ejusque mandata suscepturum, prout dictum est in præcedenti §. (*n.* 127—130. *lib.* 6. *n.* 537. *qu.* 7.)

32. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An valeat absolutio, si a delegato collata fuerit, non præstitâ satisfactione, quæ præstari poterat?*

Resp. Controv. 1ª Sententia non improbabilis affirmat, si nullitas in Litteris delegationis non diserte exprimatur; quia hæc clausula est tantum monitio absolventi facta de suo officio. Ita Sanch. Castrop. Bonac. Ronc. Salm.

2ª Sententia communior et probabilior negat; quia, quando clausula ablativo absoluto exprimitur, e. g. *satisfactâ parte*, vel modo æquivalenti, tunc est vera conditio et limitatio potestatis. Ita Suar. Vasq. Filliuc. Coninc. Sayr. Spor. Viva, Gobat, etc.

Omnes autem conveniunt graviter *illicitum* esse absolutionem dare, non præmissâ satisfactione debitâ. (*n.* 121.)

Eadem resolutio valet pro aliis clausulis.

[1] Marc. *Instit. mor. n.* 1280.

[1] Revue théol. 1874. *pag.* 61.

[1] Konings. *n.* 1672. *qu.* 7 *et* 8.

QUÆR. 2° *An reus aliquando excusetur tam a satisfactione, quam ab ejus cautione præstanda?*

Resp. Affirm.; in tribus casibus: 1° si esset *perpetuo* impotens ad satisfaciendum; 2° si pars læsa satisfactionem remittat; vel 3° justam satisfactionem oblatam renuat. (*n.* 128. *lib.* 6. *n.* 537. *qu.* 7.)

QUÆR. 3° *An reus absolutus sub juramento satisfaciendi, recidat in censuram, si postea non satisfaciat?*

Resp. Probabilius negatur; quia reincidentia locum non habet, nisi in jure exprimatur, ut colligitur ex *Cap.* 8. *de offic. Ordin.;* atqui in hoc casu non exprimitur; ergo. (*Lib.* 6. *n.* 537. *qu.* 7. *in fine.*)

QUÆR. 4° *An delegatus, qui accepit facultatem absolvendi a censuris in foro conscientiæ, possit ea uti extra Sacramentum Confessionis?*

Resp. Affirm.; quia forum conscientiæ non est limitatum ad Sacramentum. Excipe tamen, si restrictio adesset ad forum Pœnitentiæ sacramentalis, ut evenit in Jubilæis, aut in aliis indultis cum clausula: *auditâ confessione*, vel: *pro foro tantum Pœnitentiæ*, vel: *pro foro conscientiæ, injunctâ salutari pœnitentiâ*, ut dicitur in Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *ref.* (*n.* 126.)

Notandum porro est, facultates pro foro conscientiæ restringi solere ad casus non deductos ad forum contentiosum, aut etiam non facile ad illud deducendos.

QUÆR. 5° *An possit absolvi absens?*

Resp. Affirm., sicut absens censurâ ligari potest; casu excepto, quo facultas absolvendi ad forum Sacramenti restricta est. Non est tamen danda absolutio absenti, nisi quando aliter fieri non potest. (*n.* 117.)

§ IV. *Forma et ritus absolutionis.*

33. — I. Forma absolutionis in jure nulla præscripta est; quapropter sufficiunt quæcumque verba ore prolata vel scripto expressa, quæ voluntatem absolventis demonstrent; v. g.: »Absolvo »te a vinculo excommunicationis, vel »suspensionis aut interdicti;" imo, si præmissa fuerit petitio absolutionis a certa censura, sufficit respondere: »Te ab»solvo." Neque necesse est exprimere causam, ob quam censura incursa est; quamvis conveniens sit id facere. (*n.* 116.)

34. — II. Ritus servandus 1° in absolutione ab excommunicatione *in foro externo* præscribitur in Pontificali, et in Rituali Romano *tit.* 3. *cap.* 3. *et* 4.; adeoque cæremoniæ ibi præscriptæ, si commode fieri possit, observari debent; earum tamen omissio non est culpa gravis.

2° *In foro interno*, Confessarius intra sacramentalem Confessionem utatur forma communi præscripta in absolutione sacramentali, ut tradit Rit. Rom. *cap.* 3. *n.* 8. Extra sacramentalem Confessionem, delegatus uti poterit hac formula: »Auctoritate mihi concessa absolvo te »a vinculo excommunicationis, in quam »incurristi propter *talem causam*, et »restituo te communioni fidelium et »Sacramentis Ecclesiæ, in nomine Pa»tris, † et Filii, et Spiritus Sancti." Si sit suspensio vel interdictum: »Aucto»ritate mihi concessa, absolvo te a vin»culo suspensionis (vel interdicti), quam »(*vel* quod) propter *talem causam* »incurristi, in nomine Patris etc." Ita Rit. Rom. *tit.* 3. *cap.* 5. (*n.* 116.)

Si quis a pluribus censuris ejusdem speciei absolvendus sit, dicatur: »ab *omni* vinculo." (*n.* 118.)

Notandum hoc loco est, absolutionem a censuris præmittendam esse ante absolutionem a peccatis; quia pleræque privant receptione Sacramentorum.

CAPUT II.

TRES CENSURARUM SPECIES.

ARTICULUS I.

EXCOMMUNICATIO.

Trademus 1° ejus notionem, 2° ejus effectus, 3° obligationem fidelium vitandi excommunicatum.

§ I. *Notio excommunicationis.*

35. — Excommunicatio est censura, qua quis privatur ecclesiastica communione fidelium. Dicitur: *ecclesiastica communione;* quia privat participatione eorum bonorum, quæ pendent ab ecclesiastica potestate et voluntate.

Excommunicatio est maxima inter pœnas ecclesiasticas; quia privat majoribus et pluribus bonis; ideo Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *ref.* monet ne Judices ecclesiastici hoc spirituali gladio utantur, nisi quando jam nullum aliud remedium superest.

36. — **Divisio.** 1° Olim dividebatur excommunicatio in *majorem* et *minorem;* major est, quæ ab omni communione fidelium separat: minor, quæ privat tantum receptione Sacramentorum et electione passsiva ad Beneficia. Sed post Constit. *Apostolicæ Sedis.* excommunicatio minor abrogata est, ut declaravit S. C. Inquis. 10 Dec. 1883.[1]

2° Alia est *reservata*, alia *non reservata.* Excommunicationes reservatæ hodie in tres species dividuntur: a) *specialiter* S. Pontifici reservatæ, quarum absolutio difficilius delegatur aliis; b) *simpliciter* S. Pontifici reservatæ, quarum absolutio facilius delegatur; c) *Ordinariis* reservatæ, quarum absolutio solis Ordinariis competit quoad subditos suos. Nomine *Ordinariorum* veniunt, non Episcopi tantum, verum etiam Vicarii Capitulares et Vicarii Generales; quinetiam Prælati Regulares; Regulares enim, utpote exempti a jurisdictione Episcoporum, non habent alios Ordinarios quam suos Prælatos.

3° Excommmunicatus alius est *vitandus*, quem fideles vitare tenentur, tum in divinis tum in humanis: alius *toleratus*, quem vitare non tenentur. — Olim omnes excommunicati erant vitandi; post Constitutionem vero Martini V *Ad evitanda.* vitandi tantum sunt *nominatim* excommunicati ac denuntiati, et notorii percussores Clericorum. (*n.* 133. 135.)

§ II. *Effectus excommunicationis.*

37. — Effectus immediati novem recensentur: 1° privatio communium suffragiorum Ecclesiæ, 2° privatio passiva Sacramentorum, 3° privatio activa eorumdem, 4° privatio divinorum Officiorum, 5° privatio sepulturæ ecclesiasticæ, 6° privatio jurisdictionis ecclesiasticæ, 7° privatio beneficiorum ecclesiasticorum, 8° privatio communicationis forensis, 9° privatio communicationis civilis.

Effectus mediati sunt, 1° irregularitas, si Clericus excommunicatus sacrum Ordinem solemniter exerceat; 2° suspicio hæresis, si quis per annum integrum in excommunicatione perseveret, et in ea animo obdurato insordescat; quia præsumitur male sentire de potestate Ecclesiæ; ita ex Trid. *sess.* 25. *cap.* 3. *ref.* (*n.* 157.)

38. — Excommunicatio ergo privat 1° COMMUNIBUS ECCLESIÆ SUFFRAGIIS. Hoc nomine intelliguntur spiritualia quædam subsidia, quibus Ecclesia suffragatur suis membris. Ejusmodi subsidia possunt membra Ecclesiæ sibi invicem præbere vel *privatim* tamquam privatæ personæ, vel *publice* tamquam Ecclesiæ ministri, et ex communi thesauro Ecclesiæ: hæc posteriora illa sunt, quibus excommunicatio privat; ideo *communia* suffragia vocantur.

Hæc communia suffragia ad tria revocantur: 1° ad Sacrificium Missæ, quod offertur nomine totius Ecclesiæ; 2° ad orationes, quæ fiunt ab Ecclesiæ ministris nomine totius Ecclesiæ; 3° ad indulgentias, quas Ecclesia concedit.

Porro excommunicatus privatur istis suffragiis, ita ut non solum illicite, sed invalide quoque illi applicentur. Privata vero suffragia pro illo offerre licet; quia non est prohibitum, et quia sic licet orare pro infidelibus. Ideo, quamvis non liceat Sacerdoti Missam offerre pro excommunicato, licet tamen privatim et secreto intra Missam pro eo orare, puta in *Memento.* (*n.* 162.)

Quæstio vero agitatur: *An excommunicati tolerati priventur etiam suffragiis Ecclesiæ?*

Resp. Adest duplex sententia probabilis. 1ª Sententia negat; quia ex Constit. *Ad evitanda.* permissa est fidelibus communicatio cum excommunicatis toleratis, tam in divinis quam in humanis; hæc ergo non est restringenda. Ita Lugo, Navar. Castrop. Coninc. Croix, Salm. etc.

2ª Sententia affirmat; quia illa Contutio non intendit »hujusmodi excom»municatos in aliquo relevare, nec eis »quomodolibet suffragari," sed removere scrupulos et scandala a fidelibus. Mul-

[1] Acta S. Sedis. *Vol.* 17. *pag.* 555.

tum autem relevasset eos atque favisset eis, si concessisset illis participationem communium suffragiorum. Ergo concessa est tantum fidelibus *externa* communicatio cum excommunicatis toleratis. Ita Suar. Bellarm. Bonac. Filliuc. Vasq. Soto, Ronc. etc. (*n.* 164. H. A. *n.* 18.)

39. — Privat 2° RECEPTIONE SACRAMENTORUM. Quapropter excommunicatus peccat graviter, si Sacramenta recipiat; nisi excuset ignorantia invincibilis vel necessitas vitandi gravem infamiam, scandalum, aliudve grave damnum; cum leges Ecclesiæ non obligent cum tanto incommodo.

Valide tamen Sacramenta recipit; excepto Sacramento Pœnitentiæ, quatenus dispositione caret; secus vero, si cum ignorantia inculpabili et alias dispositus absolutionem sacramentalem reciperet. (*n.* 158. 159.)

40. — Privat 3° ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM. Propterea excommunicatus peccat graviter, et irregularitatem incurrit, si ea administret, aut Sacrificium Missæ celebret; nisi causam excusantem habeat.

Valide tamen Sacramenta administrat; nam valor eorum non pendet ab Ecclesiæ dispositione; excepto Pœnitentiæ Sacramento, si excommunicatus *vitandus* illud ministret extra mortis articulum; quia jurisdictione privatus est.

Porro causæ, quæ excusant ab Ecclesiæ prohibitione, aliæ sunt pro excommunicato vitando, aliæ pro tolerato. 1° *Vitandus* in solo casu necessitatis excusatur; ideo potest Sacramentum Pœnitentiæ et Viaticum administrare constituto in mortis articulo, si alius Sacerdos præsto non sit; Extremam Unctionem tum poterit ministrare, cum infirmus nequit aliud Sacramentum suscipere. 2° *Toleratus* excusatur a) in casu necessitatis, puta ad vitandam gravem infamiam, scandalum, aliudve grave damnum; b) ob petitionem fidelium; nam fideles possunt cum eo communicare, proinde, quatenus est ex vi censuræ, etiam petere Sacramenta; quod si fideles possunt licite petere, ministri poterunt licite dare; hæc duo quippe correlativa sunt. (*n.* 165—171.)

41. — Privat 4° DIVINIS OFFICIIS. Divina Officia, quibus privat excommunicatio, reduci possunt ad quinque: 1° Sacrificium Missæ, 2° Officium Canonicum in Choro recitatum, 3° publica Processio, 4° solemnis Benedictio aquæ, cinerum, palmarum, candelarum, et multo magis Consecratio Chrismatis, etc., 5° omnis publica functio, quæ ex Ecclesiæ institutione fit solemniter ab aliquo Ecclesiæ ministro. At neque sacra concio, neque lectio sacræ Theologiæ, aut Scripturæ, aut Juris Canonici comprehenduntur sub nomine divini Officii.

His præmissis, dicendum est: 1° Cuilibet excommunicato prohibitum est divinis Officiis assistere; quare peccat graviter, si notabili parti assistat; nisi excuset ignorantia vel necessitas vitandi scandalum aut infamiam. Non prohibetur autem audire concionem, lectionem Theologiæ, etc.; neque alii prohibentur cum ipso assistere, cum non sit communicatio.

2° Clerico excommunicato insuper prohibitum est divina Officia celebrare; ideo ea celebrando non solum graviter peccat, verum etiam ob exercitium sacri Ordinis irregularitatem contrahit. Neque licet ei concionari aut lectionem Theologiæ, etc. tradere; quia esset communicatio cum fidelibus; permittitur tamen tolerato, si requiratur, vel teneatur ex officio, quia tunc censendus est petitus. (*n.* 173. 177.)

Quæstiones. QUÆR. 1° *An Clericus in sacris, si excommunicatus sit, teneatur privatim recitare Horas Canonicas?*

Resp. Affirm.; pœna enim ab onere non liberat; alioqui reus ex contumacia sua commodum reportaret. Debet tamen, at sub veniali tantum, solus recitare, et loco *Dominus vobiscum* dicere *Domine exaudi orationem meam.* (*n.* 178.)

QUÆR. 2° *An excommunicatus privetur omni usu rerum sacrarum?*

Resp. Negat.; potest Ecclesiam ingredi et illic privatim orare, dum non celebrantur divina Officia; etiamsi ibi sint alii fideles, qui privatim orant; quia præsentia illa non est communicatio cum illis. Permittitur quoque usus Sacramentalium, non quidem ut participet fructum, quem producunt ex benedictione Ecclesiæ, sed ut ea veneretur. (*n.* 174.)

42. — Privat 5° SEPULTURA ECCLESIASTICA. Hoc nomine venit sepultura *in loco sacro* seu benedicto, sive sit templum sive cœmeterium. Excommunicati, qui non fuerunt absoluti in vita nec post mortem, privantur sepultura ecclesiastica; nam ratio exposcit »ut quibus non »communicavimus vivis, nec communi»cemus defunctis," ut loquitur *Cap.* 12. *de sepult.* Distinguendi tamen sunt vitandi et tolerati.

1° Excommunicatus *vitandus* extra locum sacrum sepeliendus est, et absque Clericorum comitatu. Quod si in loco sacro sepultus fuerit, exhumari debet, et locus, utpote pollutus, reconciliandus est. Sin autem decedens signa pœnitentiæ dederit, antequam sepeliatur debet absolvi ac communioni Ecclesiæ restitui; et, si casu jam sepultus fuisset in loco sacro, non est exhumandus, sed quamprimum petenda est absolutio a legitimo Superiore.

2° Excommunicatus *toleratus*, si *notorius* sit, et impœnitens obierit, pariter excluditur ab ecclesiastica sepultura, ut decernit Rituale Rom. *tit.* 6. *cap.* 2. *n.* 2.; imo, si in loco sacro sepultus fuerit, exhumari debet; attamen locus non censetur pollutus, nec proinde reconciliatione indiget. Idem valet, si defunctus notorie hæreticus fuerit. (*n.* 186. 187.)

43. — Privat 6° JURISDICTIONE ECCLESIASTICA. 1° Excommunicatus *vitandus* omni ecclesiastica jurisdictione spoliatus est in utroque foro; adeoque acta jurisdictionis ab eo præstita sunt invalida. Unde non potest valide leges ferre, sententiam dicere, beneficia conferre, Confessarios approbare, a peccatis absolvere extra mortis articulum.

2° Excommunicatus *toleratus* privatus est usu licito jurisdictionis; quare peccat mortaliter quoties exercet actum prohibitum jurisdictionis; acta tamen ejus valida sunt ob bonum commune, alioquin frustrarentur fideles, qui cum eo communicare possunt. Si vero requisitus fuerit a fidelibus, vel necessitate grave damnum vitandi compulsus, licite uti potest sua jurisdictione. (*n.* 185.)

44. — Privat 7° HABILITATE AD BENEFICIA ECCLESIASTICA. Igitur 1° Collatio Beneficii cuicumque excommunicato facta, non solum est graviter illicita, tam ex parte conferentis quam ex parte accipientis, sed est etiam invalida. Excipe tamen, si collatio fiat a S. Pontifice; quia Papa solet in suis Litteris præmittere absolutionem ab omni censura ad effectum consequendi gratiam iis contentam; at vero hæc generalis absolutio non prodest excommunicato *ob hæresim*, neque excommunicato, qui suspectus est de hæresi ob perseverantiam in censura. — Præfata inhabilitas subsistit etiam ob censuram ignoratam.

2° Nulla excommunicatio privat Beneficio legitime obtento; sed potest reus ab eo privari, si in excommunicatione per annum insordescat.

3° Excommunicatio ipso jure privat fructibus Beneficii durante excommunicatione provenientibus; beneficium enim datur propter officium; at excommunicatus est privatus officio; ergo et fructibus. Nihilominus, si per se vel per alium onera Beneficii exsequatur, non privatur fructibus ante sententiam judicis.

4° Excommunicatio privat non solum Beneficio, sed etiam Officio ac Dignitate ecclesiastica habente jurisdictionem adnexam; prout sunt Delegatus, Administrator, Vicarius Episcopi, Prælatus Regularis. (*n.* 179—183.)

45. — Privat 8° COMMUNICATIONE FORENSI. 1° Excommunicatus *vitandus* non potest in foro ecclesiastico ullum publicum munus gerere; quia ei interdicta est omnis communicatio cum fidelibus. Nequit ergo judex esse, procurator, advocatus, actor, vel testis. Idcirco acta ejus ad judicium spectantia graviter illicita sunt. Præterea repelli potest a judicio per exceptionem, objiciendo excommunicationem. Denique acta judicis excommunicati invalida sunt. — Attamen ut reus in jus vocari potest, et in judicio potest se tueri.

2° Excommunicatus *toleratus* valide agit, sed illicite, nisi requisitus fuerit. (*n.* 184.)

Hæ leges Ecclesiæ olim vigebant etiam in Jure Romano quoad munera non tantum forensia, sed quoad alia quoque officia publica. Jura vero civilia nostri ævi leges ecclesiasticas non curant, cum civilis societas jam divortium fecerit ab Ecclesia.

46. — Privat 9° COMMUNICATIONE CIVILI. 1° Prohibita est cuicumque excommunicato civilis et politica communicatio cum fidelibus; nisi aliunde necessitas urgeat. Toleratus potest insuper communicare, quandocumque requiritur ab aliis. — Hinc non licet excommunicato contractus celebrare cum aliis fidelibus, testamentum condere, quotidianum

convictum participare; acta tamen valida sunt.

2° Prohibita quoque est fidelibus communicatio cum excommunicato *vitando:* cum *tolerato* vero permissa est ex Constit. Martini V *Ad evitanda.* (*n.* 188. 138. 139.) De hac prohibitione uberior explicatio tradetur in sequenti §.

§ III. *Obligatio vitandi excommunicatos.*

47. — I. Ex Constit. Martini V *Ad evitanda.* obligatio fidelium vitandi excommunicatos restricta est ad eos, qui vel nominatim excommunicati ac publice denuntiati sunt, vel notorii sunt Clerici percussores. Quoad cæteros, non tenentur fideles ob censuram vitare communicationem cum eis, tam in rebus divinis quam in humanis. Ideo priores vocantur *vitandi*, posteriores *tolerati.* (*n.* 135.)

Dixi 1° *Non tenentur toleratos vitare;* quia *possunt*, si velint, a communicatione cum ipsis abstinere; nam favore sibi indulto uti non coguntur; nisi tamen regionis consuetudo aut publica fœdera eam communicationem postularent. (*n.* 137.)

Dixi 2° *Ob censuram;* quia obligatio eos vitandi aliunde exsistere potest, puta ob scandalum, ob periculum perversionis, ob præceptum fidei, quod vetat communicationem in divinis cum hæreticis. (*n.* 136.)

48. — Notandum porro est: 1° Ut quis sit *nominatim* excommunicatus, necesse est ut ejus nomen et cognomen exprimantur, vel saltem indubio signo indicetur, ita ut cum alio confundi nequeat. (*n.* 136.)

2° Ut *publice denuntiatus* dicatur, requiritur et sufficit quod mandato Judicis publice denuntietur tamquam excommunicatus, sive censura a jure sive ab homine inflicta fuerit. Hæc denuntiatio debet fieri in loco publico. Satis est autem quod famâ publicâ vel testimonio personæ fide dignæ constet reum denuntiatum esse. (*n.* 137.)

3° Ut percussores Clericorum censeantur *notorii*, requiritur ex Constit. *Ad evitanda.* ut »factum non possit aliqua »tergiversatione celari, nec aliquo suf»fragio excusari." Ideo postulatur a) *notorietas facti*, ut nempe factum patratum sit in conspectu majoris partis alicujus viciniæ, Parochiæ, Collegii, vel coram magno numero personarum; b) probabiliter etiam *notorietas juris*, ut nimirum de delicto constet in judicio, sive per confessionem rei, sive per depositionem duorum testium omni exceptione majorum, sive per sententiam judicis; alias poterit reus plerumque aliquo effugio se excusare, dicendo v. g. se ad defensionem percussisse, ebrium fuisse, ignorasse censuram, etc. (*n.* 141—144. H. A. *n.* 16.)

De cætero nemo tenetur excommunicatum vitare, nisi moraliter ei constet illum esse vitandum, puta per publicam famam, per testimonium duorum saltem fide dignorum. In dubio tamen num quis sit vitandus, non licet ab eo suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, propter periculum illud invalide suscipiendi. E converso, facultas communicandi restituitur, cumprimum constat de absolutione, sive per famam publicam, sive per testimonium ipsius excommunicati, si fide dignus sit. (*n.* 207. 146.)

49. — II. Actiones, quæ continent prohibitam communicationem cum vitando, quinque numerantur, hoc versiculo expressæ:

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

1° *Oris* nomine intelligitur osculum pacis; item colloquium, sive verbis sive litteris sive nutibus sive internuntio fiat; imo generaliter quodlibet benevolentiæ signum, v. g. missio vel acceptatio munerum. (*n.* 189.)

2° Verbo *orare* intelligitur quælibet communicatio in divinis, puta offerre suffragia communia pro illo; ministrare illi Sacramenta, vel recipere ab eo; divina Officia, Sacrificium Missæ præcipue, eo præsente celebrare; tradere eum ecclesiasticæ sepulturæ, etc. Privatim tamen cum eo orare excusatur a mortali. (*n.* 190. H. A. *n.* 21.)

3° Nomine *vale* prohibetur omnis honorifica salutatio, utpote qua excommunicatus indignus est. Probabile tamen est licere ea signa urbanitatis exhibere, quæ necessaria sunt ut inurbanitatis et contumeliæ nota vitetur. (*n.* 191—193.)

4° Verbo *communio* intelligitur quævis societas, vel cooperatio in eodem negotio peragendo, puta cohabitatio in eadem domo, collaboratio, celebratio contractûs, coambulatio, comitatus in itinere. Debet autem consortio ista esse *formalis*, i. e. per modum unius; secus, si quis fortuito in eadem domo, in eodem itinere cum excommunicato incidat. (*n.* 194.)

5° Nomine *mensæ* venit commune convivium, nimirum *formaliter*, ut supra dictum est; non autem, si quis casu in diversorio eidem mensæ accumberet cum excommunicato. (*n.* 195.)

50. — Superest ut aliquas actiones communicationis in divinis seu in sacris uberius explicemus. Si excommunicatus vitandus velit interesse divino Officio, Officium non est inchoandum, nisi excommunicatus admonitus exeat. Si nolit exire, expelli debet, si fieri possit. Si Officium jam inchoatum est, intermitti debet, si possit. Dico: *si intermitti possit*, propter Sacrificium Missæ; Missa namque ante Canonem intermittenda est; cœpto Canone, aut certe Consecratione, perficienda est usque ad sumptionem inclusive, deinde recedendum est ab altari, et reliqua complenda sunt in sacristia; alii omnes, præter Sacerdotem et ministrum exire debent. (*n.* 177.)

51. — III. Ex benignitate Ecclesiæ aliqui casus sunt, in quibus permissum est fidelibus communicare cum excommunicatis *vitandis;* attamen in humanis dumtaxat, non in divinis. In iisdem casibus indirecte concessum est excommunicatis vicissim communicare cum fidelibus; hæc enim correlativa sunt.

Causæ excusantes dictam communicationem, sequenti versiculo continentur:

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Igitur excusat 1° *Utilitas* tam spiritualis quam corporalis. Unde ob utilitatem propriam licet consilium petere ab excommunicato, si ab alio æque idoneo non speretur; licet eum medicum vocare, si magis idoneus reputetur; debitum ab eo exigere, etc. Ob utilitatem excommunicati potest concio coram eo haberi; privatim admoneri ut resipiscat, et propterea licet interponere aliqua verba ad captandam benevolentiam, etc. (*n.* 201.)

2° *Lex* matrimonii excusat communicationem inter conjuges, non tantum in debito, verum etiam in mensa, gubernatione domûs, colloquiis, aliisque domesticis obsequiis. Excipe tamen, a) si divortio separati sint; b) si excommunicatio inflicta sit ob hæresim, vel ob dubium de valore matrimonii. (*n.* 202.)

3° *Humilitas* subjectionis, quam debent subditi Superioribus suis, puta filii parentibus et avis, famuli heris suis, milites duci suo, etc. (*n.* 203.)

4° *Ignorantia*, sive juris sive facti, i. e. sive quis ignoraverit legem prohibentem ejusmodi communicationem, sive ignoraverit illum, quocum communicat, vitandum esse. Probabiliter excusat quævis ignorantia, modo non sit affectata; colligitur ex *Can.* 103. *caus.* 11. *qu.* 3., ubi Pontifex hanc indulgentiam concedit, quia multi ignorantiâ peribant; sed ignorantiâ invincibili nemo perit; ergo ignorantia etiam vincibilis excusat. (*n.* 205.)

5° *Necessitas*, sive spiritualis sive temporalis, sive ipsius excommunicati sive aliorum, modo gravis sit, et ab alio juvari nequeat. Pari modo excusat coactio metûs, quippe quæ necessitati æquiparatur. (*n.* 206.)

52. — **Quæstiones.** Quær. 1° *Quantum peccatum sit prohibita communicatio cum vitando?*

Resp. Dist. 1° Est peccatum mortale, si fiat a) in rebus divinis, nisi excuset parvitas materiæ; b) in crimine criminoso, i. e. in crimine, ob quod aliquis excommunicatione perculsus est. Hæc participatio in crimine committitur cooperando ad contumaciam excommunicati, dando nempe ei consilium, auxilium, vel favorem, ne ab eo crimine resipiscat.

2° Est peccatum veniale tantum, si fiat in rebus civilibus; quia non censetur tam graviter prohiberi. Disputant autem DD. an frequens ejusmodi communicatio evadat mortale. *Prima sententia* probabilis negat, nisi excommunicatus inde ansam arripiat perseverandi in sua contumacia; quia sola multiplicatio non mutat veniale in mortale. Ita Navar. Castrop. Sayr. Avila, Regin. Diana, etc.

Secunda sententia probabilior affirmat, si quis animum habeat continuandi hanc communicationem; quia tale propositum censetur gravis contemptus prohibitionis Ecclesiæ. Ita Suar. Bonac. Holzm. Filliuc. Coninc. Spor. Salm. etc. (*n.* 197. 198.)

Quær. 2° *An pœnas incurrat illicite communicans cum vitando?*

Resp. Olim communicantes incurrebant excommunicationem minorem; in tribus casibus majorem. (*n.* 199.) Ex Constit. *Apostolicæ Sedis.* incurrunt excommunicationem Papæ simpliciter re-

servatam 1° communicantes in crimine criminoso cum nominatim excommunicato a Papa; 2° Clerici scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a R. Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in Officiis recipientes.

Adhæc notare juvat sequentes pœnas: 1° Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos, incurrunt excommunicationem non reservatam. — 2° Nominatim excommunicatos ad divina Officia, seu ecclesiastica Sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

QUÆR. 3° *An percussor Clerici vel nominatim excommunicatus vitandus sit in alio loco, ubi percussio vel denuntiatio non est notoria?*

Resp. Nonnulli affirmant; quia lex non distinguit. At alii probabiliter negant; nisi notitia sit brevi in illum locum perventura; quia factum publicum in uno loco non vere est publicum in alio. (*n.* 145.)

53. — Advertendum hoc loco, quod dicta de obligatione vitandi excommunicatos, intelligi pariter debeant de suspensis, interdictis, ac irregularibus, in iis rebus, in quibus, vi suspensionis, interdicti, vel irregularitatis, vetitum est cum eis communicare. (*n.* 140.)

ARTICULUS II.

SUSPENSIO.

Trademus 1° notionem suspensionis, 2° effectus ejus, 3° ejus violationem, 4° ejusdem cessationem.

§ I. *Notio suspensionis.*

54. — Suspensio est censura, qua Clericus privatur quarumdam functionum sacrarum exercitio.

Differt 1° ab excommunicatione; tum quia fertur in solos Clericos; tum quia privat tantum usu alicujus potestatis ecclesiasticæ, non autem bonorum spiritualium receptione; 2° ab interdicto; quia hoc afficit etiam laicos, et privat receptione aliquorum Sacramentorum, Officiis divinis, et ecclesiastica sepultura, quibus suspensus non est privatus.

55. — **Divisio.** 1° Alia est *ab Officio*, quæ privat usu Ordinis et jurisdictionis: alia *a Beneficio*, quæ privat fructibus et administratione Beneficii: alia *ab utroque*, nempe ab Officio simul et Beneficio. Hinc:

2° Alia est *totalis*, quæ suspendit et ab Officio et a Beneficio: alia *partialis*, quæ suspendit ab altero illorum. Hæc rursus suspendit vel ab *omni* Officio aut Beneficio; vel a *certo* tantum, aut a *parte* illius; unde dicitur totalis vel partialis secundum quid. — Partialis suspensio fit v. g. ab Ordine tantum, qua prohibetur omne exercitium Ordinis; vel a certo Ordine, e. g. ab audiendis Confessionibus, a celebratione Missæ; item vel ab omni actu jurisdictionis, vel a certo tantum actu, e. g. a collatione Beneficii; denique ab aliqua parte Beneficii, v. g. a dimidia parte fructuum, a distributionibus quotidianis.

3° Alia fertur *ad certum tempus*, quo elapso, exspirat, v. g. ad mensem, ad annum, vel etiam *in perpetuum*: alia fertur *indefinite*, manetque donec per absolutionem tollatur. Prior proprie censura non est, sed potius pœna vindicativa. (*n.* 315. 316.)

56. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quotuplici modo suspensio ferri possit?*

Resp. Triplici; videlicet 1° ut *censura*, quando fertur ad frangendam contumaciam, et nonnisi absolutione tollitur. 2° Ut pœna *vindicativa*, qualis censetur, si imponatur pro peccato mere præterito; vel ad certum tempus, quo elapso, sine absolutione cessat; item, ad beneplacitum irrogantis; vel per sententiam particularem sine prævia monitione; vel oretenus tantum. 3° Ut *simplex prohibitio*, seu *ad cautelam*, v. g. ob famam delicti nondum in judicio confessi aut probati. Hæc, ut patet, nullius pœnæ rationem ex se habet. (*n.* 317. Acta S. Sedis. *Vol.* 2. *pag.* 284.)

QUÆR. 2° *An suspensio quandoque infligi possit extrajudicialiter, seu* EX INFORMATA CONSCIENTIA?

Resp. Affirm., sed nonnisi ab Officio, ob delictum occultum, et ad tempus definitum, non in perpetuum. Ita ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. *ref.* et pluribus declarationibus S. C. C.

Suspensio *ex informata conscientia* tur, quando Episcopus, prætermissis juris solemnitatibus, Clericum suspendit ob occultam causam, quam sibi notam asserit. Non tenetur Episcopus causam suspensionis seu delictum manifestare ipsi reo, sed tantum Sedi Apostolicæ, si suspensus ad eam recursum habuerit. Suspenso vero nulla competit appellatio ab hujusmodi judicio, sed recursus dumtaxat ad Sedem Apostolicam, ut ei suas querelas exponat. (Bened. XIV. *De Syn. lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 3—5. Acta S. Sedis. *vol.* 7. *pag.* 569. *seqq.*)

§ II. *Effectus suspensionis.*

57. — Efficacia suspensionis colligi debet ex verbis, quibus fertur. Inde deducuntur duæ regulæ: I. Suspensio simpliciter lata censetur *totalis;* nisi ex contextu colligatur aliqua restrictio. Ratio est, quia nomine generis vel quasi-generis veniunt omnes ejus species, et locutio indefinita æquivalet universali.

Additum est: *nisi ex contextu* etc.; nam in dubio hic attendendus est.

II. Suspensio determinata ad aliquam materiam *partialis* est, et privat illis solum actibus, qui in sententia exprimuntur, vel cum eis necessario connexi sunt. Ratio est, quia pœnæ non sunt extendendæ ultra verborum proprietatem. (*n.* 316.)

Recensebimus effectus suspensionis 1° ab Officio, 2° a Beneficio.

1. *Effectus suspensionis ab Officio.*

58. — 1° Suspensio *ab Officio* simpliciter lata privat omni usu Ordinis et jurisdictionis spiritualis; quia hæc omnia nomine Officii veniunt. Dico: *privat omni* USU; non autem Officio ipso et potestate. Suspensus *ab Officio* non est hoc ipso suspensus *a Beneficio;* unde, si satisfaciat per alium obligationibus Beneficii, potest fructus ejus percipere.

2° Suspensus *ab Ordine* est suspensus ab omni exercitio cujusvis Ordinis; sed non est suspensus *a jurisdictione;* proinde exercere potest omnes actus jurisdictionis, qui actualem usum Ordinis non requirunt; propterea Episcopus suspensus ab Ordine tantum, potest Confessarios approbare, quamvis ipse a peccatis absolvere nequeat.

3° Suspensus *ab Ordine superiore* non ideo suspensus est *ab Ordine inferiore;* unde suspensus ab officio sacerdotali non prohibetur ab exercitio Diaconatûs et Subdiaconatûs.

4° Episcopus suspensus *ab Ordine Pontificali* tantum, est suspensus ab iis actibus, qui sunt proprii Ordinis Episcopalis; quales sunt collatio Ordinum, Confirmatio, consecratio Chrismatis, altarium, etc. Pariter, suspensus *a Pontificalibus* est tantum suspensus ab usu insignium Pontificalium; hæc quippe nomine Pontificalium intelliguntur, et sunt usus baculi, mitræ, pallii. Ergo suspensio a Pontificalibus prohibet eas omnes functiones, quæ non possunt fieri sine illis, puta Missam solemnem, collationem Ordinum, consecrationem altarium, et similes. (*n.* 316.)

5° Suspensus *a jurisdictione* simpliciter, privatur omni actu jurisdictionis in foro tam interno quam externo; sed non privatur exercitio Ordinis, qui non requirit jurisdictionem. Suspensus *vitandus* invalide absolvit a peccatis; quia caret jurisdictione: secus vero, si *toleratus* sit; quia tunc in favorem fidelium retinet jurisdictionem necessariam ad valorem actus; illicite tamen absolvit, si non est requisitus a fidelibus. (*n.* 314. *in fine.*)

6° Quando suspensio fertur in Communitatem collective sumptam, e. g. in Capitulum, Conventum, afficit singulas personas quoad officia vel jura, quæ *collegialiter* exercentur; non autem quoad munia *personalia*, quæ privatim exercentur. Si vero suspensio feratur et in Communitatem et in singulas illius personas, tunc afficit solos delinquentes, non autem innocentes; nemo enim puniri potest pro culpa aliena. (*n.* 317.)

2. *Effectus suspensionis a Beneficio.*

59. — 1° Suspensio a Beneficio non privat ipso Beneficio, sed *fructibus* illius. Propterea onera Beneficii, seu obligatio exercendi Officium, apud suspensum manent; quia illa non ex fructibus perceptis, sed ex Beneficio oriuntur.

2° Eadem suspensio privat etiam *administratione* Beneficii; quia cui aliquid prohibitum est, etiam prohibentur ea, quæ ordinantur ad illud. Ideo suspensus nequit Beneficii bona locare, fructus vendere, etc. (*n.* 316.)

60. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quid veniat nomine fructuum Beneficii?*

Resp. Veniunt agrorum fructus, pensiones ædium locatarum, decimæ, oblationes, et similia emolumenta, quæ ratione Beneficii percipiuntur. — An vero veniant distributiones quotidianæ, quæ Canonicis intervenientibus Choro concedi solent, controversum est. Nonnulli negant; plerique vero affirmant, si ex fructibus Beneficii extractæ sint; quia tunc vere sunt fructus Beneficii. Ita Suar. Filliuc. Covar. Castrop. Laym. Bonac. Sayr. Coninc. Salm. *tr.* 10. *cap.* 5. *n.* 34. — *cap.* 3. *n.* 112. etc.

QUÆR. 2° *An suspensus, si sit pauper, privetur etiam fructibus, qui ad suam sustentationem necessarii sunt?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si suspensio lata fuerit ob contumaciam; quia non debet Ecclesia subvenire ei, qui voluntarie Ecclesiæ disciplinam vilipendit, et delicti pœnitens potest a pœna liberari. Dicunt tamen DD., quod, licet per se teneatur fructus restituere, si tamen fuerit *occulte* suspensus et munia debita impleat, poterit sibi retinere partem, quam dare deberet substituto; hi enim non sunt fructus Beneficii, sed stipendium laboris.

2° *Negat.*, si suspensio lata sit in vindictam criminis commissi; tunc enim, cum in ejus voluntate positum non sit ab ea liberari, Ecclesia hanc benignitatem exercet. *Ita communiter.* (*n.* 316. *dub.* 1.)

QUÆR. 3° *An suspensus a Beneficio inhabilis sit ad novum Beneficium acquirendum, ita ut collatio sit nulla?*

Resp. Aliqui affirmant. Sed alii probabilius negant; quia, quamvis collatio irritanda sit a judice, nullus tamen Canon afferri potest *ipso facto* irritans talem collationem; cui accedit, quod suspensio non privet ipso Beneficio. (*n.* 316. *dub.* 3.)

§ III. *Violatio suspensionis.*

61. — Clericus, qui violat suspensionem, 1° committit peccatum ex genere suo mortale; quia contemnit Ecclesiæ præceptum et gravem illius censuram. Excusatur a) ob parvitatem materiæ, v. g. si suspensus ab Ordine exerceat officium Ordinum minorum; vel Ordinis sacri, sed non solemniter; b) ob ignorantiam vel metum gravis damni; c) ob petitionem fidelium, si nempe suspensus ab Officio *non denuntiatus* ad petitionem fidelium exercet actum, a quo suspensus est.

2° Si violat suspensionem *ab Ordine*, officium Ordinis *sacri* exercendo *solemniter*, incurrit irregularitatem. Hæc pœna non incurritur ob violationem suspensionis *a jurisdictione* vel *a Beneficio;* quia non habetur in Jure, et irregularitas non incurritur nisi in casibus Jure expressis.

3° Actus jurisdictionis, præstitus a suspenso *a jurisdictione*, si *denuntiatus* sit, nullus et irritus est; quia, factâ denuntiatione, privatur penitus jurisdictione. Excipe tamen absolutionem in articulo mortis. (*n.* 313. 314. 358.)

62. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Episcopus suspensus a pontificalibus incurrat irregularitatem, si Missam celebrat in pontificalibus?*

Resp. Nonnulli affirmant. Sed communius et probabilius negatur; Missæ enim celebratio non est actus proprius Ordinis episcopalis, sed Ordinis sacerdotalis; id autem cum apparatu pontificali facere, grave quidem illi peccatum est, at non mutat actûs substantiam. (*n.* 314. *dub.* 2.)

QUÆR. 2° *An irregularitas incurratur ob violationem suspensionis ab Ordine sacro, si lata fuerit in vindictam?*

Resp. Nonnulli negant; quia talis suspensio non est censura. At communiter et probabilius affirmatur; quia sic expresse sancitur in *Cap.* 1. *de sent. et re judic. in* 6. et *Cap.* 1. *de sent. excom. in* 6. et in Declar. S. C. C. 21. Jun. 1625. [1] in qua agitur de suspensione lata ab homine; accedit, quod suspensiones ad certum tempus in Constit. *Apostolicæ Sedis.* inter censuras enumerentur.

QUÆR. 3° *Qualis communicatio cum suspenso denuntiato sit prohibita?*

Resp. Ea, qua quis cooperatur ad actum, a quo suspensus est, v. g. si petat ab eo ejusmodi actum; si Missæ inserviat Sacerdotis suspensi ab Ordine. Secus vero, si nulla præstetur cooperatio; unde non est illicitum audire Missam Sacerdotis suspensi, nisi scandalum interveniret. (*n.* 313.)

[1] Apud Bened. XIV. *De Syn. lib.* 12. *cap.* 8. *n.* 5.

§ IV. *Cessatio suspensionis.*

63. — I. Suspensio lata in *vindictam* delicti, tolli potest duobus modis: 1° Lapsu temporis, aut impletione conditionis, si lata est ad determinatum tempus vel sub aliqua conditione; suspensio enim non operatur ultra voluntatem suspensoris. 2° Dispensatione Superioris; si nempe lata est ad certum tempus, vel etiam in perpetuum, aut sub aliqua conditione, a Superiore tolli poterit ante tempus finitum vel ante impletam conditionem. Dico: *a Superiore;* quia inferior eam auferre nequit, nam alias intentio Superioris frustraretur; ideo talis suspensio semper est virtualiter reservata.

II. Suspensio lata tamquam *censura* nonnisi absolutione auferri potest, postquam suspensus recesserit a contumacia. Recole dicta n. 26. seqq. (*n.* 322.)

QUÆRITUR porro: *An is qui accepit facultatem delegatam absolvendi a suspensione reservata, absolvere seu dispensare possit a suspensione lata in* VINDICTAM?

Resp. Affirmandum videtur; tum quia relaxatio hujus suspensionis etiam absolutio vocatur; tum quia hæc pœna inter censuras recensetur, ut patet ex Constit. *Apostolicæ Sedis.* (Castrop. *tr.* 29. *disp.* 4. *punct.* 9. *n.* 7.)

ARTICULUS III.

INTERDICTUM.

Expendemus 1° notionem interdicti, 2° ejus effectus, 3° violationem ejus, 4° ejusdem cessationem.

§ I. *Notio interdicti.*

64. — Interdictum est censura prohibens usum divinorum Officiorum, quorumdam Sacramentorum, et ecclesiasticæ sepulturæ.

Differt ab aliis censuris, 1° quia pauciores effectus habet, quam excommunicatio; plures vero, quam suspensio; 2° quia iisdem rebus diversa ratione privat; excommunicatio enim usu rerum sacrarum privat, quatenus est quædam *communicatio cum fidelibus;* suspensio, quatenus est *exercitium spiritualis potestatis;* interdictum vero, quatenus est *usus rerum sacrarum.* (*n.* 328.)

65. — **Divisio.** Est 1° præcipue triplex, scil. *locale*, quod directe fertur in locum, et indirecte in personas, quia in eo loco interdicitur divinorum celebratio: *personale*, quod immediate dirigitur ad personam, cui interdicta est participatio divinorum: *mixtum*, quod ex utroque coalescit, quia afficit tum personam, tum quemcumque locum, quem illa persona ingressa fuerit.

2° *Generale*, quo vel locus generalis, e. g. regnum, provincia, civitas, vel communitas quædam interdicitur: *speciale* seu *particulare*, quo vel locus particularis, e. g. una vel plures ecclesiæ alicujus civitatis, vel personæ determinatæ interdicuntur.

3° Personale subdividitur in *totale*, quod omnes effectus interdicti personalis comprehendit: et *partiale*, quod aliquos vel unum tantum continet, e. g. ab ingressu ecclesiæ, ab ecclesiastica sepultura. (*n.* 329.)

66. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quænam loca comprehendantur interdicto locali?*

Resp. Tenendæ sunt sequentes regulæ:

1° Interdictâ civitate, interdicuntur etiam suburbia illius; quia alias interdictum facile eludi posset, confluendo in suburbia ibique divinis Officiis assistendo.

2° In interdicto generali loci comprehenduntur etiam ecclesiæ exemptæ a jurisdictione ejus, qui tulit interdictum; ob eamdem rationem. Ideo nulla ecclesia Regularium excipitur ab interdicto imposito ab Ordinario, ut decrevit Trid. *sess.* 25. *cap.* 12. *et* 22. *de Regul.*

3° Interdictum locale omnes, tam sæculares quam Regulares, tam incolæ quam exteri, observare tenentur, nisi speciali privilegio super eo muniti sint; imo illud observare debet etiam is, qui tulit. (*n.* 330.)

4° Interdictum locale semper secum fert interdictum personale illorum, qui causam interdicto dederunt; hi nimirum sunt specialiter interdicti, ita ut nullibi divina participare possint, dum alii, qui causam non dederunt, extra locum interdictum divinis interesse possunt. (*n.* 332.)

5° Interdictâ aliquâ ecclesiâ, interdictæ quoque sunt capellæ ejus, et cœmeterium contiguum; non autem vice

versa; accessorium enim sequitur suum principale. (*n.* 330.)

QUÆR. 2° *Quas personas afficiat interdictum personale?*

Resp. Servandæ sunt sequentes regulæ:

1° Interdictum generale in personas alicujus Communitatis, v. g. regni, provinciæ, civitatis, collegii, comprehendit omnes, qui sunt membra illius Communitatis; adeoque etiam eos, a) qui absentes erant, quando latum est interdictum; b) innocentes; c) eos, qui post latum interdictum partes illius Communitatis fiunt; d) Clericos et Religiosos, qui partes sunt Communitatis interdictæ; e) cives suburbiorum; nisi sui juris sint.

Excipiuntur autem ab interdicto generali: a) Episcopi, nisi de ipsis expressa mentio fiat; b) infantes et amentes; qui tamen sepultura ecclesiastica privantur; c) innocentes, qui a populo recedunt, alibi domicilium fixuri; d) exteri, etsi diu in populo habitent, ut scholastici, mercatores.

2° Interdicto populo, Clerus non censetur interdictus; quia nomine populi veniunt laici tantum. Et vice versa, interdicto Clero, populus non est interdictus; ideo poterit populus extraneos Clericos convocare ad divina celebranda.

3° Interdicto Clero alicujus loci, Religiosi non censentur interdicti; quia, quamvis sub nomine Cleri comprehendantur in favorabilibus, non tamen in odiosis. Excipiuntur illi Religiosi, qui Beneficium sæculare possident; nam hi cum Clero sæculari unum corpus constituunt. (*n.* 331.)

§ II. *Effectus interdicti.*

67. — Interdictum simpliciter latum sequentes producit effectus:

1° Privat ADMINISTRATIONE ET RECEPTIONE QUORUMDAM SACRAMENTORUM, scil. a) Eucharistiæ; nisi sumatur per modum Viatici: potestque hoc casu ac debet ad domum ægroti deferri solita cum solemnitate. b) Extremæ Unctionis; excipiunt DD. casum, quo infirmus nullum aliud Sacramentum potest recipere. Religiosi possunt ex privilegio tempore interdicti tum Communionem etiam extra mortis periculum, tum Extremam Unctionem recipere. c) Ordinis. — Prædicta Sacramenta neque in loco interdicto, neque personis *specialiter* interdictis conferri possunt; at personis *generaliter* interdictis conferri possunt in loco non interdicto.

Non prohibetur administratio et receptio a) Baptismi; potestque ac debet ministrari solemniter. Minister vero *nominatim* interdictus nonnisi in casu necessitatis privatim baptizare potest. b) Confirmationis; quia est Baptismi complementum. Potest etiam cum omni sua solemnitate ministrari. Minister, si *specialiter* interdictus est, Sacramentum ministrare nequit; alius vero sic interdictus illud recipere non potest, nisi prius satisfactionem exhibeat, aut, si id nequeat, cautionem saltem juratam præstet. c) Pœnitentiæ; quod Sacramentum conceditur omnibus; attamen, qui *specialiter* interdictus est, absolvi nequit, nisi prius condignam satisfactionem exhibeat, ut supra. Minister *specialiter* interdictus hoc Sacramentum licite ministrare non potest, nisi urgente necessitate in articulo mortis. d) De Matrimonio DD. disputant; nonnulli negant; quia non legitur a prohibitione exceptum. Communius vero et probabilius affirmant; quia prohibitio intelligenda est de Sacramentis, quæ a Ministris Ecclesiæ conferuntur; Matrimonium autem a contrahentibus ministratur. Nuptiarum tamen benedictio vetita est. (*n.* 334. *lib.* 6. *n.* 732.)

68. — 2° Privat DIVINIS OFFICIIS. Hoc nomine veniunt ea Officia, quæ per se adnexa sunt alicui Ordini Sacro, et a solis Clericis fieri permittuntur, uti sunt Sacrificium Missæ, Benedictiones, Horæ Canonicæ in Choro et cum ordinaria solemnitate, etc. Excipitur Concio: quia non ad cultum Dei, sed ad populum instruendum ordinatur.

Celebratio et auditio divinorum Officiorum tempore interdicti prohibita est; verumtamen, si interdictum *loci generale* est, cum duplici limitatione. Etenim: 1° Concessum est Clericis, ut singulis diebus Missas celebrent et Officia divina peragant in ecclesiis et monasteriis, sicut antea; sed a) *submissa voce*, i. e. sine cantu, et ita ut ab iis, qui foris sunt, audiri non possint; b) *januis clausis*; quia laici ad divina Officia admitti non possunt; Religiosis autem utriusque sexûs assistere licet; c) *excommunicatis et personaliter interdictis exclusis*; his nempe, si Clerici sunt, divina celebrare non permittitur; deinde tam Clerici quam laici, si *vitandi* sunt et interveniunt, expelli debent, sicut de excommunicatis dictum est; d) *campanis non pulsatis*; quia populus assistere nequit; quinimo nec usus parvi tintinnabuli intra Officium licet. Pulsari tamen campanæ possunt ad ea, quæ non sunt Officia divina, e. g. ad Concionem, ad Salutationem Angelicam, ad obitum alicujus. Ita ex *Cap.* 24. *de sent. excom. in* 6. — Tempore interdicti *localis specialis* semel tantum in hebdomade Missa ita legi potest in ecclesia interdicta, ad renovandam Eucharistiam pro infirmis. Ex *Cap.* 57. *de sent. excom.*

2° In festivitatibus Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi cum Octava, et Assumptionis B. M. V. interdictum suspenditur, ita ut tunc liceat apertis januis et cum omni solemnitate divina Officia celebrare, et fidelibus eis participare. Personaliter tamen interdictis non licet ad altare appropinquare. Ita ex *Cap.* 24. *de sent. excom. in* 6. (*n.* 333.)

69. — 3° Privat SEPULTURA ECCLESIASTICA. Nimirum: 1° Interdicto *locali* prohibitum est ne fideles in illo loco ecclesiasticâ donentur sepulturâ; et hæc prohibitio se extendit etiam ad infantes et amentes; quia facta est vivis, ne quemquam sepeliant in loco sacro. Interdicto tamen sublato, corpora, quæ in loco profano tumulata erant, exhumanda et in locum sacrum transferenda sunt. — Ab hac prohibitione excepti sunt Clerici; quo nomine veniunt etiam Religiosi utriusque sexûs. Hisce ergo, modo personale interdictum non obstet, conceditur sepultura ecclesiastica; atvero a) sine pulsatione campanarum, b) sine solemnitate ecclesiastica, c) cum silentio, i. e. sine solito ritu sacro. Licet tamen, si interdictum *generale* est, Missam legere, juxta dicta num. præced.

2° Interdicto *personali* prohibitum est ne personaliter interdictis concedatur ecclesiastica sepultura, sive deinde generale illud sit sive speciale, sive personæ Clerici sunt sive laici. Debet tamen interdictum esse *denuntiatum*, ex Constit. *Ad evitanda.*; cæterum in interdicto generali sufficit Communitatem denuntiatam esse, ut singula ejus membra sepulturâ ecclesiasticâ priventur. Si interdictus denuntiatus ante mortem signa pœnitentiæ dederit, poterit, prævia absolutione, sepulturâ ecclesiasticâ donari. (*n.* 335.)

70. — **Quæstio.** *Quid notandum est circa interdictum* AB INGRESSU ECCLESIÆ?

Resp. Est quoddam interdictum partiale, quo quis prohibetur Ordinem Sacrum exercere in Ecclesia, ibique divinis Officiis assistere, atque privatur ecclesiasticâ sepulturâ. Potest ergo prædicta peragere in Oratorio privato; potest quoque extra divina Officia orare et Sacramenta recipere in ecclesia. Ita ex *Cap.* 20. *de sent. excom. in* 6.

§ III. *Violatio interdicti.*

71. — I. Clerici, qui interdictum personale vel locale violant, peccant mortaliter; quia contra prohibitionem Ecclesiæ in re gravi delinquunt. Quoad Officia tamen divina in loco interdicto materiæ levitas a gravi culpa excusat.

Etiam laici peccant mortaliter, si interdictum, personale præcipue, violant, vel Clericum compellunt in loco interdicto divina Officia celebrare. Disputant autem DD. utrum laicus personaliter non interdictus graviter peccet, si in loco interdicto divinis Officiis solum assistat, absque vi, fraude, vel scandalo. Alii affirmant; quia assistentia divinis Officiis materia gravis est. Alii negant; quia observatio interdicti localis potissimum ad Clericos spectat; quam sententiam S. Alph. probabiliorem censet. (*n.* 336.)

72. — II. Clerici, qui violant interdictum locale vel personale, exercendo actum Ordini Sacro adnexum, irregularitatem ipso facto incurrunt. Præterea ex Constit. *Apostolicæ Sedis.*, 1° Qui Ordinem recipiunt ab Episcopo interdicto *nominatim denuntiato*, suspensionem ab Ordine suscepto ipso jure incurrunt. 2° Qui scienter divina celebrant in locis interdictis, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt.

Deinde, ex eadem Constit. tam Clerici quam laici: 1° Qui scienter divina celebrari faciunt in locis interdictis, interdictum ab ingressu ecclesiæ ipso jure incurrunt. 2° Qui mandant seu cogunt tradi ecclesiasticæ sepulturæ nominatim interdictos, incurrunt ipso jure excommunicationem non reservatam.

§ IV. *Cessatio interdicti.*

73. — I. Interdictum latum in *vindictam* pro certo tempore, vel sub aliqua conditione, cessat, eo tempore elapso vel conditione positâ. Ante finitum tempus vel conditionem impletam, absolutione seu dispensatione indiget; quam dare potest solus Superior, qui illud tulit, ejusve successor.

Ex facultate autem Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *ref.* potest Episcopus a *personali* interdicto lato *a jure* absolvere, si delictum, ob quod inflictum est, occultum fuerit.

74. — II. Interdictum latum per modum *censuræ*, seu ob contumaciam, non cessat nisi absolutione data ab eo, qui potestatem habet. Et quidem 1° si sit *locale*, sive generale sive speciale, at non reservatum, non potest tolli nisi ab eo, qui jurisdictionem episcopalem habet in eum locum. 2° Idem dicendum de interdicto *personali generali;* ab hoc nempe absolvere tantum potest, qui habet jurisdictionem externam in Communitatem interdictam. Propterea sub facultate delegata absolvendi ab omnibus censuris in Sacramento Pœnitentiæ, non comprehenduntur illa interdicta; quia huic foro nec locus nec Communitas subjiciuntur. 3° Si interdictum sit *personale speciale*, tunc, si reservatum sit, ille solus ab eo absolvere potest, cui est facta reservatio, vel illius Superior. Si non sit reservatum, relaxare illud potest Episcopus, Parochus, et quivis Confessarius. (*n.* 338. 339.)

CAPUT III.

CENSURÆ IN PARTICULARI.

Exponemus 1° notiones quasdam prævias, 2° excommunicationes R. Pontifici speciali modo reservatas, 3° eidem simpliciter reservatas, 4° reservatas Ordinariis, 5° nemini reservatas, 6° suspensiones, 7° interdicta.

ARTICULUS I.

NOTIONES PRÆVIÆ.

75. — Quum numerus censurarum, quæ per modum *latæ sententiæ ipsoque facto incurrendæ* statutæ fuerunt, lapsu sæculorum nimium excrevisset, pluresque a fine suo excidissent, Pius IX Constit. *Apostolicæ Sedis.* 12 Oct. 1869. multas aut abrogavit aut mutavit, novumque censurarum *latæ sententiæ* catalogum texuit. In hac Constitutione nonnulla decernuntur, quæ pro recta ejusdem intelligentia declaranda sunt.

1° Quoniam objectum laudatæ Constitutionis sunt *censuræ a jure latæ ipso facto incurrendæ*, sponte consequitur nihil mutatum esse a) quoad censuras *ferendæ sententiæ*; b) quoad alias pœnas canonicas, v. g. irregularitates, inhabilitates; c) quoad censuras ab Episcopis aliisve Prælatis pro suis subditis latas, etc.

2° Censuræ, quas nova Constitutio recenset, intelligendæ sunt juxta veterum canonum traditionem, quatenus cum Constitutione conveniunt. Ubi vero canonum illorum sensus non videtur congruere cum sensu Constitutionis, præferendus est hujus sensus.

3° Censuræ latæ sententiæ, quæ ex Constitutione Pii IX hodie vigent, ad quatuor capita revocari possunt, nimirum: a) Censuræ, quæ in dicta Constitutione recensentur. b) Censuræ, quas Concilium Tridentinum directe tulit; non autem eæ, quas *allegat* tantum aut *innovat*, ut ex verbis et scopo Constitutionis colligitur. Prædictis censuris Pontifex novum robur contulit, non secus ac si primum ab eo editæ fuissent, ut adeo desuetudo, antea forte vigens, revocata sit. c) Censuræ latæ pro R. Pontificis electione, quæ hactenus in suo vigore perstiterunt; eas commemorat Bened. XIV Constit. *Pastor bonus.* 13 April. 1744. *n.* 12. d) Censuræ latæ pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum Regularium, necnon quorumcumque Collegiorum, Congregationum, Cœtuum Locorumque piorum, cujuscumque nominis aut generis sint, quæ hactenus in suo vigore perstiterunt. Huc refertur e. g. excommunicatio in Regulares, qui temere habitum religionis dimittunt; qui arma intra septa monasterii sine licentia Superiorum tenent; qui non denuntiant confratres aut Superiores suos de hæresi suspectos.[1]

[1] Cap. 2. Ne Clerici vel Monachi. in 6. — Clem. 1. de statu Monachorum. — Constit. Pauli V *Romanus Pontifex.* 1. Sept. 1606.

Censuræ ergo, quæ ad internam disciplinam non pertinent, abrogatæ sunt; e. g. excommunicatio a Clemente VIII lata in Regulares, qui sine debita facultate absolvere præsumpserint a casibus, quos Episcopus sibi in sua Diœcesi reservavit. Denique, eas quoque censuras hodie vigere, quas Pontifex aliquis post Constit. *Apostolicæ Sedis.* tulerit, ex se liquet. (Marc. *n.* 1312.)

4° De revocatione privilegiorum, et de novis facultatum absolvendi concessionibus satis dictum est n. 27—29.

ARTICULUS II.

EXCOMMUNICATIONES SPECIALI MODO R. PONTIFICI RESERVATÆ.

76. — Duodecim sunt ex Constit. *Apostolicæ Sedis.*, quæ omnes, exceptâ 10ª, in Bulla Cœnæ contentæ erant, quamvis non omnes eodem modo; quibus accedit 13ª ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex.* 28 Aug. 1873.

Itaque tali excommunicationi subjacere Pius IX declarat:

I. »Omnes a christiana fide apostatas, »et omnes ac singulos hæreticos, quo»cumque nomine censeantur, et cujus»cumque sectæ exsistant, eisque creden»tes, eorumque receptores, fautores, ac »generaliter quoslibet eorum defensores."

Excommunicantur ergo: 1° *Apostatæ*, i. e. baptizati, qui christianam Religionem penitus rejiciunt, et hanc suam defectionem externe profitentur. Hujusmodi sunt moderni Increduli, Liberi cogitatores, etc.

2° *Hæretici*, i. e. qui scientes et deliberato animo negant sive in dubium vocant aliquem articulum fidei ab Ecclesia propositum, si modo hæresim externe, etsi occulte et nullo audiente, prodiderint. Non requiritur transitus ad sectam hæreticam; dicitur enim: »quo»cumque nomine censeantur." Consule dicta lib. II. *n.* 14—17.

3° *Credentes hæreticis sive apostatis*, i. e. qui eorum errores *implicite* sustinent, in genere declarantes hos vel illos hæreticos recte sentire.

4° *Receptores*, *fautores*, *ac defensores.* a) *Receptores* sunt, qui recipiunt hæreticos in suas domus vel terras, ut tuti sint a judicibus ecclesiasticis vel sæcularibus eos punire volentibus ob crimen hæresis. Si quis amicitiæ causâ id faciat, non in favorem hæresis, censuram non incurrit. b.) *Fautores* sunt, qui verbo, scripto, opere, vel omissione favent illis in causâ hæresis. *Verbo* aut *scripto*, e. g. eos laudando, commendando; *opere*, v. g. exercitium hæretici cultûs promovendo, scholas eis aperiendo, pueros ad istas mittendo; *omissione*, si quis ex officio teneatur eos denuntiare vel punire, et absque justa causa id omittat. c) *Defensores* sunt, qui viribus et potentiâ defendunt hæreticos in causa hæresis, e. g. impediendo quominus coërceantur, laudando doctrinam hæreticam, disputando pro hæretico, etiamsi defensor interne aliter sentiat. Non est defensor, si laudet quis eruditionem, eloquentiam, vel ingenium hæretici. (*n.* 300—308.)

77. — II. »Omnes et singulos scien»ter legentes sine auctoritate Sedis »Apostolicæ libros eorumdem apostata»rum et hæreticorum hæresim propug»nantes, necnon libros cujusvis auctoris »per Apostolicas Litteras nominatim »prohibitos, eosdemque libros retinentes, »imprimentes, et quomodolibet defen»dentes."

Quantum ad *libros*, sub excommunicatione prohibentur: 1° Libri apostatarum vel hæreticorum hæresim propugnantes. Debet ergo tum auctor esse hæreticus, sive ex secta hæretica, ad quam pertinet, sive ex doctrina hæretica, quam tradit; tum liber hæresim propugnare, i. e. argumentis defendere. 2° Libri cujusvis auctoris, dummodo prohibiti sint per *Litteras Apostolicas*, i. e. ab ipso S. Pontifice datas, non per Decreta S. C. Indicis; et quidem *nominatim*, i. e. expresso librorum titulo.

Ad nomen *libri* nihil refert quantæ molis sit, neque utrum impressus sit an manuscriptus. Unde hoc nomine veniunt *scripta periodica*, seu singuli fasciculi ad volumen componendum destinati. Sub nomine libri tamen non veniunt diaria, epistola vel concio seorsum edita.

Quantum ad *actiones*, censuram incurrunt, dummodo *scienter* agant secundum dicta n. 20. et 22.: 1° *Legentes*, in materia utique notabili; quæ quidem tum ex re, quæ tractatur, tum ex quantitate desumenda est, ita ut, si res sit indifferens, tota pagina pro materia parva haberi possit; contra vero, si

præcise legatur hæretica doctrina propugnata, dimidia vel tertia pars paginæ poterit materiam gravem efficere. Non autem incurrit censuram, qui alium legentem audit.

2° *Retinentes*, nempe per notabile tempus, puta per tres dies; neque refert utrum quis librum proprium retineat an alienum, utrum in propria domo an in aliena, utrum retineat ad legendum an ob alium finem, v. g. ut depositarius, bibliopola, bibliothecarius, socius habens condominium in societate litteraria. Ille tamen excusatur a censura, qui librum diutius retinet quia exspectat opportunitatem tradendi illum Superiori vel alii licentiam legendi habenti; item, qui ex libro de materia profana tractante illam partem destruit, in qua hæresis propugnatur, nisi liber proscriptus fuerit in odium auctoris. (*n.* 281—298. H. A. *n.* 56—62.)

3° *Imprimentes;* hoc nomine veniunt omnes et soli illi, qui *proxime* ad libri impressionem concurrunt, sive corporali labore sive laborantium directione. Unde excommunicationem incurrunt auctor, qui opus suum imprimendum committit; typographus seu dominus officinæ, cujus impensis et cura libri imprimuntur; operarii, qui typos componunt, attramentum allinunt, chartam præparant et prælo supponunt, ac prælum versant.

4° *Defendentes* sunt, qui quovis modo, verbis, scripto vel factis, librum ejusve doctrinam tuentur, e. g. laudando, commendando, carpendo ejus damnationem, impediendo ne judici tradatur aut comburatur, cooperando ad ejus propagationem. Qui tamen non pravam libri doctrinam laudat, sed vel stylum aut ingenium auctoris, vel sanam doctrinam, quæ in eo reperitur, excusatur a censura. (*n.* 297.)

78. — III. »Schismaticos, et eos qui »a Romani Pontificis pro tempore ex»sistentis obedientia pertinaciter se sub»trahunt vel recedunt."

1° Schismatici sunt, qui se separant a corpore Ecclesiæ ejusque Capite, ac novam constituunt independentem ecclesiam.

2° A Pontificis regnantis obedientia pertinaciter recedunt, qui eum non agnoscunt ut Caput Ecclesiæ suumque supremum Superiorem, ita se gerendo ac si non essent illi subordinati, etiamsi de cætero a corpore Ecclesiæ non se sejungant. Hinc censuram non incurrunt illi Catholici, *Liberales* dicti, qui mandatis S. Pontificis reipsa non obtemperant, ipsam tamen obedientiam non abnegant. Ita recte Godschalk. *De censur. pag.* 24.

79. — IV. »Omnes et singulos, cujus»cumque status, gradus seu conditionis »fuerint, ab ordinationibus seu mandatis »Romanorum Pontificum pro tempore »exsistentium ad universale futurum »Concilium appellantes, necnon eos, »quorum auxilio, consilio vel favore ap»pellatum fuerit."

Excommunicantur: 1° *Appellantes;* quia hæc appellatio injuriam infert S. Pontifici et speciem schismatis præ se fert, cum sic appellantes profiteantur Papam esse inferiorem Concilio, quod falsum est. Si qua Communitas appellaret, incurreret insuper interdictum. — Nomine porro *ordinationum* et *mandatorum* veniunt quæcumque leges, præcepta ac sententiæ in rebus spiritualibus.

2° Dantes *auxilium*, *consilium vel favorem* ad appellandum, dummodo appellatio reapse sequatur. Illis verbis intelliguntur omnes actiones, quæ fiunt ad adjuvandam exsecutionem appellationis.

80. — V. »Omnes interficientes, mu»tilantes, percutientes, capientes, carce»rantes, detinentes, vel hostiliter inse»quentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, »Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque »Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut »eos a suis Diœcesibus, Territoriis, Terris »seu Dominiis ejicientes, necnon ea »mandantes, vel rata habentes, seu »præstantes in eis auxilium, consilium »vel favorem."

Hac censura plectuntur: 1° *Exercentes sævitiam in Principes Ecclesiæ*, sive læsione corporis, interficiendo, mutilando, vel percutiendo; sive læsione libertatis, capiendo, carcerando, in carcere retinendo; sive injuriâ dignitati illatâ, hostiliter insequendo, animo scil. illis nocendi, vel ejiciendo e locis ipsorum jurisdictioni subjectis. Nomine *ejicientium* veniunt non solum illi, qui vi physica eos ejiciunt, verum etiam qui vi morali, mandato scil. vel sententiâ, exire cogunt. Censuram hanc non incurrunt, qui eos, antequam possessionem adepti sunt, non recipiunt, vel tantum ex una civitate, non ex toto territorio, expellunt.

2° *Cooperantes* ad prædictas actiones; inter quos recensentur etiam illi, qui crimen patratum postea ratum habent et approbant, dummodo tamen eorum nomine seu ex præsumpta eorum voluntate alii id commiserint.

81. — VI. »Impedientes directe vel »indirecte exercitium jurisdictionis eccle»siasticæ sive interni sive externi fori, »et ad hoc recurrentes ad forum sæcu»lare, ejusque mandata procurantes, »edentes, aut auxilium, consilium, vel »favorem præstantes."

Hanc censuram contrahunt: 1° *Impedientes exercitium jurisdictionis.* Quocirca a) hoc exercitium impeditur obstando ne fiant ea, quæ pertinent ad jurisdictionem; ne facta exsecutioni mandentur; deinde, efficiendo ut, quæ mandata sunt exsecutioni, revocentur. b) Perinde est, sive impediatur exercitium jurisdictionis *ordinariæ*, sive *delegatæ*. c) Impeditio fit vi, minis, prohibitione; idque vel *directe* contra illum, qui ecclesiastica jurisdictione potitur, vel *indirecte*, vexando eos, qui ipsi vel adjutores sunt vel conjuncti, ut horum vexatio in ipsum redundet. Non sufficit autem *conatus* impediendi, sed requiritur *realis* impeditio, ita ut libertas in exercitio jurisdictionis tollatur.

Hanc ergo excommunicationem incurrunt e. g. qui impediunt publicationem vel exsecutionem Constitutionum S. Pontificis; qui impediunt Episcopos quominus diœcesim administrent, Parochos instituant, dimoveant, Sacerdotes delinquentes puniant, etc.; qui impediunt Parochum a parochia administranda, a populo suo Sacramentis instructionibusque pascendo, etc. (Lehmkuhl. *n.* 929.)

2° *Recurrentes ad forum sæculare, ejusque mandata procurantes*, ut nempe hac via exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ impediatur. Quæstio vero movetur utrum recursus ad forum sæculare *ex se solo* inducat excommunicationem, effectu nempe non secuto. Alii negant; quia tunc nullum fit reale præjudicium ecclesiasticæ jurisdictioni. Ita Reatinus, Varceno, Lehmkuhl. Alii vero probabilius affirmant; quia recurrentes inter personas *principales* numerantur, ut tradit Filliuc. *tr.* 16. *n.* 276. Ita Vecchio, Grandclaude, Avanzini. Recole dicta n. 13. sub 4°. (Revue théol. 1871. *pag.* 242.)

3° *Edentes mandata* sunt ipsi Judices vel Magistratus civiles, qui mandatum aliquod edunt, quo exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ impediatur. Non excommunicantur *Actuarii*, qui mandata exscribunt, neque *Apparitores*, qui ea intimant; tum quia Constitutio exsequentes non amplius memorat, tum quia hi officiales necessitate compelluntur.

4° *Cooperantes* seu impedientes accessorii, de quibus satis diximus in aliis excommunicationibus.

82. — VII. »Cogentes sive directe sive »indirecte judices laicos ad trahendum »ad suum tribunal personas ecclesias»ticas præter canonicas dispositiones; »item edentes leges vel decreta contra »libertatem aut jura Ecclesiæ."

Hac censura afficiuntur: 1° *Cogentes judices laicos*, etc.; verbo *cogentes* non comprehenduntur nisi legislatores et aliæ auctoritates, prout declaravit S. C. Inquis. 23 Jan. 1886.[1] Ergo a) legislatores, qui legem ferunt quâ judices coguntur personas ecclesiasticas ad suum tribunal trahere; b) magistratus, qui nullâ necessitate compulsi, sed sponte suâ cogunt judices sibi subjectos. Ipsi vero judices, qui coguntur, non subjacent excommunicationi.

Dicitur autem: *præter canonicas dispositiones;* nam sunt aliqui casus, in quibus Clerici privilegio fori non gaudent, puta si Clericus degradatus fuerit; si in Minoribus constitutus, dimisso habitu, ad sæculum redierit; item in causa *reconventionis*, quando Clericus ut actor convenit laicum coram judice laico, quo casu potest a suo adversario conveniri ad eumdem judicem, et Clericus tenetur comparere; denique, si Concordata casus quosdam permittunt. — Consuetudo non potest hanc Clericorum immunitatem abrogare, cum sit de jure divino; attamen impotentia illam observandi ob hodiernas leges civiles et ob defectum tribunalium ecclesiasticorum, in pluribus regionibus ab ejus observatione sæpe excusat, et proinde a censura quoque eximet. Quocirca S. C. Inquis. 23 Jan. 1886. hanc edidit declarationem: »In »iis locis, in quibus fori privilegio per

[1] Acta S. Sedis. *Vol.* 18. *pag.* 416. Revue théol. 1886. *pag.* 160.

»SS. Pontifices derogatum non fuit, si »in eis non datur jura sua persequi nisi »apud judices laicos, tenentur singuli »prius a proprio ipsorum Ordinario ve»niam petere ut Clericos in formâ lai»corum convenire possint: eamque Or»dinarii nunquam denegabunt, tum »maxime, cum ipsi controversiis inter »partes conciliandis frustra operam de»derint. Episcopos autem in id forum »convenire absque venià Sedis Aposto»licæ non licet. Et si quis ausus fuerit »trahere ad judicem seu judices laicos »vel Clericum sine venià Ordinarii, vel »Episcopum sine venià S. Sedis, in po»testate eorumdem Ordinariorum erit »in eum, præsertim si fuerit Clericus, »animadvertere pœnis et censuris fe»rendæ sententiæ, uti violatorem pri»vilegii fori, si id expedire in Domino »judicaverint."

2° *Edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.* Hisce verbis ii omnes comprehenduntur, qui concurrere debent ut lex aliqua vel decretum aliquod generale feratur, puta Ministri, qui *legem* ferendam Comitiis proponunt; Deputati ac Senatores, qui suffragio suo legi propositæ assentiuntur, etsi post completum necessarium numerum suffragantium votum suum dederint, nisi forte efficaciter retractaverint ante legis confirmationem; Princeps, qui legi subscribit eamve promulgat; item Ministri, provinciarum civitatumque Rectores, qui *decretum* ejusmodi ferunt, sicut et Deputati provinciales et Consiliarii locales, qui suffragio suo concurrunt. Censura tum contrahitur, cum lex vel decretum promulgatur.

Censuram non incurrunt præcones, qui evulgant; neque illi, qui ejusmodi statuta observari faciunt, vel iis utuntur; neque judices, qui secundum ea sententias ferunt. Possunt tamen facile excommunicationem VI^am^ contrahere.

In *Syllabo errorum* §§ V et VI plures errores libertati et juribus Ecclesiæ adversantes a Pio IX proscripti sunt.

83. — VIII. »Recurrentes ad laicam »potestatem ad impediendas litteras vel »acta quælibet a Sede Apostolica, vel »ab ejusdem Legatis aut Delegatis qui»buscumque profecta, eorumque pro»mulgationem vel exsecutionem directe »vel indirecte prohibentes, aut eorum »causâ sive ipsas partes sive alios læ»dentes vel perterrefacientes."

Materia hujus censuræ sunt litteræ et acta quæcumque tam ipsius Papæ et Curiæ Romanæ seu Cardinalium Congregationum, quam legatorum ordinariorum vel delegatorum in aliqua causa.

Excommunicantur autem: 1° *Recurrentes ad laicam potestatem*, quæcumque illa fuerit, idque, etiamsi recursus passus sit repulsam.

2° *Prohibentes promulgationem vel exsecutionem.* Prohibentes intelliguntur personæ auctoritate præditæ, quæ *prohibere* possunt. Promulgatio intelligitur vel proprie dicta, quæ vim legis inducit, vel intimatio, si de actis agitur, quæ privatum hominem respiciunt.

3° *Lædentes*, i. e. damno notabili afficientes; *perterrefacientes*, i. e. gravem terrorem incutientes; *ipsas partes*, personas nempe, quas acta directe respiciunt; *vel alios*, nimirum earumdem agentes, patronos, exsecutores, ad quos acta quadam ratione referuntur.

84. — IX. »Omnes falsarios Litterarum »Apostolicarum, etiam in forma Brevis »ac supplicationum gratiam vel justitiam »concernentium, per Romanum Pontifi»cem vel S. R. E. Vice-Cancellarios seu »Gerentes vices eorum aut de mandato »ejusdem Romani Pontificis signatarum: »necnon falso publicantes Litteras Apos»tolicas, etiam in forma Brevis, et etiam »falso signantes supplicationes hujus»modi sub nomine Romani Pontificis »seu Vice-Cancellarii aut Gerentis vices »prædictorum."

Litteræ Apostolicæ sunt Bullæ, Encyclicæ, Constitutiones, Brevia; non autem litteræ seu Rescripta SS. Congregationum, vel Nuntiorum.

Igitur excommunicatione plectuntur: 1° *Falsarii*, quales sunt illi, qui aliquid addunt, vel demunt, vel mutant in illis Litteris, postquam signatæ sunt, ita ut sensus mutetur.

2° *Falso publicantes*, sive veras Litteras, sed injussu Pontificis; sive falsas aut corruptas, quasi authenticæ essent.

3° *Falso signantes*, qui nempe Rescripta gratiæ vel justitiæ falso subscribunt, ac si a Pontifice seu Vice-Cancellario aut Gerente vices eorum signatæ essent.

Non excommunicantur *fabricantes* falsas Litteras, quin eas publicent.

85. — X. »Absolventes complicem in »peccato turpi etiam in mortis articulo, »si alius Sacerdos, licet non approbatus »ad Confessiones, sine gravi aliqua »exoritura infamia et scandalo, possit »excipere morientis confessionem."

Consulat lector lib. VI. n. 249. et 250. ubi hanc materiam explicuimus.

86. — XI. »Usurpantes aut sequestran»tes jurisdictionem, bona, redditus ad »personas ecclesiasticas ratione suarum »Ecclesiarum aut Beneficiorum perti»nentes."

Quantum ad *materiam* hujus censuræ, sunt: 1° *jurisdictio*, sive temporalis sive spiritualis; 2° *bona* denotant fundos seu res, prout a fructibus seu proventibus eorum distinguuntur; 3° *redditus* sunt emolumenta temporalia, quæ ex bonis ecclesiasticis proveniunt. Prædicta porro eatenus sunt materia excommunicationis, quatenus ad *personas ecclesiasticas* pertinent, et quidem vel *ratione Beneficii ecclesiastici*, quod possident, vel *ratione Ecclesiæ*, cui præpositæ sunt. — Ergo non comprehenduntur bona et redditus 1° Monasteriorum, quippe quæ non ratione ecclesiæ ad Regulares pertinent; 2° aliorum Locorum piorum; 3° quæ alio titulo ad Ecclesiasticos pertinent.

Quantum ad *actiones*, excommunicantur: 1° *Usurpantes*, i. e. rem alienam supra descriptam sibi adscribentes tamquam propriam, seu jure sibi debitam. Inde non incurrunt hanc censuram fures et raptores, ut declaravit S. Offic. 9 Mart. 1870; neque illi, qui præfata bona ab usurpatore emunt vel alio titulo accipiunt.

2° *Sequestrantes*, i. e Magistratus aut Judices laici, eorumque ministri exsecutores, qui absque legitima facultate prædicta bona deponunt apud se vel alium, eoque pacto liberum illorum usum impediunt iis Ecclesiasticis, ad quos de jure spectant. — Recole dicta de sequestro lib. III. n. 442. [1]

[1] Quatuor excommunicationes feruntur contra eos, qui de bonis Ecclesiæ illicite disponunt: 1ª contra usurpatores aut sequestratores bonorum, quæ ad *Ecclesiasticos titulo Ecclesiæ vel Beneficii* pertinent; 2ª contra invasores *temporalis dominii Ecclesiæ Romanæ*, n. 87.; 3ª contra usurpatores bonorum cujusque *Beneficii vel loci pii*, Papæ simpliciter reservata, n. 106.; 4ª contra *alienatores* bonorum ecclesiasticorum absque beneplacito Apostolico, non reservata, n. 113.

87. — XII. »Invadentes destruentes, »detinentes, per se vel per alios, civi»tates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam »Romanam pertinentia; vel usurpantes, »perturbantes, retinentes supremam »jurisdictionem in eis; necnon ad sin»gula prædicta auxilium, consilium, fa»vorem præbentes."

Materia hujus censuræ est temporale dominium S. Sedis, quod defendere intendit.

Excommunicantur: 1° Qui per seipsos vel per alios injuste ac violenter aggrediuntur, demoliuntur, vel retinent aliquem locum vel aliquod jus temporale S. Sedis; ergo usurpatores, ejusque successores qui restitutionem culpabiliter omittunt.

2° Qui supremam jurisdictionem, quæ Romano Pontifici ut Principi temporali in sua ditione competit, injuste sibi assumunt, liberum illius exercitium impediunt, eamve ab usurpatore acceptam retinent.

3° Cooperatores, qui sponte sua, non coacti, ad prædicta concurrunt. Adhærentes et defensores tum demum hanc excommunicationem incurrunt, cum ea actione *efficaciter* favorem, auxilium, vel consilium præbuerint. Gravis porro difficultas est definire quandonam ii, qui officia publica ab usurpatore accipiunt vel sub eo exercent, excommunicationem incurrant. Qua de re S. Pœnit. 10 Oct. 1860. respondit illa officia intelligenda esse, quæ *directe et proxime* influunt in spolium, vel in ejusdem spolii manutentionem. Hujusmodi sunt v. g. primarii Magistratus civiles vel primarii Duces militares. Unde ea officia, quæ mere ad bonum civium spectant, impune assumi et exerceri possunt, dummodo juramentum fidelitatis usurpatori non præstetur. Quod idem dicendum videtur de iis, qui *apud* usurpatorem Consulis vel Legati munere funguntur.

88. — XIII. »Canonicos ac Dignitates »Cathedralium Ecclesiarum vacantium, [1] »qui ausi fuerint vacantis Ecclesiæ cu»ram, regimen et administrationem con»cedere et transferre in electum a Ca»pitulo Episcopum, aut a laica potestate »nominatum seu præsentatum, antequam

[1] „Ac illos, qui, deficientibus Capitulis, Vi„carios deputant aut vacantes Ecclesias ad„ministrant."

»hic Apostolicas institutionis Litteras »exhibuerit; item electos aut nominatos »et præsentatos ad vacantes Ecclesias, »qui earum curam, regimen et admi»nistrationem suscipere audent ex con»cessione et translatione, de qua supra; »necnon eos, qui præmissis paruerint, »vel auxilium, consilium, aut favorem »præstiterint, cujuscumque statûs, con»ditionis, præeminentiæ et dignitatis fue»rint." Additur porro: »Si vero aliqui »ex prædictis Episcopali charactere sint »insigniti, in pœnam suspensionis ab »exercitio Pontificalium, et interdicti ab »ingressu Ecclesiæ, ipso facto absque »ulla declaratione incidunt, S. Sedi pa»riter reservatam." Ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex.* 28 Aug. 1873.

Hisce censuris plectitur abusus, olim nonnunquam contingens, eum in Vicarium Capitularem seu Administratorem vacantis Ecclesiæ eligendi, aut in locum prioris Vicarii Capitularis seu Administratoris sufficiendi, qui ad eamdem Sedem vacantem Episcopus electus aut præsentatus fuit. Ratio hujus legis est impedire quominus ille in administrationem diœcesis intrudatur, quem S. Sedes fortasse tamquam indignum recusaturus est.

Ex verbis Constitutionis patet, excommunicationem incurrere illos omnes, qui Episcopali charactere insigniti non sunt; hoc charactere insignitos solam suspensionem et interdictum contrahere.

ARTICULUS III.

EXCOMMUNICATIONES R. PONTIFICI SIMPLICITER RESERVATÆ.

Sunt octodecim; quibus addendæ sunt una ex Conc. Trid. et altera ex declaratione S. C. Inquis.. Excommunicationi hujusmodi Pius IX subjacere declarat:

89. — I. »Docentes vel defendentes, »sive publice sive privatim, propositiones »ab Apostolica Sede damnatas sub ex»communicationis pœna latæ sententiæ; »item docentes vel defendentes tamquam »licitam praxim inquirendi a pœnitente »nomen complicis, prout damnata est »a Benedicto XIV in Const. *Suprema.* »7 Julii 1745. *Ubi primum.* 2 Junii »1746. *Ad eradicandum.* 28 Sept. 1746."

Quod primam partem attinet, requiritur ut quis 1° *doceat* vel *defendat*, ore vel scripto, 2° propositionem ab *Apostolica Sede* damnatam, i. e. vel a S. Pontifice, vel a S. C. Inquis., sed de mandato Pontificis; et quidem 3° damnatam sub *excommunicationis pœna latæ sententiæ.*

Qui propositionem quamcumque damnatam ut *hæreticam* docet vel defendit, incurrit excommunicationem Papæ *specialiter* reservatam. Recole n. 76.

Propositiones sub excommunicationis pœna damnatæ sunt: 41 errores Lutheri, a Leone X; 79 propos. Baji, a S. Pio V; 1 prop. de confessione epistolari, a Clemente VIII; 45 prop. ab Alex. VII; 65 prop. ab Innoc. XI; 68 prop. Michaëlis de Molinos ab eodem Innoc. XI; 2 prop. ab Alex. VIII; 31 prop. ab eodem Alex. VIII; 5 prop. de duello a Benedicto XIV. (Marc. *n.* 1328.)

Notare juvat hoc loco, quod tradit S. Alph.: »Regulariter loquendo, pro»positiones damnatæ intelligendæ sunt »uti jacent, et in sensu rigoroso, atque »ab auctoribus illarum intento. Præter»quam quod quædam opiniones damnatæ »sunt, quia nimis generaliter loquebantur; et ideo non sunt extendendæ ad »omnes casus particulares, qui propter »aliquam momentosam circumstantiam »distinguuntur." (*Lib.* 3. *n.* 760. *in fine.*)

Quod alteram partem attinet, requiritur 1° ut quis tamquam licitam *doceat* vel *defendat*, 2° praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, *prout damnata est a Bened. XIV*, videlicet praxim complicis nomen *passim* inquirendi, ejusque revelationem *sub denuntiata absolutionis negatione* exigendi. Recole dicta lib. VI. n. 247 et 248.

90. — II. »Violentas manus, suadente »diabolo, injicientes in Clericos vel utri»usque sexus Monachos, exceptis quoad »reservationem casibus et personis, de »quibus jure vel privilegio permittitur »ut Episcopus aut alius absolvat."

Hæc censura continet, quod vocatur *privilegium Canonis*, ad tutandos Clericos et Religiosos. Præter morem in pœnis servandum, hæc pœna *late* interpretanda est, tam quoad primam quam quoad alteram partem; tum quia continet privilegium, tum quia Ecclesia eam semper sic interpretata est. Propterea standum est juri antiquo, ad quod præsens tenor censuræ remittit.

Ad contrahendam hanc excommunicationem requiritur: 1° *Violenta manuum injectio*, quo nomine intelligitur actio violenta et graviter injuriosa statui Clericali, sive manu fiat sive pede, sive aliquo instrumento; v. g. si quis Clericum percutit, conspuit, luto contaminat, aquâ conspergit, lapide appetit et attingit, crines evellit, vestem lacerat, pileum dejicit, incarcerat, in custodia detinet, venenum ei propinat quod operatur, et similia. (*n.* 272—274. 280.)

2° Ut percussio inferatur *Clerico vel Religioso utriusque sexus.* Quocirca: a) *Clericus* est, qui tonsuram recepit; verumtamen privilegio canonis privatur, si vel realiter degradatus sit, vel, dimisso habitu et tonsurâ, matrimonium contraxerit. b) Nomine *Religiosi* veniunt omnes Religiosi et Moniales, sive vota solemnia sive simplicia professi sint; etiam eorum Novitii et Tertiarii, si habitum religiosum gestent et in communitate vivant; Eremitæ, qui ex voto subjecti sunt alicui regulæ aut ecclesiastico Superiori, et cuidam loco sacro addicti; item fœminæ modo religioso conviventes in Congregatione ab Episcopo approbatâ, quia censentur personæ ecclesiasticæ. (*n.* 270. 271.)

3° Ut percussio fiat *suadente diabolo*, i. e. ut sit peccatum mortale. Unde non incurritur censura, si percussio fiat vel ob legitimam sui defensionem, vel ob justam subditi Clerici correctionem, vel ex joco aut casu fortuito, vel ex subita ira, vel ex ignorantia quod alter sit Clericus. (*n.* 275.)

Prædicta excommunicatio extenditur tum ad impuberes, tum ad efficaciter cooperantes; quia antiquus Canon ex authentica ejus interpretatione in *Cap.* 1. *et* 47. *de sent. excom.* et *Cap.* 23. *de sent. excom. in* 6. ad eosdem se extendebat, nec est cur hodie ab ea interpretatione recedatur. Ita Avanz. *pag.* 86. Patav. *n.* 263. *seqq.* Revue théol. 1874. *pag.* 119. Lehmk. *n.* 945. Marc. *n.* 1329., contra Reatin. Nolan. Pennac. Ballerin. — Eam ergo incurrunt: a) mandantes, consulentes, consentientes; b) ratam habentes percussionem eorum nomine factam; c) non impedientes, cum possunt, si ex officio aut ex justitia impedire teneantur. (*n.* 265—269.)

Quod alteram partem attinet, quæ de *absolutione* hujus excommunicationis agit, distinguenda est triplex percussio: 1° *enormis*, si intervenerit membri mutilatio, magna vulneratio, copiosa sanguinis effusio; 2° *mediocris* seu *gravis*, qua caro suggillatur, capillorum copia evellitur, dens extunditur, sanguis effunditur absque gravi læsione; 3° *levis*, quæ non relinquit sui vestigium: dicitur levis, non quasi veniale peccatum esset, sed respectu aliarum. Pensandæ etiam sunt circumstantiæ; unde percussio levis potest evadere gravis vel enormis ratione dignitatis personæ læsæ, scandali, injuriæ, loci ac temporis, v. g. si percutiatur Episcopus, si percussio fiat in ecclesia, in actu Processionis vel alius sacræ functionis. (*n.* 277. 278.)

His præmissis: 1° Episcopus *jure* potest absolvere a) a percussione *levi*, etiam publica; idem possunt eorum Vicarii Generales; b) a quavis percussione, si delictum sit *occultum.*

2° Prælatus Regularis *ex privilegio* potest ab hac censura absolvere subditos suos. (*n.* 279. 107.)

91. — III. »Duellum perpetrantes, aut »simpliciter ad illud provocantes, vel »ipsum acceptantes; et quoslibet com»plices, vel qualemcumque operam aut »favorem præbentes, necnon de indu»stria spectantes; illudque permittentes, »vel quantum in illis est non prohiben»tes, cujuscumque dignitatis sint, etiam »regalis vel imperialis."

Ne actum agam, remitto lectorem ad lib. III. n. 196.

92. — IV. »Nomen dantes sectæ Mas»sonicæ aut Carbonariæ, aut aliis ejus»dem generis sectis, quæ contra Eccle»siam vel legitimas potestates, seu palam »seu clandestine, machinantur; necnon »iisdem sectis favorem qualemcumque »præstantes; earumve occultos cory»phæos ac duces non denuntiantes, do»nec non denuntiaverint."

Sectis ejusdem generis adnumerandi sunt Solidarii, Internationales, Feniani, et similes, sive occultæ sint sive publicæ, sive exigant sive non exigant a suis asseclis juramentum de secreto servando. Item illæ societates, in quibus socii jurejurando se obligant ad obtemperandum iis, quæ a cœtûs Superioribus jussa fuerint; vel illæ, quæ ineunt fœdus secreti, quod nec ipsa legitima potestate

interrogante impune violari possit; hæc enim indicia sunt eas contra Ecclesiam vel civilem potestatem quidquam moliri. Ita S. C. Inquis. 21 Aug. 1850. 5 Aug. 1846. 12 Jan. 1870. [1]

Excommunicationem incurrunt: 1° Omnes *socii* prædictarum sectarum.

2° *Fautores* quicumque, i. e. qui eis præbent consilium vel auxilium, eos defendunt, eorum cœtibus intersunt, ædes in quas conveniant ipsis procurant, aliis suadent ut hujusmodi societatibus adscribantur earumve cœtibus interveniant, etc.

3° *Non denuntiantes occultos coryphæos ac duces*, nimirum intra mensem post cognitam obligationem. Denuntiatio fieri debet Inquisitori, vel Ordinario, vel judici delegato a S. Sede. Qui ad eam tenetur, denuntiare debet vel per seipsum, vel per epistolam cum expressione nominis et cognominis denuntiantis et subscriptione illius, vel per aliam personam, v. g. per Confessarium. Ita ex Declar. S. C. Inquis. 1 Febr. 1871. [2]

Cessat obligatio denuntiandi, si duces certe *noti* sunt. Non ideo noti censeri possunt, quia eorum nomina in ephemeridibus, præsertim in ephemeridibus massonicis, vulgantur; hæc quippe vulgatio non raro fallax est, ut declaravit S. C. Inquis. 1. Febr. 1871. [3] Non cessat vero ob periculum damni privati; quia prævalet bonum commune, propter quod denuntiatio jubetur, ut declaravit S. C. Inquis. 1 Febr. 1871.

Excommunicatio contracta ob omissam denuntiationem, non cessat per denuntiationem postea peractam, sed cessat ejus reservatio, ita ut absolvi possit a quocumque Confessario, prout declaravit S. Pœnit. anno 1832. [4]

Nota. Confessarius, cui a S. Sede facultas delegata est absolvendi ab hac censura, a pœnitente exigere debet conditiones, quas S. Sedes injungere solet, nimirum 1° ut a Secta vetita omnino se separet, eamque abjuret; 2° ut libros, manuscripta, ac signa Sectam respicientia, si quæ retineat, in manus Confessarii tradat ad Ordinarium quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si justæ gravesque causæ id postulent, comburenda; 3° ut accipiat injunctam a Confessario pro modo culparum gravem pœnitentiam salutarem, cum frequentatione sacramentalis Confessionis, aliaque injuncta de jure injungenda; 4° ut ille, qui Sectæ duces et magistros occultos denuntiare culpabiliter neglexerit, acceptâ pariter salutari pœnitentiâ, polliceat se eosdem Ordinario loci vel aliis, ad quos spectat, prout de jure, denuntiaturum esse; quæ obligatio implenda est sub pœna reincidentiæ. (Avanz. *pag.* 88.)

93. — V. »Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare jubentes »aut violantes."

Pro expositione immunitatis asyli remitto lectorem ad interpretes Juris Canonici, utpote quæ nostri instituti non est.

Ex verbis: *ausu temerario* colligitur eum tantum excommunicationem incurrere, qui minime coactus, prudens ac sciens, immunitatem asyli aut violare jubet, aut exsequendo, vi adhibitâ, violat. Eam proinde non incurrunt, qui vel lege civili vel a Superioribus suis ad hanc violationem coguntur. Ita ex Declar. S. C. Inquis. 1 Febr. 1871. et 22 Dec. 1880. [1]

Quamvis præfata immunitas ubique observanda sit, iis tamen in regionibus, in quibus per leges civiles non agnoscitur, impotentia eam observandi etiam a *peccato* excusat.

94. — VI. »Violantes clausuram Mo»nialium, cujuscumque generis aut con»ditionis, sexûs vel ætatis fuerint, in »earum monasteria absque legitima »licentia ingrediendo; pariterque eos »introducentes vel admittentes; itemque »Moniales ab illâ exeuntes, extra casus »ac formam a S. Pio V in Constit. *De»cori* præscriptam."

Excommunicatione plectuntur: 1° *Ingredientes absque legitima facultate.* De quibus confer lib. V. n. 24. sub 2°. Requiritur porro ut ingrediantur clausuram *canonicam*, i. e. Monialium, quæ vota solemnia professæ sunt, utpote quæ solæ in stricto sensu Moniales sunt et clausuræ lege tenentur. Deinde nihil refert quales sint ingredientes, sive Episcopi aut Cardinales, sive impuberes, sive mares aut fœminæ.

[1] Revue théol. 1876. *pag.* 594—596.
[2] Revue théol. 1876. *pag.* 609. 610.
[3] Revue théol. 1875. *pag.* 30.
[4] Revue théol. 1876. *pag.* 612.

[1] Revue théol. 1884. *pag.* 243.

2° *Introducentes vel admittentes.* Illi vel illæ censentur *introducere*, qui physice vel moraliter sunt causa ingressûs, puta aperiendo januam, invitando, consulendo, animum addendo ut ingrediantur. Illæ dicuntur *admittere*, quæ, cum sint deputatæ ad clausuræ custodiam, non prohibent ingressum, cum prohibere possunt; tales sunt Præpositæ et janitrices. Scire tamen debent eos, quos introducunt vel admittunt, legitima carere licentia.

Quamquam infantes excommunicationem non incurrant, illi tamen vel illæ, qui eos introducunt aut admittunt, ab excommunicatione immunes non sunt.

3° *Moniales exeuntes.* Censura contrahitur, cum Monialis toto corpore extra clausuram egressa fuerit. De casibus permissis et forma præscripta confer lib. V. n. 24.

Præter excommunicationem etiam aliæ pœnæ statutæ sunt, quas abrogatas esse nulla ratio probat; de quibus confer lib. V. n. 26. (Revue théol. 1877. *pag.* 262.)

95. — VII. »Mulieres violantes Regu»larium virorum clausuram, et Superio»res aliosve eas admittentes."

Sermo est de clausura Regularium, qui vota solemnia professi sunt, utpote qui soli in stricto sensu Regulares sunt et clausuræ lege tenentur.

Excommunicantur: 1° *Mulieres* quæcumque, exceptis privilegiatis, quas recensuimus lib. V. n. 23. sub 2°.

2° *Admittentes*, tam Superiores quam quivis alii Religiosi, qui mulieris ingressum non impediunt, cum impedire possunt.

De aliis pœnis confer lib. V. n. 26.

96. — VIII. »Reos simoniæ realis in »Beneficiis quibuscumque, eorumque »complices."

IX. »Reos simoniæ confidentialis in »Beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint »dignitatis."

X. »Reos simoniæ realis ob ingressum »in Religionem."

Pro intelligentia hujus materiæ recole dicta lib. III. n. 49. seqq., ubi etiam n. 62 aliæ pœnæ recensentur.

1° Ob simoniam *realem in Beneficiis* excommunicantur: a) ipsi *paciscentes*, dummodo primò agatur de Beneficio proprie dicto, quod nempe perpetuum est tum in se tum in beneficiato, non vero ad nutum amovibile: dummodo secundò pactum ex utraque parte sit exsecutioni mandatum, quadamtenus saltem. b) *Complices*, i. e. qui quoquo modo cooperati sunt ad simoniam, auxilio nempe, consilio, etc.

2° Ob simoniam *confidentialem in Beneficiis* excommunicationem incurrunt tum resignantes, tum conferentes, tum recipientes Beneficium *sub confidentia;* omnes enim isti æque rei sunt simoniæ confidentialis. Hæc simonia, si fuerit ex una parte impleta, utraque pars pœnam incurrit. — Additur porro in textu: »Cujuscumque sint dignitatis," ne quis specioso dignitatis suæ titulo a censura exemptum se putaret. (Godschalk. *pag.* 85. Revue théol. 1877. *pag.* 368—371.)

3° Ob simoniam *realem propter ingressum in Religionem* incurritur a paciscentibus, et ab eo, qui sic admittit aut sic recipitur, dummodo simonia ex utraque parte completa fuerit, scil. post emissam professionem, et dummodo agatur de Religione stricte dicta, in qua nempe vota solemnia sunt. Quandonam porro committatur hæc simonia, tradidimus lib. III. n. 54. qu. 4.

97. — XI. »Omnes, qui quæstum fa»cientes ex Indulgentiis aliisque gratiis »spiritualibus excommunicationis censura »plectuntur in Constit. S. Pii V *Quam »plenum.* 2 Januarii 1569."

Hac excommunicatione a Pio V afficiuntur personæ Episcopis inferiores, quæ, acceptâ pecuniâ, concesserint vel publicaverint gratias spirituales in præfata Constitutione recensitas. Hæ autem sunt: 1° indulgentiæ; 2° facultas eligendi sibi Confessarium, qui absolvat a casibus Episcopo reservatis; 3° celebratio Missæ et sepultura ecclesiastica tempore interdicti; 4° ciborum prohibitorum usus; 5° assumptio plurium patrinorum in Baptismo, contra decretum Conc. Trid.; 6° absolutio a simonia Papæ reservata.

98. — XII. »Colligentes eleemosynas »majoris pretii pro Missis, et ex iis »lucrum captantes, faciendo eas cele»brari in locis, ubi Missarum stipendia »minoris pretii esse solent."

Hanc censuram incurrunt tum Clerici tum laici. Ad eam contrahendam requiritur: 1° Ut *ex industria colligant copiam* stipendiorum; id enim indicat verbum *colligere.* Unde, quamvis peccet, pœnam tamen evadit ille, cui stipendia *sponte*

deferuntur, vel qui *parvum* eleemosynarum numerum colligeret. *Ita communiter.*

2° Ut inde *lucrum captent*, Missas celebrandas curando *in locis, ubi stipendia minora* esse solent. Unde censuræ non subjacet, qui partem stipendiorum retentam in pias causas impendit, quamvis id non liceat; vel si collector ad hoc constitutus nonnisi justum sui laboris pretium sibi retineat: vel demum, qui Missas celebrandas curat in loco, ubi idem stipendium dari solet. (*Lib.* 6. *n.* 322. *dub.* 3.)

Recole dicta de hac materia in lib. VI. n. 123. qu. 8. et 9.

Nota. Absolutio ab hac censura danda non est, nisi volentibus restituere, vel paratis stare mandatis S. Sedis, casu quo ad eam pro condonatione recurratur. (Konings. *n.* 1753. *qu.* 2. *sub.* 5°)

99. — XIII. »Omnes, qui excommuni»catione mulctantur in Constitutionibus »S. Pii V. *Admonet nos.* 29 Mart. 1567, »Innocentii IX *Quæ ab hac Sede.* 4 Nov. »1591, Clementis VIII *Ad Romani Pon»tificis curam.* 26 Junii 1592, et Alex»andri VII *Inter cæteras.* 24 Oct. 1660, »alienationem et infeudationem civita»tum et locorum S. R. Ecclesiæ respi»cientibus."

Hac censura plectuntur omnes, tam Clerici quam laici, cujusvis dignitatis, etiam Communitates, qui vel 1° tractant de quacumque infeudatione aut alienatione civitatum et locorum Sedi Apostolicæ immediate vel mediate subjectorum, ac propterea electionem Oratorum ad R. Pontificem mittendorum proponunt; requirunt tamen interpretes ut hæc electio reapse fiat; vel 2° munus Oratorum hujusmodi acceptant, etiamsi illud non exsequantur; vel 3° alienationem hujusmodi R. Pontifici per se vel per alium insinuant vel suadent.

100. — XIV. »Religiosos præsumentes »Clericis aut laicis extra casum neces»sitatis Sacramentum Extremæ Unctio»nis aut Eucharistiæ per viaticum mi»nistrare absque Parochi licentia."

Circa hanc censuram notamus: 1° *Religiosi* intelliguntur, qui vota solemnia professi sunt; quia hi soli de jure Canonico Religiosi censentur; exceptis tamen vota simplicia professis in Societate Jesu, quippe qui *authentice* a Sede Apostolica inter Religiosos stricte dictos cooptati sunt.

2° *Præsumentes*, i. e. conscii prohibitionis Ecclesiæ. Quid hac in re liceat Regularibus ex privilegiis eorum, vide in lib. VI. n. 83. qu. 3. et n. 361. qu. 3.

3° *Casus necessitatis* exsistit, quando homo est in periculo imminenti mortis, Parochus vero vel absens est, vel non sine periculo exspectari potest, vel requisitus Sacramenta administrare renuit.

4° *Parochi licentia.* Nomine Parochi venit quisquis curam habet animarum, ejusve vices gerit; ergo etiam Episcopus. Sufficit porro quævis licentia, sive expressa, sive tacita, sive rationabiliter præsumpta.

101. — XV. »Extrahentes absque legi»tima venia Reliquias ex sacris cœme»teriis sive catacumbis Urbis Romæ »ejusque territorii, eisque auxilium vel »favorem præbentes."

Ut *extrahentes* excommunicationem incurrant, requiritur 1° ut extrahant *veras Reliquias*, i. e. corpora vel partes corporis, etiam in minima particula, quibus indubia martyrii signa adjuncta sunt, puta palmæ, phialæ vitreæ vel figulinæ cruore tinctæ aut crustas saltem sanguineas occludentes, quæ vel intra vel extra loculos sepultorum affixæ reperiuntur, juxta decretum S. R. C. 10 Dec. 1863.[1] 2° Ut extractio *absque legitima venia* fiat; legitima venia conceditur a Cardinali Vicario in forma a Clemente X præscripta.

102. — XVI. »Communicantes cum »excommunicato nominatim a Papa in »crimine criminoso, ei scilicet impen»dendo auxilium vel favorem."

Requiritur ergo, ut communicatio fiat 1° cum *excommunicato nominatim a Papa*, qualis censetur tum ille, quem Pontifex sententia particulari excommunicavit, tum ille, quem post contractam excommunicationem latæ sententiæ excommunicatum esse nominatim denuntiavit; 2° *in crimine criminoso*, i. e. in eo ipso delicto, propter quod alter excommunicatus est; 3° eidem impendendo *auxilium* vel *favorem*, ut in suo crimine vel in sua contumacia persistat. Necesse est porro, ut communicatio fiat in materia gravi, ita ut culpa mortalis sit.

103. — XVII. »Clericos scienter et »sponte communicantes in divinis cum »personis a R. Pontifice nominatim ex»communicatis, et ipsis in Officiis re»cipientes."

[1] Revue théol. 1878. *pag.* 289.

1° Subjectum hujus censuræ sunt omnes et soli Clerici, tam Regulares quam sæculares, cujusvis sint dignitatis; non autem Religiosi laici, quippe qui in odiosis non veniunt nomine Clericorum.

2° Materia est, non quælibet communicatio in divinis, sed ea, quæ committitur recipiendo personam in Officio divino; particula enim *et*, juxta communem interpretationem, explicat modum communicationis, secus posterius membrum redundaret. Nomine divinorum Officiorum intelliguntur Officia publica, quæ ex Christi vel Ecclesiæ institutione a Clericis peraguntur. Recole dicta n. 41.

3° Tres requiruntur conditiones ad incurrendam hanc excommunicationem, videlicet ut prædicta communicatio fiat a) cum persona *a R. Pontifice nominatim excommunicata;* b) *scienter;* unde excusat quævis ignorantia; c) *sponte*, i. e. absque vi vel metu.

104. — XVIII. »Absolvere præsumentes »sine debita facultate, etiam quovis »prætextu, ab excommunicationibus spe»ciali modo Papæ reservatis." Ex 1ª parte Constit. *Apostolicæ Sedis.* post excomm. XIIam.

Intellige extra mortis articulum, et extra casum legitimi impedimenti adeundi Romam, juxta dicta n. 27. et 29. Quum porro hæc censura plectat solos *præsumentes*, eam non incurrunt, qui ex ignorantia vel ex gravi metu absolverent. Recole dicta n. 20—22.

105. — XIX. »Missionarios quocumque »modo, sive per se sive per alios, mer»caturæ in Indiis Orientalibus et Ame»rica operam dantes; necnon eorum »Superiores, qui subditos suos hac in »re delinquentes non puniverint." Ita ex authentica Declaratione S. C. Inquis. 4 Dec. 1872. a Pio IX approbata.

Ab hac censura nemo absolvi potest, præterquam in mortis articulo, nisi lucra ex mercatura percepta Superiori Missionis prius consignaverit. Factâ hâc restitutione, a quovis Confessario absolvi poterit. (Acta S. Sedis. *Vol.* 7. *pag.* 317—324.)

106. — XX. »Clericos vel laicos qua»cumque dignitate, etiam imperiali aut »regali, præfulgeant, qui alicujus Eccle»siæ, Beneficii, montium pietatis, alio»rumque piorum locorum jurisdictiones, »bona, census ac jura, fructus, emolu»menta, seu quascumque obventiones, »quæ in ministrorum et pauperum ne»cessitates converti debent, per se vel »per alios, vi vel timore incusso, seu »quacumque arte aut quocumque quæ»sito colere, in proprios usus convertere, »illosque usurpare præsumpserint, seu »impedire ne ab iis, ad quos jure per»tinent, percipiantur; necnon eos, ad »quos prædicta bona quomodocumque, »etiam ex donatione suppositæ personæ, »pervenerint; item Clericos, qui nefandæ »fraudis et usurpationis hujusmodi fa»bricatores seu consentientes fuerint." Ita Trid. *sess.* 22. *cap.* 11. *ref.*

Hæc excommunicatio longe latius patet, quam ea, quæ n. 86. exposita est; etenim 1° versatur circa *quæcumque* bona ecclesiastica; 2° punitur *quælibet* injusta eorum occupatio et occupatorum acquisitio, necnon impeditio quominus a jus habentibus percipiantur.

Delinquentes huic anathemati tamdiu subjacent, donec integre restituerint, ac deinde a R. Pontifice absolutionem obtinuerint. Ita Trid. *loc. cit.*

Præter excommunicationem, Concilium alias pœnas adjecit, nimirum: »Si »ejusdem ecclesiæ patronus fuerit, jure »patronatûs eo ipso privatus exsistat. »Clericus vero, qui nefandæ fraudis et »usurpationis fabricator seu consen»tiens fuerit, quibuscumque beneficiis »privatus sit, et ad quæcumque alia »beneficia inhabilis efficiatur, et a »suorum Ordinum exsecutione, etiam »post integram satisfactionem et ab»solutionem, sui Ordinarii arbitrio sus»pendatur."

ARTICULUS IV.

EXCOMMUNICATIONES ORDINARIIS RESERVATÆ.

107. — **Prænotanda.** 1° Nomine *Ordinariorum* veniunt non solum Episcopi et Vicarii Capitulares, verum etiam Vicarii Generales, Prælati Regulares, aliique jurisdictione Episcopali gaudentes.

2° Etiam Confessarii Regulares possunt ab hisce excommunicationibus absolvere in foro conscientiæ. Etenim Pius IX sola privilegia absolvendi a casibus *R. Pon-*

tifici reservatis revocavit; atqui, ex sententia probabiliori, Regulares vi complurium privilegiorum a S. Sede concessorum possunt absolvere a censuris *jure communi* Episcopis reservatis, ut probat S. Alph. *n.* 99. et *De privil. n.* 100. Excipe tamen eas, quas Ordinarii sibi reservarunt.

108. — Tres sunt excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ. Ejusmodi pœnæ subjacere declarat Pontifex:

I. »Clericos in sacris constitutos vel »Regulares aut Moniales post votum »solemne castitatis matrimonium con»trahere præsumentes; necnon omnes »cum aliqua ex prædictis personis ma»trimonium contrahere præsumentes."

Hanc excommunicationem incurrunt, etiamsi matrimonium attentatum ob aliud quoque impedimentum dirimens, præter impedimentum voti, invalidum sit; id enim non mutat, sed aggravat delictum; imo etiamsi sic dictum matrimonium civile tantum contrahant, ut decrevit S. C. Inquis. 22 Dec. 1880. [1]

109. — II. »Procurantes abortum, ef»fectu secuto."

Ad contrahendam hanc censuram tria requiruntur; scil. 1° *Verus abortus*, seu fœtûs immaturi ejectio, adeo ut mors ipsius inde sequi nata sit. Unde non attingitur partus præmaturus fœtûs vitalis, si recto fine procuretur. Sublata est a Pio IX antiqua distinctio inter fœtum animatum et inanimatum; valet tamen adhuc quoad alias pœnas. Recole dicta lib. III. n. 192. 2° *Abortûs procuratio*, de industria nempe, *sive per se*, *sive per interpositas personas*, ut habet Constit. Sixti V; quare etiam mandantes excommunicationem incurrunt, non vero alii cooperatores consilio vel consensu tantum concurrentes. Abortus porro procuratur percussionibus, venenis, medicamentis, potionibus, oneribus laboribusque mulieri prægnanti impositis, etc.; unde excommunicantur omnes, qui hujusmodi causam abortus *ex consulto* ponunt, vel jussione aut comminatione ponere cogunt: non vero illi, qui medium tantum indicant, suadent, præparant, vendunt, malâ licet intentione; neque illi, qui prægnantem percutiunt ex ira, odio vel zelotypia, quin abortum intendant, quamvis eum forsan prævideant. An mater ipsa, quæ abortum sibi procurat, censurâ afficiatur, expendimus lib. III. n. 192. qu. 7. ubi probabiliter negatur. 3° *Effectus secutus*, et quidem ex causa in hunc finem posita. Requiritur porro certitudo moralis quod abortus sit secutus ex illa causa; quia pro casibus dubiis infligi non solet excommunicatio. Quamobrem non incurritur hæc censura, si probabile sit abortum accidisse ex alia causa.

110. — III. »Litteris Apostolicis falsis »scienter utentes, vel crimini ea in re »cooperantes."

Litteræ *falsæ* dicuntur, quæ vel *falsificatæ* vel *falso confectæ* sunt.

Excommunicantur tum *utentes*, i. e. qui Litteras exhibent ut effectum in eis designatum consequantur, sive eum obtineant sive non obtineant; tum *cooperantes*, i. e. qui mandato, consilio vel auxilio ad usum earum Litterarum efficaciter concurrunt. Quodsi ipsemet falsarius litteris a se falsificatis vel confectis utatur, duplicem excommunicationem incurrit; consule dicta n. 84.

ARTICULUS V.

EXCOMMUNICATIONES NON RESERVATÆ.

Quatuor sunt ex Constit. *Apostolicæ Sedis.*; sex aliæ adduntur a Conc. Trid. latæ.

111. — I. »Mandantes seu cogentes »tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos »notorios, aut nominatim excommunica»tos vel interdictos."

1° *Mandantes* sunt, qui auctoritate, qua pollent, adhibitâ, jubent sepulturam. 2° *Cogentes*, qui vi vel gravi metu alios inducunt ad sepeliendum. 3° *Sepultura ecclesiastica* intelligitur sepultura in loco sacro seu benedicto, esto sine ritu sacro. 4° *Hæreticus notorius* est, quem publice constat esse hæreticum, vel a fortiori apostatam, etsi non sit vitandus. 5° *Nominatim excommunicatus vel interdictus*, dummodo, ut supponitur, censura denuntiata fuerit; alias reus non est vitandus.

Censuram ergo non incurrunt illi, qui sepeliunt; neque qui mandant vel cogunt sepeliri cum ritu ecclesiastico, sed in loco profano.

112. — II. »Lædentes aut perterrefa»cientes Inquisitores, denuntiantes, tes»tes, aliosve ministros S. Officii, ejusve »sacri Tribunalis scripturas diripientes »aut comburentes; vel prædictis quibus»libet auxilium, consilium, favorem præ»stantes."

Excommunicantur ergo: 1° *Lædentes*, i. e. occidentes, verberantes, dejicientes, aliamve læsionem personis enumeratis inferentes.

2° *Perterrefacientes*, i. e. gravem terrorem incutientes.

3° *Diripientes*, i. e. vi auferentes, aut *comburentes*, unam alteramve scripturam.

4° *Cooperatores*, dummodo efficaciter concurrerint ad delictum principale, idque reipsa commissum fuerit.

113. — III. »Alienantes et recipere »præsumentes bona ecclesiastica absque »Beneplacito Apostolico, ad formam »Extravagantis *Ambitiosæ. de reb. Eccl.* »*non alienandis.*"

Hanc excommunicationem incurrunt: 1° *Alienantes*, ii nempe, qui bonorum ecclesiasticorum legitimam habent administrationem. Plures excipiunt Episcopos et Abbates; quia pro hisce in laudata Extravaganti statuitur interdictum ab ingressu ecclesiæ. Sed verior et communior est sententia opposita; quia ibidem *omnes* plectuntur excommunicatione; deinde Episcopi et Abbates interdicto insuper. [1]

2° *Recipere præsumentes*, a prædictis nempe, contractu quodam prohibito, ut mox exponemus.

Ad censuram contrahendam tria requiruntur: 1° *Alienatio*, quo nomine venit quævis actio, qua vel dominium transfertur, sive directum sive utile, vel qua illud gravatur. Ejusmodi actiones sunt: donatio, venditio, permutatio, census, hypotheca, servitus, transactio, locatio ultra triennium. Requiritur porro, ut contractus alienationis sit perfectus. Alienationi correlativa est *receptio*.

2° *Alienatio bonorum ecclesiasticorum*. Bona ecclesiastica hic intelliguntur omnia bona, quorum administratio subest ecclesiasticæ auctoritati; qualia sunt bona tam mobilia quam immobilia, quæ ad ecclesias, monasteria, vel quemlibet locum pium auctoritate ecclesiastica constitutum pertinent. Requiritur porro, ut bona, quæ alienantur, sint notabilis valoris, puta ultra 500 francos, juxta hodiernum pecuniæ valorem.

3° *Alienatio absque Beneplacito Apostolico*, quando nempe hoc requiritur. Nonnulli enim sunt casus, in quibus alienatio absque Beneplacito Apostolico fieri potest, videlicet a) si bonum sit modici valoris, puta 500 francos non excedens; b) fructus et bona, quæ servando servari non possunt; c) si urgeat necessitas vel notoria utilitas, quæ moram non patitur; d) locatio et conductio ad triennium; e) pecunia; nisi data fuerit cum perpetuo Missarum onere, aut ad emendum immobile vel mobile pretiosum. (*Lib. 4. n.* 187. Bouix. *De jure Regul. part.* 5. *pag.* 290.)

Notandum superest: 1° Consuetudo, ubi viguit, alienandi bona ecclesiastica absque Beneplacito Apostolico, Constitutione *Apostolicæ Sedis.* abrogata est.

2° Præter excommunicationem, Decretalis *Ambitiosæ.* statuit interdictum in Episcopos et Abbates illegitime alienantes; in cæteros privationem ab Officiis, Dignitatibus, Beneficiis et administrationibus. Pœna interdicti Constitutione *Apostolicæ Sedis.* sublata est.

114. — IV. »Negligentes sive culpa»biliter omittentes denuntiare infra men»sem Confessarios sive Sacerdotes, a »quibus sollicitati fuerint ad turpia, in »quibuslibet casibus expressis a Præde»cessoribus nostris Gregorio XV Constit. »*Universi.* 20 Aug. 1622., et Benedicto »XIV Constit. *Sacramentum Pœniten»tiæ.* 1 Jun. 1741."

Consule dicta lib. VI. n. 256. sub IV.

115. — V. »Illos, qui libros de rebus »sacris tractantes sine Ordinarii appro»batione imprimunt aut imprimi faciunt."

Ita Constit. *Apostolicæ Sedis.* temperavit Decretum Trid. *sess. 4. de edit. et usu sacr. libr.*

Ex Declar. S. C. Inquis. 22 Dec. 1880 hæc censura restringenda est ad libros sacrarum Scripturarum, necnon ad earumdem adnotationes et commentarios. [1]

Porro *imprimentes* sunt operarii, qui typos componunt, attramentum allinunt, chartam præparant et prælo supponunt, prælum versant. *Imprimi facientes* sunt auctor, qui opus suum imprimendum committit, typographus seu dominus of-

[1] Revue théol. 1883. *pag.* 242.

[1] Revue théol. 1879. *pag.* 508. *n.* 29. *et* 30.

[1] Revue théol. 1883. *pag.* 242.

ficinæ, cujus impensis et curâ libri imprimuntur.

116. — VI. »Docere, prædicare, vel »pertinaciter asserere, seu etiam pu»blice disputando defendere præsumen»tes, illis, quos conscientia peccati mor»talis gravat, quantumcumque etiam »se contritos existiment, habitâ copiâ »Confessoris, non necessario præmitten»dam esse Confessionem sacramentalem »ante sumptionem S. Eucharistiæ." Trid. *sess.* 13. *can.* 11.

Pariter: »Negantes clandestina ma»trimonia, libero contrahentium consensu »facta, vera ac rata esse matrimonia, »quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; »necnon falso affirmantes matrimonia a »filiisfamilias sine consensu parentum »contracta irrita esse, et parentes ea »rata vel irrita facere posse." Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.*

117. — VII. »Raptores mulierum ma»trimonii causa, ac omnes illis consilium, »auxilium et favorem præbentes." Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *ref. matr.*

Intelligitur ille raptus, qui impedimentum dirimens matrimonii constituit; quare consule dicta lib. VI. n. 554. 555.

118. — VIII. »Temporales dominos ac »magistratus, cujuscumque gradûs, digni»tatis et conditionis exsistant, qui quovis »modo directe vel indirecte subditos »suos vel quoscumque alios cogunt, »quominus libere matrimonia contra»hant." Trid. *sess.* 24. *cap.* 9. *ref. matr.*

Delictum consistit in *injusta coactione*, qua libertas violatur sive ineundi repellendive matrimonium, sive eligendi personam, quacum contrahatur. Denegatio alicujus beneficii, ad quod alter jus non habet, non est coactio.

119. — IX. »Omnes et singulas per»sonas, cujuscumque qualitatis vel con»ditionis fuerint, tam Clericos quam »laicos, sæculares vel Regulares, atque »etiam qualibet dignitate fungentes, qui »quomodocumque coëgerint aliquam vir»ginem vel viduam, aut aliam quam»cumque mulierem invitam, præterquam »in casibus in jure expressis, ad ingre»diendum monasterium, vel ad susci»piendum habitum cujuscumque Religio»nis, vel ad emittendam professionem; »quique consilium, auxilium vel favorem »dederint, quique scientes eam non »sponte ingredi monasterium, aut habi»tum suscipere, aut professionem emit»tere, quoquo modo eidem actui vel »præsentiam, vel consensum vel aucto»ritatem interposuerint. Similiter eos, »qui sanctam virginum vel aliarum »mulierum voluntatem veli accipiendi »vel voti emittendi quoquo modo sine »justa causa impedierint." Trid. *sess.* 25. *cap.* 18. *de Regul.*

Quocirca notamus: 1° Censura restringenda est ad monasteria Ordinis stricte dicti. 2° Verbis »ad ingrediendum mo»nasterium" intelligi debet habitatio in monasterio, etiam retento proprio habitu sæculari. 3° Jure permittitur cogere ad ingrediendum monasterium in pœnam alicujus delicti, vel in cautionem periculi impudicitiæ, ut habetur in *Cap.* 18. *et* 19. *de conv. conjug.* 4° Veli acceptio et voti emissio utraque significat professionem. (*n.* 212.)

120. — X. »Magistratus, qui adversus »inobedientes et contradictores clausuræ »Monialium ad instantiam Episcopi non »præbent auxilium." Trid. *sess.* 25. *cap.* 5. *de Regul.*

Hæc censura nostro tempore usu non venit.

Nota. Cæteræ excommunicationes a Conc. Trid. latæ Constitutioni *Apostolicæ Sedis.* insertæ sunt.

ARTICULUS VI.

SUSPENSIONES.

Septem sunt ex Constitutione *Apostolicæ Sedis.*, omnes R. Pontifici *simpliciter* reservatæ; sex ex Conc. Trid., aliæ reservatæ, aliæ non reservatæ; quibus una demum accedit ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex.* Papæ *specialiter* reservata.

121. — I. »Suspensionem ipso facto »incurrunt a suorum Beneficiorum per»ceptione, ad beneplacitum S. Sedis, »Capitula et Conventus ecclesiarum et »monasteriorum, aliique omnes, qui ad »illarum seu illorum regimen et admi»nistrationem recipiunt Episcopos aliosve »Prælatos de prædictis ecclesiis seu »monasteriis apud eamdem S. Sedem »quovis modo provisos, antequam ipsi »exhibuerint Litteras Apostolicas de sua »promotione."

Capitulum aut Conventus suspenditur a Beneficiis *in communi* possessis; alii vero singuli, si sontes fuerint, suspenduntur a *propriis* Beneficiis, i. e. a perceptione fructuum, et ab administratione Beneficii.

122. — II. »Suspensionem per trien»nium a collatione Ordinum ipso jure »incurrunt aliquem ordinantes absque »titulo Beneficii vel patrimonii, cum »pacto ut ordinatus non petat ab ipsis »alimenta."

Recole dicta lib. VI. n. 415.

123. — III. »Suspensionem per an»num ab Ordinum administratione ipso »jure incurrunt ordinantes alienum sub»ditum, etiam sub prætextu Beneficii »statim conferendi, aut jam collati, sed »minime sufficientis, absque ejus Epis»copi litteris dimissorialibus; vel etiam »subditum proprium, qui alibi tanto »tempore moratus sit, ut canonicum »impedimentum contrahere ibi potuerit, »absque Ordinarii ejus loci litteris testi»monialibus."

Recole dicta lib. VI. n. 416. et 417.

124. — IV. »Suspensionem per an»num a collatione Ordinum ipso jure »incurrit, qui, excepto casu legitimi »privilegii, Ordinem sacrum contulerit »absque titulo beneficii vel patrimonii »Clerico in aliqua Congregatione viventi, »in qua solemnis professio non emittitur, »vel etiam Religioso nondum professo."

125. — V. »Suspensionem perpetuam »ab exercitio Ordinum ipso jure incur»runt Religiosi ejecti, extra Religionem »degentes."

Nomine *Religiosorum* veniunt soli Regulares stricte dicti. Ut porro censuram incurrant, requiritur 1° ut *juste* ejecti fuerint, i. e. ex justa causa, quia incorrigibiles sunt, et servato ordine judiciali; pœna enim supponit culpam, et delictum in Prælato non præsumitur; ideo non oportuit legem id exprimere; 2° ut extra Religionem degant; unde, si statim in aliam Religionem transeant, vel indultum sæcularizationis a S. Sede obtineant, pœnam evadunt. Ratio hujus censuræ est, quia Religiosus ejectus eo ipso caret titulo suæ Ordinationis, imo et Ecclesiâ, cui sit adscriptus.

Regulares fugitivi et apostatæ a Religione sub hac censura non comprehenduntur, sed aliis pœnis subjacent. Cfr. Avanzini. *adnot.* 46. Bouix. *De jure Regul. part.* 6. *pag.* 509.

126. — VI. »Suspensionem ab Ordine »suscepto ipso jure incurrunt, qui eum»dem Ordinem recipere præsumpserunt »ab excommunicato, vel suspenso, vel »interdicto nominatim denuntiatis, aut »ab hæretico vel schismatico notorio; »eum vero, qui bona fide a quopiam »eorum est ordinatus, exercitium non »habere Ordinis sic suscepti, donec »dispensetur, declaramus."

Ergo: 1° Qui *mala fide* ordinatus est, suspensionem incurrit, posito nimirum quod valida fuerit Ordinatio. 2° Qui *bona fide*, pœnam nullam incurrit, sed meram prohibitionem ab Ordinis exercitio, in odium ordinantis, a qua proprius Episcopus dispensare potest, ut statuit *Cap.* 2. *de ordinatis.*

127. — VII. »Clerici sæculares exteri »ultra quatuor menses in Urbe commo»rantes, ordinati ab alio quam ab ipso »suo Ordinario absque licentia Card. »Urbis Vicarii, vel absque prævio exa»mine coram eodem peracto, vel etiam »a proprio Ordinario postquam in præ»dicto examine rejecti fuerint; necnon »Clerici pertinentes ad aliquem e sex »Episcopatibus suburbicariis, si ordinen»tur extra suam diœcesim, dimissoriali»bus sui Ordinarii ad alium directis »quam ad Card. Urbis Vicarium; vel »non præmissis ante Ordinem sacrum »suscipiendum exercitiis spiritualibus per »decem dies in domo urbana Sacerdo»tum a Missione nuncupatorum, suspen»sionem ab Ordinibus sic susceptis ad »beneplacitum S. Sedis ipso jure incur»runt: Episcopi vero ordinantes ab usu »Pontificalium per annum."

Suspensionem ergo incurrunt: 1° Clerici sæculares *exteri*, i. e. qui non pertinent ad Romanam diœcesim neque ad sex diœceses suburbicarias, si, dum Romæ commorantur, contra præscriptam normam Ordines suscipiunt ab alieno vel etiam a proprio Episcopo.

2° Clerici sæculares *suburbicarii*, si contra præscripta ordinentur.

3° *Episcopi*, qui ejusmodi illegitimam Ordinationem peragunt.

128. — VIII. »Suspensionem ab exer»citio Pontificalium ipso jure incurrit »Episcopus, qui in alterius diœcesi Pon»tificalia exercet sine Ordinarii loci ex»pressa licentia, vel in personas eidem »Ordinario non subjectas: si hoc modo »Ordines confert, ordinati ipso jure »suspensi sunt ab exsecutione Ordinum." Trid. *sess.* 6. *cap.* 5. *ref.*

Neutra censura Papæ reservata est. Advertendum est, quod, obtentâ Ordinarii loci licentiâ, Episcopus possit in alienos quoque subditos Pontificalia exercere cum licentia *eorum* Ordinarii.

129. — IX. »Suspensionem a colla»tione Ordinum per annum incurrit »Episcopus, qui subditum alienum, etiam »cujusvis rescripti vel privilegii prætextu, »ordinat absque Ordinarii sui testimonio »de illius probitate et moribus: ordina»tus incurrit suspensionem a susceptorum Ordinum exsecutione, quamdiu »proprio Ordinario videbitur expedire." Trid. *sess.* 23. *cap.* 8. *ref.*

Censura ab Ordinante incursa non est reservata.

130. — X. »Suspensionem ab exer»citio Pontificalium per annum ipso »jure incurrit Episcopus Titularis, qui »alterius subditum, vigore cujusvis pri»vilegii, etiam prætextu familiaritatis »continuæ commensalitatis suæ, absque »sui proprii Prælati expresso consensu »aut litteris dimissoriis, ad Ordines vel »primam Tonsuram promovet: taliter »promotus suspensionem ab exsecutione »Ordinum sic susceptorum ipso jure in»currit, donec suo Prælato visum fuerit." Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. *ref.*

Censura ab Ordinante contracta non est reservata.

131. — XI. »Suspensionem ab Officio »et Beneficio per annum ipso jure in»currunt Abbates, Prælati exempti, et »Vicarii Capitulares, qui Clericis sæcu»laribus litteras dimissorias concedunt, »ut ab alio quam a proprio Episcopo »ordinentur: ordinati cum dimissoriis »Vicarii Capitularis, si in majoribus Or»dinibus constituti fuerint, ipso jure in»currunt suspensionem ab exsecutione »Ordinum ad beneplacitum futuri Præ»lati." Trid. *sess.* 23. *cap.* 10. *ref.* et *sess.* 7. *cap.* 10. *ref.*

Censura in concedentes dimissorias non est reservata.

Notandum est: 1° Quod attinet litteras dimissorias *Vicarii Capitularis*, censura intelligenda est ad formam decreti *sess.* 7.; incurritur nempe, si Vicarius Capitularis dimissorias concedat intra annum a die vacationis Sedis; casu excepto, quo illas concederet *arctatis.* [1]

2° Ordinati cum dimissoriis illegitimis *Vicarii Capitularis*, si in minoribus Ordinibus constituti fuerint, privilegio clericali privati exsistunt.

3° Ordinans incurrit suspensionem relatam n. 123., ob defectum legitimarum dimissorialium.

QUÆRITUR demum hoc loco: *An vigeat etiamnum suspensio contra eos, qui per saltum ordinantur?*

Resp. Negandum videtur; quia Trid. *sess.* 23. *cap.* 14. *ref.* commemorat tantum hanc censuram, sed non fert eam; unde Constitutione *Apostolicæ Sedis.* abrogata videtur.

Remanet tamen prohibitio tum in Ordine suscepto ministrandi, tum ad Ordinem superiorem ascendendi, tum Ordinem prætermissum recipiendi, nisi dispensationem obtinuerint; quam Episcopus ex legitima causa concedere potest, si in Ordine per saltum suscepto non ministraverint; solus vero Papa, si ministraverint.

132. — XII. »Parochus vel alius Sa»cerdos, sive Regularis sive sæcularis »sit, qui alterius Parochiæ sponsos sine »illorum Parochi vel Ordinarii licentia »matrimonio conjungere aut benedicere »ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspen»sus manet, quamdiu ab Ordinario ejus »Parochi, qui matrimonio interesse de»bebat, seu a quo benedictio suscipienda »erat, absolvatur." Trid. *sess.* 24. *cap.* 1. *ref. matr.*

Quocirca notandum est: 1° Censura non viget, ubi cit. decretum Trid. de matrimoniis clandestinis publicatum non fuit, ut patet ex clausula finali decreti.

2° Suspensio, quam infligit Concilium, probabiliter est ab Officio sacerdotali tantum. Ita Suar. *De censur. disp.* 31. *sect.* 3. *n.* 19. Castrop. *tr.* 29. *disp.* 4. *p.* 10. § 2. *n.* 2. Catalan. *part.* 4. *qu.* 9. *cap.* 9. *n.* 6. et alii.

133. — XIII. »Suspensionem ipso facto »incurrunt Episcopi, qui, quod absit, in »concubinatu versantur, si a Synodo »Provinciali admoniti se non emendave»rint." Trid. *sess.* 25. *cap.* 14. *ref.*

Suspensio hæc est totalis, adeoque ab Officio et Beneficio, juxta dicta n. 57. Non est reservata.

Alias pœnas Concilium ibidem decernit in Clericos Episcopis inferiores, qui in concubinatu vivunt.

134. — XIV. »Suspensionem ab exer»citio Pontificalium, R. Pontifici specia»liter reservatam, ipso facto incurrunt »Episcopi intrusum regimen diœcesis »vacantis concedentes, vel suscipientes, »vel intrusioni cooperantes, juxta expo»sita n. 88." Ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex.*

Suspensionem aliorum hoc crimine sontium vide n. 121.

[1] Arctatus dicitur ille, qui recepit vel receptur est Beneficium ecclesiasticum, cui adnexus est Ordo sacer, et qui nondum Ordini isti initiatus est. Arctatur proinde, quia tenetur illum Ordinem intra annum recipere sub pœna amittendi Beneficium.

ARTICULUS VII.

INTERDICTA.

Duo sunt ex Constit. *Apostolicæ Sedis.* diverso modo reservata; duo quoque ex Concilio Trid., non reservata; unum denique ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex.* speciali modo Papæ reservatum.

135. — I. »Interdictum R. Pontifici »speciali modo reservatum ipso jure in»currunt Universitates, Collegia et Ca»pitula, quocumque nomine nuncupentur, »ab ordinationibus seu mandatis ejusdem »R. Pontificis pro tempore exsistentis »ad universale futurum Concilium appel»lantia."

Materia hujus censuræ eadem est ac illa, quam n. 79. explanavimus, ad quem proinde remittimus. Discrimen solum habetur in ratione pœnæ, subjecti, et cooperationis ad delictum. Ibidem pœna est excommunicatio, hic vero interdictum; ibidem puniuntur personæ singulares, hic vero Communitates; ibidem feriuntur etiam cooperatores, hic vero silentio prætereuntur.

136. — II. »Scienter celebrantes vel »celebrari facientes divina in locis ab »Ordinario, vel delegato judice, vel a »jure interdictis; aut nominatim excom»municatos ad divina Officia, seu eccle»siastica Sacramenta, vel ecclesiasticam »sepulturam admittentes, interdictum »ab ingressu ecclesiæ ipso jure incur»runt, donec ad arbitrium ejus, cujus »sententiam contempserunt, competenter »satisfecerint.."

Interdicuntur: 1° Clerici *scienter celebrantes divina*, i. e. ea divina Officia peragentes, quæ solis Ecclesiæ ministris competunt, et quidem quatenus a jure interdicitur, ut habetur in *Cap.* 8. *de privil. in* 6. et exposuimus n. 67—69.

2° *Celebrari facientes*, i. e. qui jubendo vel cogendo auctores sunt ut celebrentur.

3° *Admittentes*, Clerici nempe, quibus ex officio incumbit id prohibere.

Advertendum superest: a) Non est obligatio servandi interdicta localia *a jure* lata, nisi eorum denuntiatio facta fuerit, sicut statuit Martinus V in Constit. *Ad evitanda.*

b) Censura admittentium restringitur ad eos, qui admittunt *nominatim excommunicatos*, sive a R. Pontifice sive ab Ordinario.

c) Cessante per debitam satisfactionem contumacià, reus absolvi debet.

137. — III. »Interdictum ab ingressu »ecclesiæ ipso facto incurrit Metropoli»tanus, qui suffraganeos Episcopos ultra »annum a sua diœcesi absentes, vel »suffraganeus Episcopus antiquior resi»dens, qui Metropolitanum sic absentem, »intra sex menses per litteras seu nun»tium Romano Pontifici non denuntia»verint." Trid. *sess.* 6. *cap.* 1. *ref.*

138. — IV. »Interdictum incurrit Ca»pitulum, quod intra annum a die va»cationis Sedis Episcopalis litteras dimis»sorias alicui non arctato concedit." Trid. *sess.* 7. *cap.* 10. *ref.*

Hoc interdicto plectitur Vicarius Capitularis, si hoc delictum committat, præter suspensionem, quam n. 131. retulimus.

In casu necessitatis S. C. Ep. et Reg. speciales concedit facultates pro dimissoriis concedendis, ut refert de Angelis. *lib.* 1. *tit.* 28. *n.* 21.

139. — V. »Interdictum ab ingressu »ecclesiæ R. Pontifici specialiter reser»vatum ipso facto incurrunt Episcopi »intrusum regimen diœcesis vacantis »concedentes, vel suscipientes, vel in»trusioni cooperantes, juxta exposita »n. 88." Ex Constit. Pii IX *Romanus Pontifex.*

APPENDIX.

DE CESSATIONE A DIVINIS.

140. — Interdicto locali subjungimus cessationem a divinis; quia illi similis

est. Definitur: Prohibitio facta Clericis celebrandi divina Officia in aliquo loco.

Differt ab interdicto: 1° quia non est censura, nec pœna delicti; sed simplex prohibitio, quam Ecclesia facit in signum doloris concepti ob gravissimam injuriam sibi et honori divino illatam, atque in illius reparationem, ut hac ratione delinquens cogatur desistere ab injuria et exhibere satisfactionem. 2° Nullam unquam personam directe afficit, sed solum locum. 3° Clericus eam violans, licet graviter peccet, non tamen incurrit irregularitatem.

Duplex distinguitur cessatio: 1° *generalis*, respectu totius civitatis; 2° *particularis*, ut in una ecclesia, cœmeterio. Nulla exsistit *a jure* statuta, sed tantum *ab homine* indicitur.

141. — De cessatione a divinis sequentia notanda sunt: 1° Tres effectus communiter ei tribuuntur, nempe privatio divinorum Officiorum, Sacramentorum, et ecclesiasticæ sepulturæ.

Tempore cessationis Clerici non fruuntur privilegio concesso in interdicto; quia cessatio rigidior est, quam interdictum. Verumtamen conceduntur Sacramenta necessaria, ut tempore interdicti; permittitur quoque una Missa privata in hebdomada ad renovandam Eucharistiam; multi etiam permittunt sepulturam in loco sacro, modo fiat sine Officio funebri, cum sola sepultura non sit divinum Officium.

2° Cessationem a divinis indicere potest, qui censuram ferre valet. Indici autem non debet, nisi ob delictum gravissimum et notorium, præmissâ delinquentis monitione.

3° Superior, qui cessationem imposuit, potest eam relaxare, vel etiam in præcipuis festivitatibus suspendere. Porro non debet cessatio ultra mensem protrahi. (*n.* 340.)

TRACTATUS II.

DE PŒNIS VINDICATIVIS.

S. Alph. lib. 7. H. A. tr. 19.

142. — Multæ sunt, puta detrusio in monasterium, depositio, degradatio, infamia, irregularitas ex delicto, privatio sepulturæ ecclesiasticæ, inhabilitas ad Dignitates, Beneficia et Officia ecclesiastica, uti et privatio obtentorum, privatio fructuum Beneficii, privatio vocis activæ et passivæ, etc.

Agemus tantum 1° de depositione, 2° de degradatione, 3° de infamia, 4° de privatione sepulturæ ecclesiasticæ.

CAPUT I.

DEPOSITIO.

143. — Simplex depositio est pœna, qua Clericus perpetuo removetur vel ab Ordine, vel a Beneficio, vel ab Officio: vel ab Officio et Beneficio simul, vel denique ab Ordine, Officio et Beneficio.

Hæc pœna 1° infligi potest ab Episcopo vel ejus Vicario Generali, at nonnisi ob crimina atrocia, publice valde scandalosa.

2° Non privat privilegiis canonis et fori, neque liberat obligationibus statûs Clericalis.

3° Quamvis sit ex se perpetua, potest tamen Episcopus cum deposito post peractam pœnitentiam dispensare, eumque in pristinum statum restituere, dummodo crimen non fuerit adulterio gravius. (*n.* 323—327.)

CAPUT II.

DEGRADATIO.

144. — Degradatio, quæ et *solemnis depositio* nuncupatur, est pœna, qua Clericus dejicitur a statu Clericali, ita ut transeat sub potestatem sæcularem sicut laicus; unde, si quis in degradatum violentas manus injiceret, non incurreret excommunicationem.

Duplex est: una *verbalis*, qua sententia degradationis solemniter promulgatur; altera *realis*, qua sententia lata exsecutioni mandatur.

Modus exsequendi degradationem traditur in Pontificali Romano; Episcopus nempe vestibus pontificalibus indutus, degradandum pariter paratum vestibus propriis sui Ordinis, hisce singillatim exuit publice, deinde induit habitu laicali.

Degradatio 1° a solo Episcopo fieri potest, et nonnisi ob crimina gravissima in jure expressa. 2° Realis privat privilegiis canonis et fori; attamen obligatio manet ad castitatem et ad Horas Canonicas. 3° Degradatus a solo Papa restitui potest. (*n.* 324—327.)

CAPUT III.

INFAMIA.

145. — Infamia est diminutio boni nominis et existimationis hominum, orta ex sinistra opinione publica de vita et moribus alicujus.

Duplex est: 1° *Juris*, quæ auctoritate Juris Canonici vel Civilis ob turpe factum decernitur. 2° *Facti*, quæ oritur ex sola operis turpitudine manifesta, apud honestos viros notam afferentis. (*n.* 362.)

146. — Infamia *juris* contrahitur: 1° *Ipso jure* ob delicta, quibus Jus infamiam adnexuit, quin requiratur judicis sententia. Hujusmodi delicta in Jure Canonico sunt apostasia a fide, hæresis, crimen læsæ majestatis, proditio, simonia, perjurium in judicio, duellum, homicidium, raptus mulierum, lenocinium, sodomia, matrimonium cum meretrice vel repudiatâ, exercitium usurarum, rapina, invasio Cardinalium vel Episcoporum, paratio armorum contra parentes. 2° *Judicis sententia*, si quis juste condemnatus sit de delicto, sententiâ scil. definitivâ, quæ transiit in rem judicatam; vel si damnatus fuerit ad infamem pœnam sustinendam, v. g. carcerem.

Quandoque oritur etiam juris infamia 1° *ex delicto alieno;* sic infames sunt filii meretricis; filii ac nepotes parentum, qui damnati sunt ob crimen læsæ majestatis; filii hæreticorum.

2° *Ex vili officio*, quod quis exercet, cuique infamiæ nota inusta est, ut est officium histrionum turpia repræsentantium.

Denique notandum est, ad infamiam juris vel facti incurrendam semper requiri notorietatem; ex facto enim occulto nullus infamatur. (*n.* 363.)

147. — Effectus infamiæ sunt: 1° Exclusio a Dignitatibus et honoribus, juxta Regulam Juris 87. in 6: »Infamibus »portæ non pateant dignitatum." 2° Remotio a publicis muneribus, adeo ut neque ad testimonium dicendum sint admittendi. 3° Irregularitas, qua vel ad Ordines promoveri, vel in susceptis ministrare prohibentur.

148. — Infamia *solius facti* tollitur tum publica et constanti emendatione, saltem si hæc per triennium continuata sit; tum susceptione Baptismi.

Infamia *juris* durat perpetuo; verumtamen quoad effectus Jure Canonico inductos infamia juris canonici aboleri potest a S. Pontifice. Episcopus in ea dispensare potest, non quidem ad Ordines suscipiendos, sed ad ministrandum in susceptis post peractam pœnitentiam, si delicta, ex quibus consurgit infamia, fuerint adulteria vel minora adulteriis. (*n.* 364.)

CAPUT IV.

PRIVATIO SEPULTURÆ ECCLESIASTICÆ.

149. — **Principia.** I. Nemo Christianus in communione fidelium defunctus extra ecclesiam aut cœmeterium rite benedictum sepeliri debet; nisi sacrorum Canonum decretis ab ecclesiastica sepultura tamquam indignus sit excludendus. Ita Rituale Rom. *tit.* 6. *cap.* 1. *n.* 18. et *cap.* 2. *n.* 1.

II. SS. Canones sepulturam ecclesiasticam ipso jure denegant iis, qui vel extra Ecclesiæ communionem, vel in manifesta impœnitentia ex hac vita decesserunt. Ratio est, tum quia quibus non communicavimus vivis, nec defunctis in sepultura communicare debemus; tum quia Ecclesia ejusmodi defunctos præsumit esse damnatos. Ita Rituale Rom.

tit. 6. *cap.* 2. Decret. *cap.* 12. *de sepult.* et *cap.* 2. *de hæret. in* 6.

Ex primo capite excluduntur: 1° Omnes *non baptizati*, etiam Christianorum infantes, si tamen in lucem prodierint; nam, si in defunctæ matris utero obierint, tamquam viscerum ejus pars cum matre sepeliuntur. Ex communi sententia, contra paucos, etiam catechumeni excluduntur; quia non sunt membra Ecclesiæ. 2° *Apostatæ* a christiana fide; quales hodie multi sunt, qui, suscepto Baptismo, postea incredulitatem palam profitentur. 3° *Hæretici*, eorumque fautores, et *schismatici;* neque refert num formaliter an materialiter sint hæretici. 4° *Excommunicati publici*, etiam tolerati; *nominatim interdicti;* et ii, qui sunt in *loco interdicto*, eo durante. Quantum ad notorios excommunicatos et interdictos, insuper repellendi sunt tamquam publici peccatores. Quodsi excommunicati et interdicti cum signis pœnitentiæ decesserint, possunt, prævià absolutione a censura, ecclesiastica sepultura donari.[1]

Ex altero capite excluduntur: 1° *Suicidæ*, qui ob desperationem vel iracundiam seipsos occiderunt, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ. Non excluduntur, si ex insania id egerint; quod in dubio semper præsumitur. Hinc, quando dubium superest utrum mortem quis sibi dederit per desperationem an per insaniam, dari potest ecclesiastica sepultura, vitatis tamen pompis et solemnitatibus exsequiarum. Ita S. C. Inquis. 16 Maji 1866.[2] 2° *Duellantes*, qui ex vulnere in duello accepto perierunt, etiamsi ante mortem certa pœnitentiæ signa dederint, atque a peccatis et censuris absolutionem obtinuerint. Neque Episcopi in hac pœna dispensare valent; ut cæteri timorem concipiant.[3] 3° Ii, de quibus publice constat quod præceptum *annuæ Confessionis et Communionis* non impleverint, et absque ullo signo contritionis obierint. Rigor hujus prohibitionis multis in locis ob temporum iniquitatem usu moderatus est. 4° *Manifesti et publici peccatores*, qui sine pœnitentia perierunt. Tales sunt e. g. meretrices, concubinarii, lenones, redactores impiorum vel obscœnorum diariorum, auctores librorum ejusdem generis, socii notorii damnatarum societatum, criminosi in flagranti delicto occisi, etc. Ita ex Rit. Rom. *tit.* 6. *cap.* 2.

150. — Circa prædicta notandum superest: 1° Delictum, propter quod sepultura ecclesiastica neganda est, debet esse notorium; quia pœna est publica et infamans.

2° Ubi dubium occurrerit an aliquis ecclesiastica sepultura donandus sit, consulendus est Ordinarius, ut statuit Rituale. Si consuli nequeat, sepultura concedatur, juxta Regulam Juris 49. in 6: »In pœnis benignior est interpretatio »facienda."

3° Quando negatur alicui ecclesiastica sepultura, neganda quoque sunt Officia divina, cæremoniæ ecclesiasticæ et pompa funebris; hæc quippe cum sepultura ecclesiastica connexa sunt.

4° Quæsitum fuit: »Si quis censura »ecclesiastica notorie innodatus obierit, »et juxta sacros Canones et normas »hac super re a Doctoribus traditas ec»clesiastica sepultura carere omnino de»beat, et contra pertinaciter gravibus »minis expostulentur exsequiæ et ipsa »ecclesiastica sepultura, quomodo in »hujusmodi casu se gerere debeat Pa»rochus?" S. Pœnitentiaria 10 Dec. 1860 respondit: »Curandum ut cuncta ad »normam sacrorum Canonum fiant: qua»tenus vero absque turbarum et scan»dali periculo id obtineri nequeat, Pa»rochus neque per se neque per alios »Sacerdotes ad exsequias et ad sepul»turam ullo modo concurrat." (Acta S. Sed. *vol.* 1. *pag.* 563.)

5° Non deneganda est ecclesiastica sepultura: a) capite damnatis, qui sacramentaliter confessi sunt; verumtamen *solemnitas* omittitur; b) iis, qui artem illicitam exercuerunt, si ante mortem pœnitentiam egerint; c) iis, qui diu sine Sacramentorum participatione vitam duxerunt, si modo ante mortem Sacramentorum recipiendorum desiderium manifestaverint seu Sacerdotem advocaverint; d) iis, qui aliter scandalo publico fuerunt, sed in mortis articulo scandalum publice vel saltem coram testibus reparaverunt atque satisfactionem præstiterunt. (Lehmkuhl. *vol.* 2. *n.* 918. 919.)

[1] S. Alph. *n.* 187. — Revue théol. 1885. *pag.* 445. — [2] Revue théol. 1885. *pag.* 449. — [3] Bened. XIV Constit. *Detestabilem.* 10. Nov. 1752.

TRACTATUS III.

DE IRREGULARITATIBUS.

S. Alph. lib. 7. H. A. tr. 19.

Post pœnas ecclesiasticas locum obtinent irregularitates; quia quamdam habent cum ipsis similitudinem; imo eæ, quæ ex delicto proveniunt, inter pœnas connumerantur.

Agemus 1° de irregularitatibus in communi; 2° de irregularitatibus ex defectu; 3° de irregularitatibus ex delicto.

CAPUT I.

IRREGULARITATES IN COMMUNI.

Exponemus 1° notionem irregularitatis; 2° ejus causam; 3° ejus effectus; 4° ejus relaxationem.

ARTICULUS I.

NOTIO IRREGULARITATIS.

151. — Irregularitas est impedimentum canonicum, quo Ordinum susceptio et susceptorum exercitium interdicitur.

Dicitur 1° *impedimentum;* quia proprie pœna non est; et, licet aliquando ob delictum imponatur, non tam in pœnam delicti imponitur, quam ob honorem statûs ecclesiastici, in quem dedecet assumi illum, qui tale delictum commisit.

Dicitur 2° *impedimentum canonicum;* quia non a jure divino, sive naturali sive positivo, sed a solo jure ecclesiastico inducta est. Neque obstat quod jure divino incapacem faciat amentia, defectus Baptismi, et sexus fœmineus; nam ejusmodi defectus potius *inhabilitates* sunt, quam irregularitates, quæ habilitatem in subjecto supponunt. *Ita communiter.*

Dicitur 3° *quo Ordinum susceptio* etc., quæ verba exprimunt effectus irregularitatis; prior est effectus primarius, alter secundarius. Unde consequitur, irregularitatem tam in laicos cadere, quam in Clericos, imo magis in laicos, ut irregulares arceantur a statu Clericali.

152. — **Divisio.** Distinguitur: 1° Ea, quæ provenit *ex delicto*, et ea, quæ provenit *ex* alio *defectu.*

2° *Totalis*, quæ cujuscumque Ordinis susceptione, et susceptorum quocumque usu privat: *partialis*, quæ privat vel aliquo tantum Ordinum ministerio, vel solo ascensu ad Ordinem superiorem, quin ministrare in susceptis prohibeat. (*n.* 341.)

3° *Perpetua*, quæ nonnisi dispensatione tollitur: *temporalis*, quæ lapsu temporis cessat, uti est irregularitas ex defectu ætatis.

ARTICULUS II.

CAUSA IRREGULARITATIS.

153. — Expendendum hic est 1° quæ sit causa efficiens irregularitatis, qua nempe constituitur; 2° quæ sit ejus causa materialis, ob quam contrahitur.

Principia. I. Irregularitatem constituere potest solus Summus Pontifex, per se vel per Concilium generale. Ratio est, quia ipsi soli competit decernere ea, quæ indecentiam statui ecclesiastico afferunt; ideo nulli alii hæc facultas delegatur.

II. Nulla incurritur irregularitas, nisi in casibus Jure expressis. Constat ex *Cap.* 18. *de sent. excom. in* 6. (*n.* 345.)

Unde: 1° Irregularitas incurritur *ipso facto*, quo defectus vel delictum exsistit, ante omnem judicis sententiam; idque, etiamsi defectus vel delictum sit occultum. 2° Non est extendenda ad casum similem vel majorem illis, qui in jure expressi sunt. 3° Si dubium vertatur circa aliquam irregularitatem an sit expressa in jure, admittenda est, quando-

cumque communis sensus DD. et consuetudo eam firmaverint; quia hæc sunt optimæ legum interpretes. (*n.* 345.)

III. Ad incurrendam irregularitatem *ex delicto*, requiritur 1° *actus externus;* quia actus interni non subduntur hominis judicio; sufficit tamen actus occultus, ut colligitur ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *ref.* ubi conceditur Episcopis potestas dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus; 2° *actus consummatus* secundum proprietatem verborum juris; 3° *culpa mortalis;* alias pœna culpæ gravitatem excederet. (*n.* 348.)

154. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An ab irregularitate ex delicto excuset ignorantia legis ecclesiasticæ illud delictum prohibentis?*

Resp. Communissima sententia affirmat, si ignorantia inculpabilis sit; quia talis irregularitas habet rationem pœnæ; ignorantia autem legis excusat a pœna ei adnexa, ut probatur ex *Can.* 2. *dist.* 82. (*n.* 350.)

Quær. 2° *An etiam ignorantia solius pœnæ, i. e. irregularitatis delicto adnexæ, excuset ab illa?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communior et valde probabilis negat; quia irregularitas non est pœna medicinalis ad reprimendam contumaciam, sed est pœna vindicativa, quæ non exposcit ejus scientiam. Ita Suar. Laym. Croix, Anaclet. Vasq. Carden. Soto, Filliuc. etc.

2ª Sententia satis probabilis affirmat; quia irregularitas est pœna extraordinaria et exorbitans, ad quam requiritur scientia ejus. Ita Sanch. Castrop. Navar. Roncag. Tamb. Coninc. Sayr. etc. (*n.* 351.) Recole dicta lib. I. n. 158.

Quær. 3° *An ob causam dubiam censendus sit aliquis irregularis?*

Dubium insurgens potest esse juris vel facti. Dubium *juris* est, an ob tale factum imposita sit a jure irregularitas; dubium *facti* est, an quis commiserit factum, cui a jure imposita est irregularitas.

Resp. 1° Inprimis debita diligentia adhibenda est ad investigandam veritatem, et interea tenetur dubitans se gerere ut irregularem; quia alias se exponeret manifesto periculo violandi irregularitatem. Excipe tamen, si interim gravis necessitas urgeret, nempe si occasio occurreret recipiendi Ordines aut Beneficium; quia lex in dubio non tam rigide obligat.

2° Si post debitam diligentiam dubium persistat, non censendus est irregularis; quia in dubio *juris* lex dubia non obligat; in dubio *facti* nemo tenetur se sua libertate privare. Excipe tamen dubium de *patrato homicidio;* quia sic expresse deciditur in *Cap.* 12. 16. *et* 24. *de homic.;* sed juxta hos Canones hæc obligatio se gerendi ut irregularem a) tum solum exsistit, cum constat de homicidio, et dubium est an quis sua actione fuerit causa illius; b) se extendit ad duos dumtaxat effectus, scil. abstinendi a celebratione Missæ, et petendi dispensationem. *Ita communiter.* (*n.* 346. 347.)

ARTICULUS III.

EFFECTUS IRREGULARITATIS.

155. — Irregularitas 1° impedit licitam susceptionem Ordinum; quinetiam primæ Tonsuræ; quia intendit excludere irregularem a statu Clericali. Proinde graviter peccat irregularis, qui suscipit primam Tonsuram, sicut et Episcopus, qui eam illi confert.

2° Impedit licitum susceptorum Ordinum exercitium; nimirum, si irregularitas est *ex delicto*, privat cujuslibet Ordinis exercitio; si vero *ex defectu*, privat solum exercitio Ordinis, ad quem per defectum impotens factus est. Advertendum porro, nullam irregularitatem prohibere Clerico eas actiones sacras, quas etiam laici exercere possunt, puta inservire Missæ; neque actus solius jurisdictionis, ut matrimonio assistere, dispensare, etc.

3° Indirecte impedit licitam receptionem Beneficiorum; quia privat susceptione vel exercitio Ordinum, quos Beneficium postulat. (*n.* 342.)

156. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An* VALIDA *sit collatio Beneficii facta irregulari, qui functiones Beneficii licite exercere non valet?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communior et probabilior negat; quia Beneficium datur propter Officium; si ergo irregularis fungi nequit Officio, inhabilis erit ad Beneficium. Ita Suar. Bonac. Less. Covar. Navar. Sanch. Sayr. etc.

2ª Sententia satis probabilis affirmat, sed addit collationem esse a judice irritandam; quia irregularitati non sunt tribuendi plures effectus, quam sint jure expressi; atqui nullus est juris textus, qui exprimat collationem Beneficii irregulari factam esse irritam, sed tantum illicitam. Accedit, quia irregularis potest procurare dispensationem, et interim Beneficii muneribus per alium satisfacere. Textus Trid. *sess.* 22. *cap.* 4. *ref.*, qui opponitur, non agit de irregularitate. Ita Innoc. Sylvest. Felin. Laym. Viva, Elb. Castrop. Ronc. Salm. etc. (*n.* 343. H. A. *n.* 76.)

Quær. 2° *An irregularitas* IPSO FACTO *privet Beneficiis ante irregularitatem obtentis?*

Resp. Negat.; quia nemo ante judicis sententiam privatur bonis suis vel juribus *actu possessis*, nisi id clare exprimant leges; nullus autem exstat textus hanc pœnam ipso jure infligens; imo, si irregularitas ex infirmitate proveniat, ne a judice quidem privandus est Beneficio. Attamen Beneficiatus tenetur procurare dispensationem, et interim ea Beneficii munera per alium implere, quæ ratione irregularitatis ipsi sunt prohibita. Quodsi dispensationem impetrare aut nolit aut non possit, tenetur quamprimum Beneficium renuntiare. *Ita communiter.* (*n.* 342. H. A. *n.* 77.)

ARTICULUS IV.

RELAXATIO IRREGULARITATIS.

157. — Diversæ irregularitates diversis modis relaxantur. Hinc: 1° Per *cessationem causæ* cessat irregularitas *temporalis*, qualis est irregularitas ex defectu ætatis, ex defectu scientiæ, et ex infamia facti. 2° Per *Baptismum* tollitur irregularitas ex delicto, et ex infamia facti. 3° Per *professionem religiosam* relaxatur irregularitas ex defectu natalium, sed in ordine ad suscipiendos Ordines tantum, non vero ad Dignitates et Prælaturas recipiendas. 4° Per *dispensationem*, obtentam ob eo, qui habet legitimam facultatem dispensandi, relaxari potest quævis irregularitas. (*n.* 352. 354. 364.)

158. — Dispensationem porro concedere possunt: 1° Summus Pontifex in omni irregularitate. Hunc in finem recurrendum est ad Datariam, si irregularitas est publica; ad S. Pœnitentiariam, si est occulta; prior est pro foro externo, posterior pro interno. Non facile tamen solet Pontifex dispensare in bigamia proprie dicta; quia hæc irregularitas ex traditione apostolica oritur; neque in homicidio publico; quia gravem præ se fert indecentiam, statui Clericali minime consonam.

2° Episcopi in omnibus irregularitatibus *ex delicto occulto*, nondum deducto ad forum contentiosum; exceptâ eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario. Ita ex Trid. *sess.* 24. *cap.* 6. *ref.* Hanc facultatem potest Episcopus aliis delegare, etiam generaliter. Quoad irregularitates *ex defectu*, potest dispensare in irregularitate a) ex defectu natalium, sed ad Ordines minores tantum; b) ex bigamia similitudinaria; c) si defectus aliquis sit dubius. (*n.* 353. 428. 452. *De privil.* *n.* 29—34.)

3° Prælati Regulares cum subditis suis, a) in iis irregularitatibus, in quibus dispensare possunt Episcopi; b) in homicidio occulto; c) in defectibus, in quibus dispensatio concedi solet; in defectu natalium dispensare possunt etiam in ordine ad Dignitates et Prælaturas Ordinis, sed Generalatu inferiores. (*n.* 355. *De privil.* *n.* 104. 105.)

4° Confessarii Regulares cum sæcularibus dispensare possunt in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, in quibus possunt dispensare Episcopi cum subditis suis ex concessione Conc. Trid. (*n.* 355. *De privil.* *n.* 104.)

159. — Circa prædicta advertendum est: 1° Dispensatio ut sit legitima, semper requirit justam causam; imo concessa sine justâ causâ invalida foret, nisi Papa eam concederet.

2° Si plures sint irregularitates, de quibus impetranda est dispensatio, necesse est eas omnes exprimere, quæ ob diversas causas contractæ sunt. At, si plures sint ejusdem speciei, puta ob idem delictum sæpius iteratum, non est opus numerum exprimere, sed sufficit in genere manifestare eas pluries contractas fuisse.

3° Nulla præscripta est forma, sub qua concedenda est dispensatio irregularitatis; unde hæc vel similis adhiberi potest: »Dispenso tecum in irregularitate, vel irregularitatibus, quam vel »quas ob talem vel tales causas incur-

»ristì, teque habilem restituo ad sus»ceptionem vel exsecutionem Ordinum, »in nomine Patris etc." (*n.* 353. H. A. *n.* 86.)

CAPUT II.

IRREGULARITATES EX DEFECTU.

160. — Proveniunt ex defectu 1° animi, 2° corporis, 3° natalium, 4° ætatis, 5° Sacramenti, 6° famæ, 7° libertatis, 8° lenitatis.

I. Ex defectu *animi* irregulares sunt, qui carent ratione, scientiâ, vel fidei firmitate.

Itaque 1° ob defectum *rationis* irregulares sunt amentes, phrenetici, et epileptici, etiamsi amentia aut furor intermissionem interdum faciat, aut homo sanitatem recuperaverit: quapropter non potest absque dispensatione ad Ordines promoveri. — Amentia autem, ut irregularitatem inducat, debet esse per modum habitûs, et fundata in naturali complexione, ac læsione organorum; non vero per modum morbi transeuntis. Si mente captus convaleat, Episcopus facultatem habet declarandi, transacto anno post sanationem, vel judicio prudentum virorum, sublatam esse irregularitatem. — Quoad epilepsiam, si, sacris Ordinibus jam susceptis, morbus superveniat, vetatur epilepticus ministrare; nisi morbus integro anni spatio omnino cessaverit, judicio Episcopi; verumtamen DD. communiter censent quod si Sacerdos raro, puta semel in mense, epilepsiâ corripiatur, potest *privatim* celebrare, adjuncto sibi alio Sacerdote jejuno, qui Sacrificium perficiat, si forte epilepticus morbo corripiatur; dummodo tamen infirmus non soleat subito in terram cadere, nec spumare, nec clamare. (*n.* 397—399. H. A. *n.* 112. 113.)

2° Defectu *scientiæ* irregulares sunt, qui carent scientiâ necessariâ ad ministerium Ordinum debite exercendum. (*n.* 401.)

3° Ob defectum *fidei confirmatæ* irregulares sunt neophyti, i. e. adulti recenter baptizati; quia eorum constantia in fide adhuc incerta est, neque inter magistros fidei collocandus est, qui necdum discipulus exstitit. Quanto tempore neophyti probandi sint, jura non explicant; quapropter ea res prudenti arbitrio Episcopi relinquitur. (*n.* 402.)

161. — II. Ex defectu *corporis* irregularitas inducitur, si defectus ejus generis sint, qui vel sacro muneri obeundo impares faciunt, vel eam corporis deformitatem afferunt ut horrorem aut risum moveant.

Ex primo capite irregulares sunt: 1° *Cæci*, vel ita cæcutientes ut missale legere nequeant. Item carentes visu oculi sinistri, qui dicitur oculus *canonis*; nisi oculus dexter ea vi polleat ut sine deformitate Canonem legere possit. Quodsi cæcitas Sacerdotio postveniat, potest dispensatio a S. Pontifice impetrari, modo constet Sacerdotem in celebratione non errare, necnon assistentem Sacerdotem habeat. 2° *Surdi*, qui penitus non audiunt. Si surditas Sacerdotio postveniat, celebratio non interdicitur, cum audire ministrum respondentem non adeo necessarium sit. 3° *Muti*, et *balbi*, qui ita balbutiunt ut risum excitent. 4° *Carentes membro necessario*, ut manu, digitis ad hostiam tractandam necessariis, pollice nempe aut indice, vel etiam tribus posterioribus digitis. Item *paralytici* in brachio vel manu, ita ut hostiam elevare et frangere non possint. Si quis post Ordinationem indicem amittat, potest obtinere dispensationem a S. Pontifice. 5° Laborantes habitualiter *tali morbo*, ut nequeant celebrare sine periculo proximo vel a) deficiendi aut notabiliter errandi, ut in vertiginosis, epilepticis; vel b) effundendi calicem, ut in iis, qui manus adeo tremulas habent; vel c) evomendi, ut in abstemiis, qui vinum sine periculo degustare non possunt, aut in iis, qui tantam patiuntur tussim, ut sit periculum in suscipienda Eucharistia. Cum hisce dispensari nullatenus potest. (*n.* 404—409.)

Ex secundo capite irregulares sunt: 1° *Insigniter claudicantes*, ita ut vel baculo indigeant ad incedendum, vel magnam præ se ferant deformitatem. Item qui pede ligneo instructi sunt, vel pedes valde distortos habent. Confirmatur ex Resolut. S. C. C. 11 Jul. 1801. et 30 Mart. 1833. [1] 2° *Carentes aliquo membro conspicuo, illudve valde deforme habentes*, ita ut deridiculo vel horrori sint; e. g. carentes naso, aut nasum habentes turpiter distortum, valde demissum aut promissum; privati oculo, nisi deformitas oculo vitreo corrigatur. 3° *Monstrosi*, puta admodum gibbosi, pigmæi, hermaphroditi, etiamsi in eis prævaleat sexus virilis. Plures tamen dicunt, quod si prævaleat sexus virilis et defectus sit occultus, hic non inducit irregularitatem. 4° Laborantes morbo *faciem deformantem*, ut lepra, notabili lippitudine, fœdis maculis, labiis intercisis instar leporis. (*n.* 407. 410—412.)

[1] Palottini. *Collectio. v. Irregular.* § 2. *n.* 35—40.

Circa prædicta notandum est: 1° In dubio num aliquis corporis defectus irregularitatem inducat, judicium ab Episcopo fer ndum est. — 2° Defectus, qui Ordines antecedunt, totalem irregularitatem inducunt, atque adeo ab omni Ordine prorsus excludunt; quia, cum omnes Ordines ad Sacerdotium referantur, exclusus a Sacerdotio censendus est exclusus ab omnibus Ordinibus. — 3° Defectus, qui Ordines susceptos subsecuti sunt, ab iis tantum Ordinum functionibus arcent, quibus obeundis vel imparem reddunt vel indecentiam pariunt; sic Sacerdos cæcus aut claudus potest Confessiones audire. (*n.* 413. 414.)

162. — III. Ex defectu *natalium* irregulares sunt filii illegitimi, etiam occulti. Ita statuit Ecclesia in honorem statûs Clericalis, ne deturparetur ab eorum vitiatâ origine, et in detestationem paternæ incontinentiæ.

Verum illegitimis accensendi non sunt, qui nati sunt ex matrimonio invalido ob impedimentum occultum, si uterque vel alteruter conjugum bona fide matrimonium contraxerit in facie Ecclesiæ. Secus vero esset, si parentes aut clandestinas nuptias inierint, aut denuntiationes absque dispensatione omiserint. (*n.* 420. 424. 425.)

Ob illegitimitatem dubiam nullus censendus est irregularis, et certe Episcopus in ea dispensare potest; nam, ut aliquis sit irregularis, debet constare eum esse illegitimum. Hanc sententiam confirmavit S. C. C. 27 Jun. 1857. [1] Ejusmodi dubium plerumque evenit in filiis expositis, quorum parentes ignorantur. (*n.* 422. 432. H. A. *n.* 129.)

[1] Acta S. Sed. *vol.* 1. *pag.* 350.

Irregularitas ex defectu natalium tribus modis tollitur: 1° Per professionem in Religione approbata, nimirum ad sacros Ordines, non vero ad Prælaturas. 2° Per legitimationem, quæ fit sive per subsequens matrimonium parentum, modo parentes tempore conceptionis aut saltem nativitatis habiles fuerint ad contrahendum inter se matrimonium; sive per Rescriptum S. Pontificis, nam sæcularium Principum rescripta ad effectus civiles tantummodo valent. [1] 3° Per dispensationem, quam pro minoribus Ordinibus Episcopus dare potest; pro cæteris solus Pontifex tribuit. (*n.* 421. 422. 426—431.)

163. — IV. Ex defectu *ætatis* irregulares sunt, qui legitimam ætatem jure requisitam pro singulis Ordinibus recipiendis non attingerunt. Qui præsumit ante legitimam ætatem Ordines suscipere, graviter peccat, sed hodie nullam censuram incurrit. In hac irregularitate solus Papa dispensat. Consule dicta lib. VI. n. 400.

164. — V. Ex defectu *Sacramenti* seu ex *bigamia* oritur irregularitas; tum quia non perfecte significat unionem Christi cum unica ejus sponsa Ecclesia; tum quia maculam incontinentiæ præ se fert. Triplex porro distinguitur bigamia: 1° *Vera*, si quis, mortuâ primâ uxore, alterum conjugium iniit, et utrumque consummavit. 2° *Interpretativa*, si quis fictione juris duas censetur habuisse uxores, quamvis revera non habuerit. Hoc autem triplici modo evenire potest: a) si quis matrimonium contrahat et consummet cum muliere ab alio cognitâ, sive vidua sit sive virgo corrupta; b) si quis propriam uxorem cognoscat post adulterium ab eâ commissum, sive formale sive materiale fuerit hoc adulterium; quia jam accedit ad corruptam ab alio, adeoque deficit significatio matrimonii; c) si quis contrahat et consummet duo matrimonia, quorum unum vel utrumque est invalidum; quia affective duo matrimonia iniit, et sic descivit a significatione matrimonii. Neque ignorantia neque matrimonii nullitas impediunt hanc irregularitatem;

[1] Ergo aliis verbis, filii illegitimi, si spurii non sint, i. e. adulterini vel incestuosi, legitimantur subsequenti parentum suorum matrimonio inter se. Spurii vero nonnisi S. Sedis Rescripto legitimantur.

quia defectus Sacramenti semper adest. 3° *Similitudinaria*, si quis solemni voto castitatis adstrictus matrimonium attentat et consummat; quia similis est contrahenti duplex matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo ab eo recedens attentat carnale. (*n.* 436—449.)

165. — VI. Ex defectu *famæ* irregulares sunt infames, qui infamiam sive juris sive facti contraxerunt. Quinam sint illi, et quomodo hæc irregularitas tollatur, diximus n. 144—147.

166. — VII. Ex defectu *libertatis* irregulares sunt: 1° *Servi* stricte dicti, seu mancipia, donec libertate donentur. 2° *Uxorati;* duobus casibus exceptis, nempe a) si divortium ob adulterium uxoris juridice factum sit; b) si uxor consentiat, servatis servandis, de quibus egimus lib. VI. n. 523. 3° *Obligati ad ratiocinia*, seu ad reddendam rationem administrationis publicæ vel privatæ; quales sunt thesaurarii et depositarii æris publici, Magistratus, Notarii, Tutores, Curatores, et id genus alii. Hujusmodi administratores ordinari vetantur, donec, relictâ administratione, rationem reddiderint, aut saltem fidejussorem idoneum exhibuerint. Excipiuntur vero administratores piarum causarum.

Extenditur porro libertatis defectus ad Judices, Advocatos, Procuratores, milites, etc. quamdiu tali munere funguntur; nisi Papæ dispensatio vel recepta consuetudo permittat ut quidam Clerici in Curiis Principum aliquod officium publicum agant. (*n.* 455. 456.)

167. — VIII. Ex defectu *lenitatis* irregulares sunt, qui morti aut mutilationi hominis causam, licet justam, præbuerunt; quia humani sanguinis effusio aliena est a mansuetudine Christi, qui pro crucifixoribus suis oravit; quam mansuetudinem ejus ministri repræsentare debent. Hæc irregularitas incurri potest in judicio justo, in bello justo, et in justo exercitio chirurgiæ. Dico: *justo;* quia alias irregularitas esset *ex delicto*, de qua infra acturi sumus.

Itaque: 1° In *judicio justo* irregularitatem contrahunt omnes, qui *proxime et efficaciter* concurrunt ad sententiam sanguinis, [1] dummodo exsecutioni mandata sit. Tales sunt *judices*, qui sententiam ferunt; *assessores*, qui consilio aut suffragio influunt; *accusatores* seu *denuntiatores*, qui petunt vindictam criminis, etiamsi protestentur se nullam sanguinis pœnam exposcere, cum protestatio contra factum non valeat; *advocati* et *procuratores*, qui contra reum postulant; *testes voluntarii*, qui deponunt contra reum, quamvis protestentur ut supra; *notarii*, qui sententiam scribunt, subsignant, vel dictant; *carnifices*, *lictores*, cæterique ministri justitiæ, qui ad cruentam exsecutionem operam conferunt.

Contra vero irregulares non sunt: legislator, qui leges condit pœnam sanguinis statuentes; quia est causa remota tantum; Confessarius, qui reum hortatur ut scalam ascendat, caput supponat; testis ad deponendum coactus; denuntiator, qui gravi damno affectus solam damni reparationem actione civili postulat, quamvis causa criminalis sit, dummodo tamen protestetur se vindictam et pœnam sanguinis non intendere. (*n.* 461—468.)

2° In *bello justo*, si *offensivum* sit, irregulares fiunt illi omnes, qui propria manu aliquem occidunt vel mutilant; Clericus in sacris, qui pugnaret in bello, fit irregularis, si sclopum aliquando adhibuerit et glandes emiserit. In bello *defensivo* nemo irregularitatem incurrit, sicut neque in defensione privata contra injustum aggressorem, cum moderamine inculpatæ tutelæ. (*n.* 459. 460.)

3° In exercitio *chirurgiæ* vel *medicinæ* irregularitatem incurrunt Clerici sacris Ordinibus initiati, et Religiosi, qui contra Ecclesiæ vetitum medentur cum incisione vel adustione secundum regulas artis, si mors aut ejus notabilis acceleratio inde sequatur. Excipe tamen, si urgente necessitate id agant; quia, urgente jure naturæ, cessat prohibitio juris positivi.

Hinc, si mors non ex adustione vel incisione secuta sit, sed ex gravitate morbi, aut ex alio accidente, irregularitas non incurritur. (*n.* 384. 385.)

[1] Hoc nomine vocatur sententia mortis aut mutilationis, etiamsi mors sine sanguinis effusione inferatur.

CAPUT III.

IRREGULARITATES EX DELICTO.

168. — Delicta, ob quæ irregularitas incurritur, sunt: 1° homicidium et mutilatio, 2° iteratio Baptismi, 3° furtiva susceptio Ordinum, 4° exercitium Ordinis non suscepti, 5° violatio censuræ, 6° hæresis.

I. Ob HOMICIDIUM vel MUTILATIONEM voluntariam et injustam contrahitur irregularitas, sive crimen publice sive clam patratum sit, sive quis semetipsum sive alium mutilaverit. Quoniam autem hoc crimen potest esse vel *directe* in se voluntarium, vel *indirecte* in causa, quod homicidium *casuale* vocatur, ideo de singulo seorsum agemus, et primó de homicidio, deinde de mutilatione. (*n.* 366.)

A. De *homicidio voluntario*. Irregularitatem incurrunt tum omnes, qui propria actione hominem occidunt; tum quotquot mandato, consilio, consensu, aut auxilio ad homicidium *efficaciter* cooperantur, effectu secuto vi concursûs.

Ergo irregulares sunt: 1° Ipsi *homicidæ*, etiamsi eos pœniteat, antequam percussus moriatur. 2° *Cooperatores*, quandocumque effectus ipsis imputari debet juxta dicta in lib. III. n. 320—324 de restitutione. 3° In *judicio injusto* omnes, quos num. præc. recensuimus. 4° In *bello injusto* omnes, qui prælianturur, si quis in isto bello occidatur; quia in bello injusto homicidia toti exercitui imputantur. (*n.* 367—376. H. A. *n.* 94—101.)

B. De *homicidio casuali*. Qui ex aliqua sua actione prævidet periculum proximum mortis alterius, et culpabiliter negligit prospicere tali periculo, irregularitatem contrahit. Dico: *culpabiliter;* quia, cum hæc irregularitas sit *ex delicto*, requiritur culpa lata, quæ peccatum mortale includit. (*n.* 377. H. A. *n.* 102.)

Quocirca DD. tradunt sequentes regulas: 1° Qui dat operam *rei licitæ*, et *debitam diligentiam* adhibet ne homicidium accidat, irregularis non est, etiamsi homicidium inde sequatur. Idcirco Medicus aut Chirurgus, si artem suam rite calleat, omnemque diligentiam in ægris curandis adhibeat, nulla irregularitate irretitur, etiamsi ex potione aut incisione æger aliquis pereat. Attamen, si ad Ordines promoveri cupiat, dispensatio ad cautelam petí solet.

2° Si dans operam rei licitæ *omissione debitæ diligentiæ* aut *artis imperitiâ* hominem occidit, irregularitatem contrahit; e. g. si Medicus vel infirmarius ex gravi incuriâ causa est mortis ægroti.

3° Qui dat operam *rei illicitæ* propter periculum proximum homicidii, tametsi diligentiam debitam adhibeat ne mors sequatur, irregularis est, si quemquam occiderit; e. g. si quis artis imperitus ministrat infirmis medicamina cum proximo periculo homicidii, vel si quis ministrat infirmis graviter ægrotantibus cibos et potus contra præscriptum medicorum.

4° Qui *injustum aggressorem* occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, immunis est ab irregularitate. Idque valet non tantum ob defensionem vitæ, verum etiam bonorum. Recole dicta lib. III. n. 185. — Si vero invasus aggressori causam dederit aggrediendi, ob injuriam ipsi factam, puta quia contumeliis eum lacessivit, vel adulterium cum ejus uxore commisit, aut ejus filiam defloravit, haud immunis erit ab irregularitate, modo periculum proximum aggressionis præviderit; quia tunc posuit actionem valde periculosam. (*n.* 383—389. H. A. *n.* 103—107.)

C. De *mutilatione*. Irregularitatem incurrit tum quisquis sibi vel alteri culpabiliter abscindit membrum aliquod, quod proprium officium habet distinctum ab aliis partibus corporis; tum quisquis *positive* et *efficaciter* ad ejusmodi mutilationem cooperatus est. Si membra sunt gemina, sufficit unius abscissio. Irregularis igitur est, qui nequiter abscindit manum, pedem, nasum, oculum, aurem, testiculos viri, mamillam fœminæ. Item, qui ex sævitia digitum amputat, ut habetur in *Cap.* 6. *dist.* 55. Contra, irregularis non est, qui dentes evellit, vel qui membrum debilitat, quin abscindat. (*n.* 365. 379. 380. H. A. *n.* 109. 110.)

169. — II. Ob ITERATIONEM BAPTISMI. Hanc irregularitatem incurrunt: 1° Qui culpabiliter Baptismum publice iterat; 2° Clericus, qui in tali iteratione Baptismi ministrat; et 3° qui culpabiliter se rebaptizari permittit.

Præterea irregularis fit adultus, qui

libere et absque urgenti necessitate Baptismum suscipit ab hæretico declarato.

Quæstio est inter DD. an rebaptizans et rebaptizatus *sub conditione*, sine justa causa, irregularitatem incurrant. Sententia probabilior affirmat, auctoritate Catech. Rom. *de Bapt. n.* 57. Sententia probabilis negat; quia non est vera iteratio Baptismi. Utrimque stant graves DD. (*n.* 356. *lib.* 6. *n.* 122.)

170. — III. Ob FURTIVAM SUSCEPTIONEM ORDINUM irregulares sunt: 1° Qui ab Episcopo proprio non approbati, clam per dolum seu temere ordinandis se immiscent et sic ordinantur. 2° Ordinati ab Episcopo excommunicato, suspenso, interdicto, deposito, hæretico aut schismatico. Confer dicta n. 126. 3° Qui sine dispensatione eodem die recipit plures Ordines, quorum unus sacer est. 4° Qui post matrimonium ratum suscipit Ordinem sacrum, renitente uxore. (*n.* 361. 358. *Not.* IV. H. A. *n.* 91.)

171. — IV. Ob EXERCITIUM ORDINIS NON SUSCEPTI irregularitatem incurrit, quæ impedit receptionem superiorum Ordinum, Clericus, qui *scienter et solemniter* ministrat in Ordine Sacro nondum suscepto. Dicitur autem aliquis *solemniter* seu *ex officio* ministrare, quando Ordinem eo modo exercet, quo non potest exerceri nisi ab habente Ordinem illum.

Unde irregulares fiunt: 1° Sacerdos exercens actus Ordinis, qui Episcopis competunt, e. g. si confirmaret, Ordines conferret, ecclesias aut altaria consecraret, etc. 2° Diaconus, qui sacramentali absolutione absolveret, vel qui etiam in extrema necessitate Baptismum *solemniter* ministraret. 3° Subdiaconus, qui stolâ indutus officium Diaconi obiret in Missa solemni, et Evangelium cantaret. 4° Clericus, qui cum manipulo officium Subdiaconi obiret in Missa solemni, et Epistolam cantaret.

Contra, irregularis non est Sacerdos, qui absque jurisdictione Sacramentum Pœnitentiæ ministraret; quia non exercet actum *Ordinis* quem non habet, sed actum *jurisdictionis* qua caret. Neque laici hac irregularitate afficiuntur, cum titulus textûs juris sit: »De *Clerico* »non ordinato ministrante." (*n.* 359.)

172. — V. Ob VIOLATIONEM CENSURÆ, irregularitatem incurrit Clericus in Sacris, qui, dum censurâ ligatus est, actum aliquem Ordinis Sacri audet solemniter exercere; necnon Sacerdos, qui in loco interdicto temere celebrat. Excusatur vero ab irregularitate, si excusetur a gravi culpâ, ob ignorantiam inculpabilem, inadvertentiam, grave damnum. Recole dicta n. 23.

Ergo irregularis est, si Epistolam solemniter canat cum manipulo, aut cum stola Evangelium; si benedictiones ab Ecclesia præscriptas faciat, etc. (*n.* 357. 358.)

173. — VI. Ob HÆRESIM irregulares sunt tum hæretici et apostatæ a fide, tum eorum receptatores, defensores, et fautores. Hæretici et apostatæ, etiamsi ad Catholicam fidem redierint, non idcirco irregularitate solvuntur, sed dispensationem obtinere debent; quam dispensationem Episcopus concedere potest, si hæresis occulta sit. (*n.* 76. *De privil. n.* 39.)[1]

Notandum porro est, quod hæretici et apostatæ *notorii*, ipsorumque filii, etiam irregulares sunt ob defectum famæ. Attamen filii hæreticorum, si parentes postea ad Catholicam fidem conversi sunt, irregularitate solvuntur. Ita ex *Cap.* 15. *de hæret. in* 6. (*n.* 362. 363. H. A. *n.* 88.)

Nota. In regionibus, ubi hæretici cum Catholicis permixti vivunt, irregularitas parentum ob hæresim non transfunditur in filios, ut tradunt plures graves DD., ut Henriq. Sa, Sanch. Bonac. Castrop. Viva, etc.

[1] Lib. II. n. 17. qu. 6. scripsi ob hæresim *notoriam* tantum contrahi irregularitatem; sed, re melius perpensâ, mutavi sententiam; quia in *Cap.* 2. *et* 15. *de hæret. in* 6. hæretici indistincte declarantur irregulares; nam, quamvis occulti, sunt tamen veri hæretici, adeoque, sicuti excommunicationem subeunt, ita et irregularitatem; dummodo nempe hæresis externa sit. *Ita communius.*

TRACTATUS IV.

DE INDULGENTIIS.

S. Alph. lib. 6. H. A. tr. 16.

Post præcepta tum divina tum humana, post pœnas legum infractoribus impositas, ut humanæ justitiæ satisfaciant, remanet tractatio finalis de indulgentiis, quibus Ecclesia suis fidelibus favet, ut pœnas temporales divinæ justitiæ debitas redimere valeant.

Agemus 1° de indulgentiis in communi, 2° de nonnullis indulgentiis in particulari.

SECTIO I.

INDULGENTIÆ IN COMMUNI.

Expendemus 1° quid et quotuplex sit indulgentia; 2° quis et quomodo indulgentias concedere valeat; 3° quinam et quomodo eas lucrari possint; 4° quomodo animæ in purgatorio indulgentiis juventur; 5° qua ratione indulgentiæ cessent.

CAPUT I.

NOTIO INDULGENTIÆ.

174. — Indulgentia est remissio pœnæ temporalis peccatis personalibus jam dimissis debitæ, quam Ecclesia concedit extra Sacramentum per applicationem earum satisfactionum, quæ in communi thesauro Ecclesiæ continentur. Ex qua definitione patet differentia a privatis et propriis satisfactionibus, quas quisque justus sive pro se sive pro aliis offerre potest.

Divisio. Indulgentia distinguitur: 1° Ratione *quantitatis*, vel *plenaria* est, quæ totam pœnam remittit ei, cui applicatur: vel *partialis* est, quæ tantum partem pœnæ remittit, prout a concedente exprimitur; conceditur v. g. indulgentia unius anni, decem vel viginti annorum; aut conceditur Quadragena seu Carena, vel Septena, una vel plures; et tunc sensus est remitti tantam pœnam, quanta remitteretur, si homo pœnitentiam Canonicam ageret Quadragesimæ, septem annorum, etc. — Notandum hoc loco, indulgentiam non auferre obligationem satisfactionis sacramentalis, ne Sacramentum mutilum maneat; contra sententiam antiquorum. (*n.* 535. 519. 536. *sub* XV.)

2° Ratione *objecti*, cui inhæret, est *personalis*, quæ conceditur immediate personis, quæ tale opus perfecerint, sive singularibus, sive Communitati, puta Confraternitati, Ordini Religioso: *localis*, quæ affixa est alicui loco, e. g. altari, ecclesiæ; *realis*, quæ adnexa est alicui rei mobili, e. g. cruci, rosario, numismati, imagini.

3° Ratione *extensionis*, alia est *universalis*, quæ conceditur omnibus fidelibus totius Ecclesiæ: alia *particularis*, quæ conceditur alicui diœcesi, civitati, communitati, aut privatæ personæ. Deinde alia est *applicabilis*, alia *non applicabilis animabus defunctorum.*

4° Ratione *temporis*, alia est *perpetua* seu in perpetuum concessa: alia *temporalis* seu ad certum tempus limitata.

5° Ratione *modi*, quo conceditur, alia est *lata*, quam Pontifex concedit immediate, eo ipso quod quis implet conditionem requisitam: alia *ferenda*, quam Pontifex concedit mediate, scil. mediante ministerio alterius, cui delegata est facultas immediate concedendi indulgentiam; talis est v. g. Benedictio Apostolica in articulo mortis, de qua agemus n. 205—209. (Suarez. *De pœnit. disp.* 56. *sect.* 1. Filliuc. *De pœnit. tr.* 8. *cap.* 9.)

175. — Est in Ecclesia thesaurus seu cumulus satisfactionum infiniti valoris Christi, et satisfactionum exuberantium Sanctorum, præcipue B. Virginis, unde indulgentiæ hauriuntur. Constat ex Constit. Leonis X *Exsurge.* 15 Jun. 1520.

error 17. Ratio est, quia Christi satisfactiones sunt infinitæ; Sancti multa bona opera fecerunt multaque perpessi sunt, quorum virtute satisfactoriâ non indiguerunt; unde omnes istæ satisfactiones spiritualem Ecclesiæ thesaurum efficiunt, cujus claves penes ipsam exsistunt, ut eas fidelibus dispenset. Thesaurum *meritorum* Christi Ecclesia dispensat per Sacramenta; thesaurum *satisfactionum* etiam extra Sacramenta.

CAPUT II.

CONCESSIO INDULGENTIARUM.

Ad concedendas indulgentias requiritur 1° legitima potestas, 2° justa causa, 3° debita forma.

ARTICULUS I.

POTESTAS CONCEDENDI INDULGENTIAS.

176. — **Principia.** I. Potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa est. Est de fide ex Conc. Constant. *sess.* 8. *error* 42. et Trid. *sess.* 25. *contin. Decret. de indulg.;* fundatur enim in potestate divinitus tradita quodcumque solvendi super terram. Ideo Ecclesia hujusmodi potestate antiquissimis etiam temporibus usa est, ut Conc. Trid. testatur. In iis tamen concedendis moderationem, juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit idem Concilium, ne nimiâ facilitate ecclesiastica disciplina enervetur.

II. Hæc potestas soli Petro ejusque successoribus pleno jure collata est; Episcopis vero nonnisi ad indulgentias partiales. Ratio est, quia plenitudo potestatis jurisdictionis a Christo soli Petro fuit commissa. (S. Alph. *In Trident. sess.* 25. *n.* 64.)

Utrum Episcopi ejusmodi indulgentias concedere valeant jure divino necne, ab eâ quæstione dependet num eorum jurisdictio immediate a Deo emanet, an vero mediate per S. Pontificem. Utraque sententia probabilis est, prior forte probabilior. (*In Trident. sess.* 25. *n.* 65.) Cæterum ex utrâque sententiâ potestas Episcoporum S. Pontifici subordinata est; S. Sedes autem moderata est potestatem Episcoporum in concedendis indulgentiis.

Porro 1° S. Pontifex potest concedere indulgentias pro universa Ecclesia.

2° Episcopi possunt concedere suis diœcesanis indulgentias 40 dierum; indulgentiam autem unius anni in die dedicationis ecclesiæ. Non possunt vero plures Episcopi sibi succedentes eidem objecto vel eidem operi novam indulgentiam 40 dierum superaddere, ut declaravit S. C. Indulg. 12 Jan. 1878. Præfatas indulgentias possunt pro solis vivis concedere, non pro defunctis.

3° Cardinales possunt concedere indulgentias 100 dierum in ecclesiis suorum titulorum. Nuntii vero possunt concedere subditis suis indulgentias, sed minores quam unius anni.

4° Cæteri, quicumque sint, non possunt ullas indulgentias conferre, nisi ex speciali Pontificis vel Episcopi delegatione. Communicatio bonorum operum sui Ordinis, quam Prælati Regulares subinde concedunt insignibus benefactoribus, nullam continet largitionem indulgentiarum, sed participationem suffragiorum tantum. *Ita communiter.*

ARTICULUS II.

JUSTA CAUSA.

177. — **Principia.** I. Non solum ad licitam, verum etiam ad validam indulgentiæ concessionem requiritur rationabilis et pia causa. Ratio est, quia S. Pontifex non est dominus thesauri Ecclesiæ, sed dispensator tantum; atqui fidelis dispensator debet servare justitiam legalem respiciendo commune bonum, atque adeo non debet sine justa causa relaxare pœnas peccatorum; si secus faceret, thesaurum dissiparet contra Domini voluntatem; ergo excederet suam potestatem. (*n.* 532.)

II. Requiritur insuper ad licitam et validam indulgentiæ concessionem, ut causa sit quodammodo proportionata effectui et quantitati indulgentiæ. Ratio est, quia largior dispensatio graviorem exigit causam, ne prodiga sit; deinde concessio facta sine justâ causâ est invalida; sed ex parte, quâ modum excedit, deficit justa causa; ergo ex ea parte invalida erit.

Proportio porro accipienda est secundum prudentem concedentis æstimationem; atque petenda, non ex operis tantum difficultate, sed ex fine intento, et operis ad finem utilitate. (*n.* 532.)

Hinc: 1° Indulgentia communis pro tota Ecclesia postulat causam publicam; pro indulgentia particulari sufficit causa privata.

2° Semper præsumendum est Pontificem habuisse causam sufficientem, etiamsi opus injunctum videatur levissimum, maxime quia sufficientia causæ desumitur potissimum ex fine, quo Pontifex movetur ad indulgentias concedendas. Hic finis solet esse fidei exaltatio, concordia inter Christianos Principes, hostium Ecclesiæ conversio, cultûs Dei vel Sanctorum promotio, reformatio populi, augmentum fidei, charitatis et religionis, ut populus occasione indulgentiæ excitetur ad pietatem et frequentem usum Sacramentorum, qui fructus est maximus. Unde, quamvis indulgentia subinde videatur magna respectu operis, talis non erit respectu finis ac circumstantiarum. (*In Trident. sess.* 25. *n.* 66.)

3° Denique, potest S. Pontifex vel Episcopus aliquando indulgentiam concedere absque injunctione operis alicujus; quia potest adesse justa et rationabilis causa sic indulgendi, e. g. viro digno, vel in articulo mortis. *Ita communiter.*

ARTICULUS III.

DEBITA FORMA.

178. — Hac de re dicendum est:

I. Quamvis nulla forma necessario servanda jubeatur in concessione indulgentiarum, usus tamen Ecclesiæ est, nisi forte agatur de indulgentia pro singularibus personis, eas *scripto authentico* exprimere et edere.

Præterea, ad arcendas indulgentias apocryphas: 1° Nemini licet ullas novas, vel ignotas, aut dubias indulgentias publicare, absque prævia recognitione et approbatione Episcopi. Ita Trid. *sess.* 21. *cap.* 9. *ref.*

2° Vetitum est indulgentiarum Summarium, quod nunquam a S. C. Indulg. approbatum fuit, imprimere et evulgare sine expressa ejusdem S. Congregationis licentia. Ita S. C. Indulg. 22 Jan. 1858.

3° Impetrantes, inscià S. Congregatione, generales concessiones indulgentiarum, tenentur sub nullitatis pœna exemplar earumdem concessionum ad Secretariam S. C. Indulg. deferre. Ita S. C. 28 Jan. 1756. et 14 April. 1856.

Denique, a) qui accepit a S. Sede facultatem benedicendi coronas, cruces, numismata, etc. cum applicatione indulgentiarum, non tenetur eamdem exhibere Ordinario, nisi aliter disponatur in concessione. Ita S. C. 5 Febr. 1841. — b) Qui obtinuit facultatem *privatim* benedicendi pias res cum applicatione indulgentiarum, non potest ea facultate uti *publice*, v. g. in ecclesia vel oratorio coram fidelibus inibi congregatis et res benedicendas manu tenentibus. Ita S. C. 7 Jan. 1843. — c) Facultas obtenta a S. Sede erigendi stationes Viæ Crucis exhiberi debet Ordinario; insuper consensus Ordinarii *in scriptis* requiritur sub pœna nullitatis in singulis casibus pro unaquaque stationum Viæ Crucis erectione; deinde documentum erectionis quamprimum conficiendum est, quod in codicibus seu in actis Episcopatûs remaneat, et testimonium saltem in codicibus Parœciæ seu loci, in quo facta est, inseratur. Ita S. C. 5 Febr. 1841. 21 Jun. 1879. 25 Sept. 1841. 10 Febr. 1844.

179. — II. Ad indulgentias applicandas rebus, quandoque etiam personis, a legitimo ministro certa forma seu ritus servandus est. Inde: 1° Forma *ordinaria* ad benedicendas cruces, coronas, numismata, consistit in efformando manu signum crucis super objecta benedicenda, absque pronuntiatione formulæ benedictionis et sine aspersione aquæ benedictæ. Ita S. C. 11 April. 1840. 7 Jan. 1843. et 29 Febr. 1864.

2° Formula *propria* servanda est pro coronis Rosarii S. Dominici, et Septem Dolorum; pro crucibus stationum Viæ Crucis; pro indulgentia plenaria in articulo mortis, dicta *Benedictio Apostolica*, vel ratione aggregationis Confraternitati SS. Rosarii, sacri Scapularis, etc. Ita S. C. 29 Febr. 1864. 21 Jun. 1879. 5 Febr. 1841. 22 Mart. 1879. 12 Mart. 1855.

180. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An quis frui possit obtentis indulgentiis, absque approbatione Ordinarii sui?*

Resp. Affirm. quoad fruitionem *privatam;* eas vero sine licentia Ordinarii typis mandare non præsumat. Ita S. C. 28 Jul. 1840.

QUÆR. 2° *Quomodo interpretanda sint verba concessionis indulgentiarum, aut facultatis delegatæ concedendi illas?*

Resp. Utraque large interpretanda est; quia utraque habet rationem favoris et beneficii Principis, estque opus misericordiæ neminem gravans. Verumtamen servanda est verborum proprietas; quia error, licet communis, non supplet defectum veritatis. (*n.* 534. H. A. *n.* 62.)

CAPUT III.

CONSECUTIO INDULGENTIARUM.

Variæ conditiones requiruntur in eo, qui indulgentiam consequi debet, ut eam revera consequatur; quæ ad duo capita revocari possunt, videlicet 1° ad dispositiones subjecti, ut capax sit; 2° ad impletionem operum præscriptorum.

ARTICULUS I.

NECESSARIÆ DISPOSITIONES SUBJECTI.

181. — Ut quis capax sit consequendi indulgentias, requiritur 1° ut sit *subditus concedentis;* quia concessio indulgentiarum est actus jurisdictionis ecclesiasticæ, qui exerceri nequit in non-subditos. Ideo infideles seu non baptizati nullam possunt indulgentiam consequi; extranei non possunt indulgentias lucrari, quas Episcopus concessit. Ad subditos Episcopi in hac materia pertinent quoque Religiosi.[1] 2° Ut *non sit excommunicatus;* quia excommunicatio privat communibus Ecclesiæ suffragiis, inter quæ sunt indulgentiæ. 3° Ut sit *in statu gratiæ;* quia, nondum remissâ culpâ, remitti nequit pœna. Hæc ratio valet quoque pro peccato veniali, ita ut, nondum remissâ culpâ, remitti nequeat pœna temporalis ei debita. Necessitas statûs gratiæ sæpe exprimitur in indulgentiæ concessione per verba: »corde »saltem contrito;" quæ clausula nil aliud significat, nisi eum, qui non est in statu gratiæ, debere saltem actu perfectæ contritionis statum gratiæ recuperare, ut declaravit S. C. Indulg. 17 Dec. 1870.

182. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An omnia opera injuncta ad indulgentiam obtinendam debeant fieri in statu gratiæ?*

Resp. Negat., sed satis est quod ultimum opus ex injunctis fiat in gratia; quia indulgentia confertur posito ultimo opere. Sanum tamen consilium est omnia opera facere in statu gratiæ, ut indulgentia certius acquiratur. (*n.* 534. *sub* 9.)

QUÆR. 2° *An indulgentia plenaria possit ex parte obtineri, si subjectum careat debita dispositione ad eam integram consequendam, v. g. propter affectum ad aliquod peccatum veniale?*

Resp. Affirm.; quia 1° sicut culpa unius venialis remitti potest, quin remittatur culpa aliorum, ita et pœna; 2° Pontifex præsumitur indulgentiam plenariam concedere juxta capacitatem subjecti, ut remittatur pœna omnium peccatorum, quorum culpa remissa est; secus indulgentiæ plenariæ paucissimis prodessent. (*n.* 534. *sub* 19.)

ARTICULUS II.

IMPLETIO OPERUM INJUNCTORUM.

Expendemus 1° impletionem operum in communi, 2° varia opera injuncta in particulari, 3° commutationem operum.

§ I. *Impletio operum in communi.*

183. — **Principia.** I. Ad lucrandas indulgentias una ex præcipuis conditionibus est impletio operum a concedente indulgentias injunctorum; quæ conditio adeo necessaria est, ut, si opera injuncta quis exsequi nequeat, sive ob ignorantiam sive ob impotentiam, indulgentiam minime consequi possit. Ratio est, quia indulgentiæ sub ea conditione conceduntur. Excipe tamen, si a concedente cautum fuerit pro impeditis ab operum exsecutione. (*n.* 534. *sub* 13.)

II. Opera præscripta perfici debent 1° *integre*, atque eo *loco*, *tempore*, et *modo*, quo præscripta fuerunt; nam sub hisce conditionibus indulgentiæ concessæ fuerunt; 2° cum *voluntate* seu *intentione*, saltem habituali, *lucrandi indulgentias* operibus adnexas; quia indulgentia est beneficium a Principe oblatum, quod acceptari debet; sed ad acceptandum sufficit habitualis acceptatio. Necesse vero non est ut quis sciat *utrum* et *quanta* indulgentia bonis operibus, quæ præstat, adnexa sit. — Hinc commendabilis usus est singulo mane intentionem elicere lucrandi omnes indulgentias, quæ bonis operibus per diem præstandis adnexæ sunt. (*n.* 534. *sub* 13. 14.)

184. — **Resolutiones.** 1° Quoad impletionem *integram*, omissio partis levis, tum in se tum respectu operis injuncti, non officit indulgentiæ consecutioni; quia non impedit quominus opus injunctum censeatur moraliter impletum; parum siquidem pro nihilo reputatur. Sic leve est, si quis parum comedat in jejunio; si in Rosario omittat duo vel tria *Ave;* secus vero, si quinque *Pater* et *Ave* requirantur, et unum omittat. (*n.* 534. *sub* 14. *et* 16.)

2° Quoad *locum*, si huic affixa est indulgentia, locus necessario visitandus est. Etiam alias sæpe injungitur visitatio ecclesiæ vel oratorii publici; de qua re infra acturi sumus n. 188.

3° Quoad *tempus:* a) Indulgentia alicui *Festo* affixa acquiritur a fidelibus die fixâ et rite constitutâ in sua Diœcesi; a Regularibus Ordinibus die rite constitutâ in suo Kalendario; ab adscriptis Sodalitati alicujus Regularis Ordinis, die rite constitutâ in Kalendario Diœcesis vel in Kalendario Ordinis, non tamen in utrâque die. Ita S. C. 29 Aug. 1864.

b) Quando legitime translata est *Festi solemnitas* seu *externa celebratio*, sive in perpetuum sive ad tempus, etiam translata intelligitur indulgentia huic festo adnexa. Cum vero transfertur solum *Officium cum Missa*, indulgentiarum nulla fit translatio. Ita S. C. 9 Aug. 1852.

c) Dies pro lucrandis indulgentiis currunt a media nocte ad mediam noctem; nisi aliud expresse habeatur in Indultis. Ita S. C. 12 Jan. 1878. — Quando indulgentia concessa est »a primis Vesperis usque ad occasum solis »sequentis diei," incipit a tempore *canonico*, quo recitari potest Matutinum cum Laudibus, i. e. hora media inter meridiem et solis occasum. Recole dicta lib. V. n. 48.

d) Cum indulgentia plenaria semel in mense conceditur iis, qui quoddam bonum opus per integrum mensem perfecerint, mensis non necessario computandus est a die 1° ad ultimum, sed intelligitur *spatium mensis* continuum, i. e. triginta dierum. Colligitur ex Declar. S. C. 23 Nov. 1878. (Ulrich. *Trésor spir. pag.* 60.)

4° Quoad *modum*: a) Opera injuncta *personaliter* præstari debent ab eo, qui vult indulgentiam obtinere; attamen eleemosynæ largitio, si injuncta sit, impleri potest ministerio famuli, amici, vel alterius, imo potest quis amicum vel alium rogare ut ejus loco eleemosynam tribuat. b) Preces injunctæ non necessario recitandæ sunt *flexis genibus*, nisi id expresse præscribatur, prout v. g. præscriptum est pro oratione *Sacrosanctæ*, extra casum infirmitatis.

185. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An quis possit eadem die* DIVERSAS *indulgentias lucrari?*

Resp. Affirm., dummodo pro singulis indulgentiis adimpleat injunctas conditiones, quæ iterari possunt et solent. Opera, quæ eadem die iterari nequeunt, vel non solent, sunt Confessio, Communio. Ita S. C. 29 Maji 1841. 12 Jan. 1878.

QUÆR. 2° *An quis possit* EAMDEM *indulgentiam* PLURIES *lucrari in eadem die?*

Resp. Indulgentiam plenariam semel dumtaxat in die lucrari potest, nisi Indultum expresse eam pluries lucrandam concedat. Ita S. C. 7 Mart. 1678. 14 Dec. 1717. 15 Mart. 1852. 10 Sept. 1883. — Ideo Pius IX 15 Mart. 1852 »indulgentiam plenariam quotidianam perpetuam »vel ad tempus concessam visitantibus »aliquam ecclesiam, seu publicum oratorium, ita semper intelligendam esse »mandavit, ut semel in anno tantum ab »unoquoque fideli acquiri possit: excepto »solummodo casu, quo in Decreto, Rescripto, Brevi etc. concessionis... clare »et explicite expressum sit indulgentiam »plenariam reapse quotidie ab unoquoque »Christifideli rite disposito acquiri posse."

QUÆR. 3° *An quis possit* EODEM OPERE *plures indulgentias consequi?*

Resp. Dist. 1° *Affirm.*, si opus eadem die iterari nequeat vel non soleat, ut Confessio et Communio.

[1] S. Alph. *In Trident. sess.* 25. *n.* 65.

2° *Negat.*, si opus repeti possit, ut preces, visitatio ecclesiæ. Ita S. C. 12 Jan. 1878.

QUÆR. 4° *An concessio lucrandi plures plenarias indulgentias eadem die, solutis scilicet conditionibus, respiciat solas indulgentias in una die concurrentes propter festivitatem, vel etiam illas, quas quis ob suam devotionem tali per hebdomadam aut mensem diei adfixerit?*

Resp. Respicit utrasque, ut declaravit S. C. Indulg. 29 Febr. 1864.

QUÆR. 5° *An fideles Confraternitatibus adscripti priventur indulgentiis, quæ talibus Sodalitatibus concessæ sunt, si earum statuta non observent?*

Resp. Negat., dummodo Sodalitates sint canonice erectæ, et sodales legitime adscripti, ipsique adimpleant opera injuncta a SS. Pontificibus pro lucrandis indulgentiis suæ respectivæ Confraternitati adnexis; quia statuta sunt ad regimen et ad rectam Sodalitatis administrationem data, minime vero tamquam injuncta opera ad indulgentias acquirendas. Ita S. C. 25 Jan. 1842.

§ II. *Quædam opera injuncta in particulari.*

186. — Ad indulgentias *plenarias* consequendas conditiones *ordinariæ* sunt: Confessio, Communio, et preces ad intentionem S. Pontificis; sæpe injungitur insuper visitatio ecclesiæ. De singulis hisce conditionibus quædam notanda sunt.

I. CONFESSIO ET COMMUNIO. 1° Ad consequendas indulgentias concessas cum clausulâ: »Contritis et confessis," aliâve simili, necessaria est Confessio sacramentalis, tamquam injuncta conditio, etiam iis, qui sibi lethalis peccati conscii non sunt; pro hisce tamen non requiritur absolutio. Ita S. C. 19 Maji 1759. 20 Aug. 1822.

2° Confessio et Communio pro consequenda indulgentia alicui diei, sive festivo sive feriali, affixa, e. g. diei receptionis in aliquam Confraternitatem, expleri possunt pridie. Ita S. C. 6 Oct. 1870.

3° Fideles, qui singulis hebdomadis, i. e. quolibet decurrente septem dierum spatio, ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, nisi legitime impediantur, consueverunt, et nullam lethalem culpam post ultimam Confessionem se commisisse norunt, omnes indulgentias consequi possunt, etiam sine actuali Confessione, quæ cæteroquin ad eas lucrandas necessaria esset. Excipiuntur ab hoc indulto indulgentiæ Jubilæi, aliæque ad instar Jubilæi concessæ, pro quibus assequendis Confessio, sicut et alia opera injuncta, tempore in earum concessione præscripto peragi debent. Ita S. C. 9 Dec. 1763. 23 Nov. 1878. 25 Febr. 1886.[1]

In locis vero, in quibus ob inopiam Confessariorum nequeunt fideles frequenter confiteri, ab Ordinariis impetrari potest extensio præfati indulti ad *omnes* fideles, ita ut Confessio peracta intra hebdomadam, vel intra duas hebdomadas, i. e. septem vel quatuordecim dies, ante festivitatem, suffragari possit ad lucrandas tum indulgentiam dictæ festivitati adnexam, tum alias etiam, quæ intra prædictum tempus occurrent. Ita S. C. 12 Jun. 1822. 28 Sept. 1838. 15 Dec. 1841. 12 Mart. 1855. 23 Nov. 1878. 25 Febr. 1886.

187. — II. PRECES AD INTENTIONEM S. PONTIFICIS. 1° Hæ preces sunt ad uniuscujusque fidelis libitum, nisi peculiariter assignentur. Ex DD. sententia et usu recepto sufficiunt quinque *Pater* et *Ave*. 2° Sæpe præscribitur ut visitetur ecclesia, *ibique* fundantur preces. 3° Preces illæ debent *vocaliter* recitari, aut saltem orationi mentali aliqua vocalis adjungenda est. 4° Non potest satisfieri per preces aliunde obligatorias. Ita S. C. 29 Maji 1841. et Bened. XIV Constit. *Inter præteritos*. 3 Dec. 1749. *n.* 3.

188. — III. VISITATIO ECCLESIÆ. 1° Quando injungitur visitatio Ecclesiæ determinatæ, e. g. Ecclesiæ parochialis, vel illius cui adnexa est indulgentia, hæc ipsa visitanda est, ibique orandum ad intentionem S. Pontificis; cæteræ vero conditiones alibi impleri possunt. Hanc visitationem comitari potest susceptio Communionis in dicta ecclesia.

2° Quando præscribitur visitatio Ecclesiæ vel Oratorii publici in genere, eligi potest. Sed notandum est, publicum censendum non esse Oratorium sive in Monasteriis, sive in Seminariis, aut aliis Conventibus canonice dedicatum, ad quod christiana plebs publice non solet accedere. Ita S. C. 22 Aug. 1842. et 16 Jan. 1886.[1] Propterea personæ in Communitate viventes non possunt ejusmodi indulgentias lucrari visitando Oratorium domesticum Communitatis, nisi speciali indulto ipsis concessum fuerit.

3° Si quis eadem die velit plures indulgentias consequi, quarum singula requirit visitationem Ecclesiæ, debet totidem vicibus Ecclesiam visitare, quot indulgentias vult lucrari. Idem valet, si eadem indulgentia toties acquiri possit, quoties Ecclesia visitatur. Ideo post quamlibet visitationem debet quis egredi et denuo ingredi. Ita S. C. 29 Febr. 1864.

[1] Acta S. Sedis. *vol.* 18. *pag.* 412.

§ III. *Commutatio operum.*

189. — Quædam sunt personæ, puta infirmi et surdo-muti, in quorum favorem S. Sedes nonnulla opera injuncta commutavit, vel facultatem commisit commutandi, propter impotentiam earum personarum illa adimplendi. Cæterum opera injuncta ad consequendas indulgentias a nemine commutari possunt, nisi hæc facultas a S. Sede expresse concessa fuerit. Idcirco:

QUÆR. 1° *Quid S. Sedes indulserit infirmis?*

Resp. Ut *habitualiter* infirmi seu *chronici*, vel ob physicum *permanens* aliquod impedimentum e domo egredi impotentes, (exceptis tamen illis, qui in Communitate morantur,) acquirere possint omnes indulgentias plenarias, quas alias acquirere possent in locis, in quibus vivunt, si in eo physico statu non essent, pro quarum acquisitione præscripta est S. Communio et visitatio alicujus ecclesiæ vel publici oratorii in locis iisdem, dummodo 1° vere pœnitentes confessi, ac 2° cæteris omnibus absolutis conditionibus, si quæ injunctæ fuerint, 3° loco S. Communionis et visitationis *alia pia opera*, a respectivo Confessario injungenda, fideliter adimpleant. Ita S. C. 18 Sept. 1862.

QUÆR. 2° *Quomodo S. Sedes providerit impotentiæ, qua surdo-muti detinentur, preces recitandi pro indulgentiis acquirendis injunctas?*

Resp. Si inter opera præscripta sit 1° visitatio alicujus ecclesiæ, satisfaciunt ibidem mente et affectu Deum orando. 2° Si sint *publicæ* preces, satisfaciunt eis assistendo, mente et piis cordis affectibus orando. 3° Si agatur de *privatis* orationibus, proprii eorum Confessarii possunt eas commutare in alia pia opera aliquo modo manifestata, prout in Domino expedire judicaverint. Ita S. C. 15 Mart. 1852.

QUÆR. 3° *An Confessarius, cui facultas concessa est commutandi opera injuncta, eam commutationem in actu sacramentalis Confessionis facere debeat?*

Resp. Affirm. pro Jubilæo, ex præscripto Bened. XIV in Constit. *Inter præteritos*. 3 Dec. 1749. *n.* 63. Inde non immerito idem infertur pro aliis indulgentiis, siquidem circa hasce minor solet esse S. Sedis liberalitas.

[1] Revue théol. 1886. *pag.* 316. *et* 340.

CAPUT IV.

APPLICATIO INDULGENTIARUM ANIMABUS PURGATORII.

190. — **Principia.** I. S. Pontifex potest indulgentias concedere vivis *per modum absolutionis:* defunctis vero nonnisi *per modum suffragii*. Ratio est, quia in fideles viatores habet jurisdictionem, ideo tamquam Judex eos absolvit a pœna temporali peccatis debita, oblatâ sufficienti satisfactione Deo ex satisfactionibus Thesauri Ecclesiæ: in defunctos vero nullam habet jurisdictionem, quare potest tantum indulgentias concedere viventibus, cum clausula quod possint eas per modum suffragii applicare animabus purgatorii, petendo scilicet a Deo ut satisfactiones illas indulgentiis exhibitas dignetur acceptare in remissionem pœnarum, quas animæ in purgatorio luunt; hoc modo nullam exercet jurisdictionem in animas illas. Colligitur etiam ex Trid. *sess.* 25. *Decret. de purgat.*

II. Ad applicationem indulgentiæ animabus purgatorii duo requiruntur: 1° expressa concessio Pontificis eam applicandi pro illis; quia nemo potest consequi pro alio indulgentiam, nisi Pontifex concedat, quippe qui indulgentiarum dispen-

sator est; 2° intentio ipsius applicantis pro illis, quibus applicare voluerit; est enim quædam donatio.

Non est praxis Ecclesiæ concedendi indulgentiarum applicationem pro aliis vivis.

191. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An ille, qui vult lucrari indulgentiam pro defunctis, debeat esse in statu gratiæ?*

Resp. Controv. 1ª Sententia communis negat, si contritio vel Confessio in Decreto non injungatur; quia non debet pro defunctis satisfacere, sed dumtaxat ponere conditiones a concedente requisitas; quibus positis, ipse Pontifex immediate applicat indulgentiam, seu satisfactiones in Thesauro Ecclesiæ repositas.

2ª Sententia, quæ verior videtur, affirmat; quia Pontifex non immediate applicat indulgentias defunctis, sed *applicabiles* concedit, ut docet S. Thomas [1] et patet ex Decretis Pontificiis: sed nemo potest alteri applicare indulgentiam, nisi prius eam fecerit *suam;* suam autem facere indulgentiam non potest quisquis est in statu peccati mortalis; ergo requiritur status gratiæ. Ita Lugo. *De Pœnit. disp.* 27. *n.* 64. *et* 75. Tournely. *De Pœnit. qu. ult. art.* 6. Amort. *de Pœnit. disp.* 7. *qu.* 31. Palmieri. *De Pœnit. Append. de indulg.* § 4. Wigandt, etc. (*n.* 534. *sub* 10.)

QUÆR. 2° *An indulgentiæ infallibiliter prosint defunctis?*

Resp. De fide est animas in purgatorio detentas fidelium suffragiis, potissimum vero altaris Sacrificio, juvari, ut docet Trid. *sess.* 25. *decret. de purgat.* Nihilominus applicatio *totius valoris* atque animabus *designatis* non est infallibilis; quia nulla ei adest promissio divina; unde Deus indulgentias acceptat tantum ad suum beneplacitum. Confirmatur ex praxi fidelium, qui pro eodem defuncto solent plures indulgentias plenarias applicare. (*n.* 534. *sub* 10.)

CAPUT V.

CESSATIO INDULGENTIARUM.

192. — Indulgentiæ cessare possunt variis modis; quocirca traduntur sequentes regulæ: 1° Indulgentia concessa ad certum tempus, eo elapso cessat. 2° Indulgentia sine ulla temporis limitatione concessa, per se loquendo, perpetuo durat, nec exspirat morte concedentis; quia est beneficium Principis, juxta Regulam 15. Juris in 6. 3° Quævis indulgentia cessat per revocationem concedentis, sive successoris illius aut Superioris. 4° Cessat quoque indulgentia alicui loco vel rei addicta per destructionem loci vel rei illius.

193. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An destructa ecclesia si reædificetur, cesset indulgentia ipsi addicta?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, si fere in eodem loco et sub eodem titulo reædificetur; tunc indulgentia suspensa tantum remanet tempore reædificationis. Verba: *fere in eodem loco* accipienda sunt de parva distantia, puta 20 aut 30 passuum.

2° *Affirm.*, si vel in alio loco vel sub diverso titulo reædificetur; quia tunc diversa censetur ecclesia. Ita S. C. 9 Aug. 1843. et 29 Mart. 1886. [1]

QUÆR. 2° *An idem dicendum sit de indulgentia altari affixa?*

Resp. Indulgentia affixa manet altari reædificato, dummodo sub eodem titulo in eadem ecclesia reædificatum fuerit, licet in alio ecclesiæ loco. Ita S. C. 16 Sept. 1723. et 24 April. 1843.

QUÆR. 3° *An cruces, coronæ, rosaria, numismata, et sanctæ imagines, cum indulgentiis benedictæ, indulgentias retineant, si alteri commodentur aut donentur?*

Resp. Negat.; illæ indulgentiæ non transeunt personam illorum, quibus concessæ sunt, aut quibus ab his prima vice distribuuntur, neque commodari aut precario dari possunt, alioquin amittunt indulgentias eis adnexas. Excipe tamen, si corona alteri commodetur pro sola rosarii recitatione, non pro indulgentiarum communicatione. Ita S. C. 23 Febr. 1711. et 13 Febr. 1745.

QUÆR. 4° *An res benedictæ cum applicatione indulgentiarum possint deinde vendi sine periculo indulgentias amittendi?*

Resp. Negat., juxta Declarationem S. C. 12 Jul. 1847.

QUÆR. 5° *Quando Via Crucis canonice erecta amittat indulgentias?*

[1] In 4. dist. 45. qu. 2. art. 3. quæstiunc. 2.

[1] Revue théol. 1886. *pag.* 606.

Resp. In duobus casibus, scil. 1° cum ad alium locum transfertur, ut ibi erigatur; tunc indulgentiæ nec primo loco affixæ remanent, nec cruces sequuntur, sed requiritur nova erectio canonica. Ita S. C. 30 Jan. 1839. — 2° Cum crucium major pars aufertur et aliæ substituuntur; tunc nova erectio canonica requiritur. Ita S. C. 22 Aug. 1842.

SECTIO II.

QUÆDAM INDULGENTIÆ IN PARTICULARI.

Agemus 1° de altari privilegiato, 2° de Via Crucis, 3° de indulgentia plenaria in articulo mortis, 4° de indulgentiis rebus adnexis, 5° de Jubilæo.

CAPUT I.

ALTARE PRIVILEGIATUM.

194. — Altare privilegiatum vocatur, cui indulgentia plenaria pro defunctis adnexa est, modo conditiones requisitæ adimpleantur. Hæc indulgentia, sicut quævis indulgentia plenaria pro defunctis, si spectetur mens concedentis et usus potestatis clavium, animam statim liberat ab omnibus purgatorii pœnis; si vero spectetur applicationis effectus, ejus mensura divinæ misericordiæ beneplacito et acceptationi respondet; non enim applicatur nisi per modum suffragii. Ita S. C. 28 Jul. 1840.

Duplex ejusmodi privilegium distinguitur; aliud nempe est *locale*, quando ipsi altari adnexum est: aliud *personale*, quando ipsi Sacerdoti, ubicumque celebrat, concessum est.

195. — I. **Concessio privilegii localis.** 1° Bened. XIII Constit. *Omnium saluti.* 20 Aug. 1724. concessit omnibus ecclesiis cathedralibus altare privilegiatum quotidianum et perpetuum, ab Episcopo semel tantum designandum. Clemens XIII Decreto S. C. Indulg. 19 Maji 1759, indulsit omnibus ecclesiis parochialibus altare privilegiatum quotidianum, ab Episcopo semel designandum, ad septennium, dummodo Episcopus pro sua diœcesi a S. Sede hanc gratiam impetret; expleto septennio, privilegii renovatio petenda est.

2° Ut hoc privilegium alicui altari adnecti possit, altare debet esse fixum et stabile, nisi aliud in Indulto exprimatur. Non requiritur tamen ut sit fixum in sensu liturgico; quare non officit quod lapis consecratus amoveri possit. Ita S. C. 27 Nov. 1764. 15 Dec. 1841. 20 Mart. 1846.

196. — II. **Concessio privilegii personalis.** 1° Qui obtinuit a S. Sede privilegium altaris personale, non tenetur dictum privilegium exhibere Ordinario, nisi aliter disponatur in Indulto; quia ejusmodi indulgentia non publicatur. Ita S. C. 5 Febr. 1841.

2° Die Commemorationis omnium defunctorum Missa a quocumque Sacerdote sæculari vel Regulari celebranda gaudet privilegio, ac si esset in altari privilegiato celebrata. Ita Clemens XIII Decreto S. C. Indulg. 19 Maji 1761. Similiter diebus Orationis 40 Horarum *proprie dictæ*, i. e. per 40 horas continuas secundum Instructionem Clementis XI, omnes Sacerdotes, qui celebrant in ecclesia, ubi dicta Oratio habetur, eodem privilegio gaudent, ex Rescripto Pii VII 12 Maji 1817. [1]

197. — III. **Conditiones ad lucrandam indulgentiam.** 1° Celebranda est Missa de *Requiem*, quoties per Rubricas permissa est; nisi alia Missa legatur ratione expositionis SS. Sacramenti vel alicujus Solemnitatis. Diebus impeditis sufficit Missa de die. Ita S. C. 11 April. 1840. 11 April. 1864.

2° Qui habet privilegium altaris personale pro tribus vel quatuor Missis in singulis hebdomadis, debet eligere ad usum privilegii dies quæ permittunt Missas de *Requiem*, si in hebdomada occurrant. Ita S. C. 29 Febr. 1864.

3° Necesse non est ut Sacerdos *intendat* applicare privilegium; quia Missa celebrata ad altare privilegiatum est *per se* privilegiata. Ita S. C. 12 Mart. 1855. Ob eamdem rationem neque videtur requiri in Celebrante status gratiæ.

198. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An Sacerdos, qui ob omissam conditionem requisitam defunctorum animas prædictâ indulgentiâ frustravit, ad aliquam reparationem teneatur?*

Resp. Si pacto obligabatur ad Missam celebrandam in altari privilegiato, tene-

[1] Prinzivalli. *Decreta authentica. n.* 513.

tur lucrari indulgentiam plenariam pro iis defunctis, quibus Missæ fructum applicuit, toties quoties diebus permissis non celebravit Missam de *Requiem*. Ita S. C. 22 Febr. 1847. et 24 Jul. 1885.[1]

Quær. 2° *An applicatio Sacrificii et indulgentiæ dividi queat, ita ut Missa possit offerri pro uno defuncto, et indulgentia applicari pro alio?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, in duobus casibus: a) si in Indulto legatur: »Qui pro »defuncto Missam in tali altari dixerit, »liberat animam ejus;" b) si fundator aut stipem erogans imposuerit onus celebrandi in altari privilegiato. 2° *Affirm.* vero extra hos casus. Ita S. C. 31 Jan. 1848.

Quær. 3° *An indulgentia altaris privilegiati possit pluribus defunctis applicari?*

Resp. Negat.; unde, si Missa pro pluribus offertur, indulgentia ad unam animam limitatur; neque effectu suo caret, etiamsi Sacerdos uni ex iis determinatæ animæ eam non applicaverit. Ita S. C. 29 Febr. 1864. 19 Jun. 1880. et 19 Dec. 1885.[2]

Quær. 4° *An Sacerdos, qui gaudet privilegio altaris personali ter aut quater in hebdomada, si aggregatus sit Congregationi quæ eodem privilegio gaudet, possit utroque frui?*

Resp. Affirm., dummodo in Indultis aliter expresse non disponatur. Ita S. C. 27 Maji 1839.

CAPUT II.

VIA CRUCIS.

199. — Benedictus XIV »exoptans ut »ad fidelium utilitatem magis magisque »hoc pium exercitium propagetur, hor»tatur Parochos cujuscumque oppidi aut »civitatis, etsi in aliquo oppido plures »exstent paræciæ, ut populos sibi com»missos ditent hoc tam insigni thesauro." Ita Pontifex annuit precibus S. Leonardi a Portu Mauritio, mediante S. C. 10 Maji 1742. Idcirco de hoc tam proficuo exercitio exponemus 1° quis Viam Crucis erigere valeat; 2° in quibus locis, 3° quomodo canonice erigatur, 4° quas indulgentias et sub quibus conditionibus lucrentur, qui hoc exercitium peragunt.

200. — I. **Potestas erigendi.** 1° Facultas *ordinaria* erigendi Vias Crucis concessa est solis Fratribus Ordinis Minorum, sive Observantium sive Reformatorum sive Recollectorum, qui eas ubique erigere valent, ea lege, ut erigens sit Superior loci prædicti Ordinis, vel ex ejus commissione alius Religiosus ejusdem Ordinis, qui sit aut Concionator aut saltem Confessarius approbatus. Ita Clemens XII, mediante S. C. 3 April. 1731.

2° Cæteri, quicumque sint, non possunt valide erigere Viam Crucis, nisi a S. Sede facultatem delegatam obtinuerint. Sequitur ex dictis. — Ejusmodi autem facultas limitari solet ad loca, in quibus Ordo Minorum non exsistit. Nomine *loci* intelligitur civitas, oppidum, pagus, cum respectivis suburbiis sive locis eis adjacentibus. Ita S. C. 14 Dec. 1857.

201. — II. **Loca erectionis.** 1° Fratres Minores viam Crucis erigere possunt, non solum in ecclesiis et oratoriis, verum etiam in quibusvis locis piis. Ubi erigitur extra ecclesiam vel oratorium, curandum erit ut a loco sacro ducat initium vel usque ad sacrum locum finem habeat. Præterea, si ædiculæ repræsentent mysteria Passionis, omnino attendatur ut ædiculæ cancellis tutentur, ne homines vel animalia in eas ingredi queant, utque tam memoratæ ædiculæ quam cruces collocentur in locis irreverentiis minime obnoxiis; quod si decursu temporis loca, in quibus erecta fuit, minus decentia evaderent, Superiorum erit eam interdicere, super quo eorum conscientiæ stricte onerantur. Ita S. C. 3 April. 1731.

2° Facultates erigendi Viam Crucis Episcopis aut Sacerdotibus sæcularibus concessæ ordinarie restringuntur ad ecclesias et publica vel privata oratoria. Ita S. C. 14 Dec. 1857.

3° In locis, ubi reperiuntur Conventus Fratrum Minorum, olim non licebat erigere Viam Crucis in aliis ecclesiis; sed Pius IX hanc limitationem sustulit. Ita S. C. 14 Maji 1871.

4° In eadem ecclesia aut pio loco duæ Viæ Crucis erigi possunt, puta una pro viris, altera pro fœminis. Quum vero una extra ecclesiam erigitur, altera quoque erigatur in ecclesia. Ita S. C. 3 April. 1731.

5° Locus, ubi Via Crucis erecta est, ad usus profanos adhiberi non debet. Ita S. C. 4 Aug. 1767.

202. — III. **Modus erigendi.** 1° Antequam ad erectionem procedatur, consensus Ordinarii in scriptis requiritur, sub pœna nullitatis, pro unaquaque Viæ Crucis erectione. Ita S. C. 28 Aug. 1752 et 21 Jun. 1879.

Insuper requiritur Parochi vel respectivi Superioris consensus in scriptis. Ita S. C. 28 Aug. 1752. Sufficit tamen hujus consensûs mentio in litteris Ordinarii.

A præfato præscripto una est exceptio, nimirum Regulares, qui a S. Sede privilegium obtinuerunt erigendi cum consensu proprii Superioris Vias Crucis in *propriis* ecclesiis et domibus, non indigent Ordinarii aut Parochi licentiâ pro hac erectione.

2° Requiritur benedictio crucium facta ab eo, qui facultatem habet erigendi Viam Crucis. Cruces debent esse quatuordecim, et ligneæ, sub pœna nullitatis. Ordinarie adhibentur, præter cruces, tabulæ vel imagines repræsentantes stationes Passionis Christi, sed non sunt necessariæ, neque necessario benedicendæ; ideo possunt pro libitu removeri, renovari, et aliæ pro ipsis substitui. Ita S. C. 3 April. 1731. 20 Jun. 1838. 13 Nov. 1837. 28 Sept. 1838. 22 Aug. 1842. 23 Nov. 1878.

Methodum pro erigendis stationibus Viæ Crucis exhibet Appendix ad Rituale Romanum. *edit. typica Ratisbon.* 1884.

5° Cruces affigendæ sunt suis locis, et ita disponendæ ut distantia aliqua sit inter unam et alteram stationem. Ita S. C. 28 Aug. 1752. — Adhæc nonnulla notanda sunt: a) Perinde est utrum benedictio crucium impertiatur ante an post ipsarum affixionem. S. C. 21 Jun. 1879. — b) Ille, qui cruces benedixit, non tenetur ipsemet eas collocare et stationes percurrere, sed quivis alius eas collocare potest, etiam privatim ac sine cæremoniis, alioque tempore. Ideo, si Via Crucis est erigenda in monasterio Monialium, cruces benedicuntur ad crates, et in locis suis ponuntur a Monialibus. S. C. 3 April. 1731. 22 Aug. 1842. c) Nihil refert utrum Via Crucis a cornu Evangelii an a cornu Epistolæ incipiat; consuetudo tamen est ut incipiat a cornu Evangelii.

4° Erectione legitime peractâ, documentum quamprimum confici debet vel a Superiore loci, vel a Sacerdote qui Viam Crucis erexit, in quo referantur et facultas apostolica, quâ facta est erectio, et postulatio Parochi sive Superioris loci, et licentia Ordinarii, et actus ipse erectionis; quod documentum subscribatur a Sacerdote delegato et Parocho seu Superiore loci.[1] Hoc documentum in archivo Episcopatûs remanere debet, et testimonium saltem in archivo loci, in quo facta est erectio. Ita S. C. 25 Sept. 1841. 10 Febr. 1844. Prædicta requiruntur, non ad valorem actûs, sed ad ejus probationem.

203. — IV. **Indulgentiæ, et conditiones ad eas lucrandas.** 1° Exercitio Viæ Crucis fideles consequuntur easdem indulgentias, quas consequerentur, si personaliter visitarent stationes Viæ Crucis in Jerusalem. Istæ indulgentiæ animabus purgatorii applicabiles sunt. Vetitum vero est certum et determinatum numerum earum indulgentiarum ex pulpito vel alio modo publicare. Ita Bened. XIII Constit. *Inter plurima.* 3 Mart. 1726. et S. C. 3 April. 1731.

2° Ex documentis non constat indulgentias exercitio Viæ Crucis concessas sæpius in die obtineri posse. Ita S. C. 10 Sept. 1883.[2] Hinc, juxta Decreta allata n. 185. qu. 2. negandum esse videtur.

3° Ad consequendas indulgentias requiritur: a) Visitatio singularum stationum, transeundo ab una ad aliam, in quantum sinit aut multitudo personarum, quæ eas visitant, aut angustia loci, ubi sunt erectæ. S. C. 3 April. 1731. et 26 Febr. 1841. — b) Meditatio, quantumvis brevis, Passionis Domini, quod est opus injunctum; hæc meditatio ad singulas stationes exigitur, debetque cuique stationi respondere. S. C. 3 April. 1731.— c) Peractio exercitii uno tractu, moraliter loquendo, ita ut notabiliter et moraliter non interrumpatur; modicum tempus censetur v. g. ad audiendum Sacrum, ad sumendam Eucharistiam, ad Confessionem faciendam. S. C. 16 Dec. 1760.

[1] Acta S. Sed. *vol.* 18. *pag.* 94.
[2] Ibidem. *pag.* 340.

[1] Formulam actûs erectionis exhibet Appendix ad Rituale Rom. *edit. cit.*
[2] Revue théol. 1883. *pag.* 476.

Nullæ preces vocales requiruntur; sed laudabile est, juxta morem introductum, recitare unum *Pater* et *Ave* ad singulas cruces, actumque contritionis elicere. Ita S. C. 3 April. 1731.

Pro *publico* exercitio Viæ Crucis, quando ex motu locali populi perturbatio excitari potest, observetur sequens methodus: »Ut videlicet, unoquoque de »populo suum locum tenente, Sacerdos »cum duobus Clericis sive cantoribus »circumeat, ac sistens in qualibet sta»tione ibique recitans peculiares con»suetas preces, cæteris alternatim re»spondentibus." Laudabilis usus est inter unam aliamque stationem interponere cantum *Stabat Mater*. Ita S. C. 3 April. 1731. et 23 Jul. 1757.

204. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An cruces semel erectæ possint postmodum loco moveri, quin indulgentiæ pereant?*

Resp. Possunt 1° meliori modo disponi; 2° ex aliqua causa ad breve tempus omnes amoveri, et deinde eidem loco restitui; 3° mutari de loco in locum in eadem ecclesia. Ita S. C. 30 Jan. 1839. 20 Sept. 1839. 22 Aug. 1842. 20 Aug. 1844.

QUÆR. 2° *An possint aliquando crucibus erectis novæ substitui, absque indulgentiarum jactura?*

Resp. Possunt, si in minori numero renoventur, quia v. g. aliquæ deperditæ vel destructæ sunt, vel vetustate disperierunt; neque tunc novæ cruces benedictione indigent. Secus vero, si major pars renovata fuerit. Ita S. C. 13 Nov. 1837. 22 Aug. 1842. 20 Aug. 1844.

QUÆR. 3° *An fideles, qui a visitandis sacræ Viæ Crucis stationibus legitime impediti sunt, possint alio modo lucrari indulgentias dictarum stationum?*

Resp. Affirm., nimirum si recitant 14 *Pater* et *Ave*, et in fine 5 *Pater* et *Ave* in memoriam divinæ Passionis, manu tenentes crucifixum æneum, seu ex materia solida, benedictum ab aliquo Superiore Ordinis Minorum, vel ab alio Sacerdote qui obtinuit a S. Sede *specialem* facultatem benedicendi crucifixum cum applicatione harum indulgentiarum. Ita Clemens XIV 26 Jan. 1773. et S. C. 8 Aug. 1859.

CAPUT III.

INDULGENTIA PLENARIA IN ARTICULO MORTIS.

205. — Ecclesia, de æterna filiorum suorum salute, quæ ab extremo mortis articulo potissimum pendet, inprimis sollicita, nunquam prætermisit omnibus eos subsidiis tunc juvare, quibus non solum æterna præcaveant supplicia, verum etiam evitent pœnas temporales in purgatorio luendas. Propterea, præter alias indulgentias, præcipue ope indulgentiæ plenariæ, quam *Benedictionem Apostolicam* vocant, moribundis fidelibus opitulatur. De ea exponemus 1° quis eam dare possit, 2° quibus et quando impertienda sit, 3° quæ conditiones requirantur ad indulgentiam consequendam.

206. — I. **Potestas eam dandi.** 1° Facultas impertiendi Benedictionem Apostolicam cum indulgentia plenaria fidelibus in mortis articulo constitutis a Romano Pontifice conceditur omnibus Episcopis, qui eam postulant; hæcque facultas conceditur ad omne tempus, quo adeptum semel Ecclesiæ regimen retinebunt. Ita Bened. XIV Constit. *Pia Mater*. 5 April. 1747.

2° Unusquisque Episcopus delegatus subdelegare potest, ad præfatam Benedictionem suis diœcesanis impertiendam, omnes diœcesis suæ Parochos, necnon aliquot Sacerdotes sæculares vel Regulares, quotquot pro numero animarum necessarios esse judicaverit. Quoad Moniales, nonnisi illarum Confessarium ordinarium subdelegare potest. Ita Bened. XIV et S. C. Indulg. 23 Sept. 1775. et 23. Nov. 1878.

Facultas subdelegata semper durat, quamdiu vel Episcopus ipse vel illius successor eamdem non revocaverit. Ita Bened. XIV.

207. — II. **Quibus et quando impertienda sit.** 1° Impertienda est illis infirmis, qui vel illam petierint, dum sana mente et integris sensibus erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint signa contritionis; quibus danda est, etiamsi postea linguæ cæterorumque sensuum usu sint destituti, aut in delirium vel amentiam inciderint. Excommunicatis vero, impœnitentibus, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino deneganda. Ita Rituale Rom. *tit.* 5. *cap.* 6.

Impertienda etiam est pueris, qui doli capaces sunt, licet ob defectum ætatis primam Communionem necdum perceperint. Ita S. R. C. 16 Dec. 1826. ad postremum.

2° Ex praxi Ecclesiæ prædicta Benedictio impertiri solet post Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et Extremæ Unctionis. Ita Rituale Rom. Ex quibus verbis colligitur, non exspectandum esse verum articulum mortis, sed sufficere illud periculum mortis, in quo ultima Sacramenta ministrari possunt.

208. — III. **Conditiones requisitæ ad indulgentiam consequendam.** Requiritur: 1° Ut Sacerdos facultate instructus formulam adhibeat a Benedicto XIV præscriptam, sub pœna nullitatis indulgentiæ. Hæc formula reperitur in Rituali Rom. *loc. cit.* Ita Bened. XIV et S. C. Indulg. 5 Febr. 1841. ad 8. 22 Mart. 1879.

2° Ut infirmus sit »confessus ac sacra »Communione refectus, vel, quatenus id »facere nequiverit, saltem contritus, et »nomen Jesu ore, si potuerit, sin minus »corde devote invocaverit." Ita Brevia Pontificia ad Episcopos. — Hæc nominis Jesu invocatio, dum ægrotus suæ mentis est compos, est conditio *sine qua non*. Ita S. C. 23 Sept. 1775. ad 7. Non requiritur *specialis* Confessio et Communio; sed Confessio cum subsecuto Viatico sufficiunt, ut patet ex Rituali.

3° Ut infirmus mortem æquo ac libenti animo de manu Domini suscipiat. Hæc acceptatio mortis est opus injunctum, quo moribundi se ad indulgentiæ fructum consequendum præparent atque disponant. Ita Bened. XIV.

Præterea, quo *certius* omnes indulgentiæ fructum consequi valeant, idem Pontifex mandat ut Sacerdos omni ratione studeat moribundos excitare ad novos doloris actus eliciendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis affectus. Denique, monita infirmo salubriter præbenda exhibet Rituale.

209. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *Quo momento infirmus consequatur hujus indulgentiæ fructum?*

Resp. Eo momento, quo anima a corpore separatur; nam finis illius est fideles ad æternam beatitudinem statim perducere. Ita S. C. 23 April. 1675. Si ergo infirmus ex illo morbo convalescat, indulgentiam non consequitur.

QUÆR. 2° *An Benedictio Apostolica iterari possit?*

Resp. Dist. 1° *Negat.*, eâdem permanente infirmitate, etsi diuturnâ; idque valet, etiamsi infirmus Benedictionem acceperit in statu peccati mortalis, vel postea relapsus sit in peccatum, vel Extrema Unctio aut Absolutio sacramentalis iteretur. Ratio est, quia Benedictio fuit valida, et ejus fructus suspenditur usque ad mortis momentum; quare satis est quod infirmus ante illud momentum conditiones omnes adimpleverit. Ita S. C. 20 Jun. 1836. ad 7. 24 Sept. 1838.

2° *Affirm.*, si infirmus convaluerit, ac deinde quacumque de causa in novum mortis periculum redeat. Ita S. C. 24 Sept. 1838.

QUÆR. 3° *An necesse sit tribus vicibus recitare* CONFITEOR *etc., quando administratur Viaticum, Extrema Unctio, ac indulgentia in mortis articulo impertitur?*

Resp. Affirm., juxta praxim et rubricas. Ita S. C. 5 Febr. 1841. ad 6.

CAPUT IV.

INDULGENTIÆ REBUS ADNEXÆ.[1]

210. — Exponendum est 1° ex qua materia res esse debeant, 2° quomodo indulgentiæ eis adnectantur, 3° quæ conditiones requirantur ad eas lucrandas.

I. **Materia rerum.** Ut rebus adnecti queant indulgentiæ, debent regulariter esse ex materia *solida;* non autem ex materia fragili facilisque consumptionis. Sufficit porro soliditas *relativa*. — Hinc: 1° Benedici nequeunt cum applicatione indulgentiarum imagines impressæ sive depictæ, necnon cruces, crucifixi, parvæ statuæ, numismata, quæ ex stanno vel plumbo, similive materia confecta sunt. 2° Coronæ seu rosaria possunt esse ex quavis materia, etiam ex vitro, dummodo globuli sint ex vitro solido atque compacto. Ita S. C. 29 Febr. 1820. 8 Aug. 1859. — 3° Adnecti possunt indulgentiæ crucibus, crucifixis, statuis ferreis, eburneis, osseis, ligneis. Colligi-

[1] Cfr. Ulrich. *Trésor spirituel.*

tur ex Responsis S. C. 11 April. 1840. 8 Aug. 1859.

211. — II. **Adnexio indulgentiarum.** 1° Qui accepit a S. Sede simplicem facultatem benedicendi cruces, coronas, numismata, potest tantum eis adnectere indulgentias communes, *Apostolicas* dictas, quas nempe S. Pontifex iis rebus adnectere solet. [1] Pro applicatione aliarum indulgentiarum requiritur *specialis* facultas. Colligitur ex Responso 29 Maji 1841. ad 7.

2° Ad applicandas indulgentias crucibus, coronis, etc. sufficit efformare signum crucis super has res; nisi formula propria specialiter præscribatur, ut dictum est n. 179.

3° Uni eidemque rei, e. g. uni coronæ, possunt applicari diversæ indulgentiæ; sed qui diversas illas indulgentias lucrari vult, debet renovare opera injuncta iterabilia. Ita S. C. 29 Febr. 1820. 12 Jan. 1878.

4° Quando crucifixus benedicitur, indulgentia adnexa est soli Christo, ita ut possit ex una cruce in aliam transferri, absque indulgentiæ dispendio. Ita S. C. 11 April. 1840. — Similiter, quando corona benedicitur, indulgentiæ adnexæ sunt globulis, ita ut indulgentias non amittat, si illius filum aut catena mutetur, neque si aliquot globuli deperdantur et novi substituantur, dummodo major pars globulorum benedictorum conservetur, sicut dictum est n. 204. de crucibus Viæ Crucis. Ita S. C. 10 Jan. 1839.

5° Valida est benedictio rerum cum applicatione indulgentiarum, si prius benedicuntur in globo, deinde distribuuntur, dummodo post benedictionem non vendantur. Ita S. C. 12 Mart. 1855. 12 Jul. 1847. — Consule dicta n. 193.

212. — III. **Conditiones requisitæ ad indulgentias consequendas.** 1° Ad lucrandas indulgentias Apostolicas, requiritur ut possessor rerum benedictarum a) eas res vel secum gerat, vel in cubiculo seu alio decenti loco suæ habitationis retineat; b) preces præscriptas recitet vel coram eis vel eas secum deferendo; c) alias injunctas conditiones adimpleat. Ita S. C. 11 Maji 1853.

2° Quoad indulgentias coronis seu rosariis adnexas: a) Ad lucrandas indulgentias pro recitatione rosarii S. Dominici omnino necessaria est meditatio mysteriorum. Sufficit porro meditatio mentalis eodem tempore, quo ad singulas decades recitatur *Pater* et *Ave*. Mysteriorum electio est quidem libera, sed invaluit consuetudo ut per gyrum cujuslibet hebdomadæ singula mysteria ita recolantur: gaudiosa in feria 2ª et 5ª, dolorosa in feria 3ª et 6ª, gloriosa in Dominica, feria 4ª et Sabbato. Ita S. C. 13 Aug. 1726. 1 Jul. 1839.

b) Meditatio mysteriorum non requiritur ad lucrandas indulgentias Apostolicas, vel indulgentias S. Birgittæ nuncupatas. Ita S. C. 1 Jul. 1839.

c) Recitans coronam alternatim cum socio, potest lucrari indulgentias. Ita S. C. 29 Febr. 1820.

d) Rosarium vel tertiam ejusdem partem *in communi* recitantes lucrantur indulgentias, licet manu non teneant rosarium benedictum, si una tantum persona, quæcumque ea sit ex communitate, illud manu teneat, eoque in recitatione de more utatur, dummodo tamen omnes, cæteris curis semotis, se componant pro oratione facienda una cum persona, quæ tenet rosarium. Ita S. C. 22 Jan. 1858.

e) Neque pro lubitu neque pro commodo dividi potest recitatio rosarii seu tertiæ ejusdem partis; sed debet uno tractu recitari; alias non acquiruntur indulgentiæ. Ita S. C. 22 Jan. 1858.

f) Recitatio integri rosarii quindecim decadum in qualibet hebdomada requiritur pro sodalibus SS. Rosarii ad assequendas indulgentias recitationi rosarii S. Dominici adnexas. Ita S. C. 25 Febr. 1877.

CAPUT V.

JUBILÆUM.

Trademus 1° notionem Jubilæi, 2° opera injuncta ad lucrandam indulgentiam, 3° privilegia Jubilæi.

[1] Cfr. Instructionem pro Sacerdotibus, quibus S. Pontifex facultatem delegat benedicendi Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas Statuas, et sacra Numismata, cum adnexarum indulgentiarum elencho, in cit. Appendice ad Rituale Rom.

ARTICULUS I.

NOTIO JUBILÆI.

213. — Jubilæum significabat apud Hebræos annum remissionis; in Ecclesia Catholica est indulgentia plenaria solemnis, cum multis privilegiis adnexis, quæ nonnisi certis temporibus conceditur.

Non differt ab indulgentia plenaria ordinaria, nisi *accidentaliter*, ratione scilicet solemnitatis, operum injunctorum, privilegiorum ipsi adnexorum, atque uberrimarum gratiarum, quas divina misericordia illo tempore largiri solet.

Finis Jubilæi non est indulgentiæ consecutio, sed aliquod commune et magnum Ecclesiæ bonum impetrandum, e. g. provocatio populi christiani ad veram pœnitentiam, publicæ calamitatis cessatio, felix regimen novi Pontificis, etc. Hunc in finem SS. Pontifices exoptant ut universus populus christianus plura opera bona præstet, atque, ut cunctos fideles alliciant ad ea implenda pro fine intento, concedunt plenariam indulgentiam et privilegia opera implentibus.

214. — **Divisio.** Jubilæum distinguitur: 1° *Majus* seu *ordinarium*, quod regulariter recurrit vigesimo quinto quoque anno; Romæ celebratum *Annus sanctus* vocatur: *minus* seu *extraordinarium*, quod concedi solet ob extraordinarias Ecclesiæ necessitates, vel post coronationem S. Pontificis pro felici regimine. Jubilæum extraordinarium, solet indulgentia plenaria *ad instar* seu *in forma Jubilæi* vocari.

2° *Generale*, quod conceditur universo orbi: *particulare*, quod conceditur alicui provinciæ, civitati vel loco particulari.

215. — **Notanda.** 1° Jubilæum *Anni sancti* Romæ durat per integrum annum, incipiendo a primis Vesperis Natalis Domini, cum apertione Portæ sanctæ in Basilica S. Petri, et deinde in aliis Basilicis. Finis hujus instituti est, ut fideles eo anno Romam uti ad Religionis centrum confluant, ibique conjunctim orent pro felici Ecclesiæ statu, atque sepulchra SS. Apostolorum Petri et Pauli venerentur. Post Annum sanctum Romæ celebratum, extenditur Jubilæum anno sequenti ad universum Orbem Catholicum; sed concedi solent sex menses tantum. — Jubilæum *minus* per duas tantum vel saltem paucas hebdomadas durat.

2° In *Anno sancto* (i. e. in anno, quo Jubilæum ordinarium Romæ celebratur, non autem tempore, quo ad Orbem extenditur; neque in aliis Jubilæis) ut fideles ad concurrendum Romam inducantur, toto illo anno extra Romam suspenduntur: a) Indulgentiæ *pro vivis* concessæ, i. e. pro vivis acquiri nequeunt; at e converso *omnes* indulgentiæ *defunctis* applicari possunt. Ab ea suspensione excipiuntur indulgentiæ in articulo mortis, et quædam aliæ in Bulla Jubilæi recensitæ. b) Omnes facultates a S. Sede acceptæ relaxandi censuras, commutandi vota, dispensandi ab irregularitatibus et impedimentis canonicis. Excipiuntur facultates Missionariorum, qui a S. Congregatione de Propaganda Fide vel alias a Sede Apostolica missi fuerint, in locis Missionum exercendæ; facultates Episcoporum in diœcesanos suos exercendæ; et facultates Superiorum Regularium in Regulares sibi subjectos collatæ. Ita Bened. XIV Constit. *Cum Nos.* 17 Maji 1749.

3° In Jubilæo, tum ordinario tum extraordinario, servandæ sunt omnes regulæ a Benedicto XIV traditæ, nisi Bulla, qua Jubilæum indicitur, aliter quidpiam statuat. Ita S. C. Indulg. 15 Mart. 1852.

ARTICULUS II.

OPERA INJUNCTA.

216. — I. In Jubilæo *ordinario* tria opera injungi solent: 1° Confessio rite facta; 2° Communio, digna scilicet; 3° visitatio ecclesiarum designatarum, cum oratione ad intentionem S. Pontificis, per quindecim dies continuos vel interpolatos; hic tamen visitationum numerus pro certis personarum conditionibus minuitur. Incolæ Romæ, Anno sancto durante, debent per triginta dies ecclesias designatas visitare. Ita Bened. XIV Constit. *Peregrinantes.* 5 Maji 1749. *n.* 6. et Constit. *Benedictus Deus.* 25 Dec. 1750 *n.* 2.

Notandum porro, in iis locis dumtaxat posse Episcopos ecclesias visitandas designare, ubi plures sunt quam tres; secus standum est tenori Bullæ.

II. In Jubilæo *extraordinario*, præter

opera supra enumerata, duo alia præscribi solent: 1° jejunium trium dierum, scil. feria quarta et sexta et sabbato unius ex Jubilæi hebdomadis; 2° eleemosyna, vel aliqua, vel juxta cujusque facultatem.

III. In Jubilæo *particulari* attendi debet tenor Indulti concessi. Ordinarie tria tantum requiruntur, nempe Confessio, Communio, et visitatio alicujus ecclesiæ.

217. — **Notanda.** 1° Ad lucrandam Jubilæi indulgentiam non sufficiunt opera alio titulo jam debita, sed debent esse ultronea. — Unde non sufficit: a) jejunium præceptum; nisi Pontifex id indulserit, v. g. determinando vel permittendo ut designetur tempus Quadragesimæ pro lucrando Jubilæo; b) Confessio annua; c) Communio paschalis; nisi Pontifex expresse indulserit; ita S. Pœnit. 25 Jan. 1875. 26 Febr. 1879. et 25 Mart. 1881.[1]; d) visitatio ecclesiæ ad audiendam Missam de præcepto. Ita Bened. XIV Constit. *Inter præteritos.* 3 Dec. 1749. *n.* 53.

2° Jejunium injunctum debet esse jejunium *strictum*, i. e. cum abstinentia non tantum a carne, sed etiam ab ovis et lacticiniis, ut declaravit S. Pœnit. 16 Mart. 1865.[2]

3° Eleemosyna *pauperibus* eroganda, si injungatur secundum cujusque devotionem, modica sufficiet; si vero secundum cujusque facultatem, debet huic esse proportionata. Pauperes satisfaciunt minimam eleemosynam alii pauperi largiendo, vel commutationem obtinere possunt. Religiosi, filiifamilias et uxores satisfaciunt, si Superior aut paterfamilias, ipsis præmonitis, eorum nomine eleemosynam erogat. (*n.* 538. *qu.* 11.)

4° Jejunio excepto, reliqua opera injuncta non necessario implenda sunt in eadem hebdomada, ut patet ex recentioribus Bullis Jubilæi et ex declaratione S. Pœnit. 16 Mart. 1865.

5° Qui post peractam Confessionem et Communionem, antequam omnia opera præscripta perfecerit, in mortale peccatum prolabitur, denuo confiteri debet; actus contritionis ad consequendum Jubilæum minime sufficit. Ita Bened. XIV Constit. *Inter præteritos. n.* 79.

218. — **Quæstiones.** QUÆR. 1° *An lucretur Jubilæum, qui opera præscripta adimplet diversis in locis?*

Resp. Affirm., dummodo observet ordinationes Ordinarii loci, ubi moratur. Ita S. Pœnit. anno 1875. (Acta S. Sedis. *Vol.* 8. *pag.* 485.)

QUÆR. 2° *Si ecclesia designata omnes fideles processionaliter eam visitantes haud capere valeat, an ii, qui ingredi nequeunt, onus visitationum impleant?*

Resp. Fideles in processionibus extra januas ecclesiæ aut oratorii ob illius angustiam remanentes, et cum aliis orantes, unum corpus moraliter efformant, ac proinde visitationi pro lucrando Jubilæo satisfaciunt. Ita S. Pœnit. anno 1875. (Acta S. Sed. *Vol.* 8. *pag.* 554.)

QUÆR. 3° *An Religiosi Jubilæum lucrari valeant peragentes in propria ecclesia visitationes præscriptas?*

Resp. Negat.; debent, sicut cæteri fideles, visitare ecclesias designatas. Porro non possunt Prælati Regulares ecclesiam monasterii proprii pro suis subditis designare. Ita S. Pœnit. anno 1875. 24 April. et 15 Dec. 1886. (Revue théol. 1875. *pag.* 470. 1886. *pag.* 317. 1887. *pag.* 28.)

QUÆR. 4° *An Confessio facta in vigilia Jubilæi sufficiat?*

Resp. Negat., nam omnia opera injuncta intra tempus pro Jubilæo assignatum peragi debent. Romæ vero Annus Sanctus a primis Vesperis incipit. Ita S. C. Indulg. 9 Dec. 1763.

QUÆR. 5° *An fideles possint Jubilæum pluries lucrari?*

Resp. Negat.; semel tantum possunt indulgentiam lucrari, nisi expresse illa pluries concedatur; etiam semel dumtaxat possunt privilegiis frui. Porro indulgentia Jubilæi Anni sancti in urbe Romæ pluries lucranda semper conceditur iis, qui pluries opera præscripta iteraverint. Ita Bened. XIV Constit. *Convocatis.* 25 Nov. 1749. *n.* 52. Constit. *Inter præteritos.* 3 Dec. 1749. *n.* 84. Constit. *Benedictus Deus.* 25 Dec. 1750. *n.* 2.

ARTICULUS III.

PRIVILEGIA JUBILÆI.

219. — In unoquoque Jubilæo *generali* inprimis consulenda est Bulla, qua Jubilæum indicitur; nam privilegia aliquatenus variare possunt. Ea vero, quæ in Jubilæo *generali* concedi solent universæ Ecclesiæ, sunt sequentia:

I. Omnibus fidelibus, tam Regularibus quam sæcularibus, conceditur facultas sibi eligendi quemcumque Confessarium ab Ordinario loci approbatum. Moniales vero stricte dictæ, earumque Novitiæ, eligere debent aliquem Confessarium ad excipiendas Monialium Confessiones ab Ordinario loci approbatum, sive pro Monialibus in genere, sive pro aliquo Monialium monasterio peculiariter approbatus sit, dummodo nunquam ob demerita expresse reprobatus fuerit. Ita Bened. XIV Constit. *Benedictus Deus.* 25 Dec. 1750. *n.* 4. Constit. *Celebrationem.* 1 Jan. 1751. *n.* 10. *et* 11.

Quicumque igitur Regulares et Moniales possunt absque Superiorum licentia hoc privilegio uti pro Confessione ad lucrandum Jubilæum requisita.

Excipitur tamen facultas eligendi Confessarium complicem in peccato contra sextum præceptum. Ita Constit. *Benedictus Deus. n.* 5.

II. Confessariis ab Ordinario loci approbatis conceditur: 1° Facultas absolvendi ab omnibus peccatis, quantumcumque enormibus, etiam Ordinariis ac Sedi Apostolicæ reservatis. — Excipitur vero facultas absolvendi a) complicem in peccato contra sextum præceptum; b) eum, qui falso accusaverit Confessarium de sollicitatione; c) pœnitentes ad turpia a Confessario sollicitatos, quamdiu culpabiliter omittunt sollicitantem denuntiare. Ita Constit. *Benedictus Deus. n.* 5. et S. Pœnit. anno 1875.[1]

2° Facultas absolvendi, in foro conscientiæ dumtaxat, ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis et censuris, a jure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum ac Sedi Apostolicæ, speciali licet forma, reservatis. — Excipiuntur tamen a) facultas absolvendi ab hæresi externata, nisi expressis verbis concedatur; b) facultas absolvendi Confessarios, qui complicem absolvere ausi fuerint; c) facultas absolvendi eos, qui *nominatim* excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse *declarati* vel *publice denuntiati* fuerint; nisi intra tempus Jubilæi satisfecerint et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint. Ita Constit. *Benedictus Deus. n.* 5. Constit. *Inter præteritos. n.* 85., recentiores Bullæ Jubilæi, et S. Pœnit. anno 1875.[1]

3° Facultas dispensandi cum pœnitentibus in sacris Ordinibus constitutis super *occultâ* irregularitate ob censurarum violationem dumtaxat contractâ. Consule dicta n. 172. Ita Constit. *Benedictus Deus. n.* 4. *et* 5.

4° Facultas commutandi quæcumque vota simplicia, etiam jurata ac Sedi Apostolicæ reservata, in alia pia et salutaria opera. — Excipiuntur a) vota castitatis et Religionis; b) vota obligatoria in favorem tertii, quæ a tertio acceptata fuerunt, seu in quibus agitur de præjudicio tertii, e. g. vota in aliqua religiosa Congregatione emissa; c) vota pœnalia, quæ præservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura judicetur ejusmodi, ut non minus a peccato committendo refrænet, quam prior voti materia. Ita Constit. *Benedictus Deus. n.* 4.

5° Facultas commutandi opera præscripta pro Jubilæi consecutione in alia pietatis, charitatis aut religionis opera, cum iis, qui morali impotentiâ detinentur quominus ea exsequi possint. — Excipiuntur vero a) Confessio, b) Communio, præterquam cum pueris, qui nondum ad primam Communionem admissi sunt, et c) preces, quæ visitationes ecclesiarum comitari debent. Ita Constit. *Benedictus Deus. n.* 3. Constit. *Inter præteritos. n.* 53.

220. — **Notanda.** 1° Confessarii non possunt supradictas facultates exercere extra actum sacramentalis Confessionis; possuntque erga eos solos illis uti, qui *pro Jubilæi consecutione* Confessionem apud ipsos explent. Ita Constit. *Convocatis.* 25 Nov. 1749. *n.* 24. *et* 25. Constit. *Inter præteritos. n.* 63.

2° Nemo potest nisi *semel* frui favoribus Jubilæo adjunctis, nimirum in ea Confessione dumtaxat, quam pro Jubilæo primâ vice consequendo peragit.[2]

[1] Acta S. Sedis. *Vol.* 8. *pag.* 267. *Vol.* 11. *pag.* 527. *Vol.* 13. *pag.* 422.
[2] Acta S. Sed. *Vol.* 1. *pag.* 174.

[1] Acta S. Sedis. *Vol.* 8. *pag.* 360.

[1] Acta S. Sedis. *Vol.* 8. *pag.* 267.
[2] Quando indulgetur ut fideles indulgentiam Jubilæi pluries lucrari possint, etiam pluries commutari possunt *opera injuncta.* Ita S. Pœnit. 18 Mart. 1886. (Acta S. Sed. *Vol.* 18. *pag.* 512.)

Unde, si contingeret ut pœnitens, qui jam a peccatis et a censuris reservatis absolutus fuit, in ea recideret antequam opera ad Jubilæum acquirendum præscripta impleverit, Confessarii non possent virtute Jubilæi eum absolvere. Ita Constit. *Convocatis. n.* 52. Constit. *Inter præteritos. n.* 84. et S. Pœnit. anno 1875. et 15 Jan. 1886. [1]

3° Commutationes operum præscriptorum fieri nequeunt in alia pia opera, ad quæ pœnitens ex alio titulo esset obligatus. Ita Constit. *Inter præteritos. n.* 53.

221. — **Quæstiones.** Quær. 1° *An peccet graviter pœnitens, qui absolutionem a reservatis recepit, ac favores Jubilæi in se admisit, si postea, mutato animo, reliqua injuncta opera non adimpleat?*

Resp. Controv. 1ª Sententia affirmat; quia contravenit intentioni Pontificis, qui facultates Confessariis tamquam medium ad Jubilæum consequendum dumtaxat concessit; pœnitens vero iis fruendo ad reliqua sese obligavit. Ita Bened. XIV Constit. *Inter præteritos. n.* 86. Suar. Vasq. Filliuc. Viva, etc.

2ª Sententia communior negat; quia hujusmodi obligatio non apparet imposita, neque ex natura Jubilæi, neque ex Pontificis aut Confessarii præcepto. Ita Sanch. Lugo, Castrop. Bonac. Spor. Giribaldi, Salm. etc.

Interim obtentæ absolutiones, dispensationes et commutationes ratæ ac firmæ manent, ut declaravit Bened. XIV *loc. cit.* (*n.* 537. *qu.* 3.)

Quær. 2° *Si quis in Confessione pro Jubilæo consequendo oblitus est vel ex justa causa omisit peccata sua reservata, an auferatur reservatio?*

Resp. Affirmandum videtur; quia Pontifex concedens facultatem absolvendi a peccatis reservatis in favorem pœnitentis, quantum in se est, voluit illi auferre reservationem, si illo privilegio uteretur ad indulgentiam Jubilæi consequendam; pœnitens autem, quantum in se est, usus est illo privilegio; ergo sublata est reservatio. (*n.* 537. *qu.* 4.)

Quær. 3° *An per Confessionem invalidam in Jubilæo absolvantur censuræ reservatæ, et auferatur reservatio peccatorum?*

Resp. Negandum videtur; quia Pontifex non concedit facultates Jubilæi, nisi in ordine ad indulgentiam obtinendam, atque adeo pro iis, qui Jubilæum lucrantur; ergo qui ob invalidam Confessionem illud consequi nequeunt, privilegiis non fruuntur. Ita colligitur ex Constit. *Inter præteritos. n.* 62. (*n.* 537. *qu.* 2.)

Quær. 4° *An qui confessus est pro Jubilæo consequendo, possit postea a quocumque Confessario obtinere commutationem votorum?*

Resp. Negandum videtur, si Jubilæum jam consecutus sit; cum enim, ut ait Bened. XIV Constit. *Inter præteritos. n.* 62., omnes, quæ tribuuntur, facultates ad Jubilæi consecutionem directæ ac veluti ipsius præparatio sint, inde consequitur illorum usui locum non esse, postquam aliquis Jubilæum lucratus est.

Quær. 5° *An Jubilæum aliquando prorogari possit?*

Resp. 1° Prorogatur in favorem navigantium et iter agentium, prout in Bullis legitur. 2° Si quis ob dilationem absolutionis intra tempus pro Jubilæo concessum communicare prohibeatur, prorogationem a Confessario obtinere et a reservatis deinde absolvi potest. (*n.* 537. *qu.* 4.)

Quær 6° *An privilegia Jubilæi concedantur etiam in Jubilæo particulari?*

Resp. Concedi non solent. Ita S. C. Indulg. 10 April. et 3 Jul. 1668.

[1] Acta S. Sedis. *Vol.* 8. *pag.* 359. *Vol.* 18. *pag.* 333.

Jubilemus Deo salutari nostro.

SERIES CHRONOLOGICA

PROPOSITIONUM DAMNATARUM

ad doctrinam morum pertinentium.

Præmitto duas regulas interpretationis propositionum damnatarum, a S. Alphonso traditas *lib.* 3. *n.* 760. *in fine.* et *De Rom. Pontif. decret. part.* 1. § 1. *can.* 9. *et* 10. in calce Theol. Mor.

I. Regulariter loquendo, propositiones damnatæ intelligendæ sunt uti jacent et in sensu rigoroso, atque ab auctoribus illarum intento.

II. Quædam propositiones damnatæ sunt, quia nimis generaliter loquuntur, et ideo non sunt extendendæ ad eos casus particulares, qui propter aliquam momentosam circumstantiam distinguuntur. Sic v. g. Clemens VIII damnavit asserentes licere per internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri; inde male quis inferret non licere moribundum absolvere, qui Confessario præsenti nullum signum ostendit, sed ex relatu testis antea ostendit signa contritionis et confitendi voluntatem; hic enim casus diversam rationem habet.

Propositiones 9 *Magistri Petri Oxomensis, damnatæ in Congregatione Complutensi; et deinde a Sixto IV, anno* 1479.

1. Peccata mortalia, quantum ad culpam et pœnam alterius sæculi, delentur per solam cordis contritionem sine ordine ad claves.

2. Confessio de peccatis in specie fuit ex aliquo statuto utilis Ecclesiæ, non de jure divino.

3. Pravæ cogitationes confiteri non debent, sed sola displicentia delentur sine ordine ad claves.

4. Confessio debet esse secreta, id est de peccatis secretis, non de manifestis.

5. Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta.

6. Papa non potest indulgere alicui viro pœnam purgatorii.

7. Ecclesia urbis Romæ errare potest.

8. Papa non potest dispensare in statutis universalis Ecclesiæ.

9. Sacramentum Pœnitentiæ, quantum ad collationem gratiæ sacramentalis, naturæ est, non alicujus institutionis veteris vel novi Testamenti.

Damnatæ ut scandalosæ et hæreticæ.

Propositiones 79 *Michaelis Baii, damnatæ a S. Pio V, bulla* Ex omnibus afflictionibus. 1 *Oct.* 1567; *a Gregorio XIII, bulla* Provisionis nostræ. 29 *Jan.* 1579; *et ab Urbano VIII, bulla* In eminenti. 6 *Mart.* 1641. *Excerpimus sequentes.*

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pœnam æternam.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia.

31. Charitas perfecta et sincera, quæ est ex corde puro et conscientia bona et fide non ficta, tam in catechumenis quam in pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

35. Omne, quod agit peccator vel servus peccati, peccatum est.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas quâ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

46. Ad rationem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæstio est, sed causæ et originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, et quæ homo invitus pati-

tur, sunt prohibita præcepto: *Non concupisces.*

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, et prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto et omnibus circumstantiis rectum est et bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt), vel quia est meritorium regni æterni, eo quod sit a vivo Christo membro per spiritum charitatis, rejicienda est.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa, in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

70. Homo exsistens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem: et charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitatè perfecta et cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis aut martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

Propositiones 45 damnatæ ab Alexandro VII decretis Congregationis Generalis Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis, 24 Sept. 1665, *et* 18 *Mart.* 1666.

Feria V, die 24 Septembris anno 1665.

Sanctissimus Dominus noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones, christianæ disciplinæ relaxativas et animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire, et summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab evangelica simplicitate Sanctorumque Patrum doctrina, et quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens irreptura esset christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus (cujus verba in æternum permanent) arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N., ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa lataque (per quam itur ad perditionem) via pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen etc.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, et Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2. Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3. Sententia asserens bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis et aliorum criminum quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, 18 Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa et tolerata est.

4. Prælati regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitare in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

7. Modus evitandi obligationem denuntiandæ sollicitationis est: si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

8. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

9. Post decretum Urbani potest sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10. Non est contra justitiam, pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, et Sacrificium unum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14. Qui facit Confessionem voluntarie nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17. Est licitum religioso vel clerico calumniatorem gravia crimina de se vel de sua religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit: uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso vel ejus religioni publice et coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licèt interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio a Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens capellaniam collativam aut quodvis aliud beneficium ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi contemptu vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24. Mollities, sodomia, et bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ: ideoque sufficit dicere in Confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27. Si liber sit alicujus junioris et moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse a Sede Apostolica tamquam improbabilem.

28. Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.

Feria V. die 18 Martii anno 1666.

29. In die jejunii, qui sæpius modicum quid comedit, non frangit jejunium.

30. Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare an labor sit compatibilis cum jejunio.

31. Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant.

32. Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.

33. Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

34. In die Palmarum recitans Officium paschale satisfacit præcepto.

35. Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti et crastino.

36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentinum.

37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, et revocatæ a Paulo V, hodie sunt revalidatæ.

38. Mandatum Tridentini factum sa-

cerdoti (sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali) confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39. Illa particula *quamprimum* intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.

40. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, et aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, et alia famula nimis difficile inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejus contumacia cessante, cessant censuræ.

45. Libri prohibiti *donec expurgentur*, possunt retineri usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Omnes damnatæ et prohibitæ ut minimum tamquam scandalosæ.

Propositiones 65, *damnatæ ab Innocentio XI, decreto Congregationis Generalis Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis*, 2 *Mart.* 1679.

Feria V, die 2 Martii 1679.

1. Non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis sacerdotalis aut episcopalis.

2. Probabiliter existimo, judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3. Generatim, dum probabilitate sive intrinseca sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4. Ab infidelitate excusabitur infidelis, non credens ductus opinione minus probabili.

5. An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum charitatis erga Deum.

7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, et non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8. Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini: quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9. Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.

10. Non tenemur proximum diligere actu interno et formali.

11. Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12. Vix in sæcularibus invenies, etiam in regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13. Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, et de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere et desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporale emolumentum.

14. Licitum est absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15. Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato, propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale et secundum se.

17. Satis est actum Fidei semel in vita elicere.

18. Si a potestate publica quis interrogetur, Fidem ingenue confiteri ut Deo et Fidei gloriosum consulo: tacere, ut peccaminosum per se non damno.

19. Voluntas non potest efficere ut assensus Fidei in seipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

20. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

21. Assensus Fidei supernaturalis et utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, imo cum formidine, qua quis formidet ne non sit locutus Deus.

22. Nonnisi Fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23. Fides late dicta, ex testimonio creaturarum similive motivo, ad justificationem sufficit.

24. Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit aut possit damnare hominem.

25. Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis sive gravis.

26. Si quis, vel solus vel coram aliis, sive interrogatus sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine, juret se non fecisse aliquid quod vere fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, revera non mentitur nec est perjurus.

27. Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens et studiosa.

28. Qui mediante commendatione vel munere ad magistratum vel officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis; quia non tenetur fateri crimen occultum.

29. Urgens metus gravis est causa justa sacramentorum administrationem simulandi.

30. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, et post impactam alapam vel ictum fustis fugiat.

31. Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.

32. Non solum licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, et quæ nos possessuros speramus.

33. Licitum est tam hæredi quam legatario, contra injuste impedientem ne vel hæreditas adeatur vel legata solvantur, se taliter defendere; sicut et jus habenti in cathedram vel præbendam, contra earum possessionem injuste impedientem.

34. Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur.

35. Videtur probabile, omnem fœtum (quamdiu in utero est) carere anima rationali, et tunc primum incipere eamdem habere, cum paritur, ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36. Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

37. Famuli et famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

38. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

39. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

40. Contractus mohatra licitus est, etiam respectu ejusdem personæ, et cum contractu retroventionis prævie inito cum intentione lucri.

41. Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit qui non majoris faciat pecuniam præsentem quam futuram: potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.

42. Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum.

43. Quidni nonnisi veniale sit, detrahentis auctoritatem magnam, sibi noxiam, falso crimine elidere?

44. Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam et honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia.

45. Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale est solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46. Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47. Cum dixit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores et ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent; Concilium vel primo videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo locutione minus propria ponit *digniores*, ut excludat indignos, non vero dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48. Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49. Mollities jure naturæ prohibita non est. Unde, si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, et aliquando obligatoria sub mortali.

50. Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeoque sufficit in Confessione dicere se esse fornicatum.

51. Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52. Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53. Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor, simul a diversis celebrantibus audit.

54. Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur; quia major pars trahit ad se minorem.

55. Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56. Frequens Confessio et Communio, etiam in his qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57. Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58. Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59. Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus pœnitentium, qualis verbi gratia potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis aut indulgentiæ.

60. Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere et proponere emendationem.

61. Potest aliquando absolvi qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest et non vult omittere, quin imo directe et ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62. Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.

63. Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali vel temporali nostro vel proximi.

64. Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia mysteriorum Fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini Nostri Jesu Christi.

65. Sufficit illa mysteria semel credidisse.

Omnes damnatæ et prohibitæ, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosæ et in praxi perniciosæ.

Summus Pontifex decretum concludit his verbis: Tandem, ut ab injuriosis contentionibus doctores seu scholastici aut alii quicumque imposterum se abstineant, et ut paci et charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute sanctæ obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis ac manuscriptis, quam in thesibus, disputationibus ac prædicationibus caveant ab omni censura et nota nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede, re cognita, super iisdem propositionibus judicium proferatur.

Alia propositio damnata sub eodem Innoc. XI, an. 1682.

Scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine pœnitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Revocari huc potest decretum Clementis VIII, 26 *Maji* 1594.

Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioris gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.

Quoad Sacramentum Pœnitentiæ sub Clemente VIII, 19 *Jul.* 1602 *proscripta est sequens Propositio.*

Licet per litteras seu internuntium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere.

Propositiones 2 *damnatæ ab Alexandro VIII, decreto* 24 *Aug.* 1690.

1. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative; HINC HOMO NON TENETUR AMARE NEQUE IN PRINCIPIO NEQUE IN DECURSU VITÆ SUÆ MORTALIS. *Declarata et damnata* uti hæretica.

2. Peccatum philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali et rectæ rationi; theologicum vero et mortale est trangressio libera divinæ legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum. *Declarata et damnata* uti scandalosa, temeraria, piarum aurium offensiva, et erronea. *Illam effinxerat pro suo libito Arnaldus, suisque adversariis calumniose de more attribuit.*

Propositiones 31 *damnatæ ab Alexandro VIII, decreto* 7 *Dec.* 1690.

1. In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale et demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, et voluntate Adami peccantis.

2. Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3. Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4. Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus et solis fidelibus.

5. Pagani, judæi, hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam et inermem sine omni gratia sufficienti.

6. Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere: *A gratia sufficienti libera nos, Domine.*

7. Omnis humana actio deliberata, est Dei dilectio vel mundi: si Dei, charitas Patris est: si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala.

8. Necesse est infidelem in omni opere peccare.

9. Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem et disconvenientiam cum natura, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10. Intentio, qua quis detestatur malum et prosequitur bonum mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta nec Deo placens.

11. Omne quod non est ex Fide christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

12. Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam Fides; et etiamsi videatur credere, non est Fides divina, sed humana.

13. Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si ca-

ruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14. Timor gehennæ non est supernaturalis.

15. Attritio, quæ gehennæ et pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus ac supernaturalis.

16. Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit, non politia aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex et præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

17. Per illam praxim mox absolvendi, ordo pœnitentiæ est inversus.

18. Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, et multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abusu.

19. Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali.

20. Confessiones apud Religiosos factæ, pleræque vel sacrilegæ sunt vel invalidæ.

21. Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi et incongrua pœnitentia seu satisfactione, ob quæstum seu lucrum subsidii temporalis.

22. Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

23. Similiter arcendi sunt a sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, et omnis mixtionis expers.

24. Oblatio in templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum et alterum pro peccatis, sufficienter testatur quod indiguerit purificatione, et quod filius (qui offerebatur) etiam macula Matris maculatus esset, secundum verba legis.

25. Dei Patris sedentis simulacrum nefas est christiano in templo collocare.

26. Laus, quæ defertur Mariæ, ut Mariæ, vana est.

27. Valuit aliquando Baptismus sub hac forma collatus: *In nomini Patris*, etc, prætermissis illis: *Ego te baptizo.*

28. Valet Baptismus collatus a ministro, qui omnem ritum externum formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit: *Non intendo facere quod facit Ecclesia.*

29. Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Œcumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

30. Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere et docere, non respiciendo ad ullam Pontificis bullam.

31. Bulla Urbani VIII *In eminenti.* est subreptitia.

Damnatæ et prohibitæ tamquam temerariæ, scandalosæ, male sonantes, injuriosæ, hæresi proximæ, hæresim sapientes, erroneæ, schismaticæ, et hæreticæ respective.

Propositiones 85 *Synodi diœcesanæ Pistoriensis, damnatæ a Pio VI, Constitutione* Auctorem Fidei. 28 *Augusti* 1794. *Excerpimus sequentes.*

DE APPLICATIONE FRUCTUS SACRIFICII. (*de Euch.* § 8).

30. Doctrina Synodi, qua, dum profitetur »credere Sacrificii oblationem ex»tendere se ad omnes, ita tamen ut in »liturgia fieri possit specialis commemo»ratio aliquorum tam vivorum quam »defunctorum, precando Deum peculia»riter pro ipsis," dein continuo subjicit: »Non tamen quod credamus in arbitrio »esse sacerdotis applicare fructus Sacri»ficii cui vult, imo damnamus hunc er»rorem velut magnopere offendentem »jura Dei, qui solus distribuit fructus »Sacrificii cui vult, et secundum men»suram quæ ipsi placet;" unde et consequenter traducit velut »falsam opinio»nem invectam in populum, quod illi, »qui eleemosynam subministrant sacer»doti sub conditione quod celebret unam »Missam, specialem fructum ex ea per»cipiant."

Sic intellecta, ut, præter peculiarem commemorationem et orationem, specialis ipsa oblatio seu applicatio Sacrificii, quæ fit a sacerdote, non magis prosit (cæteris paribus) illis pro quibus applicatur, quam aliis quibusque; quasi nullus specialis fructus proveniret ex speciali applicatione, quam pro determinatis personis aut personarum ordinibus faciendam commendat ac præcipit Ecclesia, speciatim a pastoribus pro suis ovibus, quod velut ex divino præcepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte est expressum; Sess. 23. cap. 1. de reform. Bened. XIV Constit. *Cum semper oblatas.* § 2:

Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem alias damnatum in Wicleffo.

DE PECCATORUM VENIALIUM CONFESSIONE. (*de Pœnit.* § 12).

39. Declaratio Synodi de peccatorum venialium confessione, quam optare se ait non tantopere frequentari, ne nimium contemptibiles reddantur hujusmodi confessiones; — Temeraria, perniciosa, sanctorum ac piorum praxi a sacro Concilio Tridentino probatæ contraria.

DE INDULGENTIIS. (*de Pœnit.* § 16).

40. Propositio asserens »Indulgentiam »secundum suam præcisam notionem »aliud non esse, quam remissionem par»tis ejus pœnitentiæ, quæ per canones »statuta erat peccanti;"

Quasi indulgentia, præter nudam remissionem pœnæ canonicæ, non etiam valeat ad remissionem pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam; — Falsa, temeraria, Christi meritis injuriosa, dudum in art. 19 Lutheri damnata..

41. Item, in eo quod subditur, »scho»lasticos suis subtilitatibus inflatos in»vexisse thesaurum male intellectum »meritorum Christi et Sanctorum, et »claræ notioni absolutionis a pœna ca»nonica substituisse confusam et falsam »applicationis meritorum;"

Quasi thesauri Ecclesiæ, unde Papa dat indulgentias, non sint merita Christi et Sanctorum; — Falsa, temeraria, Christi et Sanctorum meritis injuriosa, dudum in articulo 17 Lutheri damnata. *Ibid.*

42. Item, in eo quod superaddit, »luc»tuosius adhuc esse quod chimærica ista »applicatio transferri volita sit in de»functos;" — Falsa, temeraria, piarum aurium offensiva, in Romanos Pontifices et in praxim et sensum universalis Ecclesiæ injuriosa, inducens in errorem hæreticali nota in Petro de Osma confixum, iterum damnatum in art. 22 Lutheri. *Ibid.*

43. In eo demum quod impudentissime invehitur in tabellas indulgentiarum, altaria privilegiata, etc.; — Temeraria, piarum aurium offensiva, scandalosa, in Summos Pontifices atque in praxim tota Ecclesia frequentatam contumeliosa.

DE RESERVATIONE CASUUM. (*de Pœnit.* § 19).

44. Propositio Synodi asserens, »reser»vationem casuum nunc temporis aliud »non esse, quam improvidum ligamen »pro inferioribus sacerdotibus, et sonum »sensu vacuum pro pœnitentibus assuetis »non admodum curare hanc reservatio»nem;" — Falsa, temeraria, male sonans, perniciosa, Concilio Tridentino contraria, superioris hierarchicæ potestatis læsiva.

45. Item, de spe quam ostendit fore »ut, reformato rituali et ordine Pœni»tentiæ, nullum amplius locum habituræ »sint hujusmodi reservationes."

Prout, attenta generalitate verborum, innuit, per reformationem ritualis et ordinis Pœnitentiæ factam ab Episcopo vel Synodo aboleri posse casus, quos Tridentina Synodus (*sess. 14. c.* 7.), declarat Pontifices Maximos potuisse pro suprema potestate sibi in universa Ecclesia tradita peculiari suo judicio reservare; — Propositio falsa, temeraria, Concilio Tridentino et Summorum Pontificum auctoritati derogans et injuriosa.

DE CENSURIS. (*de Pœnit.* §§ 20, 22).

46. Propositio asserens, »effectum ex»communicationis exteriorem dumtaxat »esse, quia tantummodo natura sua ex»cludit ab exteriore communicatione Ec»clesiæ:"

Quasi excommunicatio non sit pœna spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans; Ex S. August. epist. 250, Auxilio Episcopo. Tract 50, in Jo. n. 12: — Falsa, perniciosa, in art. 23 Lutheri damnata, ad minus erronea. §§ 21, 23.

47. Item, quæ tradit, necessarium esse juxta leges naturales et divinas, ut sive ad excommunicationem sive ad suspensionem præcedere debeat examen personale; atque adeo sententias dictas *ipso facto* non aliam vim habere, nisi seriæ comminationis sine ullo actuali

effectu; — Falsa, temeraria, perniciosa, Ecclesiæ potestati injuriosa, erronea. § 22.

48. Item, quæ pronuntiat »inutilem ac »vanam esse formulam nonnullis ab hinc »sæculis inductam absolvendi generaliter »ab excommunicationibus, in quas fidelis »incidere potuisset;" — Falsa, temeraria, praxi Ecclesiæ injuriosa. § 24.

49. Item, quæ damnat ut nullas et invalidas »suspensiones ex informata »conscientia; — Falsa, perniciosa, in Tridentinum injuriosa. *Ibid.*

50. Item, in eo quod insinuat, soli Episcopo fas non esse uti potestate, quam tamen ei defert Tridentinum (*sess.* 14. *c.* 1. *de reform.*), suspensionis *ex informata conscientia* legitime infligendæ; — Jurisdictionis Prælatorum Ecclesiæ læsiva.

DE ORDINE.

54. Item, quæ velut turpem abusum notat unquam prætendere eleemosynam pro celebrandis Missis et Sacramentis administrandis, sicuti et accipere quemlibet proventum dictum *stolæ*, et generatim quodcumque stipendium et honorarium, quod suffragiorum aut cujuslibet parochialis functionis occasione offertur.

Quasi turpis abusus crimine notandi essent ministri Ecclesiæ, qui secundum receptum et probatum Ecclesiæ morem et institutum utuntur jure promulgato ab Apostolo accipiendi temporalia ab his, quibus spiritualia ministrantur; — Falsa, temeraria, ecclesiastici ac pastoralis juris læsiva, in Ecclesiam ejusque ministros injuriosa.

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO.
(*Libell. memor. circa sponsal.* § 2.)

58. Propositio, quæ statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum præscripto omnino subjacere;

Quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiæ; — Falsa, juris Ecclesiæ quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes læsiva, disciplinæ ab Ecclesia constitutæ derogans.

59. Doctrina Synodi asserens, »ad supremam civilem potestatem dumtaxat »originarie spectare contractui Matrimo»nii apponere impedimenta ejus generis, »quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque »dirimentia: *quod* jus originarium *præ»terea dicitur* cum jure dispensandi »essentialiter connexum; *subjungens*, »supposito assensu vel conniventia prin»cipum, potuisse Ecclesiam juste con»stituere impedimenta dirimentia ipsum »contractum Matrimonii;"

Quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum Matrimoniis jure proprio impedimenta constituere, quæ Matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; — Canonum 3, 4, 9, 12, *sess.* 24, Concilii Tridentini eversiva, hæretica. (*De Matrim.* §§ 7, 11, 12.)

60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, ut »e numero impedimentorum »tollat cognationem spiritualem, atque »illud quod dicitur publicæ honestatis, »quorum origo reperitur in collectione »Justiniani; *tum ut* restringat impedi»mentum affinitatis et cognationis, ex »quacumque licita aut illicita conjunc»tione provenientis, ad quartum gradum »juxta civilem computationem per lineam »lateralem et obliquam; ita tamen, ut »spes nulla relinquatur dispensationis »obtinendæ;"

Quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiæ auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis; — Libertatis ac potestatis Ecclesiæ subversiva, Tridentino contraria, ex hæreticali supra damnato principio profecta.

DE ORDINE PRÆSCRIPTO IN PIIS EXERCITATIONIBUS OBEUNDIS.

65. Propositio enuntians, »irregularem »strepitum novarum institutionum, quæ »dictæ sunt exercitia vel missiones.... »forte nunquam aut saltem perraro eo »pertingere, ut absolutam conversionem »operentur; et exteriores illos commo»tionis actus, qui apparuere, nil aliud »fuisse quam transeuntia naturalis con»cussionis fulgura;" — Temeraria, male sonans, perniciosa, mori pie ac salutariter per Ecclesiam frequentato et in verbo Dei fundato injuriosa.

PRO REFORMATIONE REGULARIUM.

80. Regula I, quæ statuit universe et indiscriminatim, »Statum regularem aut »monasticum natura sua componi non »posse cum animarum cura cumque »vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in »partem venire posse ecclesiasticæ hie»rarchiæ, quin ex adverso pugnet cum »ipsiusmet vitæ monasticæ principiis;" — Falsa, perniciosa, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa, pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori Summorumque Pontificum sanctionibus contraria: »Quasi monachi, quos morum gravitas »et vitæ ac Fidei institutio sancta com»mendat," non rite, nec modo sine Religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ *clericorum officiis aggregentur.*

Ex S. Siricio epist. decret. ad Himerium Tarracon. c. 13.

Propositiones damnatæ a Pio IX Encyclica Quanta cura. 8 *Dec.* 1864, *per* Syllabum, *qui complectitur nostræ ætatis errores jam notatos in Allocutionibus consistorialibus, in Encyclicis, aliisque ejusdem Pontificis Litteris. Excerpimus sequentes.*

30. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas a jure civili ortum habuit. Litt. Apost. *Multiplices inter.* 18 Junii 1851.

32. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua Clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in societate ad formam liberioris regiminis constituta. Epist. ad Episc. Montisregal. *Singularis nobisque.* 29 Sept. 1864.

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum. Alloc. *In Consistoriali.* 1 Novembris 1850. Alloc. *Quibus luctuosissimis.* 5 Septembris 1851.

46. Imo in ipsis Clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur. Alloc. *Nunquam fore.* 15 Decembris 1856.

47. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate moderatrice, vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur ad imperantium placita et ad communium ætati opinionum amussim. Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine.* 14 Julii 1864.

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primario spectet. Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine.* 14 Julii 1864.

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet. Epist. Encycl. *Qui pluribus.* 9 Nov. 1846. Alloc. *Quisque vestrum.* 2 Oct. 1847. Encycl. *Noscitis et Nobiscum.* 8 Dec. 1849. Litt. Apost. *Cum catholica.* 26 Mart. 1860.

66. Matrimonii Sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ.* 22 Aug. 1851.

67. Jure naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ.* 22 Aug. 1851. Alloc. *Acerbissimum.* 27 Sept. 1852.

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi; sed ea potestas civili aucto-

ritati competit, a qua impedimenta exsistentia tollenda sunt. Litt. Apost. *Multiplices inter*. 10 Junii 1851.

69. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*. 22 Aug. 1851.

70. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*. 22 Aug. 1851.

71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*. 22 Aug. 1851.

72. Bonifacius VIII votum castitatis in Ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*. 22 Aug. 1851.

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est aut contractum matrimonii inter christianos semper esse Sacramentum, aut nullum esse contractum, si Sacramentum excludatur. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*. 22 Aug. 1851. Lettera di Pio IX al Re di Sardegna. 9 Sept. 1852. Alloc. *Acerbissimum*. 27 Sept. 1852. Alloc. *Multis gravibusque*. 17 Dec. 1860.

74. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. Litt. Apost. *Ad Apostolicæ*. 22 Augusti 1851. Alloc. *Acerbissimum*. 27 Sept. 1852.

NB. Huc facere possunt duo alii errores de Clericorum cœlibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus*. 9 Nov. 1846; posterior in Litt. Apost. *Multiplices inter*. 10 Junii 1851.

77. Ætate hac nostra non amplius expedit, Religionem Catholicam haberi tanquam unicam Status religionem, cæteris quibuscumque cultibus exclusis. Alloc. *Nemo vestrum*. 26 Julii 1855.

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere. Alloc. *Acerbissimum*. 27 Septembris 1852.

79. Enimvero falsum est, civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos ac indifferentismi pestem propagandam. Alloc. *Nunquam fore*. 15 Decembris 1856.

Index alphabeticus.

RERUM NOTABILIUM.

Numeris romanis indicatur liber, arabicis numerus marginalis.

A.

Abortus. Ejus procuratio. I. 9. III. 189. — Pœnæ contra procurantes. 192. VII. 109.
Absolutio. A PECCATIS. Quibus danda vel neganda. VI. 280. — Sub conditione. 216. 217. — An dari possit ignaro in doctrinâ christianâ. II. 4. — Absolutio moribundorum. VI. 196. 223. — Pœnitentis absentis. 197. 215. qu. 5. 6. — Puerorum, semifatuorum, sponsorum. 217. sub 6°. — An danda sit obligato ad restitutionem antequam restituerit. 281. — Volenti sequi opinionem contrariam opinioni Confessarii. 281.— Absolutio occasionariorum et recidivorum. 305. seqq. 312. — Ordinandi habituati in vitio turpi. 314. qu. 10. — Absolventes complicem suum excommunicantur. 249. 250. Absolutio a CENSURIS. VII. 24. seqq. — An in foro conscientiæ dari possit extra Confessionem. 32. qu. 4. 29. — Illegitime absolventes ab excommunicationibus speciali modo Papæ reservatis excommunicantur. 104.
Abstinentia. Diebus jejunii. IV. 6. 7. — Aliis diebus. 29. 30.
Accessio. III. 267. 268.
Actiones. An liceat Clericis eas emere. V. 70.
Actus humanus. I. 1—40.
Adjuratio. III. 80.
Adoptio. Est impedimentum matrimonii. VI. 576. seqq.
Adulteratio. Mercium. III. 476. qu. 9. V. 126. — Instrumentorum. III. 341. 342.
Adulterium. Ut peccatum. III. 213. — Ut causa restitutionis faciendæ. 374. seqq. — Ut causa negandi debitum conjugale. VI. 510. — Ut causa divortii. 524. seqq. — Ut impedimentum matrimonii. 597. seqq.
Advocati. Eorum officia. V. 109. seqq. — An possint contra Clericum causam dicere. 111. qu. 5. — Quid in causa divortii. VI. 522. 528. qu. 2.
Ædificatio. Ex re aliena vel in alieno fundo. III. 268. — Templi hæreticorum etc. II. 84.
Æquiprobabilismus. I. 79. et seqq.
Ætas. Requisita ad Ordines. VI. 400. — Defectus ejus irregularitas est. VII. 163.— Quando dirimat matrimonium. VI. 557.
Æther. Ejus usus in operatione chirurgicâ. I. 254.
Affinitas. Prohibens usum matrimonii. VI. 503. 504. — Dirimens matrimonium. 579. seqq.
Altare. VI. 136. seqq. Quomodo exsecretur. 137. — Altare privilegiatum. VII. 194. seqq.
Animatio fœtûs. III. 192.
Antichresis. III. 521. qu. 2.
Apostasia a fide. V. **Hæresis et Hæreticus.**
Approbatio. Doctrinæ S. Alphonsi. I. 98. 99. — Confessariorum. VI. 224. seqq. — Obligatio Episcopi. V. 99.
Architecti. An possint ædificare synagogas, hæreticorum templa, theatra. II. 84. — Eorum obligationes justitiæ. III. 503. seqq.
Arrha. In emptione-venditione. III. 482. — In sponsalibus. VI. 431.
Assecuratio. III. 516. — Quomodo societati restituendum. 358. qu. 4.
Assistentia. Ritibus hæreticorum. II. 8. qu. 7. — Sepulturæ civili. Ibid. qu. 8.— Parochi in matrimonio. VI. 471. 615. seqq.
Attritio. Extra Sacramentum non justificat. VI. 165. — In Sacramento Pœnitentiæ sufficit. 176. seqq.
Auctores. Eorum dominium. III. 257.
Auriga. An liceat vehere concubinum vel concubinam. II. 76. 80. qu. 2.—Ad lupanar. 84. qu. 4. — Pretium vecturæ. III. 505. qu. 2.
Avaritia. I. 247.

B.

Baptismus. VI. 29. seqq. — Obligationes Parochi. V. 78. — Baptismus obstetricis aut hæreticorum an iterandus. VI. 36. qu. 7. 8. — Illicite rebaptizans incurrit irregularitatem. VII. 169.
Bellum. III. 197. et seqq.
Benedictio. Matrimonii. VI. 474. — Sacrorum paramentorum. 148. — Apostolica in articulo mortis. VII. 205. seqq.
Beneficium ecclesiasticum. Est materia simoniæ. III. 52. 53. — Secum fert obligationem impendendi reditus superfluos in usus pios. 253. seqq. — An conferens illud minus digno teneatur ad restitutionem. 305. qu. 5. — Item impediens aliquem ab ejus consecutione. 342. 343.

Bestialitas. III. 225. 226.
Biblia sacra. Ea imprimentes aut imprimi facientes sine approbatione Ordinarii excommunicantur. VII. 115.
Binatio. Quando liceat. VI. 128. — An liceat pro ea stipendium accipere. 123. qu. 7.
Blasphemia. III. 64.
Bona ecclesiastica. Quomodo impendi debeant. III. 253. seqq. — Ea diripientes sacrilegium committunt. 46. — Excommunicationem incurrunt. 48. VII. 86. — Illegitime ea alienantes et recipientes etiam excommunicantur. 113.
Bonum. Intrinsece vel extrinsece. I. 34. — Bona derelicta, amissa, vacantia. III. 264. seqq.

C.

Cæremoniæ. V. **Ritus**.
Cæremoniale Episcoporum. Ejus obligatio. VI. 154.
Calix. V. **Vasa sacra**.
Calumnia. Ejus malitia. III. 531. 535. — Ejus reparatio. 540.
Cambium. III. 497. 498.
Castitas. III. 236. — Ejus votum reservatum. 105. seqq. V. **Votum**. — Castitas Religiosorum. V. 22. seqq. — Confessario necessaria. VI. 270.
Cauponæ. Earum pericula. VI. 345. 346. — A Clericis vitandæ. V. 65.
Caupones. Eorum cooperatio ad peccata hospitum. II. 81. VI. 330. qu. 3. 345.
Causa. Quotuplex in ordine ad effectum. I. 7. — In ordine ad dispensationem. 188. VI. 625.
Censuræ. In genere. VII. 1. seqq. — In particulari. 75. seqq. — Clerici eam violantes incurrunt irregularitatem. 172. 61. 62.
Census. III. 493. seqq.
Certitudo. Quotuplex. I. 54. — Qualis requiratur ad licite agendum. 55. — Ad licite absolvendos pœnitentes. VI. 279.
Cessatio a divinis. VII. 140. 141.
Cessio bonorum. Cui tunc solvendum sit. III. 346. qu. 3. — An excuset a restitutione. 363. seqq.
Charitas. II. 29—87. — Confessario necessaria. VI. 270.
Chloroforma. Ejus usus in operatione chirurgicâ. I. 254. — In partu. 254.
Choreæ. VI. 322. et seqq. — Scenicæ. 326. qu. 2.
Circumstantiæ. Actûs humani. I. 35. 36. — Peccatorum. VI. 192.
Clandestinitas. Matrimonium clandestinum, ubi invalidum est, an habeat vim sponsalium. VI. 426. qu. 4. — Semper et ubique est illicitum. 471. 606. — Ubi dirimat matrimonium. 606. seqq. — Declaratio Benedicti XIV. 610 seqq. — Probatio matrimonii clandestini, ubi valet. 621. — Nemo gantes rata esse matrimonia clandestina, secluso decreto irritante Ecclesiæ, excommunicantur. VII. 116.
Clausura. Religiosorum. V. 24. — Monialium. 25. — Pœnæ eam violantium. 26. VII. 94. 95.
Clerici. An teneantur legibus civilibus. I. 164. — Eorum dominium. III. 252. seqq. Eorum obligationes. V. 31. seqq. — Ipsis prohibita. 62. seqq. — Eorum privilegia. VI. 371. — Cælibatus. 414. — Percussores eorum excommunicantur, et notorii vitandi sunt. VII. 80. 90. 47.
Codicillus. III. 425.
Cœmeterium. Benedictum est locus sacer. III. 43. — Quando polluatur. 44. VI. 135.
Cognatio. Est impedimentum matrimonii. VI. 564. seqq.
Collatio bonorum. III. 435. 436.
Colloquia. Cum Monialibus claustratis prohibita. V. 25. sub 3°.
Comitia legislativa. Obligatio Electorum et Deputatorum. III. 179. — Obligatio restitutionis. 325. 338.
Commodatum. III. 437. et seqq.
Communicatio. Cum hæreticis et infidelibus. II. 19. — Cum excommunicato in crimine criminoso. VII. 102. — Cum censuratis vitandis. 47. seqq.
Communio. Paschalis. I. 160. IV. 33. seqq. — Frequens. VI. 92. seqq. — Viaticum. V. **Viaticum**. — An peccatum veniale obstet Communioni. VI. 98. qu. 14. 15. — An pollutio nocturna aut copula conjugalis. 101.
Commutatio. Votorum. III. 109. seqq. — Piarum dispositionum. 424.
Compensatio occulta. III. 298.
Complex. Non manifestandus a pœnitente in Confessione. VI. 196. qu. 10. 11. — Non inquirendus a Confessario. 247. 248. — Proprius non absolvendus. 249. 250.
Concio. An audienda. III. 115. — Concionibus hæreticorum interesse an liceat. II. 8. qu. 7.
Conclusio theologica. Qui eam negat. II. 17.
Concubinatus. Notio. III. 208. — Pœnæ. 209. — Remedia. VI. 315. seqq. — Absolutio concubinorum. 318. seqq.
Concupiscentia. I. 22. 23.
Conditio. In contractibus. III. 397. 398. — In sponsalibus. VI. 425. sub 6°. — In Sacramentis. VI. 8. sub V. 15. — In Sacramento Pœnitentiæ. 216. 217. 196. — In Matrimonio. 449. qu. 5. 6.
Condonatio. Restitutionis. III. 359. 360.
Conductio-locatio. III. 499. et seqq.
Confessarius. VI. 221. seqq. — Quid agere debeat dubius vel conscius de reticentia pœnitentis. 278. — Quid in casu matrimonii secreto celebrandi vel convalidandi. 470. — Circa usum matrimonii. 515.
Confessio. Annua. IV. 31. 32. — Ut est materia Sacramenti Ponitentiæ. VI. 183. seqq. — An hæreticus conversus teneatur ad integram confessionem. 187. — An liceat confiteri per litteras Confessario absenti. 197. — Si repetantur confessiones, an distinguenda sint peccata nova ab antiquis. 200. — An obliget ante matrimonium. 457. 458. — Negantes necessitatem Confessionis ante Communionem pro iis, quos conscientia peccati mortalis gravat, excommunicantur. VII. 116.
Confirmatio. VI. 54. seqq. — Obligatio Episcopi. V. 93.
Congregatio SS. Redemptoris. An sit Ordo Religiosus. V. 2. — Quid de aliis Congregationibus. Ibid.
Congregationes Romanæ. Earum declarationes an vim legis habeant. I. 173.
Conjuges. Eorum obligationes. III. 163. — Potestas irritandi vota. 99. 101. — Furta. 292. 294. — Cohabitatio. VI. 516.
Conscientia. I. 41—121. — Examen conscientiæ quale requiratur ante Confessionem. VI. 185. 186.
Conscriptio militaris. III. 379. seqq.
Consuetudo. I. 197. seqq.
Consortia. Prava. VI. 332.
Contractus. III. 381. et seqq. — De re turpi. 386. — De re aliunde debitâ. 386.
Contritio. Justificat peccatores. VI. 165. 166. — An obliget in mortis articulo. 168. qu. 3. — Qualis requiratur in Sacramento Pœnitentiæ. 176. seqq.
Contumelia. III. 549. 550.
Convictores. Alumni in domibus Regularium cuinam possint confiteri. VI. 232.
Cooperatio. Ad peccatum alterius. II. 76. seqq. — Ad damnum. III. 318. seqq. — Excommunicantur cooperantes ad appellandum ad futurum Concilium, VII. 79; ad persequendos Prælatos Ecclesiæ, 80; ad impediendam jurisdictionem ecclesiasticam, 81; ad invadenda vel detinenda bona Ecclesiæ Romanæ, 87; ad intrudendum Episcopum, 88; ad duellum, 91; ad extrahendas Reliquias e Catacumbis, 101; cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, 102; ad utendum Litteris Apostolicis falsis, 110; ad rapiendam mulierem matrimonii causâ, 117; ad cogendam mulierem ad ingrediendum monasterium, 119. — Quid, si effectus non sit secutus, vel mandatum, consilium etc. revocatum fuerit. 13. sub 4°. 14.
Copula. An actus immediate sequentes sint distinctum peccatum. I. 227. — Ejus delectatio in sponsis et viduis. 243. — Ejus desiderium in sponsis. 243. — Quid ad eam requiratur. VI. 558. 563. 497. qu. 5.
Correptio fraterna. II. 51. — Filiorum a parentibus. III. 161. — Famulorum a dominis. 167. — Discipulorum a magistris. 172. — Subditorum a Pastoribus. 174. V. 85. 101. 102. II. 52. sub IV. — Pœnitentium a Confessariis. VI. 274.
Corporalia. V. **Lintea sacra**.
Credita. Quanti vendi possint. III. 476. qu. 7.
Crimen. Publicum. III. 535. 537. — Impedimentum matrimonii. VI. 596. seqq. — Crimina, quibus infamia adnexa est. VII. 146.
Cubatio. Condormire in eodem lecto. III. 161. 168. 224. sub 6°. VI. 350.
Culpa juridica. Notio. III. 300. — An damnificatio ex tali culpa obliget ad restitutionem. 315. seqq.
Custodes. Non impedientes damna. III. 331—334.

D.

Damnificatio injusta. Notio III. 300. — Restitutio ob damnificationem. 315. seqq. — Quid, si damnificatus ignoretur. 346. qu. 4.
Debitor. An præscribere possit. III. 278. — Quid in dubio an solverit. 314. qu. 5. — Quid, si creditorem invenire nequeat. 345. sub III. — Quid, si omnibus solvere nequeat. 347. seqq. — Circumstantiæ solutionis. 350. seqq. — Quid, si bonis cedat. 363. seqq. 361. sub e).
Debitum conjugale. VI. 479. et seqq. — Ante Communionem. 484. 101.
Defensores. Excommunicantur defensores hæreticorum, VII. 76; librorum prohibitorum, 78; propositionis damnatæ, 89; praxis inquirendi a pœnitente nomen complicis, 89; non-obligationis Confessionis ante Communionem, 116.
Degradatio. VII. 144.
Delectatio morosa. Quando sit peccatum. I. 242. — Quam speciem induat. 243. — De variis objectis. 243. — Venerea. III. 203.
Delegatus. An possit subdelegare. I. 180.
Denuntiatio. Criminum. V. 112. II. 53. sub 7°. — Confessarii exquirentis nomen complicis. VI. 248. qu. 2. — Confessarii sollicitantis. 256. seqq. — Denuntiationes matrimonii. 459. seqq. — Denuntiatio censuræ. VII. 10.
Depositio. VII. 143.
Depositum. III. 441.
Deputati. Ad Comitia legislativa. III. 179. — Quando contrahant obligationem restitutionis. 325. 338.
Desiderium. Malum quale peccatum. I. 239. — Plura mala alicui optare an multiplex peccatum. 227.
Desperatio. II. 23. et seqq.
Detractio. Coram pluribus unum peccatum. I. 227. — In pluribus materiis quotuplex peccatum. 227. — Ejus malitia. III. 530. seqq. — Restitutio famæ. 540. seqq.
Diaria. An prava legi possint. VI. 330. — An exponi. Ibid.
Dilatio. Voti implendi. III. 91. — Restitu-

tionis. 350. 351. — Pœnitentiæ. VI. 168. — Celebrationis Missæ ex stipendio. 124. — Sacramentalis satisfactionis. 211. qu. 4.
Disparitas cultus. Est impedimentum matrimonii. VI. 589. 590.
Dispensatio. Legis humanæ. I. 176. seqq. — Legis divinæ. 183. — Juramenti. III. 78. — Voti. 102. seqq. — Operum servilium in festo. 120. — Jejunii. IV. 16. 25. seqq. — Divini Officii. V. 61. — Sponsalium. VI. 442 qu. 3. 541. — Denuntiationum matrimonii. 469. — Matrimonii rati. 521. — Impedimentorum matrimonii. 622. seqq.
Discipuli. Eorum obligationes III. 173.
Disputatio. Cum hæreticis. II. 8.
Divinatio. III. 10. et seqq.
Divortium. VI. A vinculo. 518. seqq. — A cohabitatione. 523. seqq. — Monita practica. 537. — Separatio tori ex mutuo consensu. 516.
Divortium civile. VI. A vinculo. 522. — A cohabitatione. 528.
Doctrina Christiana. Cognoscenda ab omnibus. II. 3. seqq. — Imprimis a sponsis et parentibus. VI. 457. — Tradenda a parentibus. III. 159. — A Parocho. V. 84.
Dolus. In contractibus. III. 389. seqq.
Domicilium. I. 165. VI. 615.
Domini. Eorum obligationes. III. 167. 504. 505.
Dominium. III. 241. 243. seqq.
Donatio. III. 405. seqq. — An excuset a restitutione. 358. 360. — An possit accipi ab obærato. 407.
Dubium. I. 56. seqq. — De gravitate peccati. 231. — Dubitatio in fide. II. 17. — De gravitate furti. III. 305. — De solutione debiti. 314. qu. 5. — De damnificatione. 317. qu. 10. 11. 337. — De valore Sacramenti. VI. 15. — Baptismi. 36. qu. 7. 8. — Peccata dubia an confitenda. 193. — Dubium de valore matrimonii an impediat ejus usum. 505. 506.
Duellum. Ejus malitia. III. 193. — Pœnæ. 196.

E.

Ebrietas. I. 253. et seqq.
Ecclesia. Quando exsecretur, et polluatur. VI. 135. — Quomodo reconcilietur. Ibid. — Visitatio ecclesiæ pro indulgentiis. VII. 188. 216. 218.
Effectus. Quando imputentur ponenti causam. I. 8. 10. — An effectus pravus, voluntarius in causâ, sit in se peccatum. 10.
Electio. Statûs vitæ. III. 153. — Deputatorum ad Comitia legislativa. 179. — Parochorum et Confessariorum ab Episcopo. V. 98. 99.
Eleemosyna. II. 47. et seqq.
Embryotomia. III. 192.
Emptio-venditio. III. 469. et seqq.
Episcopus. Ejus potestas legislativa. I. 131. — Dispensandi in legibus. 182. seqq. — In juramentis. III. 78. — In votis. 102. seqq. — In operibus prohibitis. 120. — In jejunio. IV. 16. — In cibis vetitis. 25. — In denuntiationibus matrimonii. VI. 469. — In impedimentis matrimonii prohibentibus. 539. 542. — In impedimentis dirimentibus. 622. seqq. — In irregularitatibus. VII. 158. — Potestas quoad SS. Reliquias. III. 3. — Quoad Oratoria. VI. 133. 134. — Quoad pias dispositiones. III. 424. — Quoad Missarum stipendia. VI. 122. 123. — Potestas reservandi casus. 239. — Ferendi censuras. VII. 4. seqq. — Absolvendi a censuris. 26. seqq. 107. seqq. 129. 130. 132. 136. — Concedendi indulgentias. VII. 176. — Obligationes. II. 42. 52. sub IV. et VI.; item III. 174.; V. 88. seqq. — Ad quid teneatur quoad puellas Religionem ingressuras. V. 9. — Quoad monasteria Monialium. 91. 104. — Quoad matrimonia mixta. VI. 545. — Quas pœnas incurrat male conferens Ordines. 415.
Error. Vincibilis et invincibilis. I. 25. — Vincibilis in fide an sit hæresis II. 17. — In damnificatione. III. 317. qu. 8. — In contractibus. 389. seqq. — In divino Officio. V. 46. qu. 2. — In jurisdictione. VI. 226. qu. 3. — In officiis Confessarii. 282. seqq. — Dirimens matrimonium. 550. 551.
Eucharistia. Ut SACRAMENTUM. VI. 64. seqq. — Consecratio unius materiæ sine altera an valeat. 66. — Panis fermentati an unquam liceat Latino. 69. — Quid agendum, si Sacerdos aquam pro vino consecravit. 72. qu. 4. An valeat Consecratio extra corporale, vel guttarum vini dispersarum. 75. — An liceat consecrare hostias allatas sub Canone. 75. — An maneat Christus post admixtionem vini non consecrati. 79. — Consecratio facta a pluribus Sacerdotibus. 81. Quid agendum de fragmentis hostiæ repertis, vel hostia integra. 88. qu. 5. 6. — Quid, si infirmus Eucharistiam evomat. 88. qu. 7. — V. **Communio. Viaticum.**
Ut SACRIFICIUM. V. **Missa.**
Evictio. Rei venditæ. III. 307. sub 3°. 309. qu. 2. 477. sub III.
Examen. Conscientiæ ante Confessionem. VI. 185. 186. — Obstetricum. 36. qu. 7. — Confessariorum. V. 99. VI. 224. 231. — Ordinandorum. 389. 390. V. 94. — Sponsorum. 457. 461.
Excommunicatio. In genere. VII. 35. seqq. — In particulari. 76. seqq.
Exhæredatio. III. 432.
Exsecratio. Ecclesiæ VI. 135. — Altaris. 137. — Calicis. 141. — Sacrarum vestium. 151.
Extrema-Unctio. VI. 352. seqq. V. 81.

F.

Fama. Quid sit. III. 530. — Ejus læsio. 531. — Ejus defensio. 185. sub IV. 537.

qu. 5. seqq. — Ejus privatio. VII. 145. seqq. — Ejus defectus irregularitatem inducit. 165.
Famulatus. VI. 347. seqq.
Famuli. Eorum obligationes. III. 169. 504. — Furta. 293. 294. — Non impedientes furta 171. — Compensatio occulta. 299. — Cooperatio ad peccatum domini. II. 80. — Ægrotantes. III. 168. 504. — In qua Parochia matrimonium contrahere valeant. VI. 616.
Fautores. Hæreticorum excommunicantur. VII. 76. V. **Cooperatio.**
Festa. Eorum catalogus. V. 1. 2. — Eorum sanctificatio. III. 113. — Festa, in quibus Missa pro populo applicanda est. V. 1. — In quibus non licet Missam celebrare in oratoriis privatis. VI. 134. qu. 4.
Fictio. In juramento promissorio. III. 72. 75. — In contractibus. 388. — In promissione matrimonii. 373. VI. 425. — In Sacramentis. 21. — In matrimonio. 449. qu. 4.
Fideicommissum. III. 427. 433. qu. 3.
Fidejussio. III. 517.
Fides. Theologica. II. 1. seqq. — Conjugalis. III. 163. VI. 476.
Filii. Eorum obligationes. III. 147. seqq. — Quoad electionem statûs, vel vitæ professionis. 153. — Eorum dominium. 246. 247. — Eorum furta. 290. 294. — Jus successionis. 430. seqq. — Negantes rata esse eorum matrimonia sine consensu parentum excommunicantur. VII. 116.
Finis. In actu humano. I. 38. 39. — Fines matrimonii. VI. 447.
Fiscus. Ejus defraudatio. III. 343. qu. 3. 377. seqq. — Quomodo ei restituendum. 358.
Fornicatio. III. 207. — An ejus malitia ignorari possit. 226. — Sponsi cum aliis an sit injustitia. VI. 429. — An sit causa solvendi sponsalia. 438.
Fundatio Missarum. VI. 119. seqq.
Furtum. III. 285. — Reliquiarum. 47. — In ecclesia. 45.
Fraus. Refertur ad furtum. III. 285. — In commercio. 345. sub 3°.
Fructus. Quotuplices. III. 307. — Quando restituendi ab injusto possessore. 308. seqq. — Fructus Missæ. VI. 110. seqq.

G.

Gaudium. De opere malo. I. 236. 240. qu. 2. 243. — De detractione. III. 538.
Gestio negotiorum. III. 446. 447.
Gula. I. 249.

H.

Habitus. Ejus effectus. I. 28. — Habitus Religiosus. V. 30. — Clericalis. 36. — Habitus peccati. VI. 310. seqq.
Hæredes. III. 418. seqq. 430. 432. seqq.
Hæreditas, Ejus aditio aut repudiatio. III. 420. 421. — Ejus divisio. 434.
Hæresis. II. 14. — An sit hæresis error vincibilis, dubitatio de fide, negatio conclusionis theologicæ. 17. — Quantum peccet adhærens propositioni damnatæ. 17.
Hæretici. An teneantur legibus Ecclesiæ. I. 163. — Quando teneantur fidem Catholicam amplecti. II. 5. — An liceat eorum ritibus assistere. 8. — Cum eis disputare. 8. — Qui sint hæretici. 14. seqq. — Pœnæ hæreticorum. 17. VII. 76. 173. — An conversi teneantur ad Confessionem generalem. VI. 187. — An sint rebaptizandi. 36. qu. 8. — Quid de eorum matrimoniis. 452.
Hypotheca. III. 518. seqq.
Homicidium. III. 180. seqq. — Restitutio ob homicidium. 367. seqq. — Irregularitas. VII. 167. 168.
Honestas publica. Ut est impedimentum matrimonii. VI. 586. seqq.
Honor. Quid sit. III. 530. — Ejus læsio. 549. 550. — Ejus defensio. 185. sub IV.

I.

Idololatria. III. 9.
Ignorantia. I. 24—26. — An excuset a lege et a pœna. 157. 158. — An detur ignorantia invincibilis in lege naturali. 158. — In obligationibus statûs vel officii. 158. — Circa peccata interna. 238. — n fide. II. 4. — In materia luxuriæ. III. 226. — An excuset a censura. VII. 20.
Illegitimi. Filii qui sint. III. 246. — Quomodo legitimentur. Ibid. V. **Legitimatio.** — Quæ eorum hæreditas. 430. 431. — Sunt irregulares. VII. 162.
Imagines. Obscœnæ. II. 71. — Sacræ. III. 3.
Impedimenta matrimonii. Quando Confessarius debeat pœnitentem hac de re monere. VI. 273. — Quæ sint solum impedientia. 539. seqq. — Dirimentia. 546. seqq. — Publica vel occulta. 630. — Quid, si impedimentum dubium sit. 549. 623. — Impedimentorum dispensatio. 622. seqq. — Facultates Episcoporum. 622. seqq.
Impediti. Quominus adeant S. Pontificem an possint absolvi a censuris Papæ reservatis. VII. 27. 29. qu. 3. 4.
Impeditio boni alieni. III. 341—343.
Impotentia. Excusat a lege. I. 159. — A Missâ. III. 142. — A jejunio. IV. 17. seqq. 28. — A Divino Officio. V. 57. seqq. — Impedit usum matrimonii. VI. 499. 500. — Dirimit matrimonium. 558.
Impressio. Pravorum librorum an liceat ad eam cooperari. II. 83. — Imprimentes libros prohibitos excommunicantur. VII. 77
Incestus. III. 214. — An exprimendus in libello supplici pro dispensatione impedimenti matrimonii. VI. 632.
Indulgentiæ. In genere. VII. 174. seqq. — In particulari. 194. seqq. — De approbatione. Ordinarii. 178. 180.
Infamia. VII. 145. seqq. 165.

Infidelitas. II. 10.
Infideles. An possint opera bona facere. II. 13. — An tolerari eorum ritus. Ibid. — Quid de filiorum infidelium Baptismo. VI. 46. — Quid de infidelium matrimoniis. 548. 452. 454. 456. 519.
Infirmus. Excusatur a Missa. III. 142. 146. — Habens oratorium an teneatur præcepto Missæ. I. 211. — Excusatur a jejunio. IV. 17. — Ab abstinentia. 28. — Ab Officio divino. V. 58. 59. — Quando a jejunio ante Communionem. VI. 105. 106.
Intentio. Quotuplex. VI. 8. — Pro actuum moralitate. I. 31. 39. — Pro lege implenda. 152. seqq. — In Sacramentis conficiendis. VI. 8. — In iisdem suscipiendis. 25. — Pro Missa applicanda. 113. 114. — Ad indulgentias lucrandas. VII. 183.
Interdictum. In genere. VII. 64. seqq. — Ab ingressu ecclesiæ. 70. — Interdicta in particulari. 135. seqq.
Interpretatio. Legis. I. 169. seqq. — Dispensationis. 178. — Facultatis dispensandi. 180. — Privilegii. 209. 210. — Juramenti promissorii. III. 76. — Voluntatis testatoris. 423. 424. 428.
Intrusus. Quomodo fideles se gerere debeant erga Episcopum aut Parochum intrusum. VI. 27. qu. 3. — Intrusum regimen diœcesis vacantis concedentes, vel suscipientes, vel intrusioni cooperantes, excommunicantur; Episcopi vero suspensionem et interdictum ab ingressu ecclesiæ incurrunt. VII. 88. 134. 139.
Inventarium. Jus ejus et effectus. III. 420. — Quid, si omissum fuerit. 421.
Inventor. Novi operis, quoad dominium ejus. III. 257. — Thesauri vel rei perditæ. 265. 266.
Involuntarium. I. 14. seqq.
Irregularitates. VII. 151. et seqq.
Irritatio. Juramenti. III. 78. — Voti. 95.
Iteratio Sacramenti. Quando licita sit vel debita. VI. 15. — Baptismi. 36. qu. 7. 8. — Confessionis. 202. 203. 217. sub 1°. — Extremæ Unctionis. 368. — Ordinationis. 383. qu. 6.

J.

Jejunium. Ecclesiasticum. IV. 3. seqq. — Naturale ante Communionem. VI. 102. seqq.
Jubilæum. VII. 213. et seqq.
Judices. Eorum officia. V. 105. seqq. — An possint Clericum in judicium vocare. 107. qu. 7. — Divortium pronuntiare. VI. 522. 528.
Judicium temerarium. III. 546. et seqq.
Juramentum. III. 68. seqq. — Constitutioni politicæ. 72. — In societatibus occultis. 71.
Jura stolæ. III. 255.
Jurisdictio. Pro administratione Sacramentorum. VI. 10. — Pro Sacramento Pœnitentiæ. 221. seqq.
Jus et justitia. III. 240—242.

L.

Læsio. In contractibus. III. 395. — Portionis legitimæ. 409. — Justi pretii. 475. sub 4°.
Legatum. III. 415. 426. 428.
Legitimatio. Filii illegitimi quomodo fiat. III. 246. VI. 632. 653. 654. VII. 162. sub 2°.
Lex. I. 122. seqq. — Legis commissoriæ pactum. III. 461. 521. qu. 2.
Libellus famosus. III. 541. qu. 4.
Libellus supplex. Pro dispensatione in impedimentis matrimonii. VI. 629. seqq.
Libertas. I. 11. — Qui violant libertatem matrimonii. VII. 118. — Item libertatem mulieris circa ingressum monasterii. 119.
Libri. Narrantes miracula etc. servorum Dei. III. 3. — Prohibiti an legi possint, cessante periculo. I. 195. — Cooperatio ad pravos libros. II. 83. — Pravorum librorum pericula. II. 73. III. 234. VI. 328. seqq. — Officia Confessarii. 331. — Excommunicatio legentium, retinentium, imprimentium, et defendentium libros prohibitos. VII. 77. — Qui libros Scripturæ sacræ, vel de eâ tractantes, sine Ordinarii approbatione imprimunt aut imprimi faciunt, excommunicationem incurrunt. 115.
Licentia. Non est dispensatio. I. 176. — An præsumi possit. 175. — An cesset morte vel amotione Superioris. 191. — Requisita pro Religiosis. V. 16. seqq.
Ligamen. Ut est impedimentum matrimonii. VI. 593. seqq. — Quomodo obitus conjugis absentis probetur. 595.
Lintea sacra. VI. 144. seqq. — A quibus lavanda sint. 146.
Litaniæ. Recitandæ in festo S. Marci et in triduo Rogationum. V. 41. 42. 48. qu. 3.
Locatio-conductio. III. 499. et seqq.
Locus. Qualis sacer. III. 43. — Ad Missam audiendam. 139. — Ad Missam celebrandam. VI. 133. seqq.
Ludus. Contractus. III. 511. seqq. — Ludi Clericis prohibiti. V. 62. 63.
Luxuria. I. 248. III. 203. seqq.

M.

Magia. III. 18. et seqq.
Magistri. Eorum obligationes. III. 172.
Magnetismus animalis. III. 22. et seqq.
Majorennes. Qui sint. III. 246. 151.
Maledictio. Quando sit peccatum grave. I. 257. — Quando blasphemia. III. 67.
Maleficium. III. 18. et seqq.
Malum. Intrinsece vel extrinsece. I. 34.
Mandans. Cooperator ad damnum. III. 320. 321. — Excommunicantur mandantes persequi Prælatos Ecclesiæ, VII. 80; percussionem Clerici, 90; duellum, 91; abortum, 109; usurpationem bonorum Ecclesiæ vel loci pii. 106; violationem asyli ecclesiastici, 93; tradi sepulturæ ecclesiasticæ hæreticos etc., 111. — Quid, si effectus non sit secutus, vel mandatum revocatum fuerit. 13. sub 4°. 14. — V. **Cooperatio.**
Mandatum. III. 443. seqq.
Mare. An liceat Missam celebrare in mari. VI. 134. qu. 5.
Maritus. Ejus officia. III. 164. — Dissipans bona communia ad quid teneatur. 251. — Ejus potestas. VI. 477. 516. 517. — Quoad irritationem votorum. III. 99. 101.
Massonica secta. Ejus socii et fautores excommunicantur. VII. 92. — Occulti coryphæi denuntiandi sunt. Ibid. — Sepulturæ massonicæ non assistendum. II. 8. qu. 8.
Matrimonium. VI. 444. seqq. — Bona matrimonii. 447. — Ejus fines. 447. — Consensus requisitus. 448. — Conditio quando irritet matrimonium. 449. qu. 5. — Matrimonia infidelium an subsint potestati civili. 454. — An liceat matrimonium cum publico peccatore. 458. — Quinam matrimonio assistere debeant. 471. — Matrimonia mixta. 543. seqq. — Clandestina. 471. 606. seqq. — Quomodo matrimonium clandestinum probetur, ubi valet. 621. — An, ubi invalidum est, vim habeat sponsalium. 426. qu. 4. — Matrimonii invalide contracti convalidatio. 657. seqq. — Matrimonium attentantes post votum solemne castitatis, vel cum persona tali voto ligata, excommunicantur. VII. 108. — Item negantes rata esse matrimonia clandestina secluso decreto irritante Ecclesiæ, vel matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum. 116. — Item magistratus ac domini libertatem matrimonii violantes. 118. — Sacerdotes, qui sponsos alienos illegitime matrimonio conjungunt aut benedicunt, suspenduntur. 132. — V. **Denuntiatio. Benedictio. Debitum. Divortium. Impedimenta. Dispensatio. Sanatio in radice.**
Matrimonium civile. An habeat vim sponsalium. VI. 426. qu. 4. — An liceat. 473. — Consummatum ad quem gradum producat affinitatem. 583. qu. 4. — An producat honestatem publicam. 588. qu. 3.
Medici. Eorum officia. V. 123. 124. — Quando irregularitatem contrahant. VII. 168. — Ars medica Clericis interdicta. V. 67.
Mendacium. III. 522. seqq. — In Confessione sacramentali. VI. 199. 200.
Mercatores. Eorum cooperatio ad peccata. II. 82.
Mercatura. An die festo permittatur. III. 117. 118. 122. — Clericis prohibita. V. 68. seqq. — Missionarii eam exercentes excommunicantur. VII. 105. — Circa Missarum stipendia est vetita. VI. 123. qu. 8. 121. qu. 3.
Meretricium. III. 208. — An meretrices permitti possint. 209. — An liceat eis domum locare vel vendere. II. 82.

Metus. I. 18. 19. — An excuset a lege. 159. seqq. — In contractibus. III. 392. seqq. — Dirimit matrimonium. VI. 552. 553. — An excuset a censura. VII. 21.
Milites. In bello. III. 199. 200. — Militiæ se subducere an liceat. 380. — Militum matrimonia. VI. 461. 616.
Minorennes. Qui sint. III. 246. 151. — Habilitas quoad dominium. 246. 247. — Inhabilitas quoad contractus. 383. 384. 395. — Proteguntur contra præscriptionem. 274. — Denuntiationes matrimonii. VI. 461.
Missa. Audienda in festo. III. 130. seqq. — Celebranda pro populo. V. 75. 76. 92. — De Sacrificio Missæ. VI. 107. seqq. — Ejus essentia. 109. — Missæ fundatæ. 119. — Condonatio et reductio Missarum. 119. qu. 7—9. — Præscriptio contra Missas fundatas an fieri possit. 119. qu. 10. — An liceat stipendium pro binâ Missa. 123. qu. 7. — Quando liceat pluries in die celebrare. 128. — Quantum tempus celebrationi impendendum sit. 132. qu. 5. — An liceat celebrare tecto capite. 160. — An aliquando interrumpere Missam. 160. — Quid, si Sacerdos invaletudine corripiatur intra Missam. 160. qu. 3. — Missæ Ordinationis. VI. 81. 411. 412. — V. **Stipendia.**
Missiones. Quid de iis censendum sit. V. 85. 102. II. 42. sub II. 3°. — Detractores earum damnati sunt. V. 85.
Mohatra. Contractus. III. 485.
Molitores. An possint molere in festis. III. 118. — Eorum peccata contra justitiam. V. 126.
Moneta. Falsa. III. 476. qu. 13.
Moniales. Quæ sint. V. 23. VI. 233. — De dote pacisci possunt. III. 54. qu. 4. — Obligatio earum ad clausuram. V. 25. — Pœnæ eam violantium. 26. — Earum Confessarius. VI. 234. 235. — Monialis, quæ legitime extra monasterium degit, a quolibet Confessario absolvi potest. 236.
Monitio. Pœnitentis a Confessario. VI. 271. seqq. — Canonica ante censuram. VII. 8.
Monopolium. III. 486. seqq.
Montes pietatis. III. 466. 467.
Moralitas. I. 29. et seqq.
Moribundi. Obligatio illis assistendi. V. 77. 80. 81. 87. sub 4°. — Potestas eos absolvendi. VI. 223. 243. VII. 27. — Eorum absolutio. VI. 195. 196. — Viaticum. 91. 105. 106. 99. — Extrema Unctio. 364. seqq.
Morphium. Ejus usus ad leniendos dolores. I. 254.
Mutilatio. III. 180. sub IV. 181. sub 5°. 182. qu. 3. — Restitutio ob mutilationem. 369. in fine. — Irregularitas. VII. 168.
Mutuum. III. 448. seqq.

N.

Necessitas. Opposita libertati. I. 12. —

Extrema, gravis, et communis. II. 39. 42. 47. 48. — Excusans ab operibus servilibus in festo. III. 125. — A furto. 295. — A restitutione. 361. 362.
Negotiatio. Clericis prohibita. V. 68. seqq. V. **Mercatura.**
Negotiorum gestio. III. 446. 447.
Nigritarum commercium. III. 244.
Notarius. Ejus officia. V. 118. seqq. — An teneatur falsum a se confectum instrumentum revelare. III. 361. sub d).
Novitiatus. V. 8. 9.
Nundinæ. In die festo. III. 122.

O.

Objectum. Actûs humani. I. 33. — Intrinsece bonum aut malum, vel extrinsece. 34.
Oblationes fidelium. III. 255.
Obligationes. An liceat Clericis eas emere. V. 70.
Obreptio. In dispensationibus. I. 187. seqq. VI. 629. 633.
Obstetrices. Debent cognoscere ritum baptizandi. VI. 36. qu. 7. — Obligatio Parochi eas instruendi et examinandi. V. 78. VI. 36. qu. 7. — Quid censendum de Baptismo ab illis collato. Ibid.
Occasio peccati. VI. 299. seqq. — An pœnitens semper monendus sit de obligatione eam vitandi. 272. — Absolutio occasionariorum. 305. seqq. — Occasiones particulares. 315. seqq.
Occultum. Crimen. III. 537. qu. 1. — Impedimentum matrimonii. VI. 547. 630. — Occulto peccatori quando neganda sint Sacramenta. 19.
Odium proximi. II. 56.
Officia sæcularia. Clericis prohibita. V. 66. 67.
Officium divinum. V. 38. et seqq.
Onanismus. III. 221. sub 4°. — An ejus malitia ignorari possit. 226. — Onanismus in matrimonio. VI. 493. seqq. — Obligatio Parochi et Confessarii circa hoc crimen. 515.
Opinio probabilis. I. 67. 68. — Ejus efficacia. 70. — Elisio. 70. 84. seqq. 111. 112. — Judicium de probabilitate. 72. seqq. — Modus dignoscendi S. Alphonsi judicium. 74. — Usus illicitus. 76. 77. 96. 97. — Usus licitus. 89. seqq. — An liceat opiniones oppositas simul sequi. 95.
Opium. Ejus usus in operatione chirurgicâ. I. 254.
Oratio. III. 4. et seqq.
Oratoria. Publica et privata. III. 141. VI. 134. qu. 3. — Privata Communitatum non sunt stricte privata. VI. 134. qu. 3. — Privilegia Episcoporum et Regularium. 133. — Quoad præceptum Missæ audiendæ. III. 139. seqq. — Quoad Communionem. VI. 85. — Quoad celebrationem. 133. 134.
Ordinandi. Eorum qualitates. VI. 397. seqq. V. 94. — An absolvi possit Ordinandus habituatus in vitio turpi. VI. 314. qu. 10. — Quale Nocturnum intelligatur nomine Nocturni talis diei, quod Subdiaconis et Diaconis imponitur. 412. — Quid de tribus Missis, quæ Sacerdotibus imponuntur. 412. — Quam obedientiam Sacerdotes promittant. 412. Pœnæ male ordinatorum. 418. seqq.
Ordo. Sacramentum. VI. 371. seqq. — Quomodo supplendi sint defectus commissi in Ordinatione. 383. qu. 6. 7.
Ordines Religiosi. V. 2.
Ornatus fœminarum. II. 67.
Oscula. III. 229. — Inter sponsos. VI. 429.
Ovaria. Præbent materiam generationis. III. 218. — Eorum exsectio an prohibeat usum matrimonii. VI. 500. — An constituat impedimentum impotentiæ. 563.

P.

Pallæ. V. **Lintea sacra.**
Papa. An possit dispensare in jure divino. I. 183. — In voto solemni. III. 104. — In sponsalibus. VI. 442. qu. 3. 541. — In matrimonio rato. 521.
Parentes. Eorum obligationes. III. 154. seqq. — Si filiorum libertatem lædant in electione statûs. 158. — Quoad scholas. II. 18. III. 159. — Quoad cubationem filiorum. 161. — Quoad portionem legitimam filiorum. 409. — Potestas irritandi vota. 97. 101. — Eorum dissensus an obstet matrimonio filiorum. VI. 426. qu. 5. 7. 342.
Parochi. Eorum obligationes. II. 42. 52. sub IV et VI; item III. 174. V. 72. seqq. — Quomodo peccent turpiter agendo cum parochiana. III. 215. qu. 5. — Potestas dispensandi in legibus. I. 182. III. 120. IV. 16. 25. — An possint assistere matrimonio publicorum peccatorum. VI. 20. qu. 5. — An assistendo matrimonio in statu peccati peccent graviter. 451. — An possint exigere Confessionem ante matrimonium. 458. Quomodo se gerere debeant erga matrimonia mixta. 545.
Patrini. Eorum munus in Baptismo. VI. 51. seqq. — In Confirmatione. 62. 63.
Peccator. V. **Occultum** et **Publicum.**
Peccatum. I. 218. seqq. V. **Veniale peccatum.**
Peculium. Filiorum. III. 246. 247. — Religiosorum. V. 20. 21.
Pecunia. Adulterina an possit expendi. III. 476. qu. 13.
Percussio Clericorum. Est sacrilegium. III. 41. — Plectitur excommunicatione. VII. 80. 90.
Peregrini. Quoad leges, quibus subjiciuntur. I. 166. — Quoad dispensationem in legibus, votis et juramentis. 167. — Quoad Baptismum. VI. 35. — Quoad absolutionem. 229. qu. 5. 239. sub III. — Quoad

matrimonium. 461. 615. 616. — Quoad censuras. VII. 12. qu. 3.
Periculum peccati. Quid et quotuplex. VI. 299. 300. — Obligatio illud vitandi. 303. I. 121. 233. 238. III. 227.
Pharmacopolæ. Eorum obligationes. V. 123. 125.
Photographia. An sit opus servile. III. 119. qu. 1. — Photographi scandalum dantes. II. 71.
Pictores. V. **Photographia.**
Pignus. III. 518. seqq.
Piscatio. An sit opus servile. III. 119. — Quid quoad leges civiles. I. 145. qu. 1. III. 263. — Clericis non est prohibita. V. 64.
Pistores. An possint laborare in festo. III. 127. — An excusentur a jejunio. IV. 21. — Peccata eorum. V. 126.
Pœna. Quotuplex. I. 143. VII. initio. — Quomodo subeunda. I. 145. — Contractibus adjecta. 145. III. 401. sub VI. — Sponsalibus adjecta. VI. 430.
Pœnitentia. Ut VIRTUS. VI. 163. seqq. — Quando obliget. 168. — An ejus dilatio sit speciale peccatum. 168. — Qualis requiratur ad remissionem peccatorum venialium. 168. qu. 4. V. **Contritio. Attritio.**
Ut SACRAMENTUM. 169. seqq. — An hoc Sacramentum possit validum esse, sed informe. 179. qu. 6. — Quando obliget. 219. 220. — V. **Absolutio. Confessio. Confessarius.**
Pollutio. III. 218. seqq. — Quando prævisa in causâ imputetur vel non imputetur. 220. sub III. 221. I. 9. — An liceat desiderare naturalem, vel de eâ gaudere. 240. — Pollutio loci sacri. III. 44. VI. 135.
Potestas. PATRIA. III. 151. VI. 477. — Circa vota. III. 97. — Circa bona. 246. 247. — MARITALIS. III. 164. 165. VI. 477. — Circa vota. III. 101. — Circa bona. 249. seqq.
Præscriptio. III. 269. seqq. — Contra debita. 278.
Præsumptio. Ut probatio. I. 63. 65. — Lex fundata in præsumptione. 149. seqq. — Dispensatio præsumpta an sufficiat. 178. — Item licentia. 178. V. 17. — Item approbatio Episcopi. VI. 226. — Consensus tentationi quando præsumatur necne. I. 231. — Præsumptio ut peccatum. II. 26.
Precarium. III. 437.
Pretium. Mercium. III. 473. seqq. 481.
Principia reflexa. Quid sint. I. 54. sub 3°. — Pro dubiis juris et facti. 60. seqq.
Privilegium. I. 207. seqq.
Probabiliorismus. Quid sit. I. 79. — Confutatur. 103.
Probabilismus. Quid sit et quotuplex. I. 79. seqq. — Absolutus confutatur. 104.
Procationes. VI. 340. seqq. — Officia parentum. 342. sub II. 3°. III. 161. sub 3°. — Officia Confessariorum. VI. 342.
Professio fidei. A quibus facienda. II. 8.
Professio Religiosa. V. 7. 8. — Dissolvit matrimonium ratum. VI. 521. 522. — Tribuit jus divortii a cohabitatione. 523. — Dirimit matrimonium contrahendum. 591. 592.
Promissio. III. 403. 404.
Propositiones damnatæ. Qui eis adhæret. II. 17. VII. 89. — Quomodo interpretandæ sint. VII. 89.
Proxeneta. III. 492.
Publicum. Crimen. III. 535. 537. — Impedimentum matrimonii. VI. 547. 630. — Peccatori publico quando neganda sint Sacramenta. 19. 20. — Item sepultura ecclesiastica. VII. 149. 150.
Pueri. Quando teneantur legibus. I. 162. seqq. IV. 31. 33. — Eorum absolutio sacramentalis. VI. 217. sub 6°. — Utriusque sexûs non condormiant. III. 161. sub 5°.
Purificatoria. V. **Lintea sacra.**
Pyxis. VI. 87, 88.

R.

Raptus. Ut est species luxuriæ. III. 211. — Ut dirimit matrimonium. VI. 554. seqq. — An dirimat sponsalia. 556. qu. 2. — Raptores mulierum matrimonii causâ excommunicantur. VII. 117.
Rebellio. An unquam licita. III. 178.
Recidivi. Quomodo a Confessario tractandi sint. VI. 310. et seqq. — Quando debeant repetere suas Confessiones. 203. qu. 6.
Reductio Missarum. VI. 119. qu. 7. seqq.
Religio. Ut est virtus. III. 1. seqq. — Peccata ei opposita. 7. seqq. — Mixta Religio prohibet matrimonium. VI. 543. seqq. — Status Religiosus. V. 1. seqq. — Violantes libertatem mulieris circa ingressum monasterii excommunicantur. VII. 119.
Religiosi. Eorum obligationes. V. 10. et seqq. — Quando possint Eucharistiam ministrare. VI. 82. 83. — Et Extremam Unctionem. 361. — Illegitime ministrantes Viaticum aut Extremam Unctionem excommunicantur. VII. 100. — Eorum privilegia recipiendi Ordines extra tempora et non servatis interstitiis. VI. 395. — Absolvendi a censuris. 27. 107. — Dispensandi in irregularitatibus. 158.
Reliquiæ. III. 3.
Rescripta. Dispensationum. VI. 641. seqq. — Obreptitia vel subreptitia. 629. 633. I. 187. seqq.
Reservatio. Peccatorum. VI. 237. seqq. — Censuræ reservatæ. VII. 76. seqq. — Quis ab hisce absolvere valeat. 26. seqq.
Restitutio. III. 303. seqq. — Ejus omissio per longum tempus an multiplex peccatum. I. 227. — Restitutio eleemosynæ acceptæ ob fictam paupertatem. III. 312. qu. 5. — Restitutio in solidum. 335. seqq. — Quando pœnitens non sit monendus de

restitutione facienda. VI. 273. — An obligatus ad restitutionem absolvendus sit antequam restituerit. 281.
Restrictio mentalis. III. 526. et seqq. 72. qu. 3.
Reus. Ejus obligationes. V. 115. 116.
Rituale Romanum. Ejus obligatio. VI. 17.
Ritus. Eorum obligatio in administratione Sacramentorum. VI. 16. — Decreta et Declarationes S. Rituum Congregationis an obligent. I. 173.
Rixa. Quando sit peccatum mortale. I. 257.
Rubricæ Missalis. Earum obligatio. VI. 153. 154.

S.

Sacramenta. In genere. VI. 1. et seqq. — Informia an reviviscant. 4. — Intentio requisita. 8. 25. — Iteratio Sacramenti ob dubium. 15. — Simulatio. 21.
Sacramentalia. VI. 28.
Sacrilegium. III. 38. seqq. 216. — Quotuplex in sacrilege celebrante. I. 227. — In sacrilege absolvente plures. 227. — In sacrilege ministrante Eucharistiam pluribus. 227.
Salutatores. An superstitionis rei sint. III. 17.
Sanatio in radice. VI. Ejus impetratio. 637. — Effectus. 662. — Exsecutio. 664. 654.
Sartores. Quando possint laborare in festo. III. 126. — Quid, si segmina panni retineant. 289. qu. 6. — Quid, si partem pretii panni retineant. 492. qu. 5. V. 126.
Satisfactio. Ut est materia Sacramenti Pœnitentiæ. VI. 204. seqq.
Scandalum. II. 57. seqq.
Scholæ. Neutralium pericula. VI. 333. seqq. — Officia parentum. II. 18. III. 159. — Parochorum. V. 87. — Episcoporum. 103. — Confessariorum. VI. 337. seqq.
Scrupulositas. Conscientia scrupulosa. I. 48. seqq.
Sculptores. An opus sculpendi sit servile. III. 118. — Sculptores scandalum dantes. II. 71.
Secretum. III. 551. seqq. — Sacramentale. V. **Sigillum.**
Sectæ vetitæ. Excommunicatæ sunt. VII. 92. — Quo pacto socii absolvi possint. Ibid.
Sectio cæsarea. VI. 42. 43. III. 192. qu. 3. 4.
Semen. Quid censendum de semine fœmineo. III. 218. — An liceat fœminæ oppressæ semen virile expellere. 192. qu. 2. — An impotentia recipiendi semen impediat matrimonium. VI. 558. 563.
Semifatui. Quoad Communionem. VI. 91. qu. 7. — Quoad absolutionem. 217. sub 6°.
Sepultura. An liceat assistere sepulturæ hæreticorum, vel civili. II. 8. — Privatio sepulturæ ecclesiasticæ. 17. qu. 6. III. 182. qu. 4. 196. VII. 42. 69. 141. 149. 150. — Cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos, excommunicantur. VII. 111.
Sequestrum. III. 442.
Servitus. III. 281.
Sigillum Confessionis. VI. 285. seqq. — Quid agendum cum puella moribunda occulte prægnante. 297. qu. 9.
Signa. Dispositionis in pœnitente ordinaria et extraordinaria. VI. 279. 314.
Simonia. III. 49. et seqq. — Pœnæ contra reos simoniæ. 62. VII. 96.
Simulatio. III. 525. — Sacramenti. VI. 21.
Societas. Contractus. III. 507. seqq. — Inter fratres. 509. qu. 6. — Assecurationis. 516. — Quomodo ei restituendum. 358. qu. 4.
Sodomia. III. 223. 224.
Sollicitatio. Proprii pœnitentis. VI. 251. seqq.
Sortes. Earum usus. III. 14. qu. 2. — Contractus. 514.
Spectacula. VI. 325. seqq. — Clericis non licet profanis spectaculis interesse. 326. qu. 3. V. 62.
Spes. II. 20. seqq.
Spiritismus. III. 30. seqq.
Sponsalia. VI. 423. seqq. — Filiorum, invitis parentibus. 426. — An dissensus parentum sit causa solvendi illa. 437. qu. 5. — An sponsi teneantur occultos defectus revelare. 442. — An S. Pontifex possit sponsalia dissolvere. 442. qu. 3. 541.
Sponsio. III. 515.
Spurius. Quis sit. III. 246. V. **Illegitimi.**
Stipendia Missarum. VI. 120. seqq. — Turpem de illis quæstum facientes excommunicantur. VII. 98.
Stuprum. Ejus malitia. III. 210. — An liceat illud pati. 182. — Restitutio ob stuprum. 370. seqq.
Stylus Curiæ. VI. 629.
Subreptio. V. **Obreptio.**
Substitutio. III. 427.
Successio ab intestato. III. 429. et seqq.
Suffragium. Illud dantes in damnum alienum. III. 325. 338. — In Comitiis legislativis. 179. qu. 2. 325. 338. — Suffragia communia Ecclesiæ. VII. 38.
Superiores. Obligationes Superiorum spiritualium. III. 174. — Civilium. 176.
Superstitio. III. 7. seqq.
Surdi. Surdastri. Eorum Confessio. VI. 195. 297. qu. 3. — Irregularitas. VII. 161.
Susceptores operum. III. 504. 505.
Suspensio. In genere. VII. 54. seqq. — In particulari. 121. seqq.
Suspicio. Temeraria. III. 546. seqq.
Susurratio. III. 544. 545.
Sutores. Quando possint laborare in festo. III. 126. — Quando excusentur a jejunio. IV. 21. — Peccata contra justitiam. V. 126.

T.

Tabernaculum. VI. 87.
Tactus. Impudici. III. 230. 231. 228. — Sacrorum vasorum quibus liceat. VI. 143. — Instrumentorum in Ordinatione. 380. qu. 3.
Templa hæreticorum. Ædificare num liceat. II. 84. — Conferre pecuniam. 85. — Ea ingredi. 8. qu. 7.
Tentatio. Processus. I. 237. — Obligatio resistendi. 238. — Media resistendi. 238. — Contra fidem. II. 17.
Tentatio Dei. III. 33. et seqq.
Testamentum. III. 414. et seqq.
Testes. Eorum obligationes. V. 113. 114. — Quid, si contra Clericum citentur. 113.
Theatra. V. **Spectacula.**
Theologia moralis. Quam necessaria sit Confessario. VI. 265. 266.
Thesaurus. Inventus cujus sit. III. 265.
Titulus. Pro præscriptione. III. 275. 276. — Pro Ordinatione. VI. 403. seqq.
Tonsura. VI. 371. — Ejus gestatio. V. 36. 37.
Tributa. III. 377. seqq.
Trinus contractus. III. 510.
Typographi. Eorum peccata. II. 73. 74. V. 126. — An excusentur a jejunio. IV. 21. — Quando excommunicentur. VII. 77.
Tyrannicidium. III. 184.

U.

Usura. III. 452. et seqq.
Usus. III. 280.
Ususfructus. III. 279.
Uxor. Ejus obligationes. III. 163. seqq. — Facultas dandi eleemosynas. II. 50. — Dominium. III. 248. seqq.

V.

Vagi. V. **Peregrini.**
Vana observantia. III. 15. et seqq.
Vasa sacra. VI. 141. — Necessitas eorum consecrationis aut benedictionis. 141. 87. 88. — Quomodo exsecrentur. 142. — Quibus liceat ea tangere. 143.
Venatio. III. 260. seqq. — Clericis prohibita. V. 64.
Venditio-emptio. III. 469. seqq. — Sub hasta. 490. — Per proxenetas. 492.
Veniale peccatum. I. 218. 228. 229. — Requisita ad illud. 230. sub III. — Quomodo fiat mortale. 232. — An impediat fructum Communionis. VI. 98. qu. 14. et 15. — Quomodo remittatur extra Sacramentum. VI. 168. qu. 4. — Per S. Communionem. 65. et Errata in fine Operis. — Per Sacramentum Pœnitentiæ. 171. 173. 179. qu. 7. 182. qu. 4. — An peccatum veniale inducat obligationem restitutionis. III. 317. qu. 5. 6. — Quid hac in re agendum Confessario. 289. qu. 7.
Vestes sacræ. VI. 147. seqq. — Quomodo exsecrentur. 151.
Vetitum Ecclesiæ. Impedit matrimonium. VI. 539. 467. 468.
Viaticum. Quando obliget. VI. 91 — Quomodo deferendum. 86. — An sæpius non-jejuno. 106. — Quibus dari possit a Regularibus. 83. — Si Regulares illud dent illegitime, excommunicantur. VII. 100.
Via Crucis. VII. 199. et seqq.
Violentia. I. 15. et seqq.
Virginitas. III. 237. 238.
Vita communis. Apud Religiosos. V. 19. seqq.
Vitandi. Qui sint. VII. 47. seqq. 53. — Quid agendum, si assistant divinis Officiis. 50. — Jurisdictione ecclesiastica privati sunt. VI. 222. 231. VII. 43. 58. — Beneficio ecclesiastico non ipso facto privati sunt. 44. 59.
Vitia. Rerum, quæ venduntur, an manifestanda sint. III. 477. seqq.
Vocatio. Ad statum Religiosum. V. 3. 4. — Ad statum Clericalem. VI. 398. 408.
Voluntarium. In genere. I. 4. seqq. — In causâ. 8. seqq.
Votum. III. 83. seqq. — Votum ingrediendi Religionem, quomodo reservatum. 105—107. 108. qu. 7. — Quomodo idem obliget. V. 6. — Votum transeundi ad strictiorem Ordinem. III. 103. 106. — Votorum solemnitas. V. 2. — Votum castitatis quomodo impediat usum matrimonii. VI. 501. — Quale votum prohibeat matrimonium. 542. — Votum solemne castitatis dirimit matrimonium. 591. 592.

Index synopticus.

LIBER VI.

DE SACRAMENTIS.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in genere.

PAG.

Caput I. Notio et effectus Sacramentorum . 2
Caput II. Materia et forma Sacramentorum . 4
Caput III. Minister Sacramentorum . 6
Art. I. Requisita ad validam administrationem . »
Art. II. Requisita ad licitam administrationem . 7
§ I. Jurisdictio . »
§ II. Status gratiæ . 8
§ III. Attentio mentis . 9
§ IV. Materia et forma certæ . »
§ V. Observatio ritûs Ecclesiæ . 10
§ VI. Discretio inter dignos et indignos accedentes . 11
Art. III. Obligatio ministrandi Sacramenta . 14
Caput IV. Subjectum Sacramentorum . 15
Art. I. Requisita ad validam susceptionem . »
Art. II. Requisita ad fructuosam susceptionem . 16
Appendix. De Sacramentalibus . 17

TRACTATUS II.

De Baptismo.

Caput I. Notio et effectus Baptismi . 18
Caput II. Materia et forma Baptismi . »
Art. I. Materia Baptismi . 19
Art. II. Forma Baptismi . 20
Caput III. Minister Baptismi . 22
Caput IV. Subjectum Baptismi . »
Art. I. Necessitas suscipiendi Baptismum . 23
Art. II. Subjectum capax suscipiendi Baptismum . 23
§ I. Subjectum capax in genere . 24
§ II. Infantes in utero matris . 25
§ III. Fœtus abortivi . 26
§ IV. Monstra . »
§ V. Filii, invitis parentibus . 27
Caput V. Cæremoniæ solemnis Baptismi . »
Art. I. Cæremoniæ Baptismi in communi . 29
Art. II. Patrini .

TRACTATUS III.

De Confirmatione.

Caput I. Notio et effectus Confirmationis . 30
Caput II. Materia et forma Confirmationis . »
Caput III. Minister Confirmationis . 33
Caput IV. Subjectum Confirmationis . »
Art. I. Subjectum capax, ejusque dispositio . »
Art. II. Obligatio suscipiendi Confirmationem . 34
Caput V. Cæremoniæ Confirmationis . 35
Art. I. Cæremoniæ Confirmationis in communi . »
Art. II. Patrini . »

TRACTATUS IV.

De Eucharistia.

PAG.

Pars prima. De Sacramento Eucharistiæ . 36
Caput I. Notio et effectus Eucharistiæ . »
Caput II. Materia et forma Eucharistiæ . 37
Art. I. Materia . »
§ I. Materia in genere . »
§ II. Materia panis . 38
§ III. Materia vini . 39
§ IV. Conditiones ex parte materiæ necessariæ Consecrationi . 41
Art. II. Forma Eucharistiæ . 42
Caput III. Permansio Christi sub speciebus . 44
Caput IV. Minister Eucharistiæ . 45
Art. I. Potestas ministrandi Eucharistiam . »
Art. II. Requisita ad licitam administrationem Eucharistiæ . 46
§ I. Jurisdictio . »
§ II. Observatio ritûs Ecclesiæ . 47
Art. III. Custodia Eucharistiæ . 49
Caput V. Subjectum Eucharistiæ . 50
Art. I. Obligatio suscipiendi Eucharistiam . 51
Art. II. Frequentatio Communionis . 53
Art. III. Dispositiones necessariæ ad Communionem . 54
§ I. Dispositio animæ . 55
§ II. Dispositio corporis . 58
Punct. I. Capacitas communicandi . »
Punct. II. Decens corporis habitus . »
Punct. III. Corporis munditia . 59
Punct. IV. Jejunium . 60
1. Obligatio jejunii . »
2. Causæ excusantes a jejunio . 63
Pars secunda. De Sacrificio Missæ . 65
Caput I. Notio Sacrificii Missæ . »
Caput II. Valor et fructus Missæ . 66
Art. I. Notio ejus . »
Art. II. Applicatio fructûs Missæ . 67
Caput III. Obligationes Sacerdotum circa applicationem fructûs Missæ . 70
Art. I. Pro quibus Missa offerri possit . »
Art. II. Quando Missa offerri pro aliquibus debeat . 71
§ I. Obligatio ex promissione, et ex præcepto Superioris . »
§ II. Obligatio ex officio . »
§ III. Obligatio ex beneficio . »
§ IV. Obligatio ex stipendio . 73
1. Titulus stipendii in genere . »
2. Quantitas justi stipendii . 74
3. Tempus implendi obligationem ex stipendio . 77
4. Modus implendi dictam obligationem . 78
Caput IV. Obligationes Sacerdotum circa celebrationem Missæ . »
Art. I. Obligatio aliquando celebrandi . 79
Art. II. Prohibitio aliquando celebrandi . 80
Art. III. Obligatio servandi requisita ad Missam . »
§ I. Tempus debitum . 81
§ II. Locus sacer . 82
§ III. Altare cum suo ornatu . 85
1. Notio altaris . »
2. Necessitas altaris . 86
3. Ornatus altaris . »
§ IV. Vasa sacra cum accessoriis . 87
1. Vasa sacra . »
2. Sacrorum vasorum accessoria . 88
§ V. Vestes sacræ . 89
§ VI. Præparatio Sacerdotis, et gratiarum actio . 91
§ VII. Ritus sacer . 92
1. Obligatio rituum in genere . »
2. Ritus recitandorum . 93
3. Ritus agendorum . 94
4. Minister celebrantis . 95

TRACTATUS V.

De Poenitentia.

Pars prima. De virtute pœnitentiæ . 97
Caput I. Notio virtutis pœnitentiæ . »
Caput II. Effectus pœnitentiæ . 98
Caput III. Necessitas pœnitentiæ . 100
Pars secunda. De essentia Sacramenti Pœnitentiæ. . 102
Caput I. Notio et effectus Pœnitentiæ . »
Caput II. Materia remota Pœnitentiæ . 103
Caput III. Materia proxima Pœnitentiæ . 104
Art. I. Materia proxima in genere . »
Art. II. Contritio . 105
§ I. Quæ contritio requiratur . »
§ II. Conditiones contritionis . 106
§ III. Propositum . 109
Art. III. Confessio . 111
§ I. Notio et conditiones confessionis in genere . »
§ II. Integritas confessionis . »
1. Necessitas integritatis . »
2. Objectum integritatis . 113
3. Causæ excusantes ab integritate materiali . 117
§ III. Reliquæ conditiones confessionis . 121
§ IV. Necessitas iterandi confessionem invalidam . 122

PAG.
Art. IV. Satisfactio 124
§ I. Obligatio injungendi satisfactionem . . . . . »
§ II. Opera in satisfactionem imponenda 126
§ III. Obligatio acceptandi et implendi satisfactionem . . 128
§ IV. Commutatio satisfactionis . 129
Caput IV. Forma Pœnitentiæ . . 130
Art. I. Forma in genere . . . . »
Art. II. Absolutio sub conditione . 132
Pars tertia. De subjecto hujus Sacramenti 133
Caput. I. Subjectum capax Sacramenti »
Caput II. Obligatio suscipiendi hoc Sacramentum . . . . . »
Pars quarta. De ministro hujus Sacramenti 134
Caput I. Potestas ministrandi hoc Sacramentum . . . . . »
Art. I. Minister hujus Sacramenti in communi . . . . . »
Art. II. Minister hujus Sacramenti ex jurisdictione ordinaria . . 135
Art. III. Minister hujus Sacramenti ex jurisdictione delegata . . »
§ I. Delegatio jurisdictionis in articulo mortis . . . . . »
§ II. Delegatio jurisdictionis extra mortis articulum . . . 136
Punct. I. Notio approbationis respectu sæcularium . . »
Punct. II. Necessitas istius approbationis . . . . . »
Punct. III. Consecutio approbationis 138
1. A quo obtinenda sit . . »
2. An possit negari vel limitari . 140
Punct. IV. Exspiratio approbationis »
Punct. V. Approbatio respectu Regularium 141
Punct. VI. Approbatio respectu Monialium 142
Art. IV. Minister hujus Sacramenti quoad casus reservatos . 143
§ I. Notio reservationis . . . »
§ II. Reservandi potestas et reservationis subjectum . . 144
§ III. Materia reservationis . . 145
§ IV. Cessatio reservationis . . 146
§ V. Potestas absolvendi a peccatis reservatis 147
Caput II. Abusus potestatis in Confessario 148
Art. I. Exquisitio nominis complicis . »
Art. II. Absolutio proprii complicis in peccato carnis 149
Art. III. Sollicitatio proprii pœnitentis ad turpia 152
§ I. Delictum sollicitationis . . 153
§ II. Obligatio denuntiandi sollicitantes 154
§ III. Modus denuntiandi . . 156
§ IV. Modus recipiendi denuntiationem 157
§ V. Modus procedendi contra denuntiatos 158
Caput III. Dotes Confessarii . . . 159
Art. I. Scientia . . . . . »
Art. II. Prudentia 160
Art. III. Bonitas vitæ 161
Caput IV. Officia Confessarii . . 162
Art. I. Officia Confessarii in actu Confessionis . . . . . »
§ I. Officium Doctoris . . . . »
§ II. Officium Medici 164
§ III. Officium Judicis 165
1. Obligatio cognoscendi peccata »
2. Obligatio explorandi et provocandi dispositionem pœnitentis 168
3. Obligatio concedendi, differendi, vel negandi absolutionem . 169
Art. II. Officia Confessarii post Confessionem 171
§ I. Obligatio corrigendi defectus in Confessione commissos . . »
§ II. Obligatio servandi sigillum Confessionis 172
1. Obligatio sigilli . . . . »
2. Subjectum sigilli . . . 173
3. Materia sigilli 174
4. Modi sigillum violandi . . 175

APPENDIX.

De praxi servanda cum occasionariis et recidivis.

Pars prima. De occasionariis in genere 181
Caput I. Notio occasionis . . . . »
Caput II. Obligatio vitandi occasiones peccati 182
Caput III. Officium Confessarii erga occasionarios 183
Art. I. Erga illos, qui versantur in occasione proxima voluntaria »
Art. II. Erga illos, qui versantur in occasione proxima necessaria 185
Pars secunda. De recidivis . . 186
Caput I. Notio recidivi 186
Caput II. Officium Confessarii erga habituatos et recidivos . . 187
Pars tertia. De occasionibus particularibus 193
Caput I. De concubinatu . . . . »
Art. I. Remedia concubinatus . . »
Art. II. Absolutio concubinorum . 195
§ I. In concubinatu publico . . »
§ II. In concubinatu occulto . . 196
Caput II. De choreis 197
Art. I. Pericula chorearum . . »
Art. II. Officium Confessarii et Parochi circa eas 198

PAG.
Caput III. De theatris 200
Art. I. Pericula theatri . . . . »
Art. II. Officium Confessarii et Parochi circa illud 201
Caput IV. De pravis libris . . . 202
Art. I. Pericula pravorum librorum »
Art. II. Officium Confessarii erga illos 203
Caput V. De pravis consortiis . . 204
Caput VI. De pravis scholis . . 205
Art. I. Pericula publicarum scholarum 205
Art. II. Officium Confessarii erga parentes et alios . . . 207
Caput VII. De procationibus . . 208
Caput VIII. De cauponis . . . 211
Caput IX. De famulatu . . . 212
Caput X. De nonnullis periculis domesticis . . . . . »

TRACTATUS VI.

De Extrema Unctione.

Caput I. Notio et effectus Extremæ Unctionis 214
Caput II. Materia et forma Extremæ Unctionis 215
Art. I. Materia hujus Sacramenti . »
Art. II. Forma hujus Sacramenti . 217
Caput III. Minister Extremæ Unctionis . 218
Art. I. Minister legitimus . . . »
Art. II. Obligationes ministri . . 218
Caput IV. Subjectum Extremæ Unctionis 220
Art. I. Subjectum capax . . . »
Art. II. Dispositio requisita . . 221
Art. III. Iteratio hujus Sacramenti . 222
Art. IV. Obligatio suscipiendi hoc Sacramentum . . . . . »

TRACTATUS VII.

De Ordine.

Caput I. Notio et numerus Ordinum . 223
Caput II. Ordinum materia et forma . 225
Art. I. Sacramenti materia et forma in communi . . . . . »
Art. II. Materia et forma singulorum Ordinum 227
Caput III. Minister Ordinum . . 229
Art. I. Minister capax Ordinationis . »
Art II. Requisita ad licitam Ordinationem 230
§ I. Episcopus proprius . . »
§ II. Scrutinium 231
§ III Gradatio 232
§ IV. Interstitia . . . . »
§ V. Statuta tempora . . . »
§ VI. Debitus locus . . . 233
Caput IV. Subjectum Ordinum . . 233
Art. I. Qualitates Ordinandorum . »
§ I. Vocatio divina. . . . »
§ II. Immunitas a censura et irregularitate . . . . . »
§ III. Ætas legitima . . . . »
§ IV. Debita scientia . . . 234
§ V. Titulus sustentationis . . »
§ VI. Confirmatio 235
Art. II. Servanda in Missa Ordinationis 236
Art. III. Officia et obligationes Ordinatorum 237
Caput V. Pœnæ male Ordinantium et male Ordinatorum 238
Art. I. Pœnæ male Ordinantium . »
Art. II. Pœnæ male Ordinatorum . 239

TRACTATUS VIII.

De Matrimonio.

Pars prima. De sponsalibus . 240
Caput I. Notio sponsalium . . . »
Caput II. Effectus sponsalium . . 243
Caput III. Accidentalia sponsalium . 244
Caput IV. Dissolutio sponsalium. . . »
Art. I. Ex mutuo consensu . . 245
Art. II. Ob fractionem fidei . . »
Art. III. Ob notabilem mutationem 247
Art. IV. Probatio causarum et effectus dissolutionis 248
Pars secunda. De Matrimonio in se spectato 249
Caput I. Notio Matrimonii . . . »
Caput II. Causa efficiens Matrimonii . 250
Caput III. Ratio Sacramenti . . 252
Art. I. Materia, forma, et minister hujus Sacramenti . . . »
Art. II. Potestas Ecclesiæ in hoc Sacramentum 253
Caput IV. Matrimonii proprietates . 254
Art. I. Unitas Matrimonii . . . »
Art. II. Indissolubilitas Matrimonii . »
Caput V. Subjectum Matrimonii . . 255
Pars tertia. De Matrimonii celebratione . . . . . »
Caput I. Matrimonii denuntiationes . 256
Art. I. Obligatio denuntiationum . »
Art. II. Modus denuntiandi . . 257

PAG.
Art. III. Obligatio revelandi impedimenta 258
§ I. Obligatio fidelium . . . . »
§ II. Officium Parochi et Ordinarii 259
Art. IV. Dispensatio a denuntiationibus 260
Caput II. Ritus celebrationis Matrimonii 261
Art. I. Celebratio Matrimonii ordinarii »
Art. II. Celebratio Matrimonii conscientiæ 262
Art. III. Formalitas hodierni matrimonii civilis 263
Caput III. Benedictio Nuptiarum . . »
Pars quarta. De statu Matrimonii 265
Caput I. Effectus Matrimonii in genere »
Caput II. Usus Matrimonii . . . »
Art. I. Honestas actus conjugalis . 266
§ I. Ejus honestas in genere . . »
§ II. Debitæ ejus circumstantiæ . »
I. Debitus finis . . . . . »
II. Debitum tempus . . . 267
III. Debitus locus . . . 269
IV. Debitus modus . . . »
1. In genere . . . . . »
2. Modus innaturalis quoad situm . . . . . »
3. Modus innaturalis quoad vas »
§ III. Impedimentia prohibentia actum conjugalem . . . 274
I. Impotentia corporis . . . »
II. Votum castitatis . . . 275
III. Affinitas . . . . . »
IV. Dubium de valore matrimonii 276
Art. II. Obligatio actus conjugalis . 277
§ I. Natura hujus obligationis . »
§ II. Causæ a debiti redditione excusantes 278
Art. III. Accessoria actus conjugalis 279
Art. IV. Officium Parochi et Confessarii erga conjuges . . 281
Caput III. Obligatio cohabitandi . . 284
Caput IV. Divortium 285
Art. I. Divortium quoad vinculum . »
Art. II. Divortium quoad torum et habitationem . . . 287
§ I. Divortium perpetuum . . »
1. Ob votum solemne . . . »
2. Ob adulterium . . . 288
§ II. Divortium temporarium . . 291
Pars quinta. De impedimentis Matrimonii 293
Sectio I. De impedimentis solum impedientibus . . . »
Caput I. Ecclesiæ vetitum . . . »
Caput II. Tempus feriatum . . . »
Caput III. Sponsalia 294
Caput IV. Votum simplex . . . »
Caput V. Mixta religio 295
Sectio II. De impedimentis dirimentibus 297
Caput I. Impedimenta dirimentia in genere . . . . . »
Caput II. Impedimentia ex defectu consensus 299
Art. I. Error 299
Art. II. Vis . . . . . »
Art. III Raptus 300
Caput III. Impedimenta ex defectu naturæ 302
Art. I. Ætas . . . . . »
Art. II. Impotentia 303
Caput IV. Impedimenta ex reverentia inter propinquos . . . 305
Art. I. Cognatio . . . . . »
§ I. Cognatio naturalis . . . »
§ II. Cognatio spiritualis . . 310
§ III. Cognatio legalis . . . 311
Art. II. Affinitas 312
Art. III. Publica honestas . . . 314
Caput V. Impedimenta ob Religionis sanctitatem 315
Art. I. Disparitas cultus . . . »
Art. II. Ordo et Religio . . . 316
Caput VI. Impedimenta ob Matrimonii sanctitatem 317
Art. I. Ligamen . . . . . »
Art. II. Crimen 319
§ I. Solum adulterium . . . 320
§ II. Solum conjugicidium . . 322
§ III. Adulterium cum conjugicidio »
Art. III. Clandestinitas . . . 323
§ I. Vis hujus impedimenti . . 324
1. Vis impedimenti in se spectata »
2. Impedimenti ambitus . . 325
3. Causæ ab impedimento eximentes 326
§ II. Assistentia Parochi et testium »
1. Qualitas Parochi et testium . »
2. Commissio assistendi . . 328
3. Modus assistendi . . . »
§ III. Probatio Matrimonii clandestini 329
Sectio III. De dispensatione ab impedimentis dirimentibus »
Caput I. Potestas dispensandi . . »
Caput II. Causæ dispensationis . . 331
Caput III. Petitio dispensationis . . 333
Art. I. Tribunal competens . . »
Art. II. Exprimenda in libello supplici 334
§ I. Super impedimento publico . 335
§ II. Super impedimento occulto . 336
§ III. Super matrimonio invalide contracto 337
Art. III. Confectio libelli supplicis . »
Caput IV. Rescripta dispensationis . 339
Art. I. Rescriptorum forma . . »
Art. II. Clausulæ Rescriptorum . 340
§ I. In Rescriptis Datariæ . . »
§ II. In Rescriptis Pœnitentiariæ . »
Caput V. Exsecutio dispensationis . 342
Art. I. Verificatio precum . . . »
Art. II. Impletio cæterarum clausularum 343
Art. III. Acceptatio dispensationis . »
Art. IV. Fulminatio dispensationis . »
Sectio IV. De Matrimonii invalide contracti convalidatione . 344

PAG.
Caput I. Obligatio convalidandi Matrimonium 344
Caput II. Modus convalidandi Matrimonium 345
Art. I. Renovatio consensus . . 346
§ I. Ad convalidandum Matrimonium nullum ob solum defectum consensus . . . . »
§ II. Ad convalidandum Matrimonium nullum ob aliud impedimentum 346
1. Revalidatio post dispensationem simplicem . . . »
2. Revalidatio per sanationem in radice 348
Art. II. Observatio formæ Tridentinæ »

LIBER VII.

DE PŒNIS ET INDULGENTIIS.

TRACTATUS I.

De Censuris.

Caput I. De censuris in communi . 350
Art. I. Notio censuræ . . . »
Art. II. Auctor censuræ . . . 351
Art. III. Forma censuræ . . . 352
Art. IV. Subjectum censuræ . . 353
Art. V. Causa censuræ . . . 355
Art. VI. Effectus censuræ . . . 356
Art. VII. Causæ excusantes a censura »
§ I. Causæ excusantes ob incursu censuræ . . . . . »
§ II. Causæ excusantes ab effectu censuræ 358
Art. VIII. Absolutio a censura . . »
§ I. Modus auferendi censuram . »
§ II. Potestas absolvendi . . 359
§ III. Conditiones requisitæ ad absolvendum 361
§ IV. Forma et ritus absolutionis . 362
Caput II. Tres censurarum species . »
Art. I. Excommunicatio . . . »
§ I. Notio excommunicationis . . »
§ II. Effectus excommunicationis . 363
§ III. Obligatio vitandi excommunicatos 366
Art. II. Suspensio 368
§ I. Notio suspensionis . . . 368
§ II. Effectus suspensionis . . 369
1. Effectus suspensionis ab Officio »
2. Effectus suspensionis a Beneficio . . . . . »
§ III. Violatio suspensionis . . 370
Art. III. Interdictum 371
§ I. Notio interdicti . . . »
§ II. Effectus interdicti . . . 372
§ III. Violatio interdicti . . . 373
§ IV. Cessatio interdicti . . 374
Caput III. Censuræ in particulari . »
Art. I. Notiones præviæ . . . »
Art. II. Excommunicationes speciali modo R. Pontifici reservatæ . 375
Art. III. Excommunicationes R. Pontifici simpliciter reservatæ . 380
Art. IV. Excommunicationes Ordinariis reservatæ 385
Art. V. Excommunicationes non reservatæ 386
Art. VI. Suspensiones 388
Art. VII. Interdicta 391
Appendix. De cessatione a divinis . »

TRACTATUS II.

De Poenis vindicativis.

Caput I. Depositio. 392
Caput II. Degradatio . . . . . »
Caput III. Infamia 393
Caput IV. Privatio sepulturæ ecclesiasticæ »

TRACTATUS III.

De Irregularitatibus.

Caput I. Irregularitates in communi . 395
Art. I. Notio irregularitatis . . »
Art. II. Causa irregularitatis . . »
Art. III. Effectus irregularitatis . 396
Art. IV. Relaxatio irregularitatis . 397
Caput II. Irregularitates ex defectu . 398
Caput III. Irregularitates ex delicto . 401

TRACTATUS VI.

De Indulgentiis.

PAG.

Sectio I. Indulgentiæ in communi 403
CAPUT I. Notio indulgentiæ . . . »
CAPUT II. Concessio indulgentiarum . 404
ART. I. Potestas concedendi indulgentias »
ART. II. Justa causa . . . . . »
ART. III. Debita forma . . . 405
CAPUT III. Consecutio indulgentiarum . 406
ART. I. Necessariæ dispositiones subjecti . . . . . »
ART. II. Impletio operum injunctorum »
§ I. Impletio operum in communi . »
§ II. Quædam opera injuncta in particulari 408
§ III. Commutatio operum . . 409

PAG.

CAPUT IV. Applicatio indulgentiarum animabus purgatorii . . . 409
CAPUT V. Cessatio indulgentiarum . 410
Sectio II. Quædam indulgentiæ in particulari 411
CAPUT I. Altare privilegiatum . . »
CAPUT II. Via crucis 412
CAPUT III. Indulgentia plenaria in articulo mortis 414
CAPUT IV. Indulgentiæ rebus adnexæ . 415
CAPUT V. Jubilæum 416
ART. I. Notio Jubilæi . . . 417
ART. II. Opera injuncta . . . »
ART. III. Privilegia Jubilæi . . 418

SERIES CHRONOLOGICA

PROPOSITIONUM DAMNATARUM

AD DOCTRINAM MORUM PERTINENTIUM.

Propositiones damnatæ Petri Oxomensis 421
» » Michaëlis Baji . »
» » ab Alexandro VII 422
» » ab Innocentio XI 424

Propositio damnata a Clemente VIII . 427
Propositiones damnatæ ab Alexandro VIII »
» » Synodi Pistoriensis 428
» » a Pio IX . . 431

ERRATA.

Pag. 3. col. 2. lin. 16. inf. *legitur* licte, *legatur* licite.
» 7. » 1. » 10. sup. » mini tri » ministri.
» 37. » 1. » 19. inf. *legatur:* Ex communi sententia confert hunc effectum non solum mediante actu charitaris quem excitat, sed etiam immediate, suppositâ aliquâ saltem virtuali displicentia peccatorum.
Pag. 53. col. 2. lin. 17. inf. *legitur* Communionemque ipsam, *legatur* Communioque ipsa.
» 86. » 1. » 8. » » fractu a » fractura.
» 139. » 2. » 16. sup. » suffagari » suffragari.
» 207. » 1. » 24. » » exertitium » exercitium.
» 272. » 2. » 12 et 13. inf. *legitur* 491 et 495 *legatur* 492 et 496.
» 282. » 2. » 22. » » immunnis » immunis.
» 289. » 1. » 6. sup. » extrincese » extrinsece.
» 293. » 1. » 18. » » quonimus » quominus.
» 324. » 1. » 4. inf. » affere » afferre.
» 332. » 1. » 20. » » vir » si vir.
» 363. » 2. » 5. » » Contutio » Constitutio.
» 365. » 2. » 19. sup. *legatur:* Excommunicatio privat habilitate, non solum ad Beneficium, sed etiam ad Officium ac Dignitatem ecclesiasticam habentem jurisdictionem adnexam;
» 373. » 1. lin. 7. inf. *legitur* sunt *legatur* sint.

Alia minoris momenti lector ipse corrigel.

ADDENDA.

Nuper vulgata est in ephemeride: *Revue théol.* 1887. *pag.* 5. Instructio S. C. S. Officii 21 Jul. 1880 de mixtis matrimoniis, ex quâ sequentia lectori communicanda esse duxi, nimirum: »S. Apostolica Sedes semper constanterque retinuit atque retinet, nullimode in »vetito mixtæ religionis fas esse dispensare, nisi singulis in casibus præter causas canonicas »simul concurrant tres conditiones sequentes: 1° Ut partes, et præsertim hæretica, veras »cautiones præstiterint, quibus se coram Ecclesia obligent ad ea, quæ ab iisdem eadem »Ecclesia exigit, inter quæ præcipuum locum tenet Catholica educatio universæ omnino »prolis absque ullâ exceptione sive restrictione. 2° Ut Superior ecclesiasticus moralem cer»titudinem habeat sive de cautionum sinceritate pro præsenti, sive de earumdem adimple»mento pro futuro. 3° Ut cautionis exhibitio notoria sit, vel saltem talis esse possit, ad »omne scandalum removendum."

Pag. 342. n. 648. addendum est: Hinc 1° Si Rescriptum directum sit *Ordinario*, illud exsequi possunt Episcopus ejusve Vicarius Generalis, vel, sede vaccate, Vicarius Capitularis.

2° Si directum sit *Episcopo*, illud exsequi potest etiam ejus successor; non autem Vicarius Generalis, neque Vicarius Capitularis.

3° Si directum sit *Officiali Episcopi*, illud exsequi potest solus Vicarius Generalis, sede plenâ. Sede vacante, cum officium Vicarii Generalis cesset, et Vicarius Capitularis non sit Officialis Episcopi, sed Capituli, neuter illud exsequi potest; hoc officium competet Vicario Generali futuri Episcopi.

4° Si, sede vacante, Rescriptum dirigatur *Officiali a Capitulo et Canonicis deputato*, neque futurus Episcopus neque hujus Vicarius Generalis Rescriptum exsequi possunt; idque valet, etiamsi prædictus Officialis fiat futurus Episcopus.

5° Prædicta valent, sive res sit integra sive exsecutioni cœpta mandari. Propterea, si contingat ut designatus exsecutor quâcumque de causâ deficiat priusquam dispensationem exsecutioni mandaverit, novus exsecutor vel exspectandus est vel Romæ impetrandus.

6° Novus exsecutor, quisquis sit, dispensationem exsequendam suscipere non valet statu quo actu reperitur, eo sensu quod non requiratur nova verificatio causarum ab ipso instituenda, nec nova separatio sponsorum ab ipso sit imponenda; sed exsecutionem ab initio ita suscipere debet, quasi præcedens exsecutor nihil in eo negotio jam fecisset, seu quasi res omnino integra esset. Ita S. Pœnit. 3 April. 1886. (Revue théol. 1887. *pag.* 48.)

In Tomo I quidam defectus irrepserunt, quos reficere ex

Pag. 42. post Propos. III. addenda est hæc explicatio: I quando dubitatur de *exsistentia* facti, quo lex ejusve obligatio constat de facto, sed dubitatur de *sufficientia* ejus ad finier est dubium *juris*, in quo licet uti opinione probabili Doctor *fine lib.* 6. *n.* 505.)

Pag. 54. col. 1. lin. 14. sup. *legitur* mollitiem, *legatur* s

» 73. » 1. » 19 et 20. sup. *legatur : per modum officii perpetui.*

» 101. » 2. sup. *legitur* n. 9. *legatur* n. 11.

» 166. » 2. n. 35. *legatur:* **Principia.** I. Tentare Deum est ex genere suo peccatum morale. Ratio est, quia ex defectu fidei vel ex præsumptione petere a Deo extraordinarium et miraculosum effectum, gravis est in Eum irreverentia. — Potest tamen aliquando esse veniale ratione indeliberationis, simplicitatis aut ignorantiæ. (*n.* 29.)

II. Ex justa causa necessitatis vel utilitatis petere a Deo miraculum, vel committere se divino auxilio, non est tentatio Dei, sed est actus fiduciæ Deum honorans. (*n.* 31. S. Thom. 2. 2. *qu.* 97. *a.* 1. *et a.* 2. *ad* 3.)

REV15

ÚK PrF MU Brno
3129S03320